ALPHONSI SALMERONIS TOLETANI, E SOCIETATE IESV THEOLOGI;

COMMENTARII IN EVANgelicam Historiam, & in Acta Apostolorum.

TOMVS SEXTVS,

DE MIRACVLIS DOMINI NOSTRI Iesu Christi.

PERMISSV SVPERIORVM.



COLONIAE AGRIPPINAE,

Apud Antonium Hierat, & Ioannem Gymnicum,

ANNO M.DCXIII.

Cum gratia & Priuileg. Sacrae Caesar. Maiest.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

Filius Dei in hunc mundū cur venerit.

CVM Dominus Iesus æterni Patris Filius, qui Virtus, & Sapientia Dei, ab Apostolo nuncupatur, ad *1. Cor. 1.* operandam hominum salutem in hunc mundum fuerit destinatus; atque illa quæ docebat, prorsus humanam excederent intelligentiam & captum, & supra omnium hominum vires & facultates posita essent, vt neque illa moribus exprimere, neque factis præstare valerent, denique cùm in præmium remunerandæ obedientiæ, bona quædam ingentia, & quæ sub aspectum cadere nequeunt, post hanc polliceretur vitam in cœlo reposita: necessarium fuit, vt tantæ hominis cæcitati, & imbecillitati, à Diuina bonitate succurreretur, ne alioqui tanta Filij Dei prædicatio, tantusque eius ad nos aduentus frustraretur, & inanis atque inutilis redderetur. Hoc autem Deo Optim. Maxim. qui salutis nostræ sitientissimus est, congruentissimum atque conuenientissimum fuit. Nam Deus noster, Deus saluos faciendi est, & vt Apostolus testatur, vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: quamobrem, ad apprehendendam *Psal. 67.* *1. Tim. 2.* Christi lucem, atque doctrinam, omnibus obicem diuino lumini non ponentibus, & oculos claudere nolentibus, sed veritatem cognoscere auidè desiderantibus, de fidei dono perspexit, quo tanti Euangelij, & mittentis Patris, & missi Filij Dei actionum, ac virtutum eius, & finis, ad quem hæc omnia referrentur, homines capaces, & intelligentes redderentur: ad ea verò opera, & officia, quæ à nobis sua lege exegit præstanda, ne caussaremur virium nostrarum infirmitatem & tenuitatem; de saluberrimo diuinæ gratiæ auxilio nobis impertiendo, communicandoque prouidit; vt illo adiuti, & corroborati, intelligeremus nihil esse impossibile credenti, & omnia posse nos in eo qui nos confortat: ad bona verò illa, & præmia cœlestia expectanda, quæ promittit, cùm interim bonis præsentibus, sensusque nostros demulcentibus, & vitæ iocunditate essemus destituendi, & omnium ludibrio & voculis exponendi virtutem certissimæ spei, siue fiduciæ, cum longanimitate, patientia, & perseuerantia coniunctam nobis obtulit; quo tot præsidijs muniti, apertis vlnis tantam sapientiam de cœlo ad nos missam, amplecteremur, exosculaemurque; & vim naturæ nostræ ad malum propensæ inferentes, præsentisque seculi bonis renuntiantes, ad æterna illa bona, quæ Filius Dei suo verbo promisit, consequenda contenderemus, atque aspiraremus. Præter hæc omnia adiumenta, attulit Dominus signa omni admiratione digna, miraculaque stupenda, & omnem naturæ virtutem longè superantia, quibus nos in admirationem raperet, & ad credendum prouocaret & alliceret; & certissima atque firmissima esse omnia quæcunque docuerat, confirmaret. Signis enim permultis, & magnis illis, veram esse suam doctrinam comprobauit, Veterem legem abrogauit, missionem suam à Patre cœlesti in mundum salutis nostræ caussa susceptam confirmauit; Filium Dei se esse, apertis & inuictis argumentis demonstrauit; temporaria hæc & sensibilia vitæ humanæ bona præ æternis illis, & pretiosissimis gloriæ præmijs in vita futura ad fruendum repositis, contemnenda esse, atq; omnia huius mundi aduersa, & sensui acerba pro illis sustinenda esse, persuasum ac demonstratum nobis esse voluit.

Fidei, gratiæ Diuinæ, Spei atque fiduciæ necessitas.

Mar. 9.

Philip. 4.

Signorū Christi finis.

Proptereà Messias tantis de caussis, tanta signorum plenitudine munitus, ad nos instituendos, & doctrina sua imbuendos venire debuit; vt nullus esset tam audax, tam imprudens ac refr: ctarius, qui illi se opponere, atque in faciem auderet resistere; sed omnes, cognita eius & autoritate, & potestate, illi crederent subijcerenturque, atque doctrinæ eius, & legi per omnia concederent, quemadmodnm pios omnes, & iustos, qui eo seculo floruerunt, tum in Euangelicis, tum in Apostolicis literis, fecisse legimus. Nam vt olim missus à Deo Moyses magnus Propheta, admirandis & potentissimis signis editis, suam à Deo omnipotenti missionem, tum coram filijs Israël, vt spontè exirent de AEgypto, & legem eius libenter susciperent, tum coram Pharaone Rege, vt eos dimitteret, declarauit: relinquere enim bona, quæ in AEgypto possidebant, & iter per medium mare Rubrum, & desertum, tot annis conficere non essent aggressi, & bellum tot barbaris nationibus, vt eos Terræ Promissæ possessione spoliarent, non nisi miraculorum ope atque subsidio sustentati indixissent: ad eum planè modum Dominus Iesus, vt nos de mundo hoc, quasi de mystica quadam AEgypto educeret, & à vera dæmonis, quasi Pharaonis cuiusdam seruitute in libertatem filiorum Dei assereret, atque vt asperam pœnitentiæ & luctus vitam quasi in deserto positi traduceremus, & vim ipsi cœlorum regno inferremus, & vt violenti illud raperemus, & profectò sine magnis & multis prodigijs, & inuictis signorum operibus, quibus nos in tanta veritate confirmatos efficeret, non obtinuisset. Fuit Moyses Veteris Testamenti & legislator, & Propheta: fuit & Christus Noui: sed hic filius, ille seruus. Fuit ille apud nonnullos Hebræornm suspectus, cuius signis habendam esse fidem non putabant, fuerunt & multi, qui de Christi miraculis detraxerunt, & signa de cœlo ab eo petierunt. Opposuit & Moysi se Pharao, & inter sapientes & maleficos signa quædam edidit: opposuit se Mundus cum Diabolo Christi signis, & per sua organa, vt Simonem Magum, & Apollonium Tyaneum, & miracula quædam, sed falsa & calumniosa, & illis quæ Antichristus in fine mundi est editurus, non dissimilia patrauit. Sed vt serpens Moysi, magorum serpentes deuorauit, & in tertio signo Pharaonis sapientes defecerunt: ita Christi sapientia mundi sapientiam stultam reddidit atque infatuauit: & vera Christi miracula, & omni acceptione digna, mendacia illa & falsa Simonis, & Apollonij euicerunt: quemadmodum & Antichristi eorum capitis signa suo die vana, inaniaque ostendet: vt sic omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo, & Christo eius. Hinc Dominus doctrinam suam à miraculis, quibus est corroborata, non semel confirmat: ait enim: *Ego habeo testimonium maius Ioanne. Opera enim quæ dedit mihi Pater vt perficiam: ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Et iterum: *Loquor vobis, & non creditis, Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* Et infra: *Si autem facio: & si mihi non vultis credere, operibus credite: vt cognoscatis & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.* Et alibi: *Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est? Alioquin propter opera ipsi credite. Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet: quia ego ad Patrem vado.* Et iterum: *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Et Dominus quamprimum discipulos emisit per Iudæam ad prædicandum, dedit illis virtutem super omnia dæmonia, & vt languores curarent. Et dixit illis, *Euntes prædicate, dicentes quia appropinquauit regnum cælorum: infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite.* Quando verò secundò amanda-

uit illos

Marginal notes: *Exod. 3.* — *Infra 14. & 15.* — *Matth. 11.* — Christi cum Mose collatio — *Matt. 12. & 16.* — *Exod. 7. & infra.* — *2. Thess. 2.* — *Exod. 7.* — *Infra 8.* — *1. Cor. 1.* — *Esa. 29.* — *Rom. 3.* — *Ioan. 5.* — *Ioan. 10.* — *Ioan. 14.* — *Infra 15.* — *Matth. 10. & Luc. 10.*

uit illos ad euangelizandum per vniuersum orbem, dixit eis: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, Serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, nō eis nocebit, super ægros manus imponent, & bene habebunt; Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælum: & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti prædicauerunt vbique: Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis:* quasi signa ad stabiliendum Euangelium edita, cum supra naturam sint, & omnes eius vires superent, idonea & firma virtutis, & veritatis eius exigant testimonia. Ordo enim naturę semel à Deo statutus, à nullo alio quàm à suo ipsius conditore, peruerti & immutari potest; ita vt cùm velit, pro sola volūtate mutare possit: & hāc suadendi rationem per miracula, quasi mortalibus magis familiarem, accommodatam & propriam, adde etiam minus improbabilem, minus q; calumnijs expositam Diuina elegit prouidentia, ex qua vberes fructus suo tempore meteret. Vnde Apostolos signorum potestate, & sancta quadā simplicitate, non item mundi sapientia vel eloquentia instructos, tanquam Euangelicos præcones vniuersum orbem expugnaturos, & in obsequium fidei Christi illum captiuaturos, ad illustrandam gloriam suam, elegit. At verò illi ad prædicandum missi, nullis alijs armis magis, quàm signorum vsi sunt. Vnde in Actis cap. 2. dicitur: *Fiebat autem omni animæ timor. Multa quoque prodigia & signa per Apostolos in Ierusalem fiebant: & metus magnus erat in vniuersis.* Et cap. 5. *Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum: ita vt in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, vt veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quenquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus suis.* Et de Paulo & Barnaba profectis ad Gentes scribitur: *Multo igitur tempore demorati sunt, fiducialiter agentes in Domino, testimonium perhibente verbo gratiæ suæ, dante signa & prodigia fieri per manus eorum.* Et Apostolus Hebræos instituens, ait: *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ cùm initium accepisset enarrandi per Dominum ab eis qui audierunt in nos, confirmata est, contestante Deo signis & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem.* Et in posteriori ad Corinthios de se scribit: *Signa tamen Apostolatus mei facta sunt super vos, in omni patientia, in signis & prodigijs, & virtutibus.* Vides igitur Paulum gloriari in signis, & testimonijs sui Apostolatus? Nam miracula eius, qui solus in naturam potestatem habet, apta sunt cum diuinę gratię ope ad ingenerandam primitus fidem, & ad eam fouendam & reficiendam. Iam verò prudens lector, hic sextus liber enarrādis, atque interpretandis Christi signis nobis destinatur. Et aptè quidem hoc loco, post expositum sermonem, quem in monte Dominus habuit, hic liber reponitur: quoniam etsi Dominus ante illum nonnulla ediderit miracula, quamplurima tamen illum sunt subsecuta, vt ex Matth. 8. & Luc. 7. capitib. constat: & illa maximè diuina habentur signa, & veritatem confirmant, quę præcedenti doctrinæ adhibentur corroborandę. Nam etsi fieri possit, vt quis aliquando signa faciat, & posteà aliquam mendacem & prauam doctrinam disseminet; quod certè magna tentatio est: tamen, proposito aliquo falso dogmate, quòd aliquis ad eius confirmationem vera signa edat, nunquam Deus permittet, quia Deus ipse talium mendacio & falsitati testimonium perhibere videretur.

Est autem animus, omnia, quæ per historiam Euangelicam à quatuor Euangelistis conscriptam sparsim traduntur miracula, velut in vnum corpus colligere, & simul vno libro exponere: tùm vt lux Euangelij quanta veritate

Marginal notes (left): Ordo naturæ præceptus quâ tantum virtute possit immutari. — Quibus præsertim armis instructa Apostolorum prædicatio fuerit. — Quam vim habeant diuina miracula. — Ratio connexionis huius libri cum superiore. — Falsum alicuius dogma si Deus confirmaret, quid inde. — De quibus Christi miraculis erit disserendum hoc libro.

Marginal references (right): Marc. vlt. — 2. Cor. 10. — Act. 14. — 2. Cor. 12. — Heb. 2.

nixa sit,& quàm sit constans,inuicta atque indubitata,quę tantis argumentis & testimonijs constabilita est, simul enarratis omnibus signis magis appareat;tum vt vnius signi expositio,alterius fiat interpretatio, imò ad alia omnia exponenda viam muniat ac præparet:quod etiam sequenti libro de Parabolis nos facturos esse pollicemur. Nam quemadmodum cęlum ipsum vna vel altera stella micante fulget, si tamen totum serenum est,& omnia astra lumina sua simul iaculentur,splendidius & fulgentius ipsum efficitur: ita proculdubio doctrina Euangelica,quæ vno aut altero signo idoneè esset confirmata,summum tamen splendorem,& veritatis fulgentissimæ robur accipit,quãdo omnia signa,quæ diuersis temporibus,& varijs de caussis Dominus edidit,simul & quasi sub vnum aspectum considerantur & spectãtur. Quàm verò iocunda & voluptatis plena tractatio hæc sit, nemo est,vel mediocriter eruditus,qui non agnoscat. Nam si tanto studio & animi alacritate,& hominum frequentia ad spectãda præstigiatoris vel circulatoris mirabilia opera in forum concurrimus, & sæpè bonas horas rebus inanibus, ludicris, & in speciem tantùm apparentibus libenter consumimus, plerunq; etiam pecunia nobis locum proximum & commodum ad hæc vana intuenda comparamus,quorum fructus nullus est alius, quàm animum curiosum nugis & quisquilijs pascere,& linguas ad eas alijs enarrandas instruere. Quanta quæso cum animi propensione attentioneque ad hæc maiestatis plena, diuina & admiranda opera, quæ Christus salutis nostræ comparandæ gratia effecit,esset concurrendum? quàm alacri & deliberato animo dies integros,& noctes, atque adeò vitæ nostræ totius tempus his præstantissimis & pretiosissimis Christi operibus considerandis, & oculis fidei spectandis impendere deberemus? Nam si ipsam magnitudinem rerum respicias,nulla vnquam extitêre maiora:vt enim quidam dixit: *A seculo non est auditum,quia quis aperuit oculos cæco nati.* Et iterum, *Quidnam est hoc? quænam doctrina hæc noua:quia in potestate spiritibus immundis imperat, & obediunt ei?* Si multitudinem spectes,nunquam plura, neque magis varia edita sunt,vt meritò à quibusdam dictum fuerit;*Christus cùm venerit,nunquid plura signa faciet quàm quæ hic facit ?* Sin verò vtilitatem attendas,nulla magis in vniuerso orbe vtilia,vel audita,vel visa sunt : quid enim vitæ humanæ salutarius,aut conducibilius esse potest, quàm morbos omnes à corporibus propellere, spiritus malignos eijcere,vitam vel seruare,vel restituere?Si finem consideres,nulla altiorem scopum præfixum habuerunt. Nam vel tantum Diuinæ gloriæ illustrandæ gratia,vel homines in veritate instituendi, & ab idolorum cultu,& falsa religione reuocandi,& ad salutem æternam pertrahendi perpetrata sunt.Si modum inspicias,nihil inuenies sanctius,nihil purius,nihil suspicioni,aut calumniæ minus expositum, solo verbo, solo imperio,solo contactu(vt ipse solus operans proderetur)in aperto loco, innumeris turbis spectantibus, Dei inuocato nomine,nullo temporario prœmio spectato,vel laudis quidem & honorificentiæ, cùm editis signis,vel à se sanatis præciperet,ne cui dicerent,vel à turba se subduceret, ne gloriam quærere videretur,miracula operabatur. Atque hæc præsentium turbarum consequebatur admiratio,& metus , & magnificatio Dei, & gratiarum actio, quòd talem potestatem dedisset hominibus, vel in eum tanquam Prophetam,vel Messiam,fides.Si deniq; delectationem,& numerum spectatorum expendas,mirus erat & incredibilis ad eum vel deserta petẽtem concursus, tanta turbarum frequentia, vt nec spatium quidem manducandi Christus & Apostoli haberent,vt testatur Marcus; & interdum dum domi maneret, neque aditus vllus ad ingrediendum pateret,per tectum funibus in grabato iacentem paralyticum Christo sanandum obtulerint.

Comparatio.

Quàm vtilis & iocunda de miraculis Christi doctrina.

Magicæ artis mirabilium operum spectacula quàm sint vana & inutilia.

Variæ signorũ Christi qualitates admirandæ.

Ioan. 9.

Marc. 1.

Ioan. 7.

Matt 9.

Marc. 6.

Est ergò

Euangelij totius, atque adeo Scripturæ sacræ, nedum signorũ Christi scopus quis

Est ergò argumentum huius libri per se planè suauissimum & iocundissimum; adde etiam vtilissimum, modò animus intelligendi, & quæ intellexerit, opere complendi auidius accedat: quod finis est non solùm omnium signorum, sed etiam totius Euangelij, atque adeò vniuersæ Scripturæ sacræ. Quod verò diximus hic omnia nos Christi miracula tractaturos, id ita à lectoribus intelligi volumus, vt ab hoc signorum numero subtrahenda sint miracula omnia, quæ vno tantum, vel altero verbo ab Euangelistis enarrantur; nam eiusmodi, tanquam ad historiam vitæ Christi potius pertinentia, in quarto libro exposuimus: non quòd miracula non sint, sed quia eorum narratio historia est potius, quàm quæ huic libro conueniat, in quo ea quæ fusiori sermone persecuti sunt Euangelistæ, explicantur signa. Præterea illa signa subtrahemus, quæ Christus vel positus in vtero matris in domo Zachariæ fecit, (quem non sine signo mutum & elinguem prius, deinde bene loquentem & prophetantem reddidit Dominus) vel in natiuitate eius acciderunt, vt de cantu Angelorum, & aduentu pastorum, & exortæ stellæ apparitione, & Magorum adoratione. Denique si quæ in Aegyptum fugiens patrauit signa, illa, vtpotè suis locis exposita, consultò hic omittimus: illa etiam pauca, quæ tum in passione, tum post resurrectionem suam operatus est, vt se suscitatum Apostolis proderet, hoc loco supprimimus, quoniam illa suis libris enarranda seruamus. Ea etiam quæ in Actis Apostolorum à Luca recensentur, non sunt cum istis enumeranda: nam hæc per seipsum fecit Christus, illa verò non ipse effecit, sed per administros Apostolos; illa etiam suum peculiarem locum, in quo à nobis edisserantur, habebunt. Illa ergò quæ iam grandior, & post baptismum edere cœpit, ad tempus vsque imminentis passionis suæ, hoc libro interpretari contendimus. Nemo verò admiretur, si ad explicanda Christi signa, interdum partes quædam, siue portiones historiæ hic adhibeantur: quia id consultò à nobis factum est: nam nisi ea, ex quibus pendent miracula, expendantur, vix possimus signa ipsa rectè explicare. De his paucis voluimus te commonefacere, prudens Lector, vt rationem ordinis, quem seruare instituimus, magis percipias, & minori labore fructum huius lectionis assequi valeas. Bene vale.

Luc.1.
Infrà 2.
Ibidem.
Matth.2.
Ibidem.
Infra 27.
Luc.22.
Ibidem.

INDEX TRACTATVVM QVI IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Tract.

Licentia P. Visitatoris.

STephanus de Ojeda, Visitator Societatis Iesu in prouincia Toletana, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre Claudio Aquauiua, Præposito nostro Generali, facultatem concedo, vt sextus tomus; *De signis & miraculis, quibus doctrinam suam Dominus noster Iesus Christus confirmauit*, quem composuit Pater Alfonsus Salmeron, vnus de primis Patribus Societatis Iesu, typis mandetur; quia iam discussus est & approbatus à viris doctis & grauibus nostræ Societatis. In cuius rei fidem has literas dedi meo nomine subscriptas, & mei officij sigillo munitas. Madriti, Idibus Aprilis, M.D.XCIX.

Stephanus de Oieda.

Approbatio.

EVolui diligenter, & accuratè perlegi, iussu supremi Senatus Regij, librum sextum Commentariorum in sacrosancta Iesu Christi Euangelia, De signis & miraculis, quibus doctrinam suam Dominus noster Iesus Christus cōfirmauit, compositum à reuerendo & sapientissimo Doctore Patre Alfonso Salmeron Societatis Iesu, vno è primis decem Patribus eiusdem Societatis: in quo libro nihil reperi, quod Catholicæ fidei, aut sanctæ Romanæ Ecclesiæ decretis, aut bonis moribus repugnaret; imò verò ita piè, ita doctè, ita dilucidè omnia tractat, vt propter eximiam vtilitatem, quam legentibus hic liber allaturus est, meritò in lucem prodituru esse videatur. Videas autorem vbique bonum Christi odorem spirare, & magnam animi pietatem cum summa doctrina laude coniungere. Itaque dignus est liber qui prelo mandetur. Dat. Madriti 1. die Iunij, Anno Domini 1599.

F. Ioan. Temporal, Magister & Commend.

R. P. ALFONSI SALMERONIS TOLETANI, THEOLOGI E SOCIETATE IESV; COMMENTARIORVM IN EVANGELIA, ET ACTA APOSTOLORVM.

LIBER SEXTVS.

TRACTATVS I.

Quo vera ratio miraculi traditur; & ad Deum solum signa edere, pertinere comprobatur.

QVONIAM in omni cõstituta disputatione, à nominis ipsius definitione exordium esse sumendum, sapientes tradiderunt; propterea primo loco nobis ea de re sermo est instituendus. Ac in primis miraculum, quod Latinè à mirando dicitur, siue Græcè θαῦμα: nomine nihil aliud est, quàm quodcunque opus sua vel magnitudine, vel nouitate, vel raritate propter causæ occultæ ignorationem, in admirationem inducens: vnde & Latini autores illa etiam quæ ab hominibus fiebant, modò ad stuporem, & admirationem excitarent, miracula, siue mirabilia vocabant. Vnde ille Epigrammaton scriptor dixerit;

Miraculum nomine tenus quid sit.

Marti. lib.1. Epigr. 1.

Celeberrima septem Mundi Miracula.

Barbara pyramidum sileat miracula Memphis.

Hinc pro miraculis coluerunt & celebrarunt septem ingentia mundi opera, hominum industria, siue viribus confecta, atque elaborata: vt, templum Dianæ Ephesiæ; Mausolæum Reginæ Cariæ in honorem viri structum; Colossum Iouis apud Rhodios; Iouis Olympiaci simulacrum ex ebore à Phidia confectum; Muros Babylonis, quos Semiramis Regina construxerat, Pyramides Ægypti miræ altitudinis; Domum Cyri Medorum Regis, quam Memnon illigatis auro lapidibus pretiosis fabricauit: de quibus Plinius, & alij historici differuerunt. Ita etiam accepta vocis significatione locutus est alius Poëta, qui dixit:

Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat; vt speciosa dehinc miracula promat,
Antiphatem, Scyllamq́; & cum Cyclope Charybdim.

Horat. in Arte Poetica, aliquantò ante dimidium.

Vbi opera naturæ, aut fabulas hominum ingenio excogitatas, miracula vocauit. Hic tamen non ita largè miraculum accipimus, sed pro opere, quod omnem naturalem virtutem agentium superat; & à solo Deo, cuius potestas est infinita, & quod in se veram admirationis causam habet, effici potest. Quæ vt magis explicentur, sit hæc miraculi ratio, siue definitio: Res insolita supra naturæ potentiam effecta. Duo ergo adesse oportet, vt aliquid dici possit miraculum. Primum, vt sit supra naturæ facultatem. Deinde vt non sit commune: altero horum deficiente, ratio miraculi non constabit. Atque hac de causa creatio animæ humanæ, vel eius iustificatio, vel eiusdem ad æternam gloriam possidẽdam euectio; miracula propriè non sunt censenda: quia etsi hæc opera excedant potentiam naturæ creatæ, & à solo Deo fiant, non sunt tamen rara, aut insolita, sed communia, & vsitata: quemadmodum etiam multa alia opera, quæ Deo propria sunt, vt mundi conseruatio, gubernatio, & peculiaris omnium rerum prouidentia. Præterea alia ratione si vnus homo nasceretur cum sex, aut septem digitis in qualibet manu, & monstra quædam, quæ interdum producuntur, miracula tamen non sunt: quia etsi hoc sit insolitum, vires tamen naturæ non excedit: quoniam à causis naturalibus illa procedere possunt. Illa ergo miracula propriè dicuntur, quæ sola Diuina virtute fiunt in rebus illis, in quibus est naturalis ordo ad contrarium effectum, vel ad contrarium modum faciendi: nam talia admirationis causam in se habent; causa enim occultissima, & à sensibus nostris remotissima Deus est, qui rebus in omnibus intimus, & secretissimus operatur. Quæ verò natura facit, nobis tamen, vel aliquibus occulta, & abdita causa; vt, quòd magnes trahat ferrum,

Miraculum re ipsa quid. Idem duo requirit.

Quænam Dei opera quãuis supra naturã effecta, miracula tamen nõ sint appellanda.

Opera naturæ extraordinaria, qualia sunt monstra, & similia, à miraculi ratione cur sint aliena.

Exod. 7. rum, vel quod Magi Pharaonis ex seminarijs rationibus, ex virga serpentes finxerint; vel etiam quæ Deus per naturam administram facit, nec apta sunt nisi à Deo fieri, in miraculi appellationem non veniunt. In his verò quæ Deus miraculo facit, vt doctè considerauit D. Thomas in *D. Thom.* Quæstion. disput. quædam dicuntur esse supra naturam, quædam contrà, quædam verò præter naturam. Supra naturam quidem sunt, quando illum effectum Deus miraculo facit, quem natura non potest inducere: vt est Incarnatio Verbi, & forma gloriosa corporibus suscitatis communicanda: vel quando etsi talem formam possit in aliquam materiam natura inducere, non tamen in istam: quemadmodum natura potestatem habet in embryone ad ingenerandam in eo vitam, non tamen in hoc cadauere, quia hoc supra naturam eius est. Contra naturam dicuntur, quando in natura remanet contraria dispositio ad effectum, quē Deus facit: sicut cùm seruauit tres pueros in camino ignis, manente tamen virtute comburendi in igne, qui Regis Chaldæorū ministros exussit, & quando aqua Iordanis stetit, salua grauitate deorsum fluendi, & cùm aqua calcandam se præbuit Domino, integra leuitate, & mollitie ad submergendum omnia corpora grauia; & leones seruata fame, & esurie, Danielem non tetigerunt, qui tamen alios in lacum proiectos deuorarunt. Et ad huius miraculi genus spectat partus Virginis. Quædam verò sunt præter naturam, cùm producit effectum, quem producere natura valet, sed illo modo, quo natura producere non potest: vel quia deficiunt instrumenta, quibus natura operatur: vt cùm Christus aquam conuertit in vinum; quod natura aliquo modo præstare potest, dum aqua in nutrimentum vitis attracta, suo tempore in vuarum succum digesta producitur: vel quia maior in diuino opere multitudo est, quàm natura facere consueuit; vt constat de ranis, quæ productæ sunt in Ægypto, quorum numerus nunquam anteà tantus extitit: vel ratione temporis, vt cùm ad diui, vel diuæ alicuius inuocationem aliquis à morbo curatur, quem natura non statim, sed pedetentim per temporis moram curare poterat: ita socrus Petri, atque alij permulti infirmi, vel solo verbo, vel simplici manus impositione à Christo sanati sunt. Cùm verò Deus agit aliqua contra solitum naturæ cursum, atque ordinem, non intelligimus, totū vniuersi ordinem tolli aut peruerti; sed solum illum cursum, qui est ex ordine vnius rei ad alteram; atque hoc propter salutem hominis, quæ finis est vniuersi. Quemadmodum enim contra naturam particularem est, quod graue ascendat, considerata tamen natura vniuersali, quæ horret vacuum illud, quod licet sit graue, ascendit, non est contra naturam: quemadmodum etiam in naturam aquæ propriam est, quod non tegat vniuersam terram, vt texit à principio, at non in vniuersam, quæ est vitæ hominis conseruatio, & defensio. Ad eum modum Deus Opt. Max. dum signa edit, etsi aliquid contra naturam particularem faciat, non tamen in vniuersalem, quæ bonum & salutem hominis respicit, & propter quem conditus est orbis.

Miracula Christi quænam supra naturam.

Quæ contra naturam.

Dan. 3. Iudic. 3 & Psalm 113. Matth. 14. Ibidem. Dan. 6. & 14 Esai. 7. & Matth. 1.

Quæ præter naturam: & hoc tripliciter.

Ioan. 2. *Exod. 8.* *Matth. 8.*

Nō ideò quod aliqua contra cōsuetum naturæ cursum atque ordinē à Deo fiant, totū vniuersi ordinem tolli, aut peruerti propterea. Salus hominis finis vniuersi.

Ex his igitur quæ disseruimus, habemus veram rationē miraculi: atque Deum solum illud posse præstare. Quod in primis Scripturæ ipsæ porrigunt. Primò, quia Psal. 71. dicitur; *Benedictus Dominus Deus Israel qui facit mirabilia solus*; & Psalm. 76. *Deus, in Sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster? Tu es Deus qui facis mirabilia.* Rursus Psalm. 85. *Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus solus.* Rursus Psalm. 105. *Patres nostri in AEgypto non intellexerunt mirabilia tua:* & infrà: *Mirabilia in terra Cham: terribilia in Mari Rubro*; & Psalm. 77. *Et obliti sunt benefactorum eius, & mirabilium eius, quæ ostendit eis. Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra AEgypti in campo Taneos.* Quòd verò per mirabilia intelligat vera miracula, ostendit quod sequitur: *Et conuertit in sanguinem flumina eorum, & imbres eorum, ne biberent. Misit in eos cynomiam, & comedit eos; & ranam, & disperdidit eos:* & quæ sequuntur. Ostendit etiam Scriptura, idem esse Mirabile, & Miraculum: cùm Exod. 11. diceret Moyses populo Israel ex mandato Domini, quo pacto nocte sequenti moriturum esset omne primogenitum Ægypti, tam hominum, quam iumentorum, subdit: *Apud omnes autem filios Israël nō mutiet canis ab homine vsq; ad pecus: vt sciatis quanto miraculo diuidat Dominus AEgyptios, & Israël.* Est autem in Hebræo eadem vox; ne inter duas has voces vllam constituat differentiam. Hinc Matth. 21. scribitur; *Videntes autem Principes Sacerdotum, & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, &c.* Et Luc. 5. sanato paralytico dicitur. *Quia vidimus mirabilia hodie.* Ex his ergo testimonijs euincimus idem esse, mirabile, & miraculum; & solius Dei esse edere signa. Secundo, idem ostenditur ex illis omnibus locis, in quibus Dominus, tam Ioan 5. quā 10. 14. 15. & vlt. vbi ex à se editis miraculis ostendit se esse Deum, Dei Filium, & Patri æqualem: aut

Deum solum miracula edere, multis euincitur. Primum argumentum à Scripturis.

Exod. 7. Infra 8. & seq. Ibidem.

Mirabilia, & Miracula in Scripturis nō differre.

Matth. 21. Ibidem.

ergo

ergo nō idoneè se Deum comprobat, quod non est dicendum; aut solius Dei erat facere miracula. Idem etiam probatur ex missione Moysi: quia vt habetur Exod. 4. vt crederetur à vero Deo Israel missus, signa plura id comprobandi à Deo accepit. Ergo signa edere, veri Dei est: & Augustinus lib. 10. de ciuit. Dei cap. 18. docet, Deos Gentium non aliter se colendos esse persuasisse, quàm mirabilibus operum effectibus. Tertiò, idem probatur ex definitione Miraculi, quod esse diximus, opus insolitum, & supra naturæ potentiam effectum. Cùm ergo solus Deus Naturæ institutor, illam possit pro voluntate immutare, & peruertere, ad ipsum solum pertinet patratio miraculorum: quemadmodum & ad eum solum spectat in Legem dispensare, qui legem condidit. Quartò, ratio naturalis docet, & sapientes tradiderunt, quòd à priuatione ad habitum, regressus naturæ sit impossibilis; at Christus Dominus dicebat; *Cæci vident, claudi ambulant: leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, &c.* Ergo super omnem naturæ creatæ potestatem posita est miraculorum editio. Quòd si contra hæc obijcias, ex Prophetis quosdam, & Apostolos omnes, & plerosque diuos miraculorum operatione inclaruisse, vt Veteris & Noui Testamenti pagina contestatur: Respondemus, illos non propria vlla virtute, aut potestate naturali, sed virtute Diuina sibi à Christo collata miracula edidisse: vnde Matth. 10. dedit eis potestatem eijciendi spiritus immundos, & sanandi omnem languorem, & omnem infirmitatem. Et Act. 3. cùm Petrus & Ioannes claudum ad Speciosam portam templi mendicantem in nomine Iesu Christi Nazareni restituissent ad sanitatem; respondit Petrus ad populum, *Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute, aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus patrum nostrorum glorificauit Filium suum Iesum, &c. Et in fide nominis eius, hunc quem vos vidistis & nostis, confirmauit nomen eius: & fides quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.* Vbi vides, Apostolos nihil sibi tribuere in miraculi operatione, sed nomini, ac potestati Christi, & fidei quæ in illum est. Hinc Augustinus enarrans locum illum Psalmi 71. *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus,* ait, *Ipse facit mirabilia solus. Quoniam quæcunque faciunt* (scilicet Sancti) *ipse in eis operatur, qui facit mirabilia solus.* Sic ille. Et quemadmodum Christus interdum prece præmissa, & suspiciens in cœlum, & gratias agens miracula edebat, & cùm Lazarum suscitauit, & surdum & mutum sanauit, & panes in deserto multiplicauit; interdum verò solo verbo & imperio, nullis præmissis precibus: ita voluit Sanctos vtroque modo edere miracula. Quod his verbis declarat Beatus Gregorius lib. 2. Dialogorum cap. 30. *Qui deuotà* (inquit) *mente Deo adhærent, cùm rerum necessitas exposcit, exhibere signa modo vtroque solent, vt mira quæque aliquando ex prece faciant, aliquando ex potestate. Cùm enim Ioannes dicat; Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Qui filij Dei ex potestate sunt, quid mirum, si signa facere ex potestate valeant? Quia enim vtroque modo miracula exhibeant, testatur Petrus, qui Tabitham mortuam orando suscitauit: Ananiam verò & Sapphyram mentientes, morti increpando tradidit. Neque enim orasse in eorum extinctione legitur; sed solummodò culpam, quam perpetrauerant, increpasse. Constat ergo quòd aliquando hæc ex potestate, aliquando verò exhibent expostulatione, dum & istis vitam increpando abstulit, & illi reddidit orando.* Hæc ille, qui subdit etiam exemplum B. Benedicti signum ex potestate edentis. Et sanè si Scripturas Euangeliorum consulimus, negare nō debemus, potestatem edendorum signorum Apostolos accepisse.

Cùm autem hæc potestas infinita sit, & illam creatura accipere non possit: per illam intelligimus donum gratiæ gratis datæ, siue gratiam curationum, & fidem miraculorum operatricem: de qua Apostolus 1. Corinth. 12. Ac veluti Sacerdotes administrando Sacramenta homines sanctificant, & gratiam diuinam impertiunt tanquam instrumenta quædam Dei, ita Sancti in edendis signis, administri, & organa Dei sunt: vnde & ipsi quoque miraculorum autores esse dicuntur, siue prece præmissa, siue illa omissa miracula patrent. Vide autem differentiam inter Deum, Christum, Prophetas & Apostolos in edendis miraculis. Nam Deus tantùm imperio & potestate, non autem antè præmissa precatione signa faciebat: Christus, quia Deus & homo erat, interdum quidem preces priùs adhibuit tanquam homo, sed raro, plerunque autem imperio, & potestate signa edebat: Prophetæ verò Veteris Testamenti vt plurimum Deum orabant, & precibus signa impetrabant: vt constat de Helia & Helisæo, qui non nisi precantes, & alias cæremonias adhibentes, mortuos suscitabant: & Helias in congressu illo cum Prophetis Baal, ora-

Marginalia: *Aug. tom 3.* — Tertium. — Quartum. — *Matth. 11.* — Si solus edere signa Deus potest, eadem cur Sanctis vis faciendi tribuitur. — *B. Aug. to. 8.* — Sancti (quomodò Christus) interdū prece, interdū solo verbo & imperio faciebāt miracula. — *Ioan. 11.* — *Marc. 7.* — *Matth. 14.* — *B. Gregor. tom. 2.* — *Ioan. 1.* — *Actor. 9.* — *Actor. 5.* — *Matth. 10.* — *Luc. 10.* — Quid per virtutem, aut potestatē signorum effectricē sit accipiendum. — Hæc virtus quomodo in Deo, & in Christo, quomodo in Sanctis eius sit. — *3. Reg. 17.* — *4. Reg. 4.* — *3. Reg. 18.*

tione humili præmissa signum ignis deuorantis holocaustum de cœlo obtinuit: & dixit, *Domine Deus Abraham, & Isaac & Israel, ostende hodie, quia tu es Deus Israel, & ego seruus tuus, & iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc. Exaudi me, Domine exaudi me, &c.* vt habes 3. Regum 18. & frater Domini de Helia ait: *Helias, homo erat similis nobis, paßibilis: & oratione orauit, vt non plueret super terram: & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursum orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum.* Moyses item Exod. 8. & 9. plagas affligentes Pharaonem & Ægyptum orando auferebat; *Constitue,* inquit, *mihi quando deprecem pro te, & pro seruis tuis, &c.* & Pharao dicebat; *Orate Dominum vt auferat ranas à me, & à populo meo,* & reliq.

3. Reg 17.

Interdum tamen etiam ex imperio edebant signa, vt cùm Moyses extendit virgam in mare, & exsiccatum est; & in petram, & dedit aquas; & Helias dixit Principi quinquagenario, & quinquaginta cum eo, *Si homo Dei ego sum, descendat ignis de cœlo, & deuoret te, & quinquaginta tuos.* Eadem ratione Apostoli & Sancti in Nouo Testamento signa interdum ex potestate sine precibus edebant; frequentius tamen vt Dei gloriam, & nomen IESV illustrarent, & ne sibi quicquam tribuere viderentur, precibus ad Deum fusis signa ediderunt, vt ostenderent alium esse, qui in eis, & per eos operabatur, & loquebatur. Vnde aiebat Apostolus, *Non audeo aliquid loqui eorum quæ per me non effecit Christus in obedientiam Gentium, &c.* & alio loco, *An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus?*

4. Reg 1.

Rom. 15.

2. Cor. 13.

Neque obstat, quandoque improbos & scelestos homines vera signa edere: quia vt Dominus inquit, *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, Quia nunquam noui vos.* In quæ verba Hieronymus scribit, *Prophetare, & virtutes facere, & dæmonia eijcere, interdum non eius meriti est, qui operatur; sed vel inuocatione nominis Christi hoc agit, vel ob condemnationem eorum, qui inuocant; & vtilitatem eorum qui vident & audiunt, conceditur, vt licet homines despiciant signa facientes, tamen Deum honorent; ad cuius inuocationem fiunt tanta miracula.* Hæc Hieronymus inquit. Sicut ergo repugnat, Deum edere signa ad comprobandam falsam doctrinam, ita ad comprobandam sanctitatem alicuius: qui impius & flagitiosus existat: benè tamen ad doctrinam Catholicam, quam & impius

Matth. 7.

Miracula operentur cur etiã mali, teste Hieronymo.

Hieron in c. Matth. 7. tom 8 init.

prædicat, confirmandam. Deinde si obijcias, Magos Pharaonis edidisse signa, cùm testiterunt Moysi: & Dominus Matth. 24. ait; *Surgent pseudochristi & pseudopropheta; & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi:* & Apostolus ad Thessalon. loquens de Antichristo; *Cuius est,* inquit, *aduentus, secundùm operationem Satanæ, in omni virtute & signis, & prodigijs mendacibus. Et in omni seductione iniquitatis ijs qui pereunt, eo quòd charitatem veritatis non receperunt vt salui fierent.*

Exod 7 8. 9 10.

2. Thess. 2

Dicendum est, quæcunque per magos, siue maleficos & incantatores fiunt, mira quidem posse dici; quòd in admirationem spectatores inducant, ex eo quod causa illorum effectuum occulta sit; vera autem miracula nequaquam, quoniam naturalium virtutem agentium non excedunt. Nam illi periti rerum naturalium, mira celeritate quædam quæ agunt, cum his quę patiuntur, admiscent, & ita repentè effectus producunt mirabiles: qui causas ignorantibus, præter naturam videntur; cognoscentibus autem, naturales sunt. Et ita dicendum de pseudochristis & pseudoprophetis, siue de Antichristo, qui opera dæmonis adiutus, admiranda est editurus; sed talia tamen, quæ virtutes naturalium rerum non excedant. Quæ propterea ab Apostolo dicuntur signa mendacia: non solùm quòd per illusionem sensuum, & maximè oculorum, vel per medium immutatum dæmonum arte ea exteriùs oculis apparere faciant, quæ reuera non sunt, nam talia falsa & mendacia existunt; sed etiam quòd, etsi in se vera sint quæ faciunt, & re ipsa existant, quia tamen ordinem, & vires naturæ totius non superant, naturalia tantùm sunt: mendacia tamen, quia ad finem decipiendi, & à veritate fidei abducendi, & ad Christum abiurandum, & ad Antichristum recipiendum fiunt. Ideò tantæ signorum efficaciæ & virtuti præmunire se debent fideles, atque illis opponere ingentia, & propè innumerabilia, & vtilissima, & certissima signa, quæ Christus, & Apostoli ad confirmationem Euangelij ediderunt. Ita enim clauum clauo trudent, & signis veris signa mendacia expugnabunt. Nam etsi creaturæ, quãtum ad motum, siue qualitatum mutationem, Angelis, siue dæmonibus famulentur & seruiant, atque velocissimo motu res ex vno in alterum locum transferre valeant: non tamen illis pro voluntate obediunt, vt ex qualibet quodlibet fiat; nisi tantùm Creatori & conditori Deo. Non enim Angelis subiecit Deus orbem terræ, vt dicitur

Quæ per magos, siue maleficos opera in speciem admiranda fiunt miracula cur dici nequeant.

Qualia per pseudochristos & pseudoprophetas & per Antichristum sint facienda prodigia.

2. Thess. 2.

Antichristi signa atque prodigia, ab Apostolo cur dicantur mendacia.

Quemadmodum fideles ad futura Antichristi signa repellenda se comparent.

Res corporeæ, & inferiores, Angelis, aut dæmonibus quatenus subijciantur.

tur ad Heb. 2. Quæuis enim creatura, etiam Angelus, vel dæmon, limitata eſt, quia certi generis & ſpeciei: ergo operatur non excedendo ſuum genus. Et ita intra ordinem naturalem, cuius agens eſt, vt ab agente naturali ſuſcipiat vim agendi, quod alias non poſſet; vt calor vi animæ cauſa eſt vitalis operationis. Deinde quælibet creatura requirit ſubiectum, in quod agat; & etiam potentiam naturalem in eo ſuſcipiendi actionem; ergo non excedit ordinem naturalem, ſed ſolus Deus, qui poteſtatis ſuæ limites nullos habet, & ſupra naturalem capacitatem ſubiecti operatur, in quod agit pro voluntate. Quare conſtitutum nobis eſſe debet, ad ſolum Deum ſpectare, vera miracula edere, non ad homines, vel ad Angelos, vel ad dæmones: ideò quæcunque per horum poteſtatem edita ſunt, etiamſi magna videantur, & admirationem magnam excitauerint, & miracula ab ethnicis ſint vocata, naturalia tamen opera ſunt, vel potius artificialia, illorum arte & induſtria confecta, non vera miracula.

Deus quale ſit agens.

Quod ad voces verò ſpectat, aduertendum eſt, rarum eſſe vſum vocis Miraculi in Nouo Teſtamento, & frequentiſſimè dici ſigna & prodigia, quæ Græcè σημεῖα, & τέρατα dicuntur, & coniunctim frequenter illa ponuntur: vt, *Surgent pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia*: &, *Stephanus faciebat prodigia & ſigna magna in populo*: & Dominus; *Niſi ſigna*, inquit, *& prodigia videritis, non creditis*: & in Actis, *Per manus autem Apoſtolorum fiebant ſigna & prodigia multa in plebe*: rurſus, *Ieſum*, inquit, *Nazarenum virum approbatum à Deo in nobis, virtutibus, & prodigijs & ſignis, quæ fecit Deus per illum, &c.* & Apoſtolus ad Heb. 12. *Conteſtante Deo ſignis & portentis*: vbi etiam Græcè eadem vox, quæ in omnibus alijs locis habetur, vocatur prodigium. Notauit quoque Origenes tom. 13. in Ioannem, ſigna plerunque ſolitariè dici, prodigia autem nunquam ſine ſignis. Et ſubdit: *Equidem inopinatas admirabileſq; & prodigioſas poteſtates ac vires ex eo quòd hoc inopinatum eſt, & morem vſitatum ſuperat, admirabileq; eſt, & ſupra vires hominis efficitur, prodigia dici exiſtimo: ea autem, quæ alia quadam, præter ea quæ fiunt, declarant, ſigna dici.* Ita ſenſit Origenes. Quemadmodum etiam in Veteri Teſtamento illa duo coniunguntur. Nam Deuteronom. 7. *Recordare quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni & cunctis AEgyptijs, &c. ſigna atque portenta, manumq; robuſtam, & extentum brachium*: & cap. 26. *In ſignis atque portentis.* Nehemiæ item 9. *Dediſti ſigna atq; portenta in Pharaone, &c.* Ieremiæ 32. *Eduxiſti populum tuum Iſrael de Terra AEgypti, in ſignis & in portentis*; vbi Septuaginta ſemper habent σημεῖα καὶ τέρατα. Dicuntur autem aptè ſigna, quòd non tantùm admirationē excitarent, quod ſignificat vox miraculi; ſed quòd aliquid aliud nobis indicarent, nempe Chriſtum Meſſiam eſſe, Deum & hominem, & mundi ſeruatorem. Vt enim Reſurrectio Lazari inducit ad vniuerſalem futuram reſurrectionem credendam; ita ſigna omnia ad Incarnationem Verbi Dei, quæ eſt miraculum miraculorum, vt Sancti docent, indicandam, & fide amplectendam referuntur. Corporea etiam ſigna Domini, vt, Mundatio lepræ: Satietas ex quinque panibus & duobus piſcibus, Eiectio dæmonum de corporibus; Spiritales fructus mundationis internæ, & ſanitatis, vel ſatietatis ſpiritus, vel expulſionis dæmonum de animabus, indicabant, ſignificabantque. Prodigia verò, teſte Feſto, dicuntur, quod prædicant futura, ſiue minas deorum: vnde in malum accipitur; hinc Poëta:

Vox Miraculi in Nouo Teſtamento infrequens; ſigni atque prodigij receptiſſima.
Matth. 24.
Actor. 6.
Actor. 5.
Actor. 2.

Signa plerunque ſolitariè dici, prodigia autē nunquā ſine ſignis, obſeruauit Orig.
Origenes.
Prodigia, & ſigna quid differant, ſecundum eundem.

Exod. 14.

Miracula, cur ſigna dicātur.
Quid illa ſignarent.
Ioan. 11.
Corporea Domini ſigna, ſpiritualia eiuſdem deſignabant.
Matth. 8.
Luc. 17.
Matth. 14.
Infra 15.
Cur dicantur prodigia.
Feſtus.

Sola nouum, dictuq; nefas Harpyia Celæno
Prodigium canit:

Virg lib. 3. Æneid.

Aliquando etiam pro prodigio ponitur portentum, quòd aliquid ingens & terribile portendat futurum. Miracula ergo Chriſti non tantùm erant ſigna, vt dictum eſt, ſed prodigia etiam atque portenta: non ſolùm quòd res magnas & ingentes, ac quales natura præſtare non potuit, vt, Deum eſſe hominem, & Hominem Deum; & Chriſtum ex Virgine editum, & crucifixum, & à mortuis ſua virtute ſuſcitatum & cœlos per aſcenſionem penetraſſe, quæ omnia maxima & incomprehenſa ſunt, ſed etiam quod futura & terribilia iudicia Dei in incredulos, & Euangelium non acceptantes præſignificarent, & æterna gehennæ ſupplicia, quibus cruciandi traduntur infideles: Chriſtum etiam viuorum & mortuorum iudicem comprobarent. Ad hæc portenti, & prodigij ſimile erat, quòd viles piſcatores, & homines prorſus rudes, & idiotæ tanta ſapientia præſtarent, & tanta edendi ſigna præditi eſſent poteſtate, vt breui temporis ſpatio totum mundum ad Chriſtum perduxerint. Vnde Dominus per Eſaiam de Apoſtolis ait: *Ecce, ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in ſignum, & in portentum Iſrael à Domino exercituum, qui habitat in Monte Sion*: Qui non ſolùm dicuntur facti in ſignum, & portentum ſapientiæ ſeculi, & ſuperbiæ Iudæorum: quia vt Apoſtolus ait: *Spectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus*;

Portentum pro prodigio interdum accipitur.
Chriſti miracula, ſigna, prodigia etiā atque portenta vocantur dupliciter.
Eſai. 7. & Matth. 1.
Infra 27. & 28.
Marc. vlt. & Luc. vlt.
Actor. 1.
Grande Chriſti prodigium.
Pſalm. 18. & Rom 10.
Eſai. 8. & Hebr. 2.
Apoſtoli cur facti in ſignū, & portentum Iſrael teſte Propheta.
1. Cor. 4.

nibus; ſed etiam quia multitudine ſignorum illuſtres, & manifeſti redditi ſunt toti mundo: nam quo magis gloriam declinarunt, & illam Chriſto adſcripſerunt; eo magis inclyti, & prodigio ſimiles redditi ſunt apud Deum, & apud homines, adiutore miraculorum ac ſignorum opifice, & autore primario, Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum Patre & Spiritu ſancto, benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo in ſecula ſeculorum, Amen.

TRACTATVS II.

Quo in genere, Chriſti Domini noſtri ſigna veriſſima atq; certiſſima extitiſſe, comprobatur.

Nullius ſcientiæ eſt ſua probare principia, ſed tãtum præmittere: & quamobrem.

ETSI nullius ſcientiæ ſit ſua probare principalia, ſed illa tantùm præmittere, atque illa, ſi opus eſt, explicare; quia ponuntur vt axiomata ac dignitates quædam per ſe notæ: tamen quia in aduentu Meſſiæ repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operientis, magnæ, & graues probationes nobis non deſunt, quibus veritatem ſignorum indubitatam, & inuictæ autoritatis eſſe oſtendamus, & confirmemus. Nam (vt hinc dicendi initium ſumamus) ſi Apoſtoli dicti ſunt ab Eſaia ſignum & portentum; & Eſaias nudus, & diſcalceatus ſignum, & portentum; vocatur, ſicut & Ezechiel: quanto magis ipſe Dei Filius in Prophetis adumbratus, & qui ſtat in ſignũ populorum, & qui vocatur, admirabilis, & & de quo Propheta ait: *In te cantatio mea ſemper: Tanquam prodigium factus ſum multis, & tu adiutor fortis*; ſignum, & portentũ fuit? Nam ſi diligẽter inſpicias ingreſſum eius in mundum; quod maius miraculum, quàm Deus conceptus, & ex Virgine editus? Si egreſſum eius de mundo: mors eius magnis ſignis illuſtrata fuit, & ſuſcitatio ſui ipſius ad vitam immortalem, ingens ſignum, & prodigium extitit, Quid igitur mirum, ſi doctrinam ſuam cœleſtem atque diuinam nonniſi magnis miraculis editis confirmauerit atque illuſtrauerit? Nam illi qui Deus erat, ſigna & miracula, non ſupernaturalia, ſed ipſi maximè naturalia erant: & doctrinam talem ſine ſignis perſuadere minimè potuiſſet. Qui ergo fide apprehendit, Chriſtum Deum eſſe, & tam ardua creditu, & factu difficilia per legem ſuam exegiſſe, & remunerationem tantæ fidei, & obedientiæ in futuro ſeculo ſeruaſſe, mox intelliget vera & neceſſaria extitiſſe ſigna, quæ illum edidiſſe Euangelia teſtantur: nam abſque illis procul dubio oleum; & operam perdidiſſe videretur, res tam inſolitas, & à communi ſenſu & ratione remotas, & ſupra vires hominum poſitas perſuadere nitendo. Hinc Auguſtinus lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 46. illa duo eſſe oſtendit miracula à Chriſto edita, quæ nullus vnquam Sanctorum edidit: quorum primum eſt, quòd tam mirabiliter natus eſt; vltimum autem, quòd cum ſuo reſuſcitato à mortuis corpore, aſcendit in cœlum. Et Epiſt. 2. ad Voluſianum: *Fatemur quidem*, inquit, *& nos talia quadam feciſſe Prophetas. Nam in his ſignis quid excellentius, quàm mortuos reſurrexiſſe? Fecit hoc Helias, fecit hoc Heliſeus.* Et paulò pòſt ſubdit de Chriſto: *Qui proptereà & ipſe talia facere voluit; ne eſſet abſurdum qua per illos fecerat, ſi ipſe non faceret. Sed tamen & aliquid proprium facere debuit; Naſci de Virgine, à mortuis reſurgere, in cœlum aſcendere. Hoc Deo qui parum putat, quid plus expectet, ignoro. Arbitror enim talia flagitari, qualia gerens hominem facere non debuit. Nam in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, & omnia per ipſum facta ſunt. Num homine aſſumpto, alium mundum facere debuit, vt eum eſſe crederemus, per quem factus eſt mundus? Sed nec maior mundus, nec iſti aqualis in hoc mundo fieri poſſet. Si autem minorem faceret, infra iſtum, ſimiliter hoc quoq; parum putaretur. Quia ergo non oportebat vt nouum faceret mundum, noua fecit in mundo. Homo enim de Virgine procreatus, & à mortuis in aternam vitam reſuſcitatus, & ſuper cœlos exaltatus, potentius fortaſſe opus eſt quàm mundus.* Hæc ille doctiſſimus, & acutiſſimus Pater.

Deinde probantur ſigna Chriſti vera fuiſſe, quia ab Euangeliſtis, quorum eſt ſumma ſacroſancta, & minimè refutanda autoritas, magna cum diligentia, & fidelitate conſcripta, & enarrata ſunt. Qua in re ſi aliquid peccatum fuiſſet, profectò neque Iudæi, qui eo tempore vixerunt, neque Gentiles, qui aduerſus noſtram religionem ſcripſerunt, illis pepercisſent. Et ſi falſa eſſent miracula, quæ referuntur ab Euangeliſtis, falſum & corruptum eſſet Euangelium, cùm bona pars ipſius illis enarrandis conteratur, atque ita vero eſſemus deſtituti Euangelio. Nam Euangeliſtæ quicquam de ſuo capite illis nõ addiderunt, aut ſua oratione amplificarunt, ſed potiùs conciſe & anguſtis verbis multa Chriſti opera admiranda pertractarunt; ne quis putet eos integrè, & ad plenum omnia Chriſti magnalia complexos fuiſſe.

Vnde

Marginal notes (left): *Eſai. 11.* — Hoc loco cur probandum ſuſcipitur id quod tanquã Fidei dogma omni eſt acceptione digniſſimum. — *Eſai. 8.* — *Hebr. 2.* — *Eſai. 20.* — Primum argumentum. — *Ezech. 12.* — *Eſai. 9.* — *Pſalm. 70.* — Chriſtus verè ſignum atque portentum. — *Luc. 1.* — *Eſai. 7.* — *Luc. 2.* — Miracula cum maximè ipſi Chriſto naturalia ſint, & propria, talia proinde dici non debent.

Marginal notes (right): Niſi Chriſtus doctrinã ſuam miraculis confirmaſſet, quid inde. — *Auguſt. to. 5.* — Quæ duo Chriſti ſigna nullo modo ſanctis poſſint conuenire. — *Idem tom. 2. init.* — *3. Reg. 17.* — *4. Reg. 4.* — *Ioan. 1.* — Opus Dei potentius quàm mundus quod nã illud, reſte Auguſtino. — Secundum argumentũ ſeu demonſtratio. — Euangeliſtæ Chriſti miracula ſi falſa tradidiſſent, quid inde incommodi.

Matth. 4. Vnde plerunque dicitur circuisse ciuitates, & castella, prædicans Euangelium regni, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem. Et cùm Dominus transfretasset in terram Genesar, & cognouissent eum viri loci illius, miserunt in vniuersam regionem illam, & obtulerunt ei omnes male habentes, & rogabant eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent, & quicunque tetigerunt, salui facti sunt. Et antequam miraculum edidit pascendi quinque millia hominum ex quinque panibus, & duobus piscibus, narratur quòd exiens vidit turbam multam; & misertus est eis, & curauit languidos eorum. Et quũ Discipulos quam primum emisit ad prædicandum refert Marcus: *Et exeuntes prædicabant vt pœnitentiam agerent: & dæmonia multa ejiciebant, & vngebant oleo multos ægros, & sanabantur.* Vides quàm sine fuco, & verborum splendore, imò quàm arida & ieiuna oratione tot, & tam præclara, magnificaque Christi opera perstringunt Euangelistæ? Iam vide quid vltimus Euangelistarum in postremis verbis sui Euangelij scribat: *Sunt autem & alia multa quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros.* Quòd si quisquam arbitretur, Christi miracula vera non extitisse, quòd ab externis historicis non recenseantur: is profectò vehementer hallucinatur. Nam qui poterant Gentiles historiographi ea suis historijs inserere & monumentis illustrare, quæ pro meris fabulis, & deliramentis habebant, & quæ parum erant plausibilia, & grata futura illis principibus, aut populis, quibus suæ historiæ libros dicabant; aut qui poterant sine fide, miracula Christi enarrare, quæ nonnisi fide apprehendi & intelligi possunt? Quis prætereà describeret nostræ Fidei signa, cùm quotidie videret eius cultores haberi sacrilegos, magos, & quasi impios vltimo supplicio damnari, nisi prius decreuisset per ea caput morti objicere? Sed de hac re fusius egimus in primo libro. Vt ergo doctrinam Christi, etiamsi ab Ethnicis scriptoribus ignorata fuerit, fide complectimur; ita etiam miracula quibus confirmata fuit, suscipienda à nobis sunt, etiam si externæ Gentilium historiæ illorum non fecerint mentionem.

Matth. 14. — *Ibidem.* — *Marc. 6.* — *Ioan. 21.* — Cur externi scriptores, seu historiographi de Christi miraculis nihil tradiderint.

Eadem veritas varijs testimonijs confirmatur.

Atque vt hanc sententiam corroboremus, ostendamus miracula Christi, præter Euangelium magna habere testimonia, & firmamenta, quibus Iudæi & Gentiles, vel inuiti, & reluctantes ea coguntur confiteri. Nam in primis testimonium Prophetarum, qui hæc à Messia edenda vaticinati sunt: ait enim: *Deus ipse veniet, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Quibus verbis, exertis, & perspicuis aduentum ipsius Dei in se ipso (vnde & nomine ineffabili Iehouah exprimitur) & salutem per eum dandam declarat: & signa, vt magis agnoscatur, & quæ ipsum Euangelium enarrat Messiam fecisse, explicatè tradit. Hinc Matthæus quasi explicans hanc Prophetiam c. 15. ait: *Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos; ita vt turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes: & magnificabant Deum Israel.*

Primum testimonium à Prophetis. *Esa. 35.* *Matth. 11.* Christus nomine Iehouah expressus ab Esaia.

Secundum testimonium est à Sibyllis: quæ apertum testimonium de miraculis Christi reddunt. Sibylla enim Lybica ita de miraculis Christi cecinit:

Ille quidem pressos morbis sanabit, & omnes
Læsos quotquot ei fident, cæciq; videbunt,
Incedent claudi, surdisq; audire licebit,
Insolitas mutis dabitur formare loquelas
Expellet furias, oppressi morte resurgent,

Alterum testimonium à Sibyllis. *Sibyl. Lybica.*

Hoc ergo testimonium ad Gentes conuincendas tam validum est; quam validum Prophetarum ad Iudæos confundendos. Libri autem Sibyllini etsi industria Romanorum erant suppressi, non ita tamen, quin ad multorum aures peruenissent. Lege Lactantium nostrum lib. 4. Diuinarum Institutionum cap. 15. vbi ex testimonijs Sibyllarum colligit, Christum verbo edidisse signa, expulisse omnem infirmitatem: & versus Græcos prædictam sententiam continentes proponit: addit etiam alia carmina, quibus firmat, quòd ventos compescet, sternet mare insanum, & pedibus calcandum exhibebit.

Sibyllæ quantam autoritatem haberent apud Gentes. *Lactantium Firmian.* *Matth. 4.* *Infr. 8. & 14*

Accedit tertium testimonium Iosephi Iudæi: qui lib. 18. Antiquit. cap. 4. ait: *Eodem tempore* (scilicet quo Pilatus administrabat Iudæam) *fuit Iesus vir sapiens, si tamen virum eum fas est dicere. Erat enim mirabilium operum patrator, & doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt: plurimosq; tam de Iudæis, quàm de Gentibus sectatores habuit. Christus hic erat: quem accusatum à nostræ gentis Principibus Pilatus cùm addixisset Cruci, nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio cœperant. Apparauit enim ei tertia die viuus, ita vt diuinitus de eo Vates hoc vt alia multa miranda prædixerunt: & vsq; in hodiernum Christianorum genus ab hoc denominatum non deficit.* Hæc ille.

Tertium testimonium Iosephi Iudæi de Christo. *Matth. 27.*

Sit quartum testimonium Pilati: qui,

Quartum testimonium Pilati.

Egesip.

vt habetur in Anacephaleosi, siue li.5. Egesippi, ab Ambrosio Mediolanensi Episcopo in Latinum conuerso, talem epistolam ad Tiberium Imperatorem dedit.

PONTIVS PILATVS
Tiberio Cæsari Sal.

Deut 18.
Esa.7.

NVPER accidit (quod ipse posteà probaui) Iudaos se, suorumq; gentem crudeli pœna affecisse. Cùm enim promissum esset patribus eorum, Deum missurum illis sanctum virum, qui eorum Rex vocaretur, atque ex Virgine nasceretur; Deusq; Hebræorum hūc in Iudæam me præside misisset, vidissentq; eum cæcis reddidisse lumen. leprosos mūdasse. paralyticos curasse, dæmones ab hominibus expulisse, mortuos etiam suscitasse, imperasse ventis. ambulasse siccis pedibus super aquas maris, & similia permulta. Cùm omnis Iudæorum plebs Filium Dei esse eum diceret, insidia moti principes Iudæorum, eum comprehensum mihi tradiderunt; & alia ex alijs fingentes, magum esse, & contra eorum legem agere affirmarunt. Quod ita credens, virgis cæsum eorum tradidi arbitrio. Illi verò & crucifixerūt eum, & custodes illi adhibuerunt. Nihilominus meo milite diligenter custodiente sepulchrum, tertio die surrexit. Vnde vsque adeò in eum exarsit furor Iudæorum; vt tradita meis militibus pecunia, vellent ab illis silentium eius rei redimere, & facere, vt dicerent à discipulis eius surreptum corpus. Quo factum est, vt à milite res magis ac magis diuulgaretur. Nā & surrexisse testati sunt, & pecunia ab illis redemptum eius rei consilium affirmarunt. Hæc ideò ad te scribenda putaui, ne calumnijs Iudæorum aliter tibi persuaderetur.

Ioan.18.
Luc.23.
Matth.27.
Infra 28.
Ibidem.

Paulus Forosempronien.

Præterea Paulus Forosempronien. lib. 19. c. vlt. proponit aliam secundam epistolam Pilati ad Tiberium Cæsarem, in cuius principio meminit istius prioris. Sic enim habet: *De Iesu Christo, quem tibi planè postremis meis declarauerám, nutu tandem populi acerbum (me quasi inuito & subtimescente) supplicium sumptum est: virum hercle tam pium, & seuerum nulla vnquam ætas habuit, aut habitura est. Sed mirus extitit ipsius populi conatus, omnium Scribarum, Principum, & Seniorum cōsensus suis Prophetis & more nostro Sybillis contra monentibus, hunc veritatis legatum Crucifigere: signis etiā supra naturam apparentibus dum penderet, & orbi vniuerso, Philosophorum iudicio, lapsum minantibus: vigent illius discipuli, opere, & vita continentia magistrum non mentientes; imò in eius nomine vbique vnicuique beneficentissimi. Nisi ego seditionem populi propè æstuantis exoriri pertimuissem, fortasse adhuc nobis vir ille viueret: etsi tuæ magis dignitatis fide compulsus, quam voluntate mea adductus, pro viribus non restiterim sanguinem iustum totius accusationis immunem, verum hominum malignitate iniquè, in eorum tamen (vt Scripturæ interpretantur) exitium pati, & venundari.* Vale. Hactenus ille.

Aliud eiusdē de Christo testimonium

Matth.27.

Nec mirum esse debet, binas literas Pilatum scripsisse ad Tiberium: quia si in parui momenti negotijs pluries soliti sumus scribere; quanto magis in re tam graui, & tanti momenti, maximè cùm posteriores literæ priorum faciant mentionem? & ex scrinijs Romanorum; in quibus eæ epistolæ asseruari solitæ erant, habere potuit Egesippus has literas: per quas Tertullian. antiquissimus scriptor in Apologetico contra Romanos disputat, & asserit, in illis scriptum esse, Pilatum pœnituisse, quòd Iesum mortui tradiderit: quinimò eum pro conscientia sua Christianum, Tiberio omnem rei gestæ ordinem exposuisse. Et subdit, Tiberium illis literis admonitum, retulisse ad senatum de referendo Christo inter deos Romanorum; sed Seianum vrbis Pręfectū, & totum Senatum obstinatissimè restitisse. Vides in prioribus literis Christum edidisse quæ refert Euangelium miracula? In posterioribꝰ refert signa, quæ mortem eius consecuta sunt, quemadmodū, & Phleg. facit Olympia. scriptor. Vides Pilatum pœnitentia ductum fuisse? Vides Prophetas & Sibyllas testimonium de Messia tulisse?

Tertullian.

Phleg. Olimpiadum scriptor.

Idem etiam testantur Ethnici. Nam Philostratus octo libros conscripsit de vita Apollonij Tyanei, & Hierocles Pythagoricus totidem alios elucubrauit: quos confutauit Euseb. qui non ob aliam causam videntur scripsisse, quam vt Apolloniū Christo in signis edendis non inferiorem fuisse comprobarent, atque ita Christo, & miraculis eius detraherent. Sed sapientia vicit malitiam, & virga Moysi deuorauit virgas magorum Pharaonis.

Quid Philostratus, quid Hierocles Pytagoricus de Christi signis & miraculis sensisse videantur
Euseb. Cæsarien tom.2.
Sap.7.

Est quintum testimonium Mahometi; qui in Alchorano. c. Elbachera, introducit Deum loquentem in hunc mundum: *Dedimus Iesum filium Mariæ vt faceret miracula & prodigia manifesta, & fecimus eum per Spiritum sanctum, & insufflauimus in Mariam de spiritu nostro, & conceptus est Christus ex virtute Dei de matre sanctißima & purißima super omnes mulieres.* Hæc ibi. Atque ita habemus testimonium ab hostibus nostris, & Christū vera edidisse miracula. Quod & ipsum dæmonia, quæ corpora obsidebant, & ab illis vel renitentia expulsa sunt à Christo, abunde testantur. & oracula ipsa, quæ dæmones reddebant sanctitati eius, innocentiæ ac miraculis non semel testata sunt. Habes igitur, non tantum ab Euangelijs, & Prophetis, sed etiam ab externis, & inimicis Crucis Christi, verissima extitisse miracula quæ Christus edidit.

Quintum testimonium Mahometi.

Matth.8. & Luc.4.

Quòd

August. to. 5.

Qua ratione Dij Gentium se colendos esse persuaserunt, teste Augustino.

Quòd si quisquam sit adeò durus, vt adhuc non persuadeatur, audeat August. qui lib. 10. de Ciuit. Dei. c. 18. sic respondet: *An dicet aliquis, ista falsa esse miracula, nec fuisse facta, sed mendaciter scripta? Quisquis hoc dicit, si de his rebus negat omnino vllis literis esse credendum, potest etiam dicere, nec deos vllos curare mortalia. Non enim se aliter colendos esse persuaserunt, nisi mirabilibus operum effectibus, quorum & historia Gentium testis est, quarum dij se ostentare, mirabiles potiùs quàm vtiles ostendere potuerunt. Porrò autem si multorum deorum cultores, qualescunque deos suos esse arbitrentur, ab eis facta esse miracula, vel ciuilium rerum historia, vel libris magicis, siue, quod honestius putant, theurgicis credunt: quid caussa est, cùr illis literis nolint credere, ista facta esse, quibus tanto maior debetur fides, quanto super omnes est magnus, cui vni soli sacrificandum præcipiunt?* Hæc Aug.

Miracula apud Gentes receptissima.

Respondeant ergo, an credant miracula, quæ Gentilium historijs continentur, vel quod Næuius augur, ad postulationē Sexti Tarquinij, cotē nouacula sciderit: quod Castor & Pollux bello Latino apud lacum Laturnæ equorum sudorem abluere visi sunt; cùm ædes eorum iuncta ponti putuisset: Quòd Claudia Romana impudica credita, nauim, qua Ideam matrem Romam portabat, in vado Tiberis hætentem suo cingulo traxerit, in testimonium pudicitiæ: Quòd virgo Vestalis, de cuius corruptione erat quæstio aqua impleto cribro abstulerit controuersiam: Quòd Aesculapius Epidauro accitus, vrbem Romam à peste liberauerit: Quòd Appius Claudius Censor, eo quòd ad seruos sacra Herculis transtulerit, ambobus luminibus fuerit orbatus: Quòd Pyrrhus, sublata ex templo Locrensi Proserpinæ pecunia, naufragium fecerit. Si ergo ista creduntur, quæ Liuius, Cicero, Valerius Maximus referunt, quid ni nostra veraciùs conscripta? Iterum idem Augustin. lib. 22. de Ciuitat. Dei. c. 8. *Possem quidem dicere necessaria fuisse priùs quàm crederet mundus, ad hoc vt crederet mundus. Quisquis adhuc prodigia, vt credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit.* Hæc ille. Adhæc si quæ nostri referebant miracula, vera non erant: quid est quòd tot libris apologeticis nostrorū nemo ausus est contradicere?

Idem.

Tertia demonstratio.

Aug. tom. 5.

Tria incredibilia, quæ tamen facta sunt, quę nam illa, vt ait Augustinus.

Tertia demonstratio, quòd miracula Christi sint vera. Proponit Aug. lib. 22. de Ciuit. Dei. c. 5. tria esse incredibilia, quæ tamen facta sunt. *Incredibile est enim* (inquit) *Christum surrexisse in carne, & in cœlum ascendisse cum carne, Incredibile est, mundū rem tam incredibilē, tam efficaciter mundo, & in illo etiam doctis persuadere potuisse*, de quibus paulò antè dixerat: *Et ipse modus, quo mundus credidit, si consideretur, incredibilior inuenitur. Ineruditos liberalibus disciplinis, & omnino quantum ad istorum doctrinas attinet, impolitos, nō peritos Grammatica, non armatos Dialectica, non Rhetorica inflatos, piscatores Christus cū retibus fidei & mare huius seculi paucissimos misit, atque ita ex omni genere tam multos pisces, & tanto mirabiliores, quanto rariores, etiam ipsos Philosophos cepit.* Sequitur infra: *Horum trium incredibilium primū nolunt isti cum quibus agimus, credere: Secundum coguntur, & cernere, quod non inueniunt, vnde fit factum si non credunt tertium, Resurrectio certè Christi, & in cœlum cum carne, in qua resurrexit, ascensio, toto iam mundo prædicatur, & creditur: si credibilis non est, vnde toto terrarum orbe iam credita est? Sed multi nobiles, sublimes docti etiam* (ironicè loquitur August.) *eam se vidisse dixerunt, & quod viderunt, diffamare curarunt; eis mundū credidisse non mirū est, sed istos adhuc credere nolle, perdurū est. Si autem, vt verum est paucis obscuris, minimis indoctis eam se vidisse dicentibus, & scribentibus credidit mundus, cur pauci obstinatissimi qui remanserunt, ipsi mūdo iam credenti adhuc vsq; non credunt?* Sic ille. Si ergo quæ ediderunt Apostoli signa, vera sunt, non remanet vlli dubitationi locus. Si autē vera nō sunt, adhuc maius miraculū sequitur, quod ipse August. his verbis subiungit: *Si verò per Apostolos Christi, vt eis crederetur, resurrectionē, atq; ascensionē prædicantibus Christi, etiā ista miracula facta esse non credunt, hoc nobis vnū grande miraculū sufficit, quod ea terrarum orbis sine vllis miraculis credidit.* Hactenus sanctus Pater ille eloquentissimè, doctissimeque.

Matth. 4.

Infrà 27. & 28.

Act. 1.

Quarta demonstratio à signorū Christi circumstātijs.

Ioan. 11.

Ioan. 7.

Secunda circumstantia.

Quarta demonstratio: Miracula Christi, si quantitatem spectes, permulta erant: dicebant enim Iudæi: *Hic homo multa signa facit.* Item, *Christus cùm venerit, numquid plura signa faciet, quàm quæ hic facit?* Deinde si substantiam respicias, diuersorum erant generum: nam & in terra, & in aqua, & in aëre, & in cœlo, & in panibus, & in spiritibus immundis, & in hominibus morbosis, leprosis, monstris, obsessis à dæmonibus: cùm tamen magorum signa vnius generis esse soleant, & ad paucas res se se extendant. Præterea, si adstantes spectes, faciebat signa coram multis, & coram paucis; coram sapientibus, & rudibus; coram amicis, & inimicis acribus: cum tamen signa mendacia coram non multis fiant, & apud ignaros, & benignè affectos, siue amicos. Quartò, quātum ad tempus, & locum, videmus Dominū omni tempore, & diurno, & nocturno, & die festo, & profesto, & in omni loco; & magis apud pauperes, & infirmos q plus egebant; nec solū in vicis, aut villis, aut oppidis, sed etiam in ipsa florentissima atq; amplissima

Tertia.

Quarta.

ciuitate Hierosolyma, & in ipso templo sancto edidisse miracula: cùm contra superstitiosi, & malefici témpora quædam obseruent, & loca, quibus ita sunt alligati, vt extra illa facere nequeant quicquam, Quintò, quantum ad modum, videmus Dominum verbo, vel imperio; contactu, vel impositione manus, prece, & suspiciendo in cœlum, adhibendo interdum vtilia, interdum etiam inutilia, vt cùm lutum factum ex sputo adhibuit oculis cæci nati, vt eum bis cæcum redderet, opera sua perfecisse: Magi verò nequaquam imperant, sed signa quædam superstitiosa adhibent: neq; orant nisi diabolum, à quo expectant effectum miraculi. Sextò, circa finem; non operabatur ob commodū aliquod temporarium, vel ob gloriam propriam; ideò, edito signo vel se subducebat à conspectu aliorum, vel præcipiebat, dicens: *Vide nemini dixeris*: lucrum etiam temporale ex illis non quærebat, qui ex emēdicato, aut oblato viuebat, & Apostolis, communicata illis potestate signorum, præcepit: *Gratis accepistis, gratis date*. Nō etiam edebat signa ob curiositatem, & oculos hominum pascendos; vnde neq; coram dæmone tentante & petente, vt ex lapidibus efficeret panes, neq; coram Herode Rege impense flagitante vllum patrare voluit signum, & vbicunque fidem non inueniebat, vt apud obstinatos Scribas, & Pharisæos, & apud conciues suos Nazarenos: nulla aut pauca signa operabatur: Sed tantùm scopus Christi erat, miseriam subleuare: iustas preces exaudire, homines ad Deum atq; ad fidem adducere, doctrinam suam confirmare: cum contrà præstigiatorum, & circulatorū sit, signis suis opes quærere, gloriam venari, curiositatem & vanitatem hominum alere, nullis benefacere, ad diuina nō allicere: imò ad vitia, & ad malum impellere. Non sunt ergo signa Christi, vel ab ipsis dæmonibus, cùm illorū cultui & idololatriæ sint opposita: & Apostolus dicat: *Nolo vos socios fieri dæmoniorum*: & vt Domin⁹ dixit: *Satanas si in se ipsum insurgeret* (id est, faueret Christo in edendis signis) *non staret regnum eius*: & signa quæ edebat Christus omnium dæmonum facultatem, & vires superabant; sicut & illorum expulsio violenta de corporibus testabatur: nam nisi maiori virtute præditus, illos pellere non potuisset. Deniq; signa quæ dæmones edere solent, inutilia & vana sunt: de quib. Petrus apud Clementem in hunc modum loquitur: *Dic quæso, quæ vtilitas est ostendere statuas ambulantes? Latrare æreos, aut lapideos canes? Salire montes? Volare per aërem? & alia his similia quæ dicitis fecisse Simonem? Quæ autem à bono sunt, ad hominum salutem deferuntur, vt sunt illa quæ fecit Dominus noster, qui fecit cæcos videre, fecit surdos audire, debiles, claudosq; erexit; languores, & dæmones effugauit, mortuos fecit resurgere, & alia his similia, quæ etiam per me fieri videtis. Ista ergo signa, quæ ad salutem hominum prosunt, & aliquid boni hominibus conferunt malignus facere non potest, nisi in fine mundi tantùm. Tunc enim admiscere ei conceditur aliqua etiam de dextris signis, id est, vt vel dæmones fuget, vel ægritudines sanet; & propter hoc, tanquam qui excesserit terminos suos, & in semetipsum diuisus sit, ac semetipsum impugnauerit; destruetur. Et propterea Dominus prædixit, in nouissimis temporibus tentationem futuram talem, in qua decipiantur, si fieri potest, etiam electi: confusis scilicet indicijs signorum, perturbari necesse est etiam eos, qui in discernendis spiritibus, ac distinguendis virtutibus videntur eruditi.* Hæc est salutaris Petri doctrina de signis tradita nobis. Clementi accedit Arnobius, qui lib. 2. aduersus Gentes de hac ipsa re ita disserit: *Occursurus*, inquit, *forsitan rursus est cum alijs multis calumniosis illis, & puerilibus vocibus: Magus fuit* (scilicet Christus) *clandestinis artibus omnia illa perfecit: Aegyptiorum ex adytis Angelorum potentium nomina, & remotas furatus est disciplinas. Quid dicitis ô paruuli, incomperta vobis, & nescia temeraria vocis loquacitate garrientes? Ergone illa quæ gesta sunt, dæmonum fuêre præstigia, & magicarum artium ludi? Potestis aliquem nobis designare, monstrare ex omnibus illis Magis, qui vnquam fuêre per secula, consimile aliquid Christo millissima ex parte qui fecerit? qui sine vlla vi carminum, sine herbarum & graminum succis, sine vlla aliqua obseruatione solicita sacrorum, libaminum, temporum? Non enim vrgemus, & quærimus, quæ sese spondeant facere, vel in quibus generibus actuum soleat omnis illorum doctrina, & experientia contineri. Quis enim hos nesciat, aut imminentia studere prænoscere, quæ necessariò (velint, nolint) suis ordinationibus veniunt, aut mortiferam immittere quibus libuerit tabem, aut familiarum dirumpere charitates; aut sine clauibus reserare, quæ clausa sunt; aut ora silentio vincire: aut in curriculis equos debilitare, incitare, tardare; aut vxoribus & liberis alienis (siue illi mares sint, siue fœminei generis) inconcessi amoris flammas, & furiales immittere cupiditates: Aut si vtile aliquid videantur audere, non propria vi posse, sed eorum, quos inuocant, potestate. Atqui constitit Christum sine vllis adminiculis rerum, sine vllius ritus obseruatione, vel lege, omnia illa, quæ fecit, nominis sui possibilitate fecisse. Et quod proprium, consentaneum, dignum Deo fuerat vero, nihil nocens aut noxium; sed opiferum, sed salutare, sed auxiliaribus plenum nobis potestatis munifica liberalitate donasse.* Hæc ille. Quæ iterum confir-

Margin notes:

Quinta.

Ioan. 9.

Sexta.

Matth. 8. & sæpe aliàs.

Matth. 10. & Luc. 10.

Supra 4. Infra 23.

Matth. 12. & 16. Marc. 6. & Luc. 4.

Præstigiatorum & Circulatorum finis.

1 Cor. 10. Luc. 11.

Satanas, vt Christus dixerit, quomodò in se ipsum insurgat.

Septima circunstantia. *Clem. Rom. l. 3 Recognitionum*

Simonis Magi miracula. *Mar 2. Matth. 11.*

Dæmon testis ore Antichristi: quæ dā signa ... est hominibus salutaria, teste Petro.

Infra 12.

Matth. 24. & seq.

Arnobius.

Eorum qui Christi miracula magicis tribuunt disciplinis & artibus, egregia confutatio.

Euseb. Cæsar. tom. 1. Christum asserere præstigijs signa fecisse, blasphemum inquit Eusebius.

confirmantur autoritate Eusebij Cæsariensis lib. 3. De Demonstrat. Euangel. ca. 8. vbi blasphemiam esse asserit, quòd Christus præstigijs signa ediderit. Tùm quia signa solida erant; tum quia qui præstigiatores sunt, infamem vitam agunt, & lucri, vel gloriæ, voluptatisve gratia operantur: tùm quia si vitam malefici ac præstigiatoris ageret, profectò sic viuenti, & aliter longè viuere præcipienti, discipuli haud credidissent: tùm quartò, quia tales cum dæmonibus agunt, & societatem habent; quos tamen Christus expellebat. Quintò, circulatores tam sanctam doctrinam, neque agnoscunt, neque docent, sed vana & superstitiosa. Sextò, eiusmodi in legislatores non acceptantur. Septimò, si Christus sine homine præceptore talia inuenit, Deus erat: at qui Christi præceptor esse potuisset alius ante, nec post eum, legitur. Octauò, discipulos præstigiatores effecisset; qui tamen maximè ab hac re abhorruerunt: vnde & libros eorum qui erant artes magicas consectati, combusserunt. Postremò, etiam oracula lib. 3. à Porphyrio citata, eum hominem deificatum post mortem docent. Ergo Dei vi operabatur, nec erat præstigiator. Hæc ille in sensu, quæ fusiori sermone prædicto loco persequitur.

Quibus rationibus idem autor Christi miracula vendicet à veneficijs.

Act. 19.

His argumentis, siue demonstrationibus, puto luculenter, & abundè esse comprobata Christi signa: vt possimus dicere cum Richardo de Sancto Victore libr. 1. De Trinit. ca. 2. *Domine, si error est, à te ipso decepti sumus: nam ista in nobis tantis signis & prodigijs confirmata sunt & talibus, quæ nonnisi per te ipsum fieri possent. Certè à summæ sanctitatis viris sunt nobis tradita, & cum summa, & authentica attestatione probata: te ipso cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Hęc ille. Quare firma, & constanti fide nobis Christi signa retinenda, illaq; publicè profitenda; vt illis muniti, ac plenè persuasi, omnes Fidei scrupulos, & dubitationes, quas Satanas spargit, facilè diluamus, & falsa Hæreticorum, & Antichristi miracula oculis nostris conspecta, vt de fide suspecta & mendacia reijciamus, & confutemus, adiuuante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu sancto omni bono, ac potestate fruitur in perpetuum. Amen.

Richard. de S. Victo.

Mar. vlt.

Signorum Christi fides certa, & indubitata nobis quàrum prodesse possit.

TRACTATVS III.

In quo rationes deteguntur, propter quas non expediat modò signa tot ac tanta, vt olim fieri.

VRGENT multi, tùm ex aduersarijs, tùm ex nostris, quid sit in caussa, cur nostro seculo non perinde signa multa edantur, quemadmodùm olim à principio edita sunt: præsertim cùm Iudæi non tantùm signis educti sunt de Ægypto, sed signis multis in terra Chanaan innutriti fuerint. Adhæc cùm Paulus scripserit, linguas datas esse in signum infidelibus, non fidelibus: quod de miraculis etiam intelligi potest; & hodie, & semper multi extiterint infideles: cur non saltem propter illos miracula eduntur? Item Dominus prædixit; *Signa eos qui crediderint, hæc sequentur. In nomine dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent:* ac rursus; *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet.* Cùm ergo multi indies in Christum credant, nulla tamen eiusmodi prædicta credentium signa fieri videamus, suspicari quis possit, aut homines non credere; aut Christum hæc prædicentem falsum, aut fallere potuisse: quorum neutrum dici iure valet.

Cur non ęquè modò, atque olim in Ecclesia Dei miracula fiant.

Exod. 7. vsq. ad 15. inclusiuè.

Psalm. 77. & seq.

1. Cor. 14.

Marc. vlt.

Ioan. 14.

Ad hoc ergo in primis dicendum est cum B. Chrysostomo, qui hom. in primam Pauli epistolam ad Corinth. ita scribit: *Tunc vtile* (inquit) *vt fierent* (signa) *nunc verò minimè.* Sic ille. Quod intelligo ad confirmationem fidei, & apud eos, qui iam credunt: nam vt Apostolus ait, *Linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus, vt scilicet ad fidem adducantur.* Vt enim in Mosaicæ legislationis initio ingentia Deus edidit miracula, quæ posteà vbi lex suscepta est, cuncta cessarunt; eorum tamen in mentibus hominum memoria seruatur, quòd quoties à Deo moniti essent, peccare desisterent: nihil enim in Scripturis frequentius; quàm priorum repetitio miraculorum, quod ea sine nouis miraculis ad Fidem, & legem semel susceptam colendam Diuino iudicio satis esse videretur: ita etiam in Euangelio factum est, quod ab initio miraculis coruscauit; posteà verò illa cessarunt: & satis est nobis eorum signorum, quæ tunc Dominus fecit, & Apostoli ediderunt, memoria seruata in Euangelio. Vnde Augustin. lib. 22. De Ciuit. Dei cap. 8. initio: *Etiam nunc*, inquit, *fiunt miracula in eius nomine, siue per Sacramenta eius, siue per orationes, vel memorias Sanctorum eius; sed non eadem claritate illustrantur, vt tanta quanta illa gloria diffamentur. Canon quippe Sacrarum literarum, quem diffamatum esse oportebat, illa facit vbique recitari, & memoriæ sanctorum inhærere populorum; hæc autem vbique fiunt, ibi sciuntur, vix à tota ipsa ciuitate. Nam plerunque etiam ibi paucissimi sciunt, ignorantibus cæteris,*

Præposita solutio quæstionis.

B. Chrys. to. 4

Quod Chrysostomus asserit, vtile fuisse in Ecclesia primitiua, vt fierent signa, nunc verò minimè; quomodo verù sit.

1. Cor. 14.

Nil in Scripturis frequentius antiquorum commemoratione signorum.

August. to. 5. Qualia nunc miracula fiant refte Augustino.

maximè

maximè si magna sit ciuitas: & quando alibi, alijsq; narrantur, non tanta ea commendat autoritas, vt sine difficultate, vel dubitatione credantur, quamuis Christianis fidelibus à fidelibus indicentur. Hæc ille, docens veram rationem cur non edantur tot miracula; cùm illa quæ scripta sunt in Euangelio, nobis credentibus deseruiant; & si quæ modò fiunt non tanta gloria illustrantur, quòd non confirmentur, vt illa, testimonio Euangelij. Ad hæc & illud probat, modò non esse tot opus miraculis. Nam quemadmodum in rebus humanis non incepta, quæ diu duratura sunt, solennibus quibusdam cęremonijs, & nobili pompa principio firmantur, non item posteaquàm hominum & Reipublicæ consensu sunt comprobata: eligitur enim, verbi gratia, Papa, vel Imperator ingenti cæremoniarum apparatu, & populis adorandus proponitur: iungitur in matrimonio vxor marito magna nuptiarum celebritate, & conuiuio, ad quod consanguinei, affines, & amici vocantur: neque tamen si quis posteà, aut de Papæ, aut Imperatoris potestate ambigeret, rursus illæ æremoniæ repetuntur; nec si quis de matrimonio dubitet, coniugales tedæ sunt rursus obeundæ: satis est quòd populi acclamatione matrimonium comprobetur. Ad hunc modum miracula Euangelica diuini verbi sunt sigilla, quibus Christus cœlestem doctrinam, quasi Regia, aut Imperatoria rescripta, firma esse voluit. Postquam ergò parentibus nostris ab initio nascentis Ecclesiæ Apostolico officio innotuerunt, non sunt iterum propter infidelem dubitationem, quorundam in dubium reuocanda, nisi non satis sit Regium, Imperatorium, vel Pontificale sigillum vrbis, aut regni primoribus semel ostendisse, vt integram fidem recipiant, quæ illo sunt confirmata rescripto. Sunt in Ecclesiastico ædificio miracula, fulcra quædam lignea, quæ dum construebant Apostoli molli, & tenero operi erigendo necessaria erant; posteà verò ædificio confirmato diruta sunt, cùm nulla sit eorum necessitas: sicut peracto ædificio corporali, ligna, & trabes quæ operi extruendo supponebantur, tolluntur. Planta dum tenera est, irrigatur, & ligno alligatur, ne ventorum flatu vehementi frangatur: at vbi in molem excreuit, neque irrigatur ampliùs, neque eget sustentaculo. Ita fidei teneræ adhuc pubescenti necessaria fuerunt miracula, quibus aleretur, & sustẽtaretur: at illi iam confirmatæ, & corroboratæ, amplius necessaria non sunt. Deinde non opus est nouis & quotidianis miraculis: nam si quotidie fierent, iam ratio miraculi, quod res insolita quædam est, & rara, deficeret: essent enim tunc, si quotidie fierent, non amplius miracula. Tertiò, si frequenter fierent miracula, fidei meritum imminueretur. Reprehendebat enim Christus petentes signa, & Regulo dixit: *Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis.* Commendabat eos, qui sine signis credebant; vnde Thomæ dixit: *Quia vidisti me, Thomà, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.* Hanc rationem attingit Augustinus lib. Retractationum, vbi ait: *Quod dixi: Nec miracula ista in nostra tempora durare permissa sunt, ne anima semper visibilia quæreret, vt & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum nouitate flagrauit: verum est quidem: non enim nunc vsque, cùm manus imponitur baptizatis, sic accipiunt Spiritum sanctum, vt loquantur linguis omnium gentium; aut nunc vsque ad vmbram transeuntium prædicatorum Christi sanantur infirmi, & si qua talia tunc facta sunt, quæ postea cessasse manifestum est. Sed non sic accipiendum est, quod dixi, vt nunc in Christi nomine fieri miracula nulla credantur.* Hæc Augustinus. Quartò, quia qui Scripturæ, quam scit confirmatam tot miraculis, non credit, aut à peccatis non recedit; neque, si coram illo innumera miracula fierent, crederet: dixit enim Dominus: *Si Moysen: & Prophetas non audiunt; neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent:* quem scilicet Scriptura non conuincit, neque miracula emolliunt. Multa vidêre Pharao & Ægyptij signa Dei; neque tamen meliores facti, à persequendo Israel cessarunt. Multa viderunt Pharisæi admiranda Christi signa; neque propterea vel à peccatis resipuerunt, vel à morte Christo patranda destiterunt. Quintò si fierent quotidie miracula ad conciliandam fidem in Ecclesia, prioribus miraculis fieret iniuria, quasi non satis comprobassent veritatem Euangelij, nisi adijcerentur & ista; ac ita miracula addere, nihil aliud esset, quam in dubium reuocare totam fidem. Nam vt in iudicio, qui quod semel idoneè, & luculenter probauit, si posteà alias contendat adijcere probationes, priorum vires infringit, & veritatem illis confirmatam in dubium reuocat: ita idem prorsus accidit in miraculis. His de caussis, atque alijs, quæ attigimus in superiore libro, abundè comprobatum reliquimus, signis modò opus non esse ad confirmandam fidem. Nisi velimus fortassis excipere Gentes, & populos recens ad Fidem conuersos, apud quos nonnulla signa edita fuisse, neque rationi, neque Scripturis repugnat. Neque etiam nega-

Alia ratio à simili.

Miracula diuini verbi sunt sigilla.

Eadem in spiritali Ecclesiæ ædificio quid olim præstiterint.

Secũda ratio.

Tertia ratio.

Matth 12.

Infrà 16.

Ioan. 4.

Infra 20.

August. lib. 1. Retract. 13. sub fin. tom. 1. in princ.

Quarta ratio.

Luc. 16.

Exod. 7. 8. 9. 10. 11. 12. & 14.

Quinta ratio.

Simile.

Miracula hodie cur fiant.

negamus pleraque edita esse, & indies edi posse signa ad inuocationem Sanctorũ vel ad sepulchra, in quibus eorum corpora aut reliquiæ reconduntur, vel ad alicuius viuẽtis, siue mortui sanctitatem declarandam, vt in catalogum Sanctorum redigi possit, vel ad aliquam religionem commendandam, vel ad aliquam festiuam solẽnitatem in Ecclesiam inuehendam; vel ad aliquod dogma, nondum definitum, an sit de Fide, necne, decidendum; vel ob alias similes, & peculiares rationes. Nam Domini non est abbreuiata manus: &, vt quidam volunt, in Ecclesia Dei, semper est operatio virtutum, & gratia sanitatum. Multa his similia miracula enarrant Veteres Patres, vt Hieronymus, Ambrosius, Cyprianus, Tertullianus, Eusebius, Irenæus in Gentiles disputantes; Augustinus epistola quadam respondet Euodio Episcopo Africano integro libro De miraculis per B. Stephani reliquias factis; multa Seuerus Sulpitius in vita B. Martini; Prudentius multorum Martyrum signa carmine celebrat; Paulinus Natalitia S. Felicis, eiusque miracula carmine heroico percenset; B. Gregorius in libris Dialogorum, multa signa B. Benedicti, & aliorum Diuorum enumerat; Cæsarius Cirstertiensis libro integro miracula Sanctorum sui temporis percenset; Beda in historia Anglicana multa enarrat, quæ per Germanum & Lupum Episcopos Angliæ edita sunt, & ad corpus S. Albani martyris. Et ne longior sim in his enarrandis audi quid Theodoritus lib. de Curatione Græcarum affectionum scribit: *Martyrum*, inquit, *templa, conspicua cernuntur, magnitudineq́; præstantia, omni præterea ornatus genere variata, splendoremq́; quodammodò pulchritudinis suæ latè fundentia. Neque verò hæc per annum semel, aut bis, aut quinquies aduentamus, sed in eis sæpenumerò dies festos peragimus, sæpè diebus singulis eorum Martyrum Domino laudes, hymnosq́; cantamus. Quiq́; homines prospera sunt valetudine, conseruari eam sibi à Martyribus petunt; qui verò ægritudinem aliquam patiuntur, sanitatem exposcunt. Insuper & steriles viri, & mulieres, dari sibi filios petunt; qui verò parentes sunt, integra sibi, & propria custodiri, quæ consecuti sunt, dona. Item qui peregrè aliquò proficiscuntur, petunt Martyres sibi comites esse in via, vel potius itineris duces; qui verò tam sospites redierunt, gratias agunt, acceptum beneficium confitentes. Non qui se ad Deos accedere arbitrentur, sed qui orent Dei Martyres tanquam diuinos homines, intercessoresq́; sibi eos apud Deum aduocent, ac precentur. Piè verò fideliterq́; precatos ea maximè consequi quæ desiderant, testantur illa, quæ votorum rei dona persoluunt, manifesta nimirùm adepta sanitatis indicia. Nam alij quidem oculorum, alij verò pedum, alij porrò manuum simulachra suspendunt, ex argento, aurove confecta. Gratißimè namque accipit eorum Dominus qualiacunque sunt dona, nec exigua, nec vilia dedignatur, quippe qui ea pro ferentis facultate metitur. Hæc itaque omnium spectaculo exporrecta, testantur morborum depulsionem, cuius ipsa certißima signa sunt, à sanitatem consecutis allata; hæc inquam, sepulchrorum ibi martyrum, quæ sit virtus, ostendunt. Martyrum autem virtus quem ipsi coluerunt Deum, verum esse Deum declarat.* Hæc ille.

Esai 59. In Ecclesia Dei semper est operatio virtutum & gratia sanitatum, secũdum quosdam.

Hieronymus. Ambrosius. Cyprianus. Tertullianus. Eusebius. Irenæus. Aug epist. 98. tom 2. Seuer. Sulpit. Prudentius. Paulinus Episcopus. B. Gregor. Cæsar. Cistertiens. Beda tom. 2.

Theodo lib. 8. de Cura. Græcar affect. propè finem.

Sanctorum Martyrum in pios eorum patrocinium implorantes beneficia.

Sanè magno Dei seruo, & amico mihi arctissimo in Christo vinculo coniuncto, ingratũ prorsus me exhiberem, & in Deum ipsum nõ leuiter delinquentem agnoscerẽ, si hoc loco ad Christi Iesu nomen in primis illustrandum, & opera eius magnifica celebrandum, non producerem ea, quæ diuina bonitas per felicis recordationis Patrem Franciscum Xauierum, nostræ nominis Iesu Societatis ex primarijs professorem, perficere dignata fuit. Cùm enim ille peculiari diuinæ prouidentię significatione, & superiorum suorum obedientia, ad Orientales Indos, vt Apostolico perfungeretur munere, & Euangelium Christi disseminaret, destinatus esset, talibus, ac tantis diuinæ virtutis signis, & charismatibus prædicationem eius decorare, ac exornare voluit, vt & munere prophetico prę̨ditus multa longè antè prænuntiauerit, quæ illis eisdem diebus euenerunt, quibus ipse euentura prædixerat: quæ profectò nisi diuinitùs illi reuelata fuissent, præsciri aut prænunciari haud potuissent. Multorum fide dignorũ virorum attestatione, mortuum quendam ad vitam reuocauit. Comes itineris, & peregrinationis eius apud Iaponenses testificatus est, eum semel cæcum illuminasse; muto etiam cuidam, ac paralytico loquelam, atque ingressum restituisse: denique quotquot ad illum varijs morbis vexati accurrebant, aut edito ab eo signo Crucis, aut manuum impositione & precatione optatam sanitatem ac incolumitatem, aut à spiritibus malignis liberationem recipiebant. Vnde factum est; vt vnius anni prædicatione, tanquam nouus quidam Apostolus, supra centum millia hominum ab infidelitate ad amplectendum Christi Euangelium traduxerit, proprij'que manibus baptizauerit: ita vt cùm solus esset, nec brachia præ lassitudine erigere ad sancta aqua intingendum valeret, nec vox iam penitùs rauca, ad sacri formam Baptismatis pronũtiandum sufficeret, nec Sanctorum nomina, quę in sacris litanijs cõtinentur, vel pluries repetita, ad tantam vtriusque sexus hominum

Quænam apud Orientales nuper populos miracula, & quam admiranda, religiosissimus pater Franciscus Xauier diuina vi fecerit.

minum multitudinem suppeterent nominandam. Habuit & illud Apostolicum, vt eum vni simplici lingua prædicantem, omnes, qui ex diuersis nationibus, & linguis ad eum audiendum confluebant, tam perfectè intelligerent, ac si proprio, & eorum natiuo idiomate loqueretur. Quid dicam de eius morte? in qua sanctitatis suæ manifesta edidit miracula. Cùm enim in Sinarũ regionem propagandæ fidei studio nauigaret, in medio itinere vita functus est. Postulauit, vt in terræ tumulo calce pleno quo breuiùs absumi posset, reponeretur. Cùm autem post tres menses perfecta profectione nauis eadem rediret, ad tumulum redeunt, & inuentũ est corpus eius solidum & incorruptum, viuido ac naturali colore præditum, nullumque tetrum spirans odorem. Vnde primùm Malaccam, atque inde Goam translatum, magna omnium eius vrbis fidelium & ordinum religione susceptum, in templo nostri Collegij conditum fuit: ingensque eius sanctitatis apud omnes existit opinio. Nec ego hæc, aut tanquam ignota scribo, aut tanquam nostra, oratione amplificare volui. Siquidem exploratum est, Ioannem III. olim Lusitaniæ Regem; cui & charus, & notus erat Pater noster Franciscus, cùm eius nutu, & auspicijs in Indiam fuisset profectus, scripto mãdasse præfectis, & ministris suis, qui Indiam administrabant, vt hæc omnia, quæ de illius vita & morte circumferebantur, idoneis testimonijs publica fide examinatis, ad se transmitterentur: vt & factum est. Deum igitur bonorum omnium autorem prædicemus omnes, ac laudibus celebremus, qui in Filio suo illustrando, & in hominũ cordibus exaltando fideles seruos & ministros gloriosos semper, pro sua bonitate, exhibere voluit: ipsi igitur Iesu Christo, cum Patre & Spiritu sancto adscribatur honor, gloria & gratiarum actio in sempiternis seculis, Amen.

Quibus eundem P. Franciscum Xauierũ post mortem signis atque miraculis illustrauerit Deus.

TRACTATVS IIII.

Quo refelluntur sophistica argumenta, & cauilli, quibus Infideles Christi miracula aut de medio tollere, aut certè infirmare conati sunt.

Miraculorum Christi veritas à nobis, vt tuenda sit, ac propugnãda.

QVEMADMODVM filij Israel de Babylonia reuersi construebant muros Ierusalem, atque vna manu ædificabant, altera verò gladium tenebant, vt molestijs & importunitati hostium vicinorum resisterent: ad eum modum veritas miraculorum Christi à nobis ita propugnanda est, atque tuenda, vt illam ab obtrectatorum, & calumniatorum: qui non pauci extiterunt, cauillis & sophismatis vendicemus. Nam vt aurum igne rutilantius, & defæcacius efficitur; ita signorum Christi veritas quo magis oppugnata est, eò est magis constabilita, atque illustrata. Fuerunt enim quidam, qui ea omninò negarunt, quòd nostris tantùm historicis fidem non putent esse habẽdam. Sed istis superiori tractatu (vt opinor) fecimus satis. Alij verò sunt, qui signa hæc facta non inficiantur, ea tamẽ diuinitatem arguere abnuunt, atque id quidem varijs vijs efficere conantur. Quidam enim similia apud Ethnicos in Gentilium historia patrata dicunt. Alij Astrologiæ, & signis cœli illa tribuunt. Rursus alij secretiori magia, ac dæmonum ope edita cõtendunt. Sunt qui ad artem Cabalisticam, vel ad nomen Tetragrammaton referenda esse censeant. Ad hæc alij naturæ quodam temperamento signa fieri posse contendunt. Postremò alij vehementi cogitatione, siue imaginatrice virtute effici posse miracula, vt Pomponatius, & Hieronymus Cardanus nostri seculi philosophastri tradiderunt. Hæc omnia sigillatim sunt explicanda, & quæque suis rationibus confutanda, vt signorum Christi veritas inconcussa maneat, & apud omnis inconuulsa. Ne quenquam verò sua debita laude defraudare videamur, aut aliorum gloriæ inuidere; nonnulla in hoc tractatu mutuabimur ab his, qui ante nos de his & similibus præclarè & senserunt, & scripserunt.

Sap 3 & alibi passim.

De Christi signis variæ hominum opiniones recensentur, ac confutantur.

Pomponatius Hieron. Cardanus.

PRIMI igitur asserunt, in Gentilium historijs, & in religionum aliarum quas Gentes colebant, confirmationem edita fuisse miracula. In quos primo loco argumentamur. Quando, vel vbi in eorum annalibus legimus, ad inuocationem, & vota hominum sanatos claudos, illuminatos cæcos, leprosos mundatos, mortuos suscitatos, ac dæmones fugatos? Etiamsi demus vera esse, quæ Artemidorus Ephesius, & Cicero lib. de Diuinatione recẽsent; etiamsi nulla fuerit magia in his quæ Philostratus, & Hierocles de Apollonio narrant. Nã etsi humano imperio, & inuocatione apud eos sunt facta nonnulla signa; sed non in testificationem, sed in diuinæ prouidentiæ commendationem; vt scirent Gentes esse Deum, qui curaret mortalia, ne dicerent in corde suo impij: Non est Deus. Ideò diuinæ prouidentiæ fuit quorundam innocentiam ostendere: vt de Claudia Romana, & altera Vestali est dictum. Hoc etiam studuit Deus per Sibyllarum vaticinia, quæ in medio Gentium viuebant, declarare, quæ

Contra eos, qui in Gentilium historijs miracula facta fuisse contendunt.

Artemidorus Ephesius. Cic. lib. 1. de Diuinat. Philostrat. Hierocles

Miracula, si quę facta sunt apud Infideles, quorsum effecta sint.

Psalm 13.

Sibyllæ à Deo cur Gentibus datæ sint.

diuino Spiritu, vt veri Prophetæ, mysteria Dei, & Messiæ prodiderunt, & religionem quæ multos Deos assereret, & coleret, reprobarunt. Deinde omnia opera Gentilium superiùs enarrata, vt de cote scissa per nouaculam, & tractu nauis per Claudiam, & apparitione Castoris, & Pollucis: talia hæc sunt omnia, vt à dæmone fieri possint, admiscendo quædam agentia cum patientibus, vel mutatione loci. Nihil ergo est quod naturæ vires superet in illis, nihil quod veram diuinitatem arguat. At quæ Christus, & Apostoli gesserunt, omnem Naturæ vim, & dæmonum facultatem superant: vt cæcum natum illuminare, mortuis restituere vitam, quod omnem vim creatam superat. Vnde Pharisæi cùm miracula in hominum corporibus curandis in Beelzebub patrata esse potuerunt detrahere, nunquam de Christo tollendo deliberarunt: Quando autem ipsa rei euidentia mentes Pharisæorum vrgente in nullam magiam, & in nullam diaboli potestatem Lazari quatriduani suscitationem, quæ cæteris fuit illustrior, vnquam refundere potuerunt, statim coacto concilio, de Christo è medio tollendo deliberatum fuit.

Christi, ac Apostolorum signa qualia sint.
Ioan. 9.
Matth. 12.
Quando primum Pharisæi de Christo occidendo deliberauerint.
Ioan. 11.
Ibidem.

Quòd si obijcias, Platonem libro de Republica retulisse, Ærum genere Pamphylium, qui decem dies ante prælio occubuerat, integrum repertum, domum relatum, in rogum coniectum, & resumpto spiritu reuixisse, & quæ interim viderat, retulisse: narrat enim Plinius bello ciuili Pompeiano, cùm Gabienus Cæsaris fortissimus miles Pompeij iussu cæsa ceruice iacuisset, inter aceruos occisorum emersisse, & nuncijs à Sexto Pompeio ad se missis dixisse, se, cùm mortuus iaceret, ad vitam rursus à dijs reuocatum, vt illi nunciaret, vt nulla clade terreretur; victoriam enim apud se futuram, quòd eius caussa dijs inferis iustior videretur: & in signum veritatis dixit, quòd peractis mandatis, rursus animam poneret: quod & euenit: Auiola quoque ter Consularis mortuus est, in rogumque coniectus, reuixit: & quia subueniri non potuit, prævalente flamma, viuus est combustus: vt testatur idem Plinius: Capuæ quidam qui efferebatur in feretro, proprijs pedibus domum remeauit: & Aquini C. Ælius Tubero, à rogo relatus est, ac Romæ posteà Prætura functus est: Plinius ex Heraclide enarrat, fœminam post septem dies exanimem ad vitam redijsse. Minos Rex Cretæ iam tumulatus, fracto sepulchro surrexit ad vitam. Vnde Claudianus:

Plato li. 10. de Repub. sub fin.
Qui ex mortuis reuixisse inter Gentiles referantur.
Plin lib. 7. cap. 52.
Idem ibidem.
Claudianus.

Cretaq; si verax narratur fabula, vidit
Minoum rupto puerum redijsse sepulchro.

Ex Græcis etiam referunt, Æsopum illum fabulatorem reuixisse; alij idem scribunt de Tyndareo, & Hercule. Æschylus quoque scribit, Palicos, Iouis, & Thaliæ filios, mortuos ad vitam redijsse: quod etiam Macrobius libro Saturnalium tradit. Philostratus refert, Apollonium, præsente Domitiano Cæsare, puellam feretro ad sepulchrum delatam, ad vitam reuocasse. Sed hę suscitationes vel sunt fabulosæ, nec à sapientibus eorum creditæ: vel non fuerunt veræ suscitationes, quæ verã mortem, id est, veram animæ à corpore separationẽ ponunt. Nam in primis ad miraculum à Platone narratũ, respondet Iustinus, Platonem Mosaicam doctrinam de mortuorum resurrectione, sub eius, qui sibi arridebat fabulæ specie, suæ Reipublicæ inseruisse: nam eius in oratione parænetica ad Gentes hæc sunt verba: *In decimo libro de Republica liquidò, & apertè, quæ de iudicio à Prophetis didicerat, ea non tanquam ab illis accepta, ob Græcorum metum, sed à quodam, sicuti ei fingere placitum fuit, qui in bello casus, cùm duodecimo humari deberet die, in rogum positus reuixit, resq; apud inferos visas exposuit, audita verbis huiusmodi ita commemorat.* & reliqua: Hæc ille. Quòd verò Plato asserit, se non apologum narrare, sed veram historiam; non obest: quia illa authoritatis conciliandæ gratia fecisse est credendus. Ipse enim Plato est, qui in quarto libro de Republ. vtili mendacio interdum populum decipere, studiosum existimat. Gabieni historiam, vt à Plinio narratur, recipimus; verùm eam non mortui resurrectionem, sed Satanæ fascinationem fuisse, qui intra cadauer loqueretur, & hominis speciem exterius effunderet, tria comprobant. Primùm, quia incisa ceruice, nec viuere, nec loqui quis possit, nec per vitæ resumptionem fuit vulnus curatum: ergo Satanas, non homo in instrumentis vocalibus responsa dabat. Secundum, vera mortui suscitatio, ne phantastica videatur: non vno temporis momento, sed notabili spatio vita suscitatis donatur, vt in Euangelio constat: Gabienus verò, peractis mandatis, vitam deposuit. Tertium, quod de futura apud Pompeium victoria se à dijs nunciare præcepta asseruit, prævalente Cæsare, posteà, quàm essent falsa, sese prodiderunt: diuinus enim Spiritus nunquam fallit. Cæteræ verò suscitationes, excepto vno illo Apollonij mẽdacio, vnam solutionem habent: quòd non veræ mortes præcesserint; nec veræ suscitationes extiterint. Erant enim illi omnes vel apoplectici, quem morbum syderationem vocant; vel syncoptici, id est, syncopi affecti, quod genus mor-

Aeschylus.
Macrob. lib. 5. Saturn c. 19. circa med.
Philostrat.
Quid de huiuscemodi suscitationibus iam dictis sentiendum sit.
Iusti. Martyr tom. 1. initio.
Plato.
Vtili mendacio interdum populum decipere, Plato studiosum existimat.
Gabieni militis quam Plinius describit resurrectionẽ, dæmonis fascinationem fuisse, tria cõprobant.
II. Argum.
Tertium.
Diuini Spiritus quid proprium.

Λειποθυμία. Græcè quid.

bi Græci λειποθυμίαν, id eſt, animi deliquium vocant, in quo morbo plerunq; totius corporis & ſenſuum ſtupor incurritur, & pulſus, & motus ex nimia cordis frigiditate amittitur, ita vt nihil à mortuo differat illo morbo correptus: & durat hic morbus tantum, quantum eſt humorum crudorum, & præternaturalium; & nos tali morbo correptos inſcij ſepelimus. Vt Scoto accidit: qui cùm apud ruſticos quoſdam Euangelij prædicandi gratia miſſus fuiſſet, eo morbo correptus viuus ſepultus fuit. Atq; ita Auiola ille, & Ælius Tubero vehementia humoris qua tenebantur, ſunt ſoluti. De puella verò ab Apollonio ſuſcitata, apparet, eam hiſterica, id eſt, vterali, & ſyncoptica paſſione correptam. Vnde Euſebius Cæſarienſis in Hieroclem ſcribens, ait: *Nam quòd ad puellam ſpectat ab inferis reuocatam, ſiue ad ſemianime potius, quod & Philoſtratus ſentit, qua conſopitam vitalis auræ ſcintillam, dum efferretur, in ſe haberet, irrorante mox pluuia excitatam: totum ſanè eſt de illius miraculis amouendum: non enim, ſicut & ante dixi, tam grande facinus, ſi modò verum fuiſſet, ita preſſum ſilentio euanuiſſet, cùm præſertim Romæ, vbi nunc Imperator agebat, factum dicatur.* Hæc ille. Ergo non erat verè mortua.

Scotus Doctor ſubtilis appellatus, syncopi laborans vt viuus eſt ſepultus.

Euſeb. Cæſar. in Hieroclem, in confu. li 6. in fin. tom. 1.

Quos Chriſtus, & Apoſtoli ab inferis ſuſcitarunt verè priùs mortuos fuiſſe

Matth. 12.

Ioan. 11.

Luc. 18.

Secũda ratio.

Aug lib. 14. de Ciui. Dei, c. 24. tom. 1.

At reſuſcitationes mortuorum per Chriſtum, & Apoſtolos factas, manifeſtæ præceſſerunt animę à corporibus ſeparationes. Quod ex eo conſtare poteſt: quia ſi Iudæi cauſſabantur in Beelzebub facta, libentiùs in cauſſas naturales retuliſſent, vt quòd eſſent apoplectici, vel ſyncoptici; ſed timebant, ne, ſi ſic dicerent, aperti ſycophantæ à populo haberentur. Vnde Lazarus quatriduanus præ fœtore adiri non poterat: & Chriſtus vocans archiſynagogi filiam dormientem, irridebatur, vt dicitur apud Lucam. Ad hæc iſtæ ſuſcitationes non ſponte, ſed ad Chriſti, vel Apoſtolorum imperium in Euangelicæ prædicationis teſtimonium ſunt patratæ. Quæ verò in hiſtorijs Gentilium narrantur, vel naturalis morbi peracta inuaſione, quæ ſtuporem illũ efficiebat, vel pharmaco inſtillato, vel ipſe ſponte naturæ reſolutus morbus recedebat, & ſalus redibat. Sunt etiam quidam phãtaſtici, qui ex apprehenſione alicuius rei alienantur, & vix vellicati, ſeu puncti, vel vſti, ad ſe redeunt: vt docet Auguſt. de quodã Sacerdote vocato Reſtituto, qui quoties volebat, alienabatur. Et ſic nõ fuerunt verè ſuſcitati, quia nec mortui; vel ſi verè fuerũt mortui, nõ verè, ſed in ſpeciem ſuſcitati. Vt quẽ Simõ Magus legitur Romę ſuſcitaſſe præſente B. Petro: q etſi nonnihil moueret caput, loqui tamen nunquã potuit, aut ambulare.

Aduerſus Aſtrologos, Chriſti ſigna & miracula planetis, & ſignis Zodiaci tribuentes.

Ioan. 2.

Infrà 11.

Suprà 7.

Secundo loco accedunt Aſtrologi, qui Chriſti miracula Saturno, Ioui, & alijs planetis, & ſignis Zodiaci tribuunt. Iſti ergo docent Chriſtum ſigna edidiſſe, quòd in nona cęli plaga Saturnum habuit in Geminis, & quòd horas, ac mométa ad faciẽda ſigna obſeruaret: vnde dixit Matri: *Quid mihi, & tibi, mulier? nondum venit hora mea*: & rurſus ad diſcipulos: *Nonne duodecim horæ ſunt diei?* Obſeruabat (aiunt) aſtra propitia, ne ſe, dum aſcenderent ad diem feſtum, Iudęi lædere poſſent, vnde dixit: *Tempus meum nondum aduenit; tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum.* Ad hæc hi docẽt, eum, cui Mars locatus in nona cœli plaga feliciter obtigerit, dæmones ab obſeſſis corporibus ſola præſentia pellere poſſe. Addunt illi, aſcendente Geminorum ſydere, eoq; Saturno, atq; Mercurio ſub Aquario iuncto, in nona cœli plaga naſci prophetam.

Prima ratio.

Secũda ratio.

Matth. 15.

Tertia ratio.

Quarta ratio. Act. 19.

Quinta ratio.

Sexta ratio.

Sed contra omnia iſta figmenta, multa ſuccurrunt. In primis, quia ſi Chriſtus ſecũdùm has regulas ederet ſigna, non poſſet eſſe propheta, nec dæmonia de corporibus pellere, cùm hęc munera ſint alterius influxus cœleſtis: nam diuerſis ab agentibus, diuerſi quoq; proferuntur effectus. Nec ſub iſtis tribus ſyderum effectibus, cùm hoc ſit impoſſibile, Chriſtus natus dici poteſt; qui tamen & Propheta, & dęmonum expulſor, & ſignorũ editor fuit. Deinde ſi verum eſt illum natum ſub illo aſpectu, quãdo Mars cum Geminis in nona cœli plaga feliciter locatur, ſola præſentia pellere dæmonia; quomodò Chriſtus non ſola præſentia, ſed verbo, & imperio dæmonia fugabat, atque id aliquando abſens, vt filiæ Chananææ? Non ergo virtute aſtrologica, ſed diuina. Tertiò, Apoſtolici viri non omnes eodem cœli poſitu, quo Chriſtus, nati ſunt; & tamẽ Prophetæ fuerunt, dæmones expulerunt, prodigia, & ſigna fecerunt. Quartò, Apoſtolica ſemicinctia, & ſudaria, baculi, & veſtes, neque Saturnum, neq; Mercurium in Geminis, aut in Aquario, neq; Martem in nona cœli plaga conſtitutos in ſua natiuitate habuerunt, & tamen per ea ſigna ſunt edita. Quintò, Chriſti & Sanctorum ſepulchra, templa, dies feſti, memoriæ, inuocationesq;, nullam iſtarum poſitionum cœleſtium in ſuis natiuitatibus habuerunt; & tamen multa ſunt per ea prodigia patrata. Ergo mendaces ſunt Aſtrologi. Sextò, cõuincit inuictè caput Aſtrologorum, quòd ſi illis cœli poſitionibus, vel ſyderum aſpectibus in mundo naſcũtur, qui aut prophetia, aut imperio in dæmones, aut ſignorũ operatiõne præditi ſunt, multos profectò dæmonũ expulſores, multos prophetas, mul-

tos signorum effectores haberemus: neque enim Christus, aut Prophetæ tantùm in ea cœli positione sunt editi. Septimò, si cœli positiones, & propitius Saturnus, aut astra beneuola, edendi prodigia potestatem conciliant, cur illi ipsi qui momenta obseruant, in illis patrandis non sunt potentissimi? nec enim inuerisimile est, nōnullos ex ipsis Astrologis non fuisse natos astris propitijs & benè fauentibus.

Septima ratio.

In eos qui Domini miracula in magiā, siue in occultam dæmonum familiaritatem referre non dubitant.

Matth. 12.

Tertio loco sunt expugnandi, qui Christianę religionis miracula non in diuinitatem, sed in magiam, & naturam ipsam, siue in dęmonum occultam familiaritatem reijciunt; quos imitati Pharisæi, dicebant: *Hic non eijcit dæmones nisi in Beelzebub Principe dæmoniorum.* Sed in hos Christus respondit: *Omne regnum diuisum contra se, desolabitur: & omnis ciuitas vel domus diuisa contra se, non stabit:* Non enim fieri potest, vt qui cum altero fœdus percussit, omnia in eius perniciem, & exitium machinetur. Vnde frequentissimū fuit infidelibus, signa, & Miracula Martyrum magiæ tribuere, quemadmodùm etiam quæ edidit Moyses, magiæ tributa sunt à Plinio, qui in lib. Naturalis historiæ scribit: *Est & alia magices factio, à Mose etiamnum, & Iochabela Iudæis pendens, sed multis millibus anorum post Zoroastrem.* Ita ille. Deinde vt demus, Christum magiam nouisse, & per eam edidisse miracula, Apostoli, aut discipuli edentes signa, vnde illam acceperunt, aut didicerunt? aut nunquid sudaria, & semicinctia, aut Sanctorum reliquię illius artis notitia edebant signa? aut nunquid magia satis esse poterat ad sanandos subitò ægrotos, illuminandos cæcos, suscitandos mortuos? aut nunquid illustres, & insignes habiti magi talia vnquam patrarunt? Tertiò, Magiam esse inutilem, & vanam, sentit Plato, qui in lib. de Legibus incantatores, qui sola verbi lętione se credunt nocere, nō propterea punit, quòd credat ex ipsa natura incantamenta nocere, sed quòd similes sint nocentibus, vel quòd nocēdi animum habuerint. Iustinus in libro Quæstionum, quas Gentes Christianis proponunt, assignans differentiā inter signa edita à Moyse, & à Magis Pharaonis, testatur illa Moysi vera extitisse, mutatione naturæ in naturā eius quod efficiebatur, ea verò quę magi opera dæmonum ediderunt, non vera, & solida extitisse, sed tantùm apparentia, & oculos eorū, qui hæc spectabant, fuisse illusos. Et idem testatur de Pythonissa, quę ad preces Saulis non verū Samuelem, sed spectrū illi simile suscitauit. Audi etiā quid Plinius prædicto in loco scribat: *Species magiæ plures sunt. Nā; & ex aqua, & ex sphæris, & ex aere, & stellis, & lucernis, ac peluibus, securibusq́; & multis alijs modis diuina promittit; præterea vmbrarum, inferorumq́; colloquia, quæ omnia ætate nostra princeps Nero vana, falsaq; comperit, Quippè non citharæ tragiciq; cantus libido illi maior fuit, fortuna rerum humanarum summa gestiente in profundis animi vitijs. Primumq; imperare dijs concupiuit, nec quicquam generosius voluit. Nemo vnquam vlli artium validius fauit. Ad hæc non opes illi defuêre, non vires, non discendi ingenium, aliaq; non patiente mundo. Immensum, & indubitatum exemplum est falsæ artis, quam dereliquit Nero: vtinamq; inferos potius, & quoscunque de suspicionibus suis deos consuluisset, quàm lupanaribus, atque prostitutis mandasset inquisitiones eas, nulla profectò sacra, barbari licet, ferią; ritus, non mitiora quàm cogitationes eius fuissent.* Et infra: *Magus ad eum Tyridates venerat, Armeniacum de se triumphum afferens, & ideò prouincijs grauis, &c. Magos secum adduxerat. Magicis etiam cœnis eum initiauerat. Non tamen cùm regnum ei daret, hanc ab eo accipere artem valuit. Proinde ita persuasum sit; intestabilem, irritam, inanem esse, habentem tamen quasdam veritatis vmbras, sed in his veneficas artes pollere, non magicas.* Hactenus ille. Et similia de Iuliano Imperatore, huius artis studiosissimo, tradunt Ammianus Marcellinus, Paulus Diaconus, & Procopius. Et satis valida argumenta sunt ad probandum vniuersam magiam vanam esse. Nam quomodo acri ingenio præditi viri, & eius artis addiscendæ cupidissimi, in summa rerum humanarum fortuna collocati, non eius artis veros effectus comprobassent, si quæ promittit, posset præstare. In eadem est sententia Porphyrius in lib. de Abstinentia animalium: *Violenti sunt,* inquit, *dæmones, & fallaces simulatores, dissimulatoresq;, cultumq; deorum, ad seipsos transferre student. Nam nullum est malorum genus quo non delectentur; & eorum induta persona, in errorem, atque stultitiam impulisse nos gaudent. Tales sunt & animæ mortuorum, quæ vitijs oppletæ, à corpore migrarunt. Afflictantur enim ira, & concupiscentia perturbationibus: et in naturam conuersæ dæmonum, similes illorum redduntur. Noxiæ quoque, turbulentæ in varias sese vertunt formas, ac modò conspicuas se oculis præbent, modò recondunt. Ita illudunt aciem tùm intuentium, tùm & cogitantium.* Hæc ille. Et eadem scribit in epistola ad Anebuntem Sacerdotem Ægyptium: quam citat Augustinus lib. de Ciuit. Dei. De hac magia testatur Poëta:

Hæc se carminibus promittit soluere mentes,
Quas velit: ast alijs duras immittere curas:
Sistere aquam fluuijs, & vertere sydera retro:
Nocturnosq; ciet manes: mugire videbis

De miraculis martyrum infideles olim quid senserint.

Plin. lib. 30. c. 1. propè finem.

Secundum argument. Act. 19.

Tertium argument. Plato lib. 11. de Legib. De magia quid sentiat Plato.

Iustin lib qq & respons q. 26. tom. 3. Exod. 7. & seq.

1 Reg. 28. Plin ibid. c. 2. initio. Magiæ species plures, teste Plinio.

Plinij in Neronem inuectiua quædā.

Magicæ artis studiosissimus fuisse perhibetur Iulianus Imperator. Ammi. Marcel. Paulus Diac. Procopius.

Porphyrius. Malorum dæmonum studia, & mores quales.

Idem Porphy. Aug. li. 10. de ciui. Dei, c. 11. initio, tom. 5. Virg. 4. Aen. aliquantò à medio.

Sub pedibus terram, & descendere montibus
ornos.

Idem lib. 7. Aeneid. init.

Et de Circe venefica idem alibi ait:

Hinc exaudiri gemitus, iraq; leonum
Vincla recusantum, & sera sub nocte rudentum:
Setigeriq; sues, atq; in præsepibus vrsi
Sæuire; ac formæ magnorum vlulare luporum:
Quos hominum ex facie Dea sæua potentibus herbis
Induerat Circe in vultus, ac terga ferarum.

Ouid.

Et Ouidius de Medea venefica:

Illa reluctantem cursu deducere Lunam
Nititur, & tenebras addere Solis equis.

Varro.

Isti magicas artes non habere vllos veros effectus credunt, sed earum exercitio sensus humanos ludificari. Et ita intelligit Varro socios Diomedis in aues esse conuersos, & socios Vlyssis Circes veneficio in bestias mutatos. Quòd si talis sit magia; Christi, & Apostolorum miracula longè sunt ab ea: quia eorum effectus non phantastici, sed longo tempore, & re ipsa probatissimi extiterunt. Vt paralytici sanati, qui triginta & octo annos fuerat in infirmitate curatus à Christo ad piscinam signũ ostendit: de quo grandem inquisitionem fecisse Iudæos testatur Euangelium. Et Lazarus suscitatus verè talis erat: vnde & Lazarum cogitauerunt interficere, vt persuaderent eum non esse reuera à morte suscitatum. Claudus etiam sanatus ad portam speciosam templi, verè sanus erat, quia dicebant: Manifestum est, & non possumus negare: & vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum. Quartò, per magiam, possumus intelligere eam artem, quam malefici profitentur, & stryges: quæ in nocendo consistit, & dæmonum ope concitat ventos, & tempestates, & incendit messes, & domos, & qua præditi fortassis magi Pharaonis, veros serpentes ediderunt: vt docet Augustinus libro de Trinitate, & Origenes homilia in Exodum. Contra quos multa supplicia per leges Ciuiles decreta sunt, vt C. de maleficis L. Constantinus. Neque tantùm hæc ars nocet, sed etiam amorem inhonestum conciliat filtris amatorijs, vel carminibus, vel poculis homines in amores mutat. Vnde Lucanus de Thessalibus mulieribus:

(Ioan. 5. — Infra 11. — Infra 12. — Act. 3. — Quarta ratio. — Exod 7. — Aug lib 3. de Trin c. 7. 10. & — Orig. hom. 7. in Exo. tom. 1. — Magia quid efficiat. — Lucan.)

Carmine Thessalidum dura in præcordia fluxit
Non fatis adductus amor, flammisq; seueri
Illicitis arsêre ignes: nec noxia tantum
Pocula proficiunt, aut cum turgentia succo
Frontis amaturæ subducunt pignora fœtæ.

Propert.

Et Propertius in Lænam:

Consuluit Stryges, nostro de sanguine, & in me
Hippomanes fœtæ semina legit equæ.

Hippomanes quid. — Arist li 6. de hist. animal. c. 18 sub init. Plin. lib 8. ca. 42. & lib. 28. cap 11. — Virg 4. Aen. procul à medio.

Est autem Hippomanes, inter amatoria veneficia, teste Aristotele, & Plinio, caruncula quædam, quæ è pulli equini fronte consurgit: quam in puluerem versam, ad amores conciliandos efficacissimam dicunt. De qua Poëta noster:

Quæritur & nascentis equi de fronte reuulsus,
Et matri præreptus amor.

Exod. 7. — Act. 8. — Infra 13. — 3. Reg 18. — Christi & Apostolorum signa quò tenderent tãtum.

Tales ergo extitisse aliquando Magos, qui in hominum perniciem & interitum artes istas exercerent, & qui multa reuera facerent signa, testãtur Magi Pharaonis, Simon Magus, qui artibus suis homines dementauerat, vt dicitur in Actis; Elymas Magus, vt ibidem refertur, & Apollonius Tyaneus, & innumeri alij testes sunt, & ipsæ leges contra eos latæ: quæ vanæ existerent, nisi ipsi reuera nocerent. Tales erant Sacerdotes Baal, qui cultris & lanceolis corpora incidebant, vt signa impetrarent, vt habes in 3. Regum volumine. Christi verò, & Apostolorum signa quàm longè sint à nocendo, vel ab inhonesto amore, vel à curiositate alenda, res ipsa indicauit: nam omnia in gloria Dei illustranda, & in doctrina sua confirmanda, & in beneficijs ægris mortalibus communicandis posita fuerunt. Deinde magia, tota nititur viribus naturæ, & potestati dæmonum: at natura, & dæmones quæ supra naturam sunt, operari nequeunt, aut quæ Christus fecit, illo ipso modo præstare, id est, in momento. Ad hæc natura impossibilis est reditus à priuatione ad habitum: aut ergo anima mortalis est, aut immortalis. Si mortalis: iam per sui corporis separationem, vt cæteræ corruptibiles formæ in nihilum dissolutæ euanescerent. Quod verò semel perijt, idem numero redire, autore Aristotele, natura non patitur. Si verò immortalis sit; iam agentium naturalium imperio, à Physicis accidentibus separata, non subditur. Non ergo, si vniuersa natura agat, cùm sit extra naturæ ordinem, eandem poterit in corpus reducere.

(Magia vim omnem suam vnde habeat. — A priuatione ad habitum, non datur regressus. — Philosoph. lib. 2. de generat.)

Contra Iudæos, & Cabalistas, in Theomantiam magiam Christi & Prophetarum miracula referentes. — Cabala quid, & quotuplex secundùm Hebræos. — Reuclinus — Munsterus.

QVARTO loco disputandum contra Iudæos & Cabalistas. Tradũt enim Hebręi duplicem esse Cabalam, id est, doctrinam ore susceptã. Altera est, quæ sacræ Scripturæ germanum sensum physicis rationibus explicans tradit: de qua Reuclinus, & Munsterus scripserunt. Altera est, quam dicunt

Beresith:

Bereschit: quòd libro Geneseos tota rerum naturalium genitura tradatur, & vniuersarũ rerũ naturalium & cœlestium vires per ipsa nomina explicare contendit. Atque hæc de sublimiorib⁹ diuinarum, angelicarumque virtutum, ac sacrorum nominum, & signaculorum contemplationibus symbolicè tradit: in qua literæ, numeri, figuræ, res, nomina elementorum, apices, lineæ, puncta, accentus, & spiritus magnã rerum significationem continere tradunt. Quam subdiuiduntin Arithmeticam, quæ de Angelicis virtutibus, nominibus, signaculis, & de dæmonum, & animarum cõditionibus agit; & in Theomantiam, quæ in Diuinæ Maiestatis mysterijs, & nominibus speculandis versatur: quã magiam qui habet, admiranda opera edit, futuraque præscit, & vniuersitati rerum imperat: per quã deliri Rabbini Moysen fingunt edidisse miracula, quæ habentur in Exodo, & Iosue: & Heliam, & Helisæum, & Danielem, denique Christum, & Apostolos sic fecisse signa.

Exod. 7. Iosu. 3. 6. 10. & 11.

Sed Iudaicum, & insulsum est inuentum, quòd Hebræa nomina à Deo, vel ab Adamo sapientiæ dotibus prædito imposita, ita earum substantias, qualitates, & proprietates exprimant, vt eisdem nominibus appellata subdãtur, & cum imperio se totas prostituant; cùm res inanimatæ, & sensu carentes eius appellationis virtutem nõ capiant. Imò nec bruta, quæ sunt mitia, quocunque nomine vocentur, patebunt; si verò fera, non obtemperabunt, nisi id ipso Deo agente: quod erat futurum in paradiso terrestri, & in quorundam sanctorum commendationem factum legimus. Ridiculum profectò, quod ego audito nomine, quod totã essentiam mihi exprimit, illi sim obtemperaturus. Ad hæc quid si Hebræa lingua nõ sit prima, sed Aramæa, siue Chaldæa, vt docti quidam volunt? Quid si Hebræi veri, & germani characteres Hebraicæ linguæ non sint, sed à tempore Ezræ post reditum ex Babylone? nam anteà characteres Samaritani erant Hebræorum. Quid si ratio distinguendi literas, in qua mirè philosophantur Cabalistæ post aliquot annorum secula à Christo nato inuenta sit? Christus ergo, & Apostoli qui præcesserunt, per illam edere signa non potuerunt: multo minus Moyses, & Prophetæ, qui per bis mille annos illam antecesserunt. Prætereà falsum est, Hebræis nominibus omnes omnium rerum proprietates exprimi: quia multa nomina & verba in Græco idiomate elegantius quã in Hebraico res ipsas denotant. Imò in vnaquaque lingua, vnicuique rei pro cõditione proprietatum, diuersa sunt nomina: & quædam quidem ab essentia, alia verò à proprietatibus: & illa quidem, quædam à genere, quædam à specie, quædam ab indiuiduali proprietate, vt substãtia, anima, homo, Socrates; quædam deinde ab accidẽtibus, quæ totam speciem consequuntur; quædam ab his quæ indiuiduo sunt propria. Nam vnum nomen, quod vniuersas proprietates, vel extrinsecas, vel substantiales, genericas, specificas, & indiuiduales insinuet, nec in lingua Hebræa, nec in alia lingua inuenitur; nec in alio nomine nostri rabbinizant magis, quã in nomine Iehouah, vbi parum, aut nihil est fructus. Et illa nominũ Hebræorum curiosa tractatio, parum, aut nihil ad germanum sensum literæ facit; quam veteres Patres vt inanem, neglexêre, vel contempsêre. Adhæc si arte præditi Moyses, & Prophetæ, Christus, & Apostoli signa fecerunt; cur Rabbini isti cabalisticissimi cœlis non imperant, maria non diuidunt, flumina in sanguinem non conuertunt, mortuos non suscitant? cur ranas, culices, locustas, brucos, & alias brucos, & alias pestes, quas Moyses Ægypto inuexit, Gentibus, à quibus detinentur, non inferunt? Prætereà scripserunt Iudæi libellum cõtra Christum, fabellam fingentes, quòd tempore Helenæ, quæ vniuersæ Terræ Israel dominabatur, Iesus Nazarenus venit in Ierusalem, inuenitque in templo Domini lapidem, in quo sederat olim arca Domini, & erat in eo scriptum: *Sem ham mephoras*, id est, nomẽ Dei expositum. Qui verò illius nominis literas addiscebat, & sciebat, poterat edere miracula quæ vellet. Sapientes verò Israel cum timerent ne populus disceret illud nomen, & virtute eius destrueret seculum, fecerunt duos canes æreos supra duas columnas contra portam domus sanctuarij: & si quis ingressus literas præscripti nominis didicisset, exibant canes illi ærei, & allatrabant, ita vt homo perterritus obliuisceretur nomen, & literas illas quas didicerat. Venit ergo Iesus Nazarenus, & cum didicisset illas literas, scripsit eas in membrana, deinde incidit crus, & in incisione illam inclusit, & pronuntiato nomine, nullum sensit dolorem; & redijt cutis sicut prius erat. Egressum de templo allatrarunt canes ærei, & quam primum nomen oblitus est. Veniens domum tamen, aperto crure extraxit membranam, & nomine illo prolato coram trecentis decẽ adolescentibus fecit stare claudum super pedes, ad probandum se natum de Virgine: sanauit etiam leprosum. Et accusatus, & ductus ad Reginam, corã ea mortuum suscitauit per Sem ham mephoras,

Gen. 2. Aduersus Iudæos, Hebræa nomina à Deo, vel ab Adamo animalibus imposita dogmatizantes.

Secundum argumentum.

Aramæam linguam siue Chaldæam, nõ Hebræam, antiquiorem esse, quidam opinantur. Olim Samaritani characteres vnde.

Tertium argumentum.

Vnde vnicuique rei varia sint nomina ac diuersa.

Quartum argumentum.

Exod. 7. Quintum argumentum. Rabbinorum de Christo figmentum vanissimum.

ras. In Galilæa etiam aues de luto factas per illud nomen vt volarent, præstabat, & lapidem molarem stare super maris superficiem, neque mergi: volauitque in cœlum coram Regina. Et cum Iudas Iscariores per illud nomen quoque & ipse volasset, luctatus est cum Iesu, & ambo ciciderunt, & Iesu brachium fuit confractum. Atque ob hanc causam singulis diebus Christiani ante Pascha Iesum plangunt. Tunc ceperunt eum viri Israel, & suspendere eum volentes in ligno, statim omnia ligna incuruabantur, quia adiurauerat ea Iesus per nomen illud: & ideo in stipite caulis non adiurato suspenderunt.

Sed certè crassa est, & supina hæc Iudæorum fabula, & non nisi à dementatis, & sensu communi carentibus cōficta. Nam si tale vnquam nomen datum est Iudæis, per quod ederentur miracula, cur nō tempore obsessæ ciuitatis à Tito & Vespasiano se illo nomine tutati sunt, vt non caperetur ciuitas, vel saltem ne captiuarentur, vel occiderenrur Iudæi, vel cur non omnes virtute huius nominis euolarunt in cœlum, si non omnes, saltem aliqui? Deinde stultissimum est, & ab ignorantia historiæ profectum, quod Christus vixerit tempore Helenæ matris Constantini, vel Helenæ Adiabenorum Reginæ in Iudæos beneficæ. Ad hæc Apostoli non in nomine Iehouah, sed in nomine Iesu signa ediderunt: *In nomine*, inquit, *meo dæmonia eijcient, &c. serpentes tollent, &c.* Et Petrus claudo dixit: *In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula*; & Septuaginta Discipuli: *Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo*. Postremò, quomodo Gentiles Apostolorum Discipuli, qui linguam Hebræam ignorabant, in nomine illo signa faciebant? aut quomodo vestes, & semicinctia, & sudaria, & vmbra Petri sanitates & prodigia operabantur, quæ nomen illud prorsus ignorabant?

Primum argumentum in Iudaicum illud figmentū vanissimum.

Secundum argumentum.

Tertium argumentum.

Marc. vlt.

Actor. 3.

Luc. 10.

Quartum argumentum.

Actor. 19.

Supra 5.

QVINTO loco confutandi veniunt, qui Christi signa ad temperamentum corporis naturalis referunt. In qua sententia sunt quidam apostatæ nostri seculi, qui de occulta Philosophia libros excuserunt. Est autem temperamentum nihil aliud, quàm ex quatuor elementis, seu calido, & frigido, humido, & sicco, temperata commixtio, quam barbari complexionem vocant. Et autore Galeno libro de temperamentis, omnes Medici nouem temperamenta constituunt, quatuor simplicia, & quatuor composita, & vnū temperatum. Simplicia vocant, calidum, frigidum, humidum, siccum: non quod ea tantum qualitate mixtum constet, cùm hoc sit impossibile: nā mixta omnia quatuor primis qualitatibus cōflantur: sed quod ea qualitas excedit, à qua nomen suum sumit temperatura. Composita verò sunt, calida & humida, frigida & humida, frigida & sicca, calida & sicca, quòd inter quatuor qualitates quibus mixtum constat, hæ duæ qualitates potissimum abundent. Temperamentum verò, siue εὔκρατον, duplex est: vnum simpliciter, id est, ad vniuersam naturalem substantiam, in quo prorsus æqua elementorum est portio, id est, vbi non maiori mole ignis quam aër, aqua quàm terra, nec de aëre quam aqua, terra ignis, & sic de alijs: & dicitur temperamentum ad pondus. Alterum verò temperatum est in singulis generibus, in quo ea elementorum, aut primarū qualitatum mediocritas existit, quæ, tùm animantis, tùm stirpis naturæ maximè conuenit, vt optimas habeat functiones suas secundum suam naturam: & hanc temperamenti rationem vocant Medici æquale ad iustitiam. Quæ cum in suo genere sit perfectissima, rarò illam reperire contingit: sicut in circulari figura facilè est innumera puncta reperire, quæ non sint centrum; centrum verò reperire difficile. Primum illud temperamentum, quod ad pondus dicitur, quidam Christo tribuunt, cùm inter omnes homines perfectissimus esset: & hinc probant, non tantum brutis, & vniuersis mortalibus bonitate temperamenti præcelluisse, sed etiam rerum omnium dominio & imperio potitum esse, vt potuerit claudos erigere, cæcos illuminare, mortuos suscitare, surdis auditū restituere, &c. Nam teste Galeno in libro. Quòd animi mores corporis temperamentum sequantur; animæ actiones à corporis temperamento pendent; & ita, qui bonū habet, bonas: qui melius, meliores: qui optimum, optimas animæ actiones eliciet. Et ita cui temperatum in humana specie cōtingit, nō solum cæteris Physicis mixtis perfectiores habet, sed vniuersis etiam mortalibus. Christus verò non solum optimi erat temperamenti, quatenus participabat rationem, sed quod inter oēs homines illum gradum temperamenti iustitiæ, quod homini debetur, natura largiente habuit: qui temperamenti gradus ad temperatum ad pondus, seu ad temperatū simpliciter, potius accedit. Et vt homines, qui temperamēti bonitate præstant, omnibus imperant brutis, ac rerū cunctarum dominio potiuntur: ita Christus. Ex quo etiam Dominū in omnibus elementis conseruari potuisse asseritur; & ideo maria calcasse, in aëre se sustinuisse, &c. Temperatum

In eos qui Christi miracula in optimū eius temperamentum referunt.

Temperamētum quid.

Gale lib. 1. de Temperam.

De omnium sententia Medicorum quot sint temperamenta, teste Galeno.

Simplicia temperamenta quæ, & cur sic dicta.

Composita temperamenta quæ.

Temperatum, temperamentum quod, & quotuplex.

Temperamētum ad pondus quod.

Temperamētum æquale ad iustitiam quodnam sit.

Galen.

Quale Christus temperamentum habuit secundū aliquos.

tum enim ad pondus si detur, cùm nō maiorem molem terræ, aut aquæ, quàm aliorum elementorū habeat, in quouis elemento sustineri potest, neque sursum, aut deorsum motu naturali mouebitur: quia mixti naturalis motio ab elemēto prædominante prouenit, etsi motione voluntaria in quouis elemento moueri queat: vt ex Gentili Fulginate Petrus Apponensis, qui vulgo Conciliator dicitur, tradit.

Gentilis Fulginas, nouus scriptor. Petrus Apponensis aliàs dictus Conciliator.

Sed certè humana natura huius generis temperamentum ad pondus non patitur. Quod ex eo patet in primis, quòd ignis est summè leuis, ita vt omni grauitate destituatur; ergo nulla ratione poterit cum cæteris elementis appendi. Item, vt demus, ignem aliqua grauitate pollere: quod natura eius non admittit; copulantur tamen inuicem elemēta, quo mixtum naturale subsistat. In eadem ergo mole cum ignis vehementiorem habeat actionem, cætera elementa corrumperet: vnde mixtum nō coalesceret, aut si coalesceret, statim ignis actione solueretur. Ad hæc mixtū ad pondus æquale, si tale aliquando daretur, nulla ratione moueri posset motu ad locum, quod natura non patitur: omne enim physicum corpus loco mouetur: imò nec vspiam quiesceret. Quorum vtrunque ostenditur ex eo, quod, Aristotele teste, si quod corpus alicubi quiescit, ad hoc natura ipsa propellentē mouetur: mouetur verò mixtum ab elemento prædominante. Mixtum ergo in quo nullum elementum est altero maius, ad locum vllum moueri non poterit: ergo nec in vllo loco quiescere: neque ergo mouebitur, neque quiescet. Ad hæc temperamentum non est simplicium elementorum commixtio, qualis est aut granorum aceruus, sed ex eisdem agentibus, & patientibus coagmentatio: vbicunque ergo est assignare actionem, & passionem, oportet agens supra passum obtinere dominium: non enim ab æquali virtute fieri actionē natura permittit. Ergo illud mixtū non esset mixtum, neque illud temperamentum ad pondus esset temperamētum. Et ita istud temperamentū ad pondus sola ratione cōflatur, quod ab omnibus, vt extra controuersiam positum, asseritur. Illam ergo temperaturæ rationem ad pondus neque Helias habuit, vt mentitur Gentilis, vt posset per aërem, & in curru igneo equorū rapi: nec Christus maria calcare potuit, aut in aëris elemento cōseruari: quòd tale temperamentū non detur. Ad hæc nonne quoque Petrus eiusdē Domini præcepto aquas calcauit? Nōne tres pueri in igne illæsi manserunt? Nonne plures Martyres in ignem, & in aquā proiecti, incolumes diuina ope euaserunt? Nunquid omnes isti tali temperamento præditi erant? Præterea temperamentum ad pondus in indiuiduo non datur, vt vniuersi Medici docent, & Galenus libro de temperamentis; & libro de tuenda valetudine; sed solùm est à Medicis excogitatum, vt in Medicinæ theoria, vel praxi eius administranda Medicus haberet, quo mixtorum cōstitutiones expenderet, & ad quod, quasi ad certam amussim, reduceret. Quemadmodum Cicero talem fingit oratorem, non qui sit, aut fuerit, sed vt intelligat quisquis vult esse orator, quantum à vera orationis ratione deficiat: ait enim libro de Oratore: *Mea quidem sententia, nemo esse poterit omni laude cumulatus Orator, nisi fuerit omnium rerum magnarum, atq; artium scientiam consecutus.* Hæc ille. Quòd si quis cōtendat, Christi temperamentum, etsi non fuerit æquale ad pondus, fuisse tamen æquale ad iustitiam: nam temperatum in natura humana, temperato simpliciter summè coniunctum est. Et homo à tota specie reliquas omnes naturales naturalium mixtionum constitutiones excellit; ratione vero temperamenti ad iustitiam, Christus alios omnes homines in eadē specie humana superabat. Sed certè negandum est, Christum, vel quemuis sapientem tali temperamento à natura donatum. Sunt enim duplices functiones, sicut & facultates, in homine: vnde duplex quoque temperamenti bonitas consurgit. Bonum autem temperamentum vocamus, cuius functiones sunt bonæ. Functionum igitur quædam sunt à materia separatæ, quas rationales vocamus: quædam immersæ in materia, quæ ad vegetantem, & sentientem animæ partem spectant. Et hæ, vt bonæ sint, longè diuersam temperamenti rationem exigunt: nam calidum & humidum ad vegetātis & sentientis animæ partem spectant, non item ad intelligentis animæ operationes, ad quas magis seruit calidum, & siccum, maximè si humoris melancholici nonnihil possideat: est enim vitalis spiritus in animali sicco & calido multò subtilior: ratione melancholici temperamenti, quod calidum est, & siccum, memoria redditur tenacior: quæ ad intelligendum multum valet. Hinc Aristoteles in Problematis, omnes qui claruerunt ingenio in aliquibus artibus, vel scientijs, vel studijs Philosophiæ, melancholicos tradit fuisse. Sed non potuit eandem temperamenti rationem in omni ætate, id est, infantia, pueritia, adolescentia, & iuuentute conseruare: diuersus enim locus, diuersa nutrimenti ratio, diuer-

Quod in humana natura temperamentum æquale ad pondus nō detur.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

Arist. lib. 1. de cœlo.

Quarta ratio.

Gentilis Fulginas.
4. Reg. 2.

Quinta ratio.
Matth. 14.
Dan. 3.

Temperamētum æquale ad pondus in indiuiduo nō datur: idque excogitatum à Medicis cur fuerit.
Galenus.

Cicero lib. 3. de Oratore.

Quòd Christus non habuerit temperamentum æquale ad iustitiam.

Bonum temperamentum quod.

Duplex functionum naturalium genus, bonū vnde temperamentum proueniat.

Apti ad artes, & disciplinas, melancholici ferè sunt, teste Philosopho.

Arist. sect. 30. in problem.

Galenus Hippocrates. Secunda ratio.

sum cœlum, & diuersa studia, temperamenta ipsa transmutant, vt ratio, & experientia docent, vt Galenus, & Hippocrates Principes Medicinæ tradunt. Item etsi demus, Christum tale temperamentum à natura sortitum, & ipsam per omnes ætates, & omnia tempora conseruasse; non sequitur, aliorum discrasias & intemperias, ad eucrasiam & temperiem reducere potuisse: nam benè temperatus qui est, in se ipsum, non in alios extendit functiones suas.

Tertia ratio.

Amplius, Christi corpus quocunque temperamento constet, corpus erat Physicum, & modo agendi naturali subiectum. Ergo cùm res naturales nisi cum patiente coniunctæ non agant, nullo pacto Christus absentium corpora sanare potuisset.

Duplex contactus secundum Philosophos.

Et licet distinguant duplicem esse contactum, vnum, Mathematicum, cùm scilicet agentis, & patientis iunguntur superficies; alterum virtutis, cùm per medium dispositum agentis virtus in patiens extenditur: qui hæc dicunt, non aduertunt, virtutis contactu non à quouis spatio fieri actionem, sed à certo, & determinato: non autem à maiori, quia agentium naturalium virtus est finita. Christus autem non solum tangendo, aut languido præsens, sed longo interuallo dissitis miracula operabatur; vt sanatio filij Reguli à febri, serui Centurionis à paralysi, filiæ Chananææ à dæmonio.

Ioan. 4. Matth. 8. Infra 15. Quarta ratio.

Præterea si Christo in agendo, virtutis contactum daremus: ergo, cùm virtus naturalis est, ad patientis præsentiam non posset non agere: nullus æger Christo esse posset præsens, quin vel ipso inuito corporis, aut membri sanitatem reciperet. Non enim naturalis virtus quantum vult, aut quando vult, agit, sed ad patientis præsentiam quantum potest, sibi patiens assimilare contendit.

Quonam Christus præsentia nõ sola, sed coniunctio voluntatis imperio sanauerit. *Marc. 1. Matth. 9.*

At videmus, Christum non per solam præsentiam, sed solo voluntatis imperio expulisse languores. Leprosus enim, de quo Marcus, præsente Christo non statim exuit lepram, sed quandò dixit: *Volo, mundare.* Neque paralytici per tegulas demissi morbum sanauit, nisi exercendo voluntatis imperium. Non ergo virtutis ille contactus naturalis erat, id à Christi natura temperata profluens; sed intentionalis, vt sic dicam, id est, intellectus, & voluntatis.

Luc. 6. Supra 5. Marc. 5.

Nec alia erat illa virtus, de qua beatus Lucas: *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes:* & alibi: *Virtus Domini erat ad sanandum eos*; & Marcus ait: *Statim Iesus in semetipso cognoscens virtutem quæ exierat de illo, conuersus ad turbam, aiebat: Quis tetigit vestimenta mea?* Non ergo erat physica virtus à temperamento elementorum profluens, sed intentionis, à voluntate, & intellectu, temporis ad Dei commendandam gloriam conditione seruata.

Signorum effectrix Christi virtus solum vnde pendebat.

Non quod in operandis miraculis à temporis qualitate pendebat. Aliàs quid vesti cum naturali corporis Christi temperie, vt ex eius contactu sanaretur hæmorrhoyssa?

Matth. 9. Quorsum ea Christi vox tenderet de hæmorrhoyssa: Quis me tetigit?

Nec dixit: *Quis me tetigit*, quasi non ex naturali voluntatis arbitrio illa virtus profluxerit, aut quasi nesciens illam sanitatem contulisset; sed quod Dei gloriam per mulieris confessionem vellet efferri. Hinc teste Luca, videns mulier quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes Iesu.

Luc. 8. Ibidem. Marc. 6. Quare Christus nullã potuerit virtutẽ facere in patria sua. *Ibidem.*

Sic apud Marcum dicitur, quòd in patria nullam poterat virtutem facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curauit: non quod temperamenti naturalis actio illo loco, aut cœlo fuerit impedita ne ageret; sed quod suorũ ciuium cõtemptus, & incredulitas non permitteret. Ideo dicitur, quòd mirabatur propter incredulitatem eorum.

Diuinum beneficium duo requirit.

Diuinum enim beneficium, non solum in exhibente, potestatem, sed & in suscipiente, fidem, humilitatem, & orationem postulat. Ita, quòd ab istis duobus, quasi à duabus causis, pendeat miraculum, ratione communi agendi nobiscum Deus operatur, etiamsi ipse aliter possit, & aliter faciat aliquando. Ideo etsi in Christo esset paratissima virtus ad patranda miracula; quia tamen ciuium, apud quos morabatur, fides non aderat, imò eius loco irrisio, & contemptus, non poterat vllam virtutem facere.

Quinta ratio.

Postremò, vt demus Christum per temperamenti bonitatẽ fecisse miracula: quid de Apostolis, & Discipulis dicendum, qui solo verbo, & imperio edebant signa, dum adhuc Christus viueret?

Luc. 10. Actor. 3. Infra 9. Ibidem.

Domine, inquiunt, *etiam Dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo.* Petrus solo verbo claudum erexit, Æneam Lydium, & Tabitham Ioppeam suscitauit.

Supra 5. Infra 14.

An tanta constabat temperie Petrus, vt vmbra sanaret infirmos? Paulus claudum ex vtero matris sanauit: vnde diuinos honores illi, ni restitisset, Lystrenses dedissent:

Infra 16. Infra 19.

Idem dæmonem Pythonyssa inclusum expulit. Quid eiusdem semicinctia, vel sudaria? Vigebat ne tali temperamento ad morbos, dæmonesque pellendos?

Exod. 14. 3. Reg. 17. 4. Reg. 4.

An virga, qua Moses Mare diuisit, & tot signa edidit, tanta erat temperie prædita? An corpora Heliæ, & Helisæi viua, & mortuos suscitantia, tali virtute præstabant?

Infra 15.

An cadauer Helisæi alterius Prophetæ cadauer contingens, & ad vitam reuocans, temperamento isto excellebat? Mera sunt hæc deliria, & nugamenta.

Postre-

In eos, qui imaginatrice virtute, & cogitatione vehementi signa edi posse contendunt.

Auicenna in quarta Sexti.

Eius quanta vis secundum Auicennam.

POSTREMO loco confutandi, qui imaginatrice virtute, & cogitatione vehementi signa edi posse contendunt. Docet Auicenna in Quarta Sexti, posse animam humanam per fortem imaginationem, siue per intensum affectum, nō solum proprium corpus, sed extra se ipsam, alienum transmutare; adeò, vt fortis Socratis imaginatio, corpus sanum Platonis quo velit morbo & languore possit conficere, vel ægrotum ad sanitatem reducere. Imò etiam credit, eadem intensa imaginatione nubes, pluuias, grandines, niues, ventos, & reliqua naturæ opera, è cœlo posse deduci, vel cohiberi: & ita poterit quis, vel pestes inducere, vel grassantes cohibere. Hæc autem vt comprobet, in primis præmittit, omnes animas ratione præditas, quod attinet ad essentiæ rationem, prorsus esse æquales, quia in eadem specie; quæ iuxta Aristotelem in indiuisibili perfectione consistit; non tamen quantum ad naturales virtutes, quas in sui generatione cœlestium astrorum virtute concipiunt, quibus supra cæteras operandi virtute eleuantur, vt admiranda operentur: contra quædam materiæ tam immersæ, vt potius videantur brutæ, quàm humanæ. Deinde præmittit, animam humanam, Angelicæ naturæ, quam intelligentiam vocat, congeneam esse, vel illi affinem, & absque vllo rerum immaterialium ordine connexam; ac ob id suapte natura mundi huius materialis dominam, quæ ex sententia sua cuncta disponit. Intelligentiæ enim in res naturales imperium exercent: ergo & animæ humanæ, quæ sunt vel eiusdem rationis; aut si eis inferiores, superiores tamen materiali natura: poterunt ergo quæ volunt, in eis operari. Quòd si quis hunc ordinem naturæ, quo inferiora parent superioribus, submoueat; tollat oportet vniuersi rationem, quæ in ea obedientia sita esse videtur. Vt v. g sit anima Socratis producta, vel in humanū corpus transfusa sub dominio Iouis, vel alio stellarum aspectu felici, & fortunato concurrente; hæc anima optimas virtutes, & qualitates ab Ioue recipiet, & erit quasi Iouis imago: & illi non secus mundi materia subdetur, quàm Iouis intelligentiæ. Vt enim illa secundum proprium imperium huius mundi materiam exercet, & eam dispositā inductis nouis formis transmutat: ita humana anima, quæ per Iouis propitium aspectum easdem (quibus Iupiter pollebat) virtutes in sui generatione accepit, poterit pro arbitrio voluntatis eandem naturam corpoream nouis formis afficere. Hoc autem potest anima in corpoream naturam, cum intentissimo affectu, & forte imaginatione in illam consurgit. Deinde requiritur subiectum dispositum: non enim hominem in lapidem vertit. Tertiò opus est, vt hæc anima passionum sensibilium sit expers, ita vt non sit immersa materiæ. Hanc sententiam Auicennæ quidam tribuunt Auicembroni Mauro, Philosopho, & Hippocrati Coo, & ex nostris eam sequitur Ioannes Cataneus Imolensis libro de intellectu, & de causis mirabilium effectuum.

Primum fundamentum Auicennæ.

Arist. lib. de Anima.

Alterum fundamentum.

Vniuersi ratio vnde pendeat.

Exemplū doctrinæ, seu potius figmenti Auicennæ.

Imaginatriciś animæ virtus ad mirandam illā quā diximus, operum efficientiam tria exigit eodem.

Auicembron Philosoph.

Hippocrates Cous.

Ioan. Cataneus Imolensis.

Sed profectò vehemens cogitatio fuit, quæ Auicennam permouit ad hanc virtutem tribuendam vehementi imaginationi. Nam etsi demus, magnum esse animæ in corpus proprium imperium: nam seruiliter motiuas vires, & membra pro libito impellit; ciuiliter verò, & politicè regit appetendi, & fugiendi vires, vt docet Aristoteles in libris Ethicorum: non tamen vt corpora aliena possit, quo velit, languore conficere, vel ægrota sanare. Etiamsi demus vera esse quæ narrat Auicenna de quodam, qui cùm volebat, corpus suum paralysi oblædebat, nec à noxijs offendebatur animalibus, nisi cum ipse cogeret; quæ tamen vbi semel momordissent, mox interirent. Scribit Augustinus libro de Ciuitate Dei, quosdam fuisse, qui vnam, vel ambas aures pro voluntatis arbitrio quocunque mouerent. Item excedit de quibusdā quod fertur, fidem, nempè quæ deglutissent, paulatim contractis præcordijs, quasi de sacculo quod voluissent, proferre. Refert idem, quendam sudasse, cùm vellet. Quidam etiam, Restitutus nomine, quoties vellet, sese abducebat à sensibus: & iacens, demortui hominis ostendebat imaginem, ita vt vellicantes, & pungentes minimè sentiret, etiamsi igne vreretur admoto, nullum doloris sensum habebat, nisi postmodum ex vulnere perseueraret. In eo quasi defuncto nullus erat anhelitus: hominum tantum voces, si clarius loquerentur, tanquam ex longinquo se audiuisse narrabat. Sunt etiam qui cum volunt, vim lachrymarū instar torrentis profundunt sine causa. Est & animarum mira agilitas, & in operibus intellectus potestas, quarum imperium in proprium corpus ostendit corporum macredo, & parum secunda valetudo; nisi velis hanc macilentiam sagaci naturæ tribuere, quo minus viri tales corporis mole grauarentur. Vnde Plato libro de natura ait: *Potuerat Deus tam solidū corpus hominis concinnare, vt nocumento fortuitò occursanti minus foret obnoxium: sed mollius efficere præoptauit, quo esset cōtemplationi paratius.*

Primum argumentum contra Auicennam.

Arist. lib. Ethicor.

Quorundam, si vera, sanè mirabilis imaginandi vis.

Aug. lib. 14. de Ciuit. Dei c. 24. tom. 3.

Plato.

Hominis corpus à Deo molle cur cōditum, secundū Platonem.

Hæc ille. Indicat enim potestatem animæ in proprium corpus: nam impetus iræ sæpè mentem alienat, titillatione iecur libido permulcet, imò amor pulsum arteriarum mutat, & afficit. Vnde Erasistratus peritissimus Medicus Antiochi in nouercam Stratonicam amorem deprehendit: & apud Galenum celebris quæstio est de pulsu herotico. Multos gaudium peremit, tristitia absorbuit: quibus omnibus violentior est animæ operatio in proprium corpus; quam operationem exercet anima non tantùm in hominibus, sed etiam in brutis. Gallina enim, teste Auicenna, cùm gallum superat in pugna, galli calcaribus ex imaginatione donatur: quòd amplius non se fœminam, sed masculum putat. Gulæ dediti cibaria quæ animo concipiunt, iam ex illorum saliua infecta sibi deglutire videntur: rerum acerbarū cogitatione dentes obstupescunt: precatiunculis quibusdam superstitiosis, quæ ex se nihil valent, ex cogitationis vehementia sæpè morbi pelluntur, licet imaginatione quiescente morbus redeat. Filius Crœsi Lyddorum Regis, & mutus, cùm sub Persarum Rege victore videret militem patrem suum inuadentem, vocalis euasit: *Homo, inquit, non perimas Crœsum.* Morsis à rabido cane, ex imaginationis vehementia canes in aqua apparent: vnde ipsis aquæ, & quorumuis liquorum horror magnus. Vnde is morbus à Græcis ὑδροφοβία, id est, aquæ timor, de quo Poëta quidam:

Valer. Max. lib 10. de indulg. in liberos.

Auicenna eodem loco.

Imaginatricis virtutes effectus admirabiles nonnulli recensentur.

Tollere nodosam nescit Medicina podagram,
Nec formidatis auxiliatur aquis.

Ouid. 1. de Ponto, eleg. 4. sub init.

Imò, vt Medici volunt, si tunc æger prægnantem redderet fœminam, præ imaginationis vehementia non homo, sed canis gigneretur: nimirū quod inter omnia corporis membra & humores, genitalia, & genitalis humor maximè ab imaginationis virtute patiantur. Non negamus in corpus alienum imaginatricis facultatis virtutem extendi, dummodò sit proprio cōiunctum. Vnde Plinius, plures in homine, quàm in cæteris animantibus differentias facierum inducit; quòd cogitationum velocitas, & ingenij varietas multiformes notas inducat; cùm in cæteris animalibus æquales sint animi, æqualia sint ingenia, & formæ. Tradit Hippocrates, liberatam à se mulierem, quæ adulterij suspicione puerum formosum parentibus absimilem peperisset, dum ostendit picturam parieti cubiculi appensam, vbi cōcepisset. Galenus ad Pisonē scribit, diuitem quendam, dum vellet puerum gignere formosum, eiusdem effigiem arte pictoria in tabula delineatam vxori inspiciendam tradidisse, dum esset sibi commixta: quo facto, puerum edidit, nō patri, non vxori, sed imagini depictæ similem. Hanc imaginationis potestatem comprobat Quintilianus in ea controuersia, in qua matrona, quæ ex proprio viro Æthiopem conceperat, agit. Quod etiam in brutis accidere, Scriptura docet de Iacob ponente virgas discolores ante oculos ouium in conceptu. Pauoni fœminæ oua incubanti, si album linteum apponas, pauones albos nasci ferunt, & gallinæ oua incubanti, si cancellis inclusum serpentem ostendas, nō pullos excludit, sed serpentes. Ergo imaginatrix virtus in corpus coniunctum, id est, vtero cōtentum, vel potius in ipsum semen ita egit.

Plin. lib. 7.

Plures in homine, quàm in cæteris animantibus facierum differentiæ cur sint, teste Plinio.

Hippocrates.

Galenus.

Quintian. in Declamationibus.

Gen. 30.

Imaginandi vim in disiunctum alicuius corpus agere non posse.

Quòd verò in disiunctum corpus agat, nulla ratio, vel Philosophia admittit. Primò quidē ex communi philosophandi ratione, præsertim Aristotelis: altioris enim ordinis sunt intelligentiæ, quam anima rationalis, cum illæ immateriales sint, hæ materiam sequantur. Cùm ergo intelligentiæ res materiales nisi media corporis cœlestis actione nouis formis vestire non possint, nec anima rationalis hoc poterit: quia non voluntate tantùm, & intellectu intelligentiæ res naturales producunt: vt egregiè Thomas libro contra Gentes in Auicennam probat. Estque contra omnem Philosophiam, asserere, intelligentiam per solas voluntatis, & intellectus actiones, quæ immanentes sunt, & à solis animæ viribus, id est, intellectu, & voluntate profluunt, res naturales producere. Nam in externa opera, nisi intentionis ratione, procedere non possunt: nec extra prodeunt, nisi cum sunt motiuæ rationes agendi eo pacto, quo per seruos volumus mandata exequi, imò per membra nostra: non quod intellectus & voluntas ea immediatè producāt; sed quod producenda interius præcipiant. Sunt ergo immanentes actiones ex sua ratione infœcundæ, quod ad creaturas spectat, nec ad aliud, quàm ad ipsius animæ informationem potentes: ideo passiuæ à Philosopho dicuntur. Nihil est enim aliud intelligere, aut velle, quàm pati: quo anima vitaliter immutatur. Vnde ridiculus fūit apud probatos autores dator ille formarum, qui sine agētium naturalium applicatione substantiales formas in materia producebat. Intentionis verò actione intelligentia, voluntate, & intellectu in res naturales non agit, quod per intentionem moueri, sit alterius imperium per cognitionem suscipere: nullæ verò res naturales, quatenus tales, sui producentis intellectum, & voluntatem,

Aristot. 7. Metam.

Thom. lib. 2. cōtra Gentes. tom. 9.

Actiones internæ, seu quas vocant immanentes, cur nequeant effectus naturales producere.

Arist.

Intelligere aut velle, quid sit.

Ridiculus omnium sapientum iudicio dator formarū nescio quis.

ratem, antequàm producátur, intelligunt. Imò nullum agens naturale, vt tale est, cognitione pollet, vt superioris intelligentiæ ad effectum producẽdum mandatum suscipiat. Ruit ergo illa naturæ obedientia ad nutum intelligentiæ: nisi intelligatur de motu ad locum, quod verum est: non tamen ita, vt ex sola intelligentiæ voluntate moueantur, sed vt mouentibus intelligentijs nullo pacto resistant. Deinde etsi intelligentia à materia secreta media voluntate & intellectu possit sine agentium naturalium auxilio formas naturales producere; non tamen anima humana idem poterit, quia immersa est materiæ, & agentium naturalium legibus implicata. Agentia verò naturalia sine patientis præsentia nihil agere possunt secundùm Philosophos. Nec hic potest confugere quispiam ad contactum virtutis, quo anima corpori à se distincto per imaginationẽ copulatur: quia virtutis contactus tantùm est agentium, à quorum virtute in externa corpora deriuantur actiones, non autem eorum, quorum actiones sunt suapte natura immanẽtes, & quę tantùm possunt animam immutando perficere. Ergò inualidum argumẽtum trahitur ab intelligentia nullo pacto commixta ad imaginatricem facultatem animæ rationalis immersæ materiæ. Quia etsi in illis, quòd materia destituantur, facultates suapte natura immanentes in actus exteriores prodirent (quod tamen est impossibile) in hac tamen & ipsa ratio formalis facultatis, & materiæ commixtio id fieri non sinerent: quia est impossibile facultatũ rationes formales peruertere. Propria verò facultatum immanentium natura est, nihil extra producere: sicut facultatũ transeuntium proprium est genium, extra se agere.

II. Ratio.

Immanentiũ facultatum quæ vocis, atque transeuntium natura quæ, & ingenium.

Peccat deinde Auicenna, cùm animam ponit in rerum naturalium ordine æqualẽ, aut certè affinem intelligentiæ, atque eam supra vniuersum naturalium rerum ordinem collocat; & ideò à materia seiunctam. Qui fieri potest vt cœlorum virtutes, quæ sunt corporeæ, in sui productione suscipiant? Dicet, illos influxus cœlestes non in ipsam animæ substantiam immediatè defluere, sed in corpus, qui subinde animam ad cooperandum coadiuuant. Sit ita. Cùm ergo virtutes cœlestes sint accidentia corpori inhærentia, non animæ, corporisve, cui inhærent, rationem sequentur: non ergò ad Iouis imaginem illis virtutibus anima rationalis consurget, vt docet Auicenna, sed corpus. Neque illis qualitatibus, quasi instrumentis, ad miras illas actiones operandas immediatè vtetur, sed immediatè corpore illis qualitatibus prædito. Ergò cum vniuersis illis qualitatibus profluentibus nihil amplius propria natura poterit. Ergò si anima rationalis in alienum corpus dominari non poterat suapte natura, neque cum illis qualitatibus poterit, quæ non animę, sed corporis in agendo rationem sequuntur. Item licèt demus, animam ratione præditam in sui productione cœlestes has qualitates suscipere, vt vult Auicenna, ad Iouis, vel alterius astri propitij aspectum; cur non id cunctis hominibus in eorundem astrorum aspectu genitis accidit? Cur non horum naturam penitùs videmus peruerti? Corruit ergo fundamentum Auicennæ, & ædificium super illud nixum. Adhæc qui vehementi cogitatione polleant, inueniuntur paucissimi: qui verò signa ediderunt in Nouo Testamento, innumeri sunt, quos nemo dixerit cogitabundos. Postremò semicinctia, & sudaria Pauli, & vmbra Petri, & cineres Martyrum, & reliquiæ Sanctorum, ad quorum contractum prope innumera miracula sunt edita: quis dicet illa imaginationis vehementis virtute profluxisse? Sed stultus sim, si hæc fusiori sermone persequar, neque modum illi adhibeam. Remanet ergo signorum Christi maiestas, autoritas, & veritas constantissima, inconuulsa, & sacrosancta, vt nullus prorsus dubitationi, aut calumniæ relictus sit locus, sed per omnia fidem prodigiorum Domini, atque doctrinam tanto argumentorum molimine, & impressione à diabolo per sua organa impugnatam, sed non expugnatam, magna animi constantia, & firma assensione amplectamur, ad gloriam Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto detur omnis honor, gloria, & imperium per infinita seculorum secula. Amen.

Contra errorem Auicennæ, animam rationalem in rerum naturalium ordine æqualem, aut certe affinem intelligentiæ constituentis.

Obiectio diluitur.

Auicen loco prædicto.

Secundum argumentum.

Auicen. ibid.

Tertium argumentum.

Quartum, & vltimum.
Act. 19.
Supra 5.

TRACTATVS V.

In quo ratio, & methodus explicandi miracula Domini nostri Iesu Christi traditur.

IAM verò, prudens lector, in vtilitatem tuam voluimus hoc loco methodũ proponere, & rationem, quam in explicandis Domini miraculis obseruare, operæpretium esse existimauimus, vt habeas quid in singulis illorum sit potissimùm spectandũ, & quærendum. Tradunt sapientes, & oculati iuris prudentiæ doctores, in legem bonam,

In legem bonam æquitati, & iustitiæ

nam, quæ æquitati, ac iustitiæ nititur, non esse facilè dispensandum, ne virtus eius in obligando, & cogendo eneruis, & fracta reddatur. Hinc dispẽsationem iuris vulnus vocauerũt. Cùm ergò Deus admirabili sua prouidentia mundum hunc vniuersum, & partes eius potiores, & singulas quasque creaturas, & earum ordinem, & procedẽdi modum ita instituerit, vt spirituales, eas quæ sunt corporeæ, regant: & inter corporeas ignobiliores per nobiliores voluerit gubernari, & vniuersorum, & singulorum rationes Deus ipse tanquam eorum supremus conditor moderetur, legesq; illis stabiles præfixerit, quas vnumquodque seruare debeat, iuxta illud Propheticum: *Præceptum posuit, & non præteribit*; rursus, *Et legem ponebat aquis, ne trãsirent fines suos*: rationi profectò est consentaneum, Deum in his tantis suis legibus, quas creaturis singulis præscripsit, nequaquam dispẽsare voluisse, nisi magnis ad hoc causis, & rationibus fuisset impulsus: quod per miracula facere solitus est. Vt enim natura nihil est aliud, quàm Deus ipse, secundùm communem, & consuetum cursum operans; ita miraculum aliud nõ est quàm Deus supra, & præter naturæ cursum, & ordinem faciẽs. Ita vt quoties Dominus signa edidit, toties in naturæ legem, siue in naturalem rerum ordinem dispensauerit. Cæterùm causæ edẽdi signa, & dispensandi, explicatæ sunt à B. Ioanne in primo miraculo in Cana Galilææ edito, vbi dicitur: *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ: & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.* Quibus verbis ostẽdit signum editum ad gloriam Dei illustrandam, tum ad salutem nostram per fidem promouendam. Simili ratione sub finem Euangelij, cùm loqueretur de signis Christi, ait: *Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, vt credatis quia Iesus est filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.* Dei ergo gloria, & fructus salutis nostræ, finis sunt miraculorum Christi. Cùm igitur Deus gloria & honore sit in se ipso ditissimus, atque adeò infinitè plenus, vt honorificentia, & laudibus nostris minimè egeat, hinc fit, vt gloria, quam Deo damus, cum nostra vtilitate & salute iungatur: vt rectè docet Dionysius Areopagita. Neque enim ille laudibus nostris augeri, aut obsequijs nostris excrescere potest, qui bonorum nostrorum non eget, & de quo testatur Iob: *Porrò si iustè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* Quibus verbis non negat Deo placere officia nostra, & virtutum opera, quæ intuitu eius operamur, sed tantùm affirmat, illa Deo infinito, & per se immensa gloria referto, nihil adiumenti quo ille egeat, adferre posse. Si quando ergò à nobis quærit, vt gloriam suam nostris officijs celebremus; nihil aliud quàm salutem nostram respicit, quæ in illa quærenda sita est, & illustranda. Quare vtrumque coniunxit, cùm dixit apud Ioannem: *Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo*: Id est, vt in eius vtilitate, & oculorum apertione detegantur potestas, sapientia, bonitas, & gloria Dei. Sic enim fit, vt Dei gloria cum nostra vtilitate concurrat. At verò quia nos tantùm anima, corporeq; constamus, duas tantùm ex Domini signis capere possumus vtilitates, vnam, nempe corpoream, & alteram, spiritualem. In primis igitur per miracula corpora nostra iuuare conabatur: etsi nõ principaliter in eis sisteret, sed per illa ad spiritualem deduceret sanitatem. Ideò in Lege timoris Veteri edebat quidem signa Deus, quibus timorem populis illis incutiebat, quos propter duritiam cordis contineri expediebat. Propterea Deus decem signis flagellauit Ægyptios, vt ostenderet potentiam suam: & post primogenitorum interfectionem, Pharaonem cum omnibus suis exercitibus submersit. Et præcesserunt ignis, & sulphur in Pentapolim; statio Solis & Lunæ ad puniendum hostes sub Iosue: percussit etiam Angelus Domini exercitũ Sennacherib, ita vt vna nocte interfecerit centum octoginta quinq; millia virorum: arca circumducta, tot millia Philisthinorum & Bethsamitarum interfecit: Helias igne de cælo misso absumpsit bis quinquagenarium, & quinquaginta milites cum eo, cùm diceret: *Si homo Dei ego sum, descendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos.* Helisæo deriso à pueris quadraginta duobus, immisit illis Dominus duos vrsos de deserto, qui eos dilaniarunt: Mariam sororem Moysi illi detrahentem & murmurantem impleuit lepra, sicut & Helisæus in Giezi seruum suum lepram Naaman transtulit.

Christus tamen disponens suis signis ad suauitatem, & lenitatem Noui Testamenti, noluit ostendere manus graues, vt Moyses, neque voluit vti virga signorum terrorem incutientium, sed beneficis miraculis ad amorem Dei excitantibus: quanquam rarò admodum, vt in porcis præcipitatis in mare per dæmonia, & in ficu, cui maledixit, & exaruit, & in dæmonibus, quos de corporibus inuitos, & reluctantes pellebat, & in eiectis de templo per flagellum nego-

[Margin notes, left: Lex humana, cur facile non sit dispensandũ. — Dispensatio iuris vulnus cur dicatur. — Ordo diuinæ prouidentiæ in mundi administratione. — *Psal. 148.* — *Prou. 8.* — Natura quid sit. — Miraculum quid. — *Ioan. 2.* — *Infra 20.* — Miraculorum Christi finis quisnam sit. — *Dion. Areop.* — *Psal. 15.* — *Iob 35.* — Cùm sanctus Iob, iustitiam nostram Deo]

[Margin notes, right: nihil conferre asserit, quo id sensu dicat. — Si quando Deus laudari à nobis quærit; quare id faciat. — *Ioan 9.* — Ex Christi signis duplex tantũ vtilitas percipi potest. — Signa olim in Veteri Lege cur fecerit Deus, & quæ. — *Exod. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 14.* — *Gen. 19.* — *Iosu. 10.* — *4. Reg. 19.* — *1 Reg 6.* — *4. Reg. 1. & seq.* — *Infra 2.* — *Num. 12.* — *4. Reg 5.* — Signis in Nouo Testamẽto quibus vsus fuerit Christus, quam ob causam. — *Matth 8.* — *Infra 21.* — Signa Christus perniciosa ediderit quam pauca.]

Ioan. 2. Matt. 21. negotiatoribus, quòd venderent boues, & oues, & columbas, terrifica signa ediderit, quæ nihil nocerent hominibus, sed quę iuuarent potiùs. Reliqua enim signa, quæ propè innumerabilia extiterunt, in beneficijs posita erant, vt sanare ægrotos ab infirmitatibus suis, & languoribus penè incurabilibus, vel liberare à periculis, vel famis, vel maris, vel mortis, multiplicando panes in deserto, liberando ab excitata tempestate maris, sanando à lepra, suscitando ad vitam defunctos. Vt Petrus rectè dixerit de Christo: *Qui pertransijt benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo.* Imò Apostolos petentes signum, vt ignis descenderet de cœlo, & consumeret Samaritanos, quòd eos excipere noluissent, prohibuit Dominus, & reprehendit apud Lucam, dicens: *Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.*

Salutaria Christi signa propè innumerabilia.

Matth. 14. Infra 15. & Ioan. 6. Act. 10.

Mira Christi benignitas & mansuetudo.

Luc. 9.

Ideò Veteris Testamenti signa terrifica erant, Noui verò benefica: illis terrorem incutiebat, istis amorem conciliabat. In illis iustitia, in his potissimùm misericordia exercebatur. Ideò illa legalia dici possunt, quòd terrerent; hæc Euangelica, quòd bona denuntiarent. Illic peccãtes lepra aspergebantur, hic leprosi mundantur: illic viuentes signo interficiebantur, hic mortui ad vitam reuocantur. Illic peccatores cæcitate percutiebantur, vt Sodomitæ, qui vim inferebant domui Lot, & latrunculi Syriæ missi ad capiendum Helisæum, hic cæci visu donantur. Illic diabolus inuadebat corpora, & obsidebat, vt Saulem, & interficiebat viros animo libidinis explendæ, accedentes ad vxorem, vt de Asmodeo legitur in lib. Tobiæ; hic verò dæmonia de corporibus & animabus pelluntur. Illic signa erãt de cœlo multa, quia tunc Deus habitabat in cęlo; nunc verò plurima in terra, ex quo Deus cœpit esse in terra.

Legis Veteris signa atque prodigia ab illis Noui quantum differũt.

Matth. 11.

Gen. 19. 4. Reg. 6. Matt. 11.

1. Reg. 16.

Tob. 8.

Non negauerim tamen, quædam fuisse in Veteri Testamento signa benefica Israëlitis concessa; vt quod eduxit per mare Rubrum sicco pede; quod dedit columnam nubis, & ignis die & nocte protegẽtem, ac illuminantem; quod dedit manna, & coturnices, & aquam de petra, quòd Helias & Helisæus suscitauerint mortuos, multiplicauerint farinam, panes & oleum, & sterilem Terram Iericho propter aquas salsas, Helisæus reddiderit fertilem, & Naaman Syrum à lepra mundauerit, & Angelus Tobiam à cęcitate, & tres pueros à flamma ignis, & Danielem à leonibus liberarit. Hæc & similia sunt benefica signa; pauca tamen si ad illa Noui Testamenti conferantur.

Vtilia & salutaria Iudæis signa quæ fuerint olim exhibita.

Exod 14. Supra 13. Infra 16. Infra 17. 3. Reg. 17. 4. Reg. 4. & 13. Supr. 2. Infra 5. Tob. 11. Dan. 3. Infra 14.

Sunt etiam in Nouo Testamento quædam terrifica signa, vt quòd Petrus vno verbo Ananiam & Sapphiram interfecerit propter defraudatum pretium agri, quòd Simonem Magum Romæ volãtem, de cælo prece sua deturbauerit, ita vt præceps factus interierit, quòd Paulus Elymam Magum resistentem cæcitate percusserit. Sed hæc pauca sunt, si ad illa Veteris Testamẽti signa terrifica comparentur.

Nouæ Legis signa terrifica quæ facta tantummodo. Act. 5.

Infra 13.

Iam verò miracula, quæ nõ corporibus, sed animabus tantum vtilia erãt, rarius faciebat Dominus, vt transfigurationem, & ambulationem suam & Petri super mare. Quæ signa semel tantùm fecit: nam in his tantum potentiam indicabat suã, & fidem nostram promouebat, neque aliquod per illa beneficiũ corporibus præstabat. Quod verò corporibus sanandis, & à periculis, & à dæmonibus, & incommodis liberandis plura ediderit signa, cum ratione fuit coniunctum, imò etiam expediẽs. Nam populus ille Iudæorũ, perfectionis ignarus, tum ob fomitem vigentem, tum ob legem se ad eorum imbecillitatem accommodantem, & tẽporaria, ac corporea bona promittentem, per sola bona spiritualia ad Christum tractus non fuisset: imò nec illa, si promissa fuissent, intellexisset: ideò consultum fuit, vt per corporea ad spiritualia erigeretur. Nã pueris dum parui sunt, frustrà pollicemur thesauros, aut possessiones amplas, aut honorificos titulos, aut dominia, & ditiones; non enim capiunt quæ dicuntur: promitte pomum, aut pilam, aut crustula, & intelligent, & ad quoduis faciendum promouebuntur. Vnde quidam egregiè dixit:

Matth. 7. Supra 14.

Quare Christus circa animas quàm corpora pauciora ediderit signa. Iudæos Deus in quo seu pueros tractauerit.

Pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint vt discere prima.

Horat. 1. ser. Saty. sub init. Heb. 5.

Hoc cum Iudæis quasi paruulis, quibus lacte opus erat, & non solido cibo, sapienter Christus egit, vt per temporaria & corporea beneficia ad spiritualia cogitanda, expetendaq; erigeret, & ad æterna bona speranda eueheret. Sed ne fortè in his temporarijs bonis Iudæi sisterent, & hærerent, vt qui recederent à Veteri Testamento, spiritualium quidem promissiones, occultas; temporalium verò bonorum, apertas habente, & vt ad nouum accederent, & aspirarent Testamentum, quod spiritualium promissa aperta, & temporalium occulta habet; salubriter, & sapienter, & verbis, & operibus prospectum nobis esse voluit. Nam quod ad opera siue signa attinet, Christus per illa neq; dabat diuitias, neque honores huius seculi dispensabat, & apud suos pauca signa edebat. Vnde socrum Petri non nisi rogatus curauit: & apud A-

In miraculis & signis Christus quæ beneficia minimè præstabat. Luc. 4.

postolos nulla signa legitur fecisse, sanando eos ab aliquo morbo, aut liberando à dæmonio. Apud Nazarenos verò cõciues suos nõ potuit edere signa, propter eorum incredulitatem, nisi quòd paucos infirmos tãtùm impositis manibus curauit. Imò matri signum petenti, quasi illam in signorum editione matrem ignoraret, dixit: *Quid mihi, & tibi, mulier? nondum venit hora mea.* Cum alienis tamen & externis erat largior, & profusior Dominus, præcipuè in his quæ magis sunt necessaria, vt in reddenda sanitate, & pellendis spiritibus malignis. Contrà verò, in his, quæ putamus spectare ad externam rerum affluẽtiam, parcior erat. Rarò enim panes, & illos quidẽ hordeaceos, & pisces, vilem, & parabilẽ cibum, bis tantùm, vel ter, & hoc in deserto, vbi rerũ copia omnium aberat, contribuit: vinum verò non nisi semel, & propter nuptiarum celebritatem largitus est.

Marc. 6.

Ioan. 2.

Quæ signa, & miracula frequẽtius Christus, & cum quibus, quæ rariùs operabatur.

Matt. 14.
Infra 15.
Ioan. 6.

Supr. 2.

Si verò verba spectes, reprehendebat Dominus ex curiositate quærentes signa, vt Herodem, quem ne verbo quidem dignatus est Dominus; vel ex infirmitate, vt Regulum, cui dixit: *Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis*; vel ex malitia, vt Pharisæos, quibus dixit: *Generatio mala & adultera signum quærit; & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ.* Quęrentes etiam signũ non vt Christum cognoscerẽt, sed vt commoda temporaria consequerentur, reprehendens dixit: *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis.* Id est: Abutimini meis signis, quę in id adhibentur, vt trahãt infideles ad me fide amplectendum, & manducãdum, qui sum Panis vitæ, non vt trahant ad panem materialem, & ad communicanda hęc bona temporaria. Volebat quidem Dominus, vt bona hæc externa secundùm bonitatis suæ gradum diligerent, atq; illis cum ratione vterentur; sed multò plus, quatenus à tali datore, ac benefico, id est, Messia, & tali ratione, nempe signi, & miraculi, proficiscebantur: quod erat non solùm per omnes creaturas, sed etiam suis quodammodò manibus nobis ministrare, & seruire voluisse.

Luc. 23.

Ioan. 4.

Matth. 12. & 16.
Ioan. 2.

Infra 6.

Quod illud Christi ad Capharnaitas: Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.

Inter vtilitates autem corporis, quas per signa tribuebat, maior est illa quæ sanat, quàm quæ satiat: & in sanitates maior, quæ à maiori morbo liberat, vt quæ à lepra, vel hydropisi, vel paralysi, quæ natura vix sunt, aut nunquam sunt curabiles. Sed illa inter omnes principatum obtinet, quæ à summo malo corporis, id est, morte per suscitationem ad vitam seruat. Nam vt dixit dæmon apud Iob: *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua*, id est, pro vita sua tuenda & restituenda. Et inter ea, quæ huius generis sunt, maius est beneficium suscitationis viri, quàm fœminæ, quæ imperfectioris sexus existit: & adhuc inter viros illa maior, quæ adolescentem filium viduæ: quia maius vitæ spatium illi, quàm Lazaro supererat, & cuius mors matrem viduam plus afflixerat, quàm mors Lazari excruciauerat sorores eius. Quanquam alia ratione, quia Lazarus quatriduanus erat, & iam fœtebat, suscitatio eius pręcedebat illam filij viduę: nam illo signo Lazari Iudæi perterrefacti, in necem Domini cõspirarunt. Quòd autem Dominus signa non ediderit ad vtilitatem tantùm corporum, ex multis comprobatur. In primis, quia etiam in brutis animantibus, sine vllo ad hominẽ respectu, illa fecisset: quod tamen est falsum, & in patria sua Nazareth etiam incredula, illa profectò edidisset, cùm tamen ob hominem, & illum ad Fidem perducendum, miracula perfecerit. Deinde, quia parui referebat, modò quis in gratia Dei constitutus, Deoque seruiens æternam salutem consequatur, quòd febri laboret, vel manum aridam habeat, vel quòd sit paralyticus, vel leprosus, vel quòd breuioris vitæ curriculo vitam absoluat, vel quòd miraculo à morte suscitatus vitam per viginti, vel triginta annos producat. Tertiò; quia potiùs in malum possent cedere signa, si magno amore diligerentur, & quærerentur bona temporaria, non considerato bono vsu eorũ naturali ad supernaturalem finem relato; neque considerato modo, quo Deus illa per viam miraculi donabat. Quartò, quia medicina multa horum signorum præstare potest, licèt alio modo, id est, cum tempore, & mora, & labore. Vtilitas ergo spiritus potissimùm à Christo spectabatur; cui corporea velut gradus quidam inferior deseruiebat.

Signa inter se Domini componuntur.

Iob. 2.

Luc. 7.

Ioan. 11.

Ibidem.

Signa in vtilitatem tantùm corporum Dominum non edidisse, multis comprobatur.

Prima ratio.
Marc. 6.

II. Ratio.

III. Ratio.

IV. Ratio.

Hæc autem vtilitas spiritus, ad quam potissimùm signa Christi corporea spectabant, ad tria capita referenda est: nempe ad alendam Fidem, ad confirmandam spem, & ad inflammandam charitatem nostram. Primò ergo per signa erigitur fides potentiæ, sapiẽtiæ, & bonitatis Dei. Potentia quidem in obedientia creaturę ad Creatorem ex dominio superioris ad inferiora. Nam vt maxima est potentia, vocare ea quę non sunt, tanquam ea quæ sunt: ita minor non est potestas vocare ea quæ sunt, ad effectus supra naturã eius rei quæ vocatur, positos. Emicat ergo hæc potestas Dei non solùm

Spiritalis vtilitas in corporeis signis à Domino maxime quæsita, ad tria potissimùm capita reducitur.

Quo pacto ex signis Diuina potentia inclarescat.
Rom. 4.

in ope-

in operibus supra naturam positis, sed etiā in operationibus momentaneis, siue (vt sic dicam) instantaneis. Vnde erat sermo Iesu quasi potestatem habentis. Et quia actiones ostendunt facultates, & facultates ostendunt essentiam, & naturam; ideò miracula Christi in primis quidem potentiam infinitam, deinde verò etiam essentiam Diuinam arguebant. Ad hæc sapientia Dei in miraculis illustratur: cùm enim videret Deus homines per communem rerum naturalium cursum atq; ordinem minùs proficere ad colendum suum autorem, attulit miracula quibus inuertit ordinem naturæ, vt quæ consuetudine quotidiana nobis viluerant, raritate signorum nobis essent in pretio, & erigeremur ad agnoscendū Creatorem. Apparet etiam Diuina sapientia, dum adaptat suauia instrumenta, & accōmoda fini apud rudes & imperitos homines, aptos tamen & propensos, vt per hæc tanquam per fulmina quædam & tonitrua excitentur & doceantur, ne interno lumini, quod illis à Deo infunditur, resistant, sine quo nihil prosunt signa. Ita per curationem à morbis & spiritibus malignis volebat nos cogitare de assequenda sanitate spiritus, & comparanda libertate spirituali à dæmonibus animam inhabitātibus. Postremò elucet Dei charitas, & bonitas, cùm in naturam dispensat, & tali modo à tam exiguis, & modicis malis nostris eripit, cùm suapte natura pronior sit ad maiora & excellentiora opera præstanda. Deinde præter fidem erigitur spes nostra in Diuinam prouidentiam, vt intelligamus eum, qui corporis nostri (quod minimum est in nobis & vile, & ad tempus durat) commodis prospicit, spiritibus nostris, qui maximi & æterni sunt, ac immortales, multò minùs defuturum ad præstanda illa æterna & cælestia bona, quæ pios & iustos manēt, postquàm animæ gloriosis corporibus immortali nexu reuniuntur. Et quanquam peccata nostra, & corporū corruptio, & dæmonum infestatio fiduciam nostrā imminuere, & debilitare tentant: maior tamē debet esse, & inflammatior spes nostra, & ardentior viribus Dei infinitis nixa, & omnes ex nobis diffidendi rationes ortas absorbens. Charitatem nostram maximè alunt Christi signa, quibus ipse se insignem amatorem, & beneficum ostendit, & nostrorum laborum & dolorum cura tangi. Et ita rependenda est charitas Domino pro tanta charitate: exhibenda etiam pro talibus ac tantis beneficijs gratiarū actio: præstandus etiam bonus vsus doni accepti, id est, sanitatis, vel satietatis, vel vitæ, dum hęc ad Dei gloriam, & salutem nostram æternam referimus. Debemus etiam gratiarum actionem ipsi tantis beneficijs & signis repēdere: vnde cùm ex decem à lepra curatis vnus tantùm reuertisset, Dominus dixit: *Nonne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Denique eius exemplo discimus alijs benefacere, & aliorum commodis inseruire, & charitatem nostram ad omnes extendere.

Luc. 4.

Qua ratione duplex signis atque miraculis illustretur Diuina sapientia.

Dei charitas ac bonitas in miraculis quo modo eluceat.

Quid Deo tantum pro beneficijs per signa nobis collatis debeamus.

Præter has signorum præcipuas vtilitates, singularis alius fructus ab Euangelicorum historia miraculorum accipitur, qui ad Christi sapientiam & bonitatem referri potest. Nam in curationibus illis externis spiritualis, siue mysticus delitescit sensus, qui ad mores nostros emendandos, vitamque rectè instituendam, & ad consolandam, & ædificandam Ecclesiam valet plurimum.

Præter literalem, habere etiam Christi signa spiritualē siue moralem intelligentiā.

Quòd autem hic sensus à nobis negligendus non sit, sed tanquā nucleus in cortice latitans inquirendus, & scrutandus, ex plurimis persuaderi potest. Primùm, quia illi primi veteres Patres, cum quibus maximè fuit Spiritus sanctus, & qui præclara Ecclesiæ extitēre lumina, postquam literam explicarunt, ad mores formandos miracula per tropologiam interpretati sunt. Deinde quia illo sensu ædificatus est mundus, & etiamnum pascitur, & ædificatur. (*Sanctifica*, inquit Dominus, *eos in veritate. Sermo tuus, veritas est*) non autem ædificatur mendacijs, vel erroribus, sed destruitur potiùs. Tertiò, quia multa plerunque ab Spiritu sancto adduntur, quæ istius spiritualis sensus gratia tantùm posita videntur in Euangelio, vt sputo conficere lutum, inungere oculos, & mittere in natatoria Siloē, sputo tangere linguam, & mittere digitos in auriculas, videre homines, velut arbores, ambulantes, maledicere ficui habenti folia tantùm, cùm nondum esset tempus fructuum: contactus, manuum impositio, verba, & aliæ cæremoniæ: quæ nisi ad aliquid iuxta spiritum repræsentandum referantur, non ita ab Euangelistis peculiariter describerentur. Quartò, Euangelistæ multa plerunque signa vno aut altero verbo complectuntur, sæpiùs verò quædam illorum longiore sermone, & fusiore circumstantiarū descriptione enarrant. Quorsum autem spectaret hoc Spiritus sancti consilium, nisi vt signarent præter signum ad literam, aliquid ad mores spectās delitescere? Nam (bone Deus) quàm fusa oratione describitur miraculum paralytici ad piscinam, & cęci nati ab oculorū morbo sanati,

Hunc sensum miraculorum Christi mysticum minimè negligendum esse, multis ostenditur.

II. Ratio.

Ioan. 17.

III. Ratio.

Supra 9.
Marc. 7.

Infra 8.
Matth. 21.
Mar. 10.

IV. Ratio.

Ioan. 5. & seq. Infra 9. & seq. Infra 11. & seq. V Ratio. Matth. 13. Ibidem. Infra 15. Infra 16. Supra 3. & 12 Supra 6. & seq. Num. 21. Exod 16. Matth 21. Psal. 117. Matt. 12. & 16. Ion 2. Matth. 8.

& Lazari suscitati; cùm tamen aliàs solitus sit Euangelista vno verbo multa miracula inuoluere? Quintò, quia si Domin⁹ in verbis ipsis, maximè in parabolis, indicau multa celari, & abscondi mysteria, quaru nónullas ipse nobis exponere dignatus est: & in historijs Veteris Testamenti multa Sacramenta, quæ includebantur in illis, ad se ipsum spectare declarauit: vt, de serpente à Moyse exaltato in deserto, & de manna dato Patribus, & de lapide reprobato ab ædificantibus, & facto in caput anguli, & de Iona, qui fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus. Ita etiam in miraculis à se factis multa voluit recódere salutis nostræ ad fidem & mores pertinentia documenta: maximè cum figuris & vmbris locus esset vsque ad mortem suam, siue vsque ad aduẽtum Spiritus sancti. Hinc Dominus leprosos mundatos misit ad Sacerdotes, & Lazarum suscitatum iussit ab Apostolis solui, potestatis Ecclesiasticæ, quæ Apostolis tradita est ad ligandum, vel soluendum peccatores, significandæ gratia.

Luc. 17. Ioan 11. Matth. 18. Ioan. 20. Rom. 4.

Hinc etiam Paulus ad literam Christi gesta & facta ad mysticum sensum trahit. Nam cùm in regeneratione nostra remissio peccatorum inueniatur, & iustificatio: primã tribuit morti, secundam resurrectioni: *Traditus est*, inquit, *propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram*, & iterum: *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem; vt quomodo Christus surrexit per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Ad Hebræos etiam ponderat, quòd Christus extra portam passus est: & exponens ad moralem sensum, subdit: *Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes.*

Infra 6. Heb. 13.

Ad hæc Eusebius Cæsariensis libr. 2. Ecclesiasticæ histor. ex Philone de Sanctis Alexandrinæ Ecclesiæ hęc verba citat: *Tractatus sacrorum*, inquit, *voluminum huiusmodi habent, vt magis allegoricis opinionibus vtantur: quoniam quidem omnis lex viris istis videtur animali esse similis, quòd corpus quidem habeat ipsam literam, & ea quæ secundùm literam designantur; animam verò occultum in litera spiritalem, & inuisibilem sensum, quem illi ab autoribus suis edocti, sublimiùs & nobiliùs velut inspicientes per speculum contemplantur, ex ipsis etiã nominibus admirandas quasdam species intelligentiæ proferentes.*

Euseb. lib. 2. hist Eccle c. 18. sub finem. Philo de vita contemplatiua supplicũ. Christiani Alexandrini omnem legem animanti similem esse tradiderunt, teste Philone.

Item B. Augustinus serm. de verbis Domini eleganter ait: *Quemadmodum qui videt literas in codice optime scripto, & non nouit legere, laudat quidem antiquarij manum, admirans apicum pulchritudinem, sed quid sibi velint, quid indicent illi apices nescit. & est oculis laudator, mente non cognitor, alius autem & laudat artificium, & capit intellectum, ille vtique, qui non solùm videre quod commune est omnibus, potest, sed etiam legere, quod qui non didicit, non potest. Ita qui viderunt Christi miracula, & non intellexerunt quid sibi vellent, & quid intelligentibus quodammodò innuerent, mirati sunt tantùm, quia facta sunt, alij verò & facta mirati, & intellecta assecuti. Tales nos in schola Christi esse debemus.* Hæc ille, loquens de his, qui vel tantum oculis cernebãt miracula, & admirabantur; & de his qui prætereà intelligebant significationem miraculi, & quorsum spectaret.

B. Aug serm. 44 de verb. Domini sub init. tom. 10. Augustini simile pereleganS.

In schola Christi quales non esse debeamus.

Ex quibus diligenter annotabis, Apostolos, præter literalem sensum, tradidisse etiam spirituales. Qui in tres ordines distingui solét: nempe in Allegoricum, Tropologicum, siue Moralem, & Anagogicũ. Neque repugnat, vnam & eandem historiam Christi, aut miraculum triplicem hũc sensum spiritualem præter literalem posse recipere: neque deinde obstat, varios esse & multiplices huiusmodi mysticos sensus pro cuiuscunque doctoris captu, & intelligentia. Nam si veri sint in se ipsis illi sensus, & sibi inuicem non repugnent, & charitatem, tùm Dei, tùm proximi alant atque confirment, profectò neque respuendi, neque damnandi sunt, sed potiùs multiformis Dei sapientia commendanda, atque amplectenda. Habes igitur quid potissimum in signis Christi spectãdum sit, nempe vt ex illis Fides, Spes, Charitas in nobis confirmentur, & post literam spectandum sensum spiritualem ad fugam peccatorum, & ad exercenda virtutum officia fidelem hominem erudientem & instituentem in Christo, cui cum Patre & Spiritu sancto omnis detur honor, potestas, & imperium in sempiternum. Amen.

Spiritualis Scripturę sensus tri fariam diuiditur.

In Christi signis quid spectandum.

2. Tim. 3.

TRACTATVS VI.

In quo exponitur primum miraculum Iesu Christi, mutationis aquæ in vinum, ad nuptias in Cana Galilææ inuitati. Ioan. 2.

TRIA in hoc pȓimo signo consideranda occurrunt. Primum, cur omnium signorum initium ab aquæ in vinum conuersione sumere Dominus voluerit. Deinde singula verba Ioannis Euangelistæ hoc miraculum describentis percurrenda sunt, & ad literam diligenter expendenda. Tertium erit mysterium spirituale hoc signo com-

Hic incipiunt miracula primo anno prædicationis Christi gesta, id est, à proximo Paschate, de quo post hoc signũ fit mentio, vsque ad Pascha Ioan. 5. in quo paralyticum sanauit.

Propositum autoris. Cur signorum initium ab a qua in vinum conuersione Dominus sumere voluerit. Gen. 1.

gno comprehẽsum ad ædificationem electorum, & consolationem detegendum, & illustrandum. Cœpit autem Dominus signa sua auspicari ab aquis: quia Spiritus prima operatio fuit super aquas. Dicitur enim in Genesi: *Tenebræ erant super faciem abyssi: & Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Vt ergò ex illis, tanquam materia quadam condidit quas voluit pulchras & spectabiles creaturas; ita Dominus ex his aquis eduxit vinum præclarum, & præstantissimum, ad exhilarandas nuptias. In aquis etiam diluuij mirabiliter operatus est, seruãs iustum Noë cum filijs suis, & submergens impios & iniquos: sicut & in Ægypto populum suum in aquis Maris Rubri seruauit, & Pharaonem impium ac tyrannum cum suis submersit exercitibus, & ad aquã Contradictionis rebelles cõuicit, pios autem & iustos consolatus est. Ita in his aquis in vinum conuersis, incredulitatem quidem sustulit, fidem verò suæ Dininitatis conciliauit. Ad hæc Christus Dominus dum in Cruce mortuus penderet, signum magnum edidit, quòd latere lancea aperto aquam emisit & sanguinem: quemadmodum olim percussit petram, & fluxerunt aquæ: & à mortuis suscitatus postremum miraculum, vt enarrat Ioannes, fecit ad aquas maris Tiberiadis. Vt tanta signorum in aquis multitudine, sanctificatas baptismi declararet aquas, in quibus nuptias spirituales cum baptizatis animabus, quas sibi desponsat, celebrat Christus. Quemadmodum & Rebecca ad puteum, ex quo hauriebat aquam, in typum futurorum, accepta est in sponsam Isaac per Eliezer seruum Abrahæ ad hoc ipsum destinatum: & Christus desponsauit sibi mulierem Samaritanam ad puteum siue fontem Iacob. Et hactenus de prima quæstione.

Infra 7. & seq. & 1. Petr. 3. Exod. 14. Num. 20. II. Ratio. Ioan. 19. Exod. 17. & Num. 20. Ioan. 21. Gen. 24. Ioan. 4. & seq.

Quo tempore hæ nuptiæ factæ sint, & quid per diem tertiam intelligendum. Primus sensus & falsus Petri Stapulen. Secundus sensus etiam falsus Caietani. Matth. 2. Infra 3.

Iam verba Euãgelica Ioannis exponenda sunt. Ait ergo: *Et die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ.* In primis hic tria consideranda sunt, nempe tempus, locus, atq; personæ. Et circa tempus, non intelligas tertio die à Sabato, vt Faber Stapulensis imaginatur, quia Sabbati toto priori capite mentionem nunquam fecit Ioannes, vt ab illo debeat computari dies tertia. Deinde non intelligas has nuptias factas post annum à baptismo Christi, vt quidam exponunt, & maximè inter eos Caietanus, quia Ecclesia canit: *Tribus miraculis ornatum diem sanctum colimus: Hodie stella Magos duxit ad præsepiũ: Hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias: Hodie à Ioanne in Iordane Christus baptizari voluit*: ita vt tertia dies propter tria illa mysteria, quæ in illo celebrantur, sit intelligenda.

III. argumentũ contra eundẽ. Ioan. 1. Ibidem.

Deinde non fuit per annum Christus sine discipulis & Apostolis, quod confiteri coguntur, qui volunt has nuptias factas tertia die à vocatione Nathanaelis: nam tribus, seu duobus diebus vocati fuerunt Andreas, & Petrus, & Philippus, qui fuerunt primi omnium discipuli. Nam & ipsimet dicunt textu Scripturæ instructi, quòd discipuli die annuo post baptismum fuerint congregati à Christo, cùm tamen dicat Petrus: *Oportet ex his viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Iesus, incipiens à baptismo Ioannis*, & reliqua. Ex quib. probatur, quòd Iesus cępit familiariter conuersari cum discipulis à baptismo Ioannis. Inopinabile est igitur, Christum per annum sine miraculis, atque discipulis prædicasse. Ad hæc leuissimo argumento permouẽtur ex Antiphona illa Ecclesiæ ad hoc asserendum. Quasi nos non legamus in die B. Stephani: Christum natum qui beatum hodie coronauit Stephanum, Venite adoremus, qui tamen illa die non fuit passus. Ergo sensus illorum verborum, hodie coronauit, est: Hodie coronæ eius celebratio fit. Et pleraq; similia inuenies in officio diuino. Nec Ecclesia dicit illa tria miracula eodem die facta: sed cultu suo illa ornare eo die voluisse. Fuit enim Christo diuinitas declarata per stellam, & Magos, & per vocem Patris de cœlo in baptismo, & per primum signum in Cana Galilææ, & ob eam causam simul iunguntur & celebrantur. Tertia ergo dies dupliciter exponi potest, vel à vocatione Petri: nam postquã Andreas mansit cum Domino vna die, illuxit alia dies, in qua vocauit Petrũ, & hæc fuit prima respectu huius tertiæ; in sequenti enim, siue postera die, vt manifestè dicit Euãgelium, transiuit in Galilęam, & vocauit ibi Philippum, & Philippus Nathanaelẽ: post quos duos dies ibi assignatos sequitur Euangelium: *Et die tertia* (scilicet ab allocutione Petri, non ab allocutione Nathanaelis, vt putat Caietanus: quia erat dicendum, nõ tertio die, sed tertio post die) *nuptiæ factæ sunt in Cana, &c.* Secundò dici potest, quòd tertia die nuptiæ factæ sunt, scilicet ab ingressu Iesu in Galilæam: inde enim collegerat discipulos, & fecerat vt se sequerentur. Ita intelligit Epiphan. qui putat miraculũ hoc accidisse ea die, qua Dominus natus est, expletis 30. annis, cũ tamen Ecclesia aliter doceat, nõ die Natalis Domini, sed 13. pòst die hæc accidisse. Sed in hoc nõ est admodum insistendũ, cùm potiùs propter mysteriũ sit hęc litera, quę non mutatur, quouis modo prędictorũ intelligas. Et Gręcè dicitur cum

Act. 1. IV. argum. Matt. 2. Infra 3. Tertius sensus meritò recipiendus. Ioan. 1. Caietan. in Ioannem. Sensus Epiphanij non ineptus. Epiphan. in hæresi 78.

articulo duplici τῇ ἡμέρᾳ, τῇ τρίτῃ, id eſt, in inſigni illa die, in qua celebratæ ſunt nuptiæ, & diuinitas Chriſti patefacta. Et ſecũdùm myſteriũ, inſignis eſt dies gratiæ poſt duos dies Naturæ & legis.

Tertia dies iuxta ſpiritum quid.

Nuptiæ facta ſunt. Per nuptias intelligimus ipſam copulã matrimonij, quæ tamen eſt ornanda celebritate, ac ſolennitate aliqua præcedentium cõuiuiorum, iocorum, & aliorum inuitatorum ad gaudium futuræ copulæ. Vt autem docet Ambroſius, nuptiæ à nubendo dictæ: quia pudoris gratia ſe puellæ obnuberent, & valerẽt: vnde Rebecca deſponſata Iſaac, viſo viro ſuo, operuit caput pallio. Nõ exprimit autem quis fuerit ſponſus, & quæ ſponſa, neq; à nobis admodum quærendum eſt. Quanquam ſponſam dixerint quidam fuiſſe Mariam Magdalenam, & ſponſum Ioannem Euangeliſtam; quod videtur dicere Hieron. eò quòd dicat, quòd vocauit Dominus illum de nuptijs volentem nubere; & Auguſt. in Prologo ſuo ſuper Ioãnem idem teſtatur, aſſerens Dominum Ioannem de multiuaga tempeſtate nuptiarũ ad ſe vocaſſe. Caietanus verò apertè docet, Ioannem fuiſſe ſponſum. Ex quo trahitur, licere, dimiſſo cõiuge, religionem ingredi, quemadmodũ Ioannem Eremitam, & Macarium, & Alexium feciſſe legimus: vnde lex Eccleſiæ ſtabilita eſt, c. verum, de conuerſ. coniug.

Nuptiæ hoc loco quid.

Ambr. li. 1. de diuin offic. c. 9. tom. 1. init.

Nuptiæ vnde ſint dictæ, ſecundùm Ambroſium.

Gen. 24.

Sponſus, ac ſponſa quæ fuerit, ſecundù n quoſdã.

Hiero. lib. 2. in Iouin. to. 2.

Aug. tom. 9. c.

Caietan.

Quinã, dimiſſa coniuge, Diuino ſe famulatui manci pauerint.

Sed vt hoc verum eſſe non negamus; ita primum valde dubium eſt, an Ioannes & Magdalena fuerint ſponſus & ſponſa. Argumenta equidẽ non leuia opinionẽ hanc infirmiorem reddũt. Primum, & maximũ, quòd Dominus impediens nuptias, videretur illas reprobaſſe; quòd faueret maximè hæreticis. Neque eſt dicendum, quòd quas præſentia ſua honorauit, eas ſuaſu deſtruxerit. Inconueniens etiã eſſet talis coniunctio inter nobilem ac diuitem Magdalenã, & inter Ioannem pauperem, & ignobilem piſcatorem, cùm tamen ille dixerit:

Ioannẽ Euangeliſtam ſponſum, & Mariã Magdalenam ſponſam, vt quidam opinantur, hic minime fuiſſe, argumenta quæ comprobent.

I. argumentũ.

II. argumentũ.

Si qua voles aptè nubere, nube pari.

Ouid. epiſt. 9. ſub initium.

III. argum.

Ad hæc Maria Magdalena multò tunc erat grandioris ætatis quàm Ioannes, & fuiſſet illi porrigere anſam peccãdi ſoluendo matrimonium. Quartò, Hieronymus aut Auguſtinus, & Abdias nullibi gentium dicunt hoc, ſed tantùm quòd volentem nubere, vocauit eum de nuptijs: non autem dicunt quod ab ijs nuptijs quæ factæ ſunt in Cana Galilææ, vocauerit eum. Quintò, nõ fuiſſet vini defectus in nuptijs illius fęminæ ditiſſimæ Magdalenæ, & dominæ illius caſtri, quod Magdalum dicitur. Poſtremò, quia iam Ioãnes factus erat diſcipulus Domini, quando hæ nuptiæ ſunt celebratæ: vnde tanquã Chriſti diſcipulus venit ad nuptias, nõ autem erat ibi vt ſponſus. Quare Chryſoſtomus, Origenes, & Albertus Magnus, hanc hiſtoriam negant, neque veriſimilem arbitrantur de Ioanne, qui de virginitate maximè commendatur, quod eam vel mente ſaltem violaſſet. Sed hoc non multũ cogit, quia non eſt violare virginitatẽ propter aduenientem volũtatem nuptiarũ, quæ nondum voto eſt promiſſa. Sunt tamẽ alij, qui hanc hiſtoriam aliter referũt, nempe Ioannem habuiſſe iam propoſitum fieri maritũ: addunt etiam, quòd cuidã ſponſæ ſe ipſum deſponderat, non tamẽ illi quæ erat in his nuptijs. Et quia Dominus perſuaſit illi propoſitum virginitatis, dicitur quòd vocauit eum à nuptijs, non tamen ab iſtis.

IV. argum.

Abdias in vita Ioannis Euang. tradit tertiò nuptijs ſtudentem à Domino fuiſſe reuocatũ.

V. argum.

Qua ratione non omninò probabili ac firma prædictam hiſtoriã ex Patribus nonnulli reiecerint.

Chryſoſt.

Origen.

Victorinus.

Alb. Mag.

Hac de re alia quorũdam diuerſa narratio.

Secundò aduerte locum, quoniam in Cana Galilææ. Cana, patria Nathanaël, vt tradit Ioannes, & ex ea creditur fuiſſe Apoſtolus Simon Cananæus: & erat in tribu Zabulon, quinque leucis à Ptolemaida, & ibi oſtẽditur etiamnum triclinium ſubterraneum harum nuptiarum: & altera Cana eſt in tribu Aſer, & dicitur maior, de qua Ioſue facit mentionem, & erat iuxta Sidonem: etiamſi Hieronymus libro de Locis, ſiue Quæſtionibus Hebraicis, doceat, Canam iſtam, vbi Chriſtus aquam conuertit in vinum, eſſe in tribu Aſer ſitam. Et nota, quomodo ſemper humilia elegit Deus in omnibus. Memorare Nazareth, vbi conceptus; Bethleem, vbi natus. Vt enim ſe oſtenderet Deum, non quæſiuit caput orbis terrarum Romam, aut arcem eius Capitolium. Non enim ad oſtentationem faciebat hæc, neque quo ſibi compararet gloriam, ſed propter Patris gloriam. Crucem autem elegit ſibi in proparulo. Humiles etiam, atque infimi viri, curis ſeculi minus diſtracti, meliùs capiunt diuina, & minus ſibi tribuunt; quare libẽtiùs apud illos verſatur Chriſtus.

Duplex Cana, & de quo hic loco ſit ſermo.

Ioan. 21.

Ioſue 19.

Humilia ſemper elegit Deus in omnib.

Luc. 4.

Supra 2.

Ad cœleſtia, & diuina capienda, qui ſint aptiores.

Et erat mater Ieſu ibi. Cõuocata fuit, quia modeſta: ſed tacetur eius vocatio. Quia ſæpè non rogata venit in ſpiritu ad noſtras nuptias, proferens lumen cæcis, & ſoluens vincla reis. Et fortè coniuncta erat ſanguine cum ſponſo, aut ſponſa: & ſolius fit mẽtio, non Ioſeph ſponſi, quia ſola vt mater noſtra pientiſſima, in myſterio ſpirituali nuptiarum potiſſimùm cooperatur. Norat verò Epiphanius, iam tunc Ioſephum fuiſſe mortuum; quòd nec hic, nec alibi poſteà Mariæ, aut fratribus Ieſu coniungatur. Et ex eo quod præmittitur vocatio matris, ac deinde vocatio filij: non ineptè colligunt Chryſoſtomus, & Theophylactus, non vt magnum aliquem Prophetam propter

Ad has nuptias B. Virgo cur venerit.

Epiphan. in hæreſ. 78.

Cur nulla mẽtio Ioſeph, ſecundum Epiphan. hic fiat.

Chryſ. ho. 20. in Ioan. to. 3.

Theophylact ibidem.

Matris ante Filium vocationis ad nuptias cur meminerit Euangeliſta.

pter miraculorum claritatem ad nuptias illas vocatum fuiſſe Ieſum, ſed vt populatē & notum: ſic enim filium vocauerūt quomodo & matrem. Et Virgines, vt ſunt Ieſus, & Maria, non debent contemnere nuptias, ſine quibus virgines non honeſtè, neque mundè naſcuntur. Nec debent ſuam nuptiarum vocationē æquiparare, aut præferre coniugati, ipſi virginitati, vt Hæretici faciunt, ſed digniorem, & altiorem agnoſcere: poſſunt tamen perſonæ altioris gradus, ex humilitate ſubdi perſonis inferioris, quia maiori charitate ſunt præditæ interdum, vt ita conſtet veritas altiorum ſtatuum, & inferiorum, & exercitium humilitatis mutuæ inter perſonas. Nec exaltat ſe, qui dicit ſuum ſtatum perfectiorem; ſed minuit, ſi non vita reſpondet: ſi verò reſpōdet, exaltat Deum.

Hæretici virginitatem cœlibatui faciūt parem.

Inuitatos ad nuptias vetus ſcriptura quos memoret.
Eſther. 2.
Tob 9.
Gen. 29.
Quare Chriſtus ad has nuptias vocatus fuit.

Vocatus eſt autem & Ieſus, & diſcipuli eius ad nuptias. Inuitauit Aſſuerus Rex ad nuptias, quas celebrauit cum Eſther, cunctos principes, & ſeruos ſuos; & Tobias Gabelum de Rages Medorum, & Laban inuitauit multos amicos ad celebrandas nuptias Liç filiæ ſuæ cum Iacob: Ita hic Chriſtus cum diſcipulis ſuis ad nuptias inuitatus fuit. Nō eſt autem vocatus vt Propheta, quia nondum ediderat ſigna, neque propter Ioannem Euangeliſtam ſponſum, vt diximus, etſi not⁹ aliquo modo eſſet: quia dixit Andreas: *Inuenimus Meſsiam*, ſed vt vnus fortè carne iunctus ſponſo, vel ſponſæ. Et tamen dignatur venire magis gratia miraculi edēdi, quā delectationis ex nuptijs capiēdæ: & fortè B. Virgo illi hoc ſuggeſſerat. Et beatæ nuptiæ, quæ tantos hoſpites, id eſt, Ieſum & Mariam cum Diſcipulis habere promeruerunt: tales enim, & tam illuſtres ab orbe condito celebratæ minimè fuerunt. Dicuntur etiam adfuiſſe diſcipuli ſine vllis ſignis: ſed ad prędicationem & oſtenſionem Ioannis Baptiſtæ, & vocē efficacem Chriſti excitantis, quia ſimplices & boni erant diſcipuli facti.

Ioan. 1.

Felices quæ nuptiæ.

Quomodo his nuptijs diſcipuli aderant, cùm nondum eſſent vocati omnes?
Aug. lib. 2 de conſenſu Euang. c. 17. to. 4

Dices. Quomodo aderāt diſcipuli, cùm non eſſent vocati omnes? Dicendum eſt, vel illos tantùm adfuiſſe, quia iam vocati erant: vel, vt tradit Auguſt. lib. de Conſenſu Euangeliſtarum, diſcipuli dicuntur, non qui actu eſſent, ſed qui futuri erant. Tam facilem autem, & promptum ſe Dominus oſtendit inuitantibus, vt ſpem omnibus ſe inuocantibus conferat, fore, vt eum obtineant. Deinde, vt honoraret ſua præſentia, & miraculo ſanctificaret matrimonium: ſicut primum miraculum Dei fuit ex coſta viri Adæ educere vxorem Heuam: & ſicut primus Adam occaſionem ſumpſit ex nuptijs nos perdendi, dum nimis vxori, quæ prima Heua eſt, indulſit: ita Chriſtus ſecūdus Adam occaſionem nos reducendi ad Deum ex matrimonio ſumpſit, ſubacerbè loquendo ſecundæ Heuæ matri ſuæ, dum dixit: *Quid mihi, & tibi mulier?* Confirmat igitur, & ſanctificat nuptias, addita gratia matrimonio, fonti totius hierarchiæ ſecularis, & Eccleſiaſticæ. Ex eo enim ſancta eſt proles, non quidem actu, ſed in potentia, & poteſt eſſe ſancta corporum cōmixtio, licèt ab ea non tollatur vel turpitudo, vel abſorptio rationis, vel verecundia, quia actus coniugalis ſciri vult, videri non vult. Olim autem cùm in ſtatu innocentiæ ſine turpitudine eſſent, & verecūdia, ſine rationis abſorptiōe, & proles actu ſancta naſceretur: nunc deterioris ſumus conditionis, ſed meriti maioris, ſi per nos non ſteterit.

Cur his nuptijs Dominus adeſſe nō ſit dedignatus
Gen. 2.

Infra 3.

Totius, tùm Eccleſiaſticæ, tùm ſecularis hierarchiæ fons quare coniugium.

Quare neceſſe fuerit Dominum huic intereſſe coniugio.

Opus autem erat, vt Dominus adeſſet coniugio: nam cùm Chriſtus, & mater eiūs Maria virginitatem colerent, & Apoſtoli, relictis vxoribus, cœlibatum, videri poterat ſtatus coniugalis à Chriſto reprobatus, maximè quod miras habeat moleſtias, & perpetuam ferè crucem annexam: quam coniugati pij debent deuorare. Cōiugium etiam nihil magni, quod ſpectat ad externā ſpeciem, habere videtur, imò ad ſolos imperfectos pertinere, cùm interim virginitas & cœlibatus præclarum quid ſit coram mundo, & inſuper à Chriſto & à Paulo cōmendentur. Ad hæc matrimonium iam olim malè audiebat à ſapientibus mundi. Caro enim ſapientiſſimus in Senatu dixit: *Si abſq; vxoribus viuere poſſumus, abſque dijs immortalibus noſtra non eſſet conuerſatio.* Alius ſapiens dixit: *Mulier, eſt neceſſarium malum*, & Theophraſtus: *Non eſt ducenda ſapienti vxor*, & Cicero: *Non poſſum ſimul vacare philoſophiæ, & vxori.* Item futuri erant, qui in Eccleſia coniugium damnarent, vt Tatiani, Manichæi, Euchratiſtæ. Videri ergo poſſet actū eſſe de coniugatis. Propterea neceſſarium fuit, vt Ieſus ſua præſentia & miraculo honeſtaret coniugium, & doceret, ſtatum eſſe Deo probatum: quod ſolùm debet mitigare omnes matrimonij moleſtias, & ad quod ſi vocetur Ieſus, adeſt illi ſanctificando, & coniugatis de neceſſarijs proſpiciendo. Nam hoc miraculo videtur ſe obligare, & quaſi ſpondere ſe matrimonio adfuturum, & ſatis opum victus, & amictus fore, ſi Dominum vocent.

Matth. 19.
1. Cor. 7. & ſeq.

De matrimonio quid ſenſerint viri ſapientes.

Hæretici olim qui nuptias improbauerint atque damnauerint.

Et deficiente vino. Cùm proceſſiſſent in conuiuio, cœpit vinum deficere. Vnde credibile eſt, tum à loco, quia erat viculus in Galilæa, tum à defectu vini fuiſſe omninò pauperes perſonas: quanquam & illud cre-

Horum qui in Cana Galilææ nuptias celebrarunt, humilis conditio vnde deprehendi poſſit

dibile est, propter Dominum Iesum plures aduenisse ad illas nuptias, ita vt vinum deficeret, seu, vt Græca vox sonat, defecisset. Et ex defectu secundus Adam incipit operari, vbi primus ex copia cœpit deficere. Pauperi, & sobrio conuiuio adest Iesus, nō lauto, in quo grauatio cordis, & corporis, & carnalis gloria, & malum exemplum, vbi eructationes, vomitus, & ebrietates. Et in sobrietate fundamentum virtutum positum est: quia in via spiritus primò vincenda est gula, vt ita Dominus qui nuptias probare venerat, eius abusus, siue vitia non comprobaret.

Conuiuijs quibus tantum Christus interfsit.

In sobrietate fundamentū virtutū quare positum sit.

Dicit mater Iesu ad eum: non auiditate gloriolæ hoc fecit, sicut cùm fratres Domini dicebāt: *Manifesta te ipsum mundo*, vt quidam ex antiquis non satis circumspectè dixerūt: nam indigna est hęc cogitatio tanta Matre tanti Filij. Melius ergo alij dicūt, quod mota est ad misericordiam. Vnde quia amici est sponte benefacere indigentibus, etiam si non requirāt, ideò ipsa sponte sua remedium perquisiuit, quæ dicere potest:

Ioan. 7.

Quo animo ad Iesum matrem eius dixerit. Vinum nō habent.

Amici est, spōte benefacere indigenti.

Non ignara mali, miseris succurrere disco.

Virgi. 4. Æn.

Væ ergo nolēti remittere iniuriam, aut dare eleemosynam, aut alia officia præstare, nisi rogetur. Et hinc habemus de Domina, quòd multa orat pro nobis ex amplitudine misericordiæ non rogata, tanquā pientissima omnium mater.

Vinum non habent: Verbum est fidei confugientis ad Iesum, vbi alia humana præsidia desunt: verbum est etiā charitatis, quæ non quęrit quæ sua sunt. Quæ non dubitat de potentia, vt ille dicebat: *Si quid potes, adiuua nos, misertus nostri*; neq; de voluntate, vt leprosus, qui dixit: *Domine, si vis, potes me mundare*: sed nouit sufficere rem proponere amanti, sicut sorores Lazari: *Domine, ecce quē amas, infirmatur*. Nouerat etiā, Deum quasi nescire defectus nostros ad eos tollēdum, quos ei in oratione non proponimus. Vnde ait Propheta: *Reuela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet*. Et Paulus: *Sed in omni oratione, & obsecratione cum gratiarū actione petitiones vestræ innotescant apud Deum*. Est etiā verbum prudentiæ, quasi audisset præceptum Domini: *Orantes, nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt, putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur*: sed satis illi fuit defectum vini proponere. Nam vt Deus in hoc delectatur, vt agnoscamus defectus nostros. Docet etiam hoc verbo, vt si possumus, benefaciamus: si non possumus, precemur eos qui possunt iuuare, vel saltē precibus precemur Deum, qui præstat quod homo nequit. Mirandum verò de Oecolampadio in Ioannem, & Brentio hom. 21.

Charitatis propriū quid.

1. Cor. 13.
Marc. 9.
Matth. 8.

Ioan. 11.

Psal. 36.
Phil. 4.

Mariæ virginis prudentia.
Matth. 6.

Deo grata & delectabilis defectuum nostrorum agnitio.

Benefaciendū proximis exēplo matris Domini.

in eundem: quorum prior ait in persona Christi: *Tu fortassis velles vt sic prodirem, vt etiā infra ab amicis audit, vt ascendat in Ierusalem, & palàm se monstret.* Posterior verò audet scribere: *Maria non tantùm eum honorem quærit, qui debetur parentibus, sed etiam ambit honorem Messia, & cupit quasi esse socia administrandi eius officij, quod Christo diuinitùs mandatum erat.* Hæc illi nebulones. Vbi prior contumeliam infert matri, & Mariam cōfert cum ambitiosis, & incredulis fratribus, alter verò affingit ei crimen læsæ Maiestatis diuinæ: quod si verum est, grauius peccasset quàm prior Heua, quæ iustissimas pœnas Deo pendit. Et quomodo à Christo exaudita est Maria rea tanti peccati?

Ex his verbis Vinum non habent, Oecolampadius ac Brentius duplicem in Dei matrem calumniam struunt.
Ioan. 7.
Exod. 20. & Matth. 15.

Gen. 3.

Et dicit ei Iesus, Quid mihi, & tibi, mulier? Nondum venit hora mea. In hac sententia explicanda occurrunt duæ difficultates. Prima, cur Genitricem suā Christus, & hic, & alibi semper mulierē, matrem nunquā appellet. Secunda, circa intelligentiā horum verborum, *Quid mihi, & tibi* (est scilicet) & quid est illud quod ait: *Nondum venit hora mea*.

Ad primum, videtur his verbis Christus negare matris dignitatem: *Quid mihi, & tibi mulier?* quasi dicat, nulla mihi tecum coniunctio est, cùm tamen magna esset in carne, & maior in spiritu. Sed ne negari possit coniunctio maternitatis ab hæreticis, propterea hic dicitur: *Erat mater Iesu ibi*. Sicut alibi ait: *Mulier, ecce filius tuus*; cùm præcessisset: *Cùm vidisset Iesus matrem stantem*. Et quòd vocat mulierem, non arguit corruptā: quia in Genesi de virgine Heua dicitur: *Mulier quam dedisti mihi sociam, &c.* & Paulus: *Mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt*. Origenes hom. 8. in Leuiticum, prope initium: *Si rectè*, inquit, *dicitur vir ille pro sola temporis ætate, etiam is, qui nullius admixtionem fœminæ nouerit, quomodo non eadem consequentia etiam virgo quæ intemerata permansit, pro sola ætatis maturitate mulier nominetur?* Et Gaudentius Tract. 2. in Ioan. Mariam asserit mulierem vocari veritate sexus, non detrimento integritatis: quoniam diuino partu sic cœperit esse mater, vt virgo sacratior permanserit. Lutherus in epistolam ad Gal. c. 4. *Paulus, vt apparet, quasi per contumeliam, Virginem matrem Filij Dei, mulierem tantùm appellat.* Imò verò vt maledico hęretico respondeamus, per cōtumeliam Lutherus hoc Paulo tribuit, vt Hieronymus in illo loco apertè declarat: *Quod Apostolus*, inquit, *sanctam, & beatam matrem Domini, mulierem, nō Virginem nominauit, hoc idem & in Euangelio κατὰ Ματθαῖον scriptum est, quando vxor appellatur Ioseph, & ab ipso Domino quasi mulier increpatur. Nō enim necesse erat semper quasi cautè, & timidè virginē dicere,*

Maria Virgo semper mulier, nunquam mater cur sit à Christo vocata.
Eadem Christo carne, & spiritu sua coniuncta.
Ioan. 19.
Mulier in Scripturis pro intacta frequenter accipitur.
Gen. 3.
Supra 2.
1. Cor. 7.
Orig. tom. 2. sub init.
Vir non semper maritum significat, vt nec mulier maritatam, secundùm Orig.
Gaudent.

Contra Lutherum.
Galat. 4.

Hier. in c. 4. ad Gal. circa prin. li. 2. to. 9.
Cur Apostolus matrem Domini mulierē, non virginem nominarit.

pauerit, teste Hieronymo. *Matth. 1.* Mulier proprie quid significet, Græcè γυνή.

cere, cùm mulier sexum magis significet, quàm copulam viri, & secundùm intelligentiam Græcitatis, γυνή tam vxor, quàm mulier valeat interpretari. Sic ille magnus Pater. Porrò hic B. Virgo affectu misericordiæ, quo est ornatus sexus muliebris, mota, petijt signum; ideò mulier dicitur: & vt dicemus infra, propter mysterium explicandum.

Illius Dominicæ sententiæ: Quid mihi, & tibi, mulier, varij sensus proponuntur. Primus sensus omnino improbabilis. *Chrysost. superiori loco. Theophylact. Euthym.*

Secunda est difficultas circa intelligentiam horum verborum: *Quid mihi & tibi?* Putat enim Chrysostomus cum Theophylacto, & Euthymio, quòd eam increpauerit, quasi gloriæ & ostentationis Filij auidā. Sed profectò hęc indigna sunt quæ de tanta Virgine vel cogitentur. Item petitio Mariæ erat prudens, fidelis, benigna, modesta, & indigna vlla reprehensione: non enim dixit: Impero, vel Iubeo, vt facias miraculum. Ad hæc qui venit ad nuptias honorandas, non venit vt dehonestaret matrem, & coram alijs eam vituperaret. Præterea si reprehensa fuisset B. Mater, nō perseuerasset in petitione, nec Christus votis ac postulatis eius annuisset, maximè quia B. Deipara principaliter vinum propter se non volebat, quia potuissent vel illo carere, vel ex vicino emere œnopolio, vel alio modo defectū supplere, sed ob signū, quo Christus agnosceretur Deus. Stulta proinde est interpretatio Melanchthonis in annotat. suis in c. 2. Ioan. *Christus,* ait, *matrem reijcit, vt æquet alijs hominibus, cùm inquit: Quid mihi, & tibi, est mulier? quasi dicat: Quia mater es, videris alicuius prærogatiuæ merito à me impetratura: ideò scias, te non esse plus apud me, quàm vel mulier peccatrix, vel Syrophœnissa: tantum impetrabis, quantum credes misericordiæ.* Hæc ille impius, proscindens priuilegium Mariæ, quæ benedicta est inter mulieres, & officio aduocandi, & impetrandi pro nobis, omnes homines, & beatos spiritus cælestes longè antecellit. Quare Iustinus martyr in respons. & interrog. tractans hæc verba, & August. & Cyril. in cōment. suis super Ioan. horum autorum sensum, quasi obiurgauerit Iesus matrem, tanquam contumeliosam matri, & Christo indignam reijciunt. Secundus sensus, qui communiter Græcis tribuitur, id est, Theophyl. & Cyrillo: *Quid mihi, & tibi, &c.* id est, quid ad nos hoc attinet? quasi dicat, si ipsi indigent, nihil ad nos hęc indigentia: tum quia nos nō sumus inuitantes, sed inuitati; tum quia ad me ex officio legationis, cuius gratia missus sum à Deo in mundum, pertinet cura spiritualium, non temporalium, vt alibi idem dixit: *Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorē inter vos?* Hoc etiam non pertinet ad te, quia quæ cœlibatum colit, cogitat quæ Domini sunt; vt sit

Melāchthonis impia meditatio reijcitur illorum verborum. *Luc. 1.* *Iusti. li. quæst. & resp. q. 136. tom. 3. Aug. tract. 8. in Ioan. to. 9. in princ. Cyril. lib. 2. in Ioan. c. 23. tom. 1. initio.* Secunda opinio Græcorū fere. *Luc. 21.* *1. Cor. 7.*

sancta corpore, & spiritu. Sed primo hic sensus non fit ex verbis illis: *Quid mihi, & tibi, mulier?* id est, quid ad me, vel ad te hoc pertinet? & id probatur multis Scripturæ exemplis, vbi similes locutiones nō significant, hoc ad te, vel ad me non pertinere, sed potiùs negant coniunctionem, & propinquitatem. Nam cùm vidua dixit Heliæ Prophetæ: *Quid mihi, & tibi, vir Dei? ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum, &c.* & cum Dauid dixit filijs Saruię: *Quid mihi, & vobis est, filij Saruiæ? Dimittite eum vt maledicat.* Dixit quoque Iehu ad Ioram: *Quid tibi, & paci?* Apud Marcum etiam, & Lucā dixit dæmon: *Quid mihi & tibi, Iesu fili Altißimi? adiuro te per Deū ne me torqueas.* Apud Matth. quoque: *Nihil tibi,* inquit, *& iusto illi:* in his locis non significat, quid ad me pertinet, vel ad te hoc solicitari, sed, nulla est mihi tecum coniunctio, vel ꝓpinquitas, vel, Nihil mihi & tibi cōmune, vel; Nihil rei tibi sit cū iusto illo. Et ita videtur illā excludere, quasi diceret ad matrē Dominus: Quid mihi tecum est cōmune?

Impugnatur triplici ratione. *3. Reg. 17.* *2. Reg. 16.* *4. Reg. 9.* *Mar. 5. Luc. 4.* *Matt. 27.*

Neq; obstat, si ex Paulo producatur locus: *Quid mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare?* id est, Quid ad me attinet, vt Græci interpretantur, vt simili modo liceat interpretari? *Quid mihi, & tibi, mulier?* id est, quid ad me, & ad te pertinet vini defectus? nam supplēdum est in vtraque locutione verbum, interest, aut refert. Sed certè hic Pauli locus, cùm vnum tātùm datiuum habeat, potest illum sensum admittere: at prędicti loci superius citati, vbi dicitur: *Quid mihi & tibi;* &, *Quid mihi, & vobis,* illū sensum non capiunt. Etsi ille locus Pauli capere possit, cùm tantùm dicat: *Quid mihi,* & non addat *& quid tibi:* quibus verbis semper negatur coniunctiò, & propinquitas. Secundò falsum est, ad illos non pertinuisse, defectus nostros supplere, & nostri misereri, cùm prouidentiam etiam habeant rerum minimarum. Vnde discipuli dicebant Domino: *Non ad te pertinet, quia perimus?* Hic tamen reuera ad illum pertinebat, quia bonus Iesus tanquā ad se pertinens illud fecit: si enim non pertinuisset, vel non fecisset, vel faciendo, sapiens minimè habitus fuisset, quod est absurdum, ait enim Apostolus: *Quid mihi de ijs qui foris sunt, iudicare?* Tertiò, nec Maria petijsset, si ad se non pertinuisset petere, & ad Christum non spectasset facere: vnde post hæc verba vrgebat, vt faceret.

Cuidam ex Paulo obiectioni aduersariorum respondetur. *1. Cor. 5.* II. Ratio. *Marc. 4.* III. Ratio.

Addit aliam interpretationē Chrysostomus: *Quid mihi, & tibi est, mulier? id est, quid me molestas? Nondum venit hora mea, scilicet, qua debeam manifestare me ipsum. Nondū cognitus est vini defectus, vt operer miraculum. Vel, Nondum*

Chrysost. præcitato loco. Alia Chrysostomi huius loci explicatio quæ refellitur.

sum

sum illis cognitus, & ideò nondum merentur miraculum. Sed certè violenta est expositio, dicere: *Quid mihi,& tibi mulier?id est, Quid me molestas?* quæ verba excludunt potius coniunctioné,vt illa: *Quid nobis & tibi,Iesu Nazarene?* Deinde suggillat Mariam, importunè,id est,extra tempus petentem, & Christum extra tempus facientem. Et in hoc potiùs est laudanda Maria, quòd petitione sua præuenerit inuitãtes,& petijt miraculum, per quod Christus cognosceretur: non enim poterant eum cognoscere, nisi signa faceret,iuxta illud: *Si opera non fecissem in eis,quæ nemo alius fecit,peccatum nō haberent.* Tertius sensus est B. August. in hunc locū;& B.Greg.qui eum sequitur, scribens ad Eulogium:qui subtiliter examinãs duas in Christo naturas, nempe diuinam, per quam operatur miracula,&secundū quam non est Christus filius Virginis; alterã Humanam, secundùm quam non edebat miracula,asserit, matrem iustã repulsam passam esse, quòd quasi ex maternitate,& suo iure posceret miraculum,ab ea parte,secūdùm quam non erat subiectus illi. Ideò dixit:*Nondum venit hora mea*, de qua: *Nemo misit in illum manus, quia nōdum venerat hora eius*, hoc est,hora passionis,quãdo id, quod accepi à te,patietur: tunc enim te respiciam, teque Ioanni discipulo commendabo, & loco mei statuam tibi eum in filium.Sed in primis in hunc sensum occurrit: posse negari id quod ponitur, id est,iure materno petijsse miraculum: quod est contra epositionem B. Augustini:vnde non rectè repellitur quasi improbè petat. Deinde adijcitur, quòd verè peccasset mater manifesto peccato,& nimis impudenter, siue per ignorantiam, quasi ipsa putaret se matrem diuinitatis, quod nefas est dicere; aut eo quòd esset mater secūdùm Humanitatem illius;idcircò iure suo ratione matris putare sibi deberi illud miraculum. Tertiò,iam poterat dicere mater: imò quia hoc est diuinitatis opus,idcircò oro, nunquid enim prohibeor orare miraculum à diuinitate, quia nō genui illam? alioqui quot peccassent qui petierunt miracula à Deo pro gloria Christi? vt constat in Euangelio, & in Actis. Imo pactum fecit Iesus: *Quodcunque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in filio.* Et: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc,& transibit.* Neque tamen petentibus dixit: *Quid mihi,& vobis est?* Quartò, ratione maternitatis aliquid poterat rogare à Diuinitate;vt sicut quicquid habuit carnis accepit ab illa,ita vicissim de suo quod habebat,scilicet gratiam spiritus,ad eius consolationem manifestaret. Denique contra has omnes sentẽtias est, quòd videtur suggillari Maria,& repelli à Domino, cùm tamen per hæc verba nō dederit filius illi repulsam,nec ipsa intellexerit se repelli, cùm statim dixerit ministris: *Quodcunque dixerit vobis facite.* Ille sensus de hora passionis posset meritò controuerti, an sit legitimus,& proprius eius loci,cùm alius sit aptior.

Quartus sensus: Quidam putant legendum per modum admirationis: *Quid mihi, & tibi,mulier?* Id est,tam es mihi coniuncta, & tam arcto vinculo copulata, vt propter te anticipem horam, & tempus miraculi: quia licèt nondum venit hora mea edendi signum; venit tamen hora tua intercedendi,ac ob id hora mea te exaudiendi. Non enim incōuenit, quòd Dei prouidentia cū non fiat extra ipsam,accedente aliqua caussa secunda acceleret effectum sine illa tardandum: vt si in maturatione ficuum,apponatur arboris pedi oleum, continuò olei calore maturescunt. Quare in his verbis Maria exaudita est,& honorata, & constituta mediatrix, & aduocata nostra: quæ semper pro sua reuerẽtia exauditur, vt nos cum fiducia ad eam confugiamus. Si enim in terris illi nihil negauit, quid ergo erit in cœlo? Quare hora,quæ non erat tam opportuna ad ostensionem Deitatis Christi, facta est opportuna ad ostensionem dignitatis matris Dei. Et ita hoc loco vtrunq; per hoc signum declarauit, nempe & dignitatem matris,& gloriam diuinitatis suæ. Ideò sancti sunt orandi, vt quasi aduocati caussam nostram agant,sed maximè mater Dei,quę semper exauditur. Hic sensus pulcher est,nisi quod non solet Christus matri suæ blandus esse, aut dulcius cum illa agere. Deinde illa verba: *Quid mihi,& tibi?* potiùs negant coniunctioné,& magis disiunctionem animorum vel corporum sonant, quam admirationem. Præterquã quòd illa verba: *Nondum venit hora mea*, producuntur à Christo,vt caussa potiùs non edendi,quã edendi signum. Ponamus ergo, quòd sensus illorum verborum est: Nihil mihi,& tibi commune: non te agnosco in hoc vt matrem,sed dico,non noui te. Vt ergo ob affectum carnalem matris non debuit relinquere ea,quæ Patris sui erant olim prædicans,& disputans;ita ob eum non debeo facere quæ Patris sunt,id est,signa. Idcircò subdit:*Nondum venit hora mea:* quasi dicat, cùm illa aduenerit,ob Patrem faciam,non propter carnalem affectum, nec ob acceptionem personæ. In quo,& alijs verbis non matrem hæc iam scientem, & correctione non indigentem,sed circumstantes, & po-

Luc. 4. Marię Christo dicentis: Vinū non habent, opportunissima benignitas. Ioan. 15. Tertius sensus. Aug. ibid. B. Greg. lib. 8. regist. epi. 42. tom. 2. Ioan. 7. Infra 19. Quæ habeat incommoda hic sensus. Secūdum incommodum. Tertium incommodum. Io an. 14. Matth 17. Quartum incommodum.

Quintum, & vltimum. Quartus sensus. Ficus quomodo ante tépus maturari valeant. Quam potens apud Deum sit B. Virginis pro nobis patrocinium. Sanctorum suffragia nobis implorãda cur sint. Hic sensus tria patitur incommoda. Luc. 2.

steros omnes erudiuit in matre sua. Sic enim interpretatur Bernard.serm.de his nuptijs; Ait enim: *Quid tibi, & illi, Domine? Nonne quod filio, & matri? Quid ad illam pertinet, quaeris, cùm tu sis benedictus fructus ventris eius immaculati? Nonne ipsa est, quae saluo pudore concepit, & sine corruptione te peperit?* Haec ille.

B. Bern. serm. 2. in hoc Euang. paullo ante med. Luc. 1. Infr. 2.

Quare Christus matrem suam mulierem semper appellauerit.

Pro vero ergo sensu praemittendum est in primis, quòd nunquam Christus Mariam vocauit matrem: vt constat ex Euangelio, vbi semper mulierem vocat: nulli minus signa amoris externa ostendit, cùm nulli intus magis se inuicem diligerent. Quod Dominus studiose faciebat, vt comprimeret affectus carnis nostrae, & in Euangelico ministerio doceret esse post habendos. Vnde apud Lucam bis, & apud Matthaeum semel, & hic subacerbè, & veluti contemptim videtur locutus de matre. Dixit enim: *Quid est quòd me quaerebatis? nesciebatis quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse?* Et cum illi dictum esse: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quae suxisti*, respondit: *Quinimò, beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*: Et dicenti: *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant, quaerentes te alloqui: Quae est*, inquit, *mater mea, & qui sunt fratres mei? &c.* Et idem videtur hic fecisse. Deinde praemitto, quòd multa dicebat propter circumstantes, ad eorum, aut ad nostram eruditionem: quaedam etiam faciebat aliàs non facturus. Ideò apud Ioannem habemus, quòd gratias Dominus manifestè Patri egit de eo, quòd exauditus est in suscitatione Lazari, & subiecit: *Ego autem sciebam quia semper me audis: sed propter populum qui circumstant, dixi, vt credant, quia tu me misisti.* Imò non tantum respondet ad verba, quantum ad mentem interrogantium: sicut cum adolescenti interroganti: *Magister bone, quid boni faciam, &c.* respondit: *Quid me interrogas de bono? aut quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi vnus Deus.* Hoc enim loco videtur seipsum negare bonum, ac Deum, & non ita est: sed ideò, quia adolescens rogabat eum de bono, tanquam expectans aliquid supra legem iam sancitam à Deo, quod non poterat tradi nisi ab eo, qui erat verè bonus, hoc est solus Deus: idcircò Dominus arguit eum non de eo, quod faciebat exterius, quod erat irreprehensibile, cùm quaerere videretur doctrinam bonam ad vitam aeternam, sed de eo quòd mente agitabat, quia reuera nõ accedebat tanquam ad Deum, sed animo simulato, vt quidam interpretantur. Et saepè magis ad animum, quàm ad verba respondebat.

Cùm summè Christus matrem intus diligeret, & ab ea diligeretur, hic amor minime eis foras prodiret.

Ibidem. Matt. 21. Infr. 1. Luc. 11. Matt. 12.

Christus in docendo, vel operando, saepe circumstantium rationem habebat. *Ioan. 11.*

Non raro Christus ad mentem potius quàm ad verba interrogantium responsa dirigebat. *Matt. 19. Marc. 10.*

Quomodo verum illud, Nemo bonus, nisi vnus Deus.

Ea interrogatio adolescentis Euangelici: Magister bone, quid boni faciam vt habeam vitam aeternam? cur digna Christi reprehensione fuerit.

Tertiò praemitto, quòd Dominus omnia decenti tempore operatus est secundùm illud: *Omni negotio tempus est & opportunitas, seu occasio.* Occasio autem est iuxta congruitatem facti, seu dispositionem materie; opportunitas ad formam, seu finem suum. Verbi gratia: Christus ab initio erat perfectus in omni sapientia, & gratia, & potuisset praedicare, & signa facere, & quaecunque postmodum in matura fecit aetate: sed non fecit; quia non erat congruum, nisi in aetate perfecta illa perficere; ne posset videri prodigium: & res phantastica. Item cur non statim cùm perfecta est aetas, manifestauit se hominibus, sed paulatim? Imò prohibuit discipulis ne se manifestarent, nisi quia non erant dispositi homines ad capienda tam alta Sacramenta?

Suo tempore Christus omnia faciebat. *Eccl. 8.*

Occasio & opportunitas quomodo inter se differát.

Cur Christus statim natus, vel vbi primùm perfectum attigit aetatem, cum posset, non docuerit, signaque fit operatus.

Matt. 16.

Quartò praemitto, quòd hora clarificationis Christi, siue gloriae eius, & ascensus ad Patrem, dicitur hora sua, quia tunc clarificatus est, & agnitus Deus. Vnde dixit Ioannes: *Scient quia venit hora eius, vt transeat hoc mundo ad Patrem.* Et alibi: *Pater, venit hora, clarifica filium tuum.* Non ergo loquitur hic de hora passionis Christi, quae potius fuit hora Iudaeorum, quibus dixit: *Haec est hora vestra, & potestas tenebrarum*: & rursus: *Tempus meum nondum aduenit, tempus autem vestrum semper est paratum.* Rursus cum dicitur: *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius*: ibi, hora eius non dicitur propter dolorem passionis, sed propter fructum inde prouenientem, id est, propter gloriam resurrectionis, & partum filij, in quo terminata est passio, sicut parturitio mulieris in gaudio filij nati terminatur.

Quare Christus horam sui reditus ad Patrem per ascensionem, horá suam per vocauerit. *Ioan. 13. Inf. 17. Luc. 22. Ioan. 17. Sup. 16.*

Ibi: Mulier cùm parit, tristitiam habet quia venit hora eius, hora quid significet.

Ergo hora Christi, intelligitur hora edendi signa, in quorum perfectione illustrabatur eius potentia, & gloria, & de qua dicitur infra: Et manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.

Verbi Domini: Nondũ venit hora mea, vera & propria intelligẽtia apponitur.

Sed interrogabis; Cùm hac hora, & tempore fecerit signum: quòmodo dixit, Nondum venit hora mea? Chrysostomus putat, matrem petijsse miraculum ante manifestum ac notum vini defectum, & ob id dixisse, Nondum venit hora: & propterea adueniente hora, & inopia vini omnibus comperta, futurum erat gratius, credibilius, & ab omni sinistra suspicione magis liberum signum: cùm alioquin videri posset ad sui ostentationem, vel ad amicorum gratiam concessum. Sed quoniam haec expositio ponit defectum in Virgine postulante signum extra tempus: ideò meliùs fortasse dici potest, nondum

Si nondũ venerat hora Christi signum faciendi, cur ea ipsa hora illud ediderit. *Chrys. praedicto testimonio.*

Incongrua Chrysostomi solutio.

Alter sensus congruentior. *Matt. 11.*

Signa edere Christus publice quando coeperit.

venisse tempus passim, & publicè edendi miracula: quod cœpit ab eo tempore, quo Ioannes in carcerem est coniectus: nam ex eo tempore cœperunt Christi publicam prædicationem etiam miracula edita prosequi. Quo tamen matrem honoraret; præuenit illud tempus, & initium signorum propter eam, & preces eius illustrandas præoccupauit: & simul etiam ostendens se temporibus, aut horis non subijci, sed liberè, & quando, & vbi vult, signa edere. Stultum autem est, quòd stultissimi quidam trahunt horam Christi ad fatum; cum Christus, & Stellarum, & fati, & temporis, & Sabbati sit Dominus. Vnde etsi dixerit, *Nondum venit hora mea*; edidit tamen signum, vt se Dominum temporis ostenderet.

In eos, qui horam, seu tempus Christi ad fatum insipiéter trahunt,

Marc. 2.

Postremò præmitto, quòd quæ faciebat Dominus in apertò, erant signa eorum, quæ magis intendebat in arcano. Verbi gratia in proposito, hoc vini miraculum iam nemo nescit quod significabat nouam legem fidei, & charitatis in notitia eximiæ dilectionis Dei per Christum ostendendæ, vnde homines essent inebriandi, qui essent discipuli Iesu vocati ad nuptias. His sumptis, & præmissis, quasi certissimis, & veris, duo sensus elici possunt: alter simplicior, quòd Christus aspetiùs matrem sit allocutus, veluti repulsam dando, & tanquam matrem eam non agnoscendo: non tam vt matrem instrueret, quæ instructissima erat, & edocta à Deo; sed vt instrueret circumstantes, & posteros omnes, quòd in mysteriò Euangelij tantùm Deus est amandus, & in gloriam eius omnia referenda, & non propter gloriam carnis. Quid ergo mihi, & tibi? Id est, Non debet maculari affectu carnis, quod propter Deum syncero, & puro corde fieri debet, Vt instruat Pontifices, & Episcopus, dum rogantur à consanguineis, vt distribuant Episcopatus, aut Sacerdotia, aut alia quæuis ministeria, nihil carni tribuere, aut sanguini, sed intrepidè dicere valeant: Quid mihi, & tibi est, mater, aut frater, & soror? &cæt. Et licèt asperè videatur locutus matri; ipse tamen intus intellexisse se esse exauditam. Et ita nullo modo verbi austeritate contristata, magna cum prudentia & molestia ad ministros conuersa dixit: *Quodcunque dixerit vobis, facite.* Atque hunc sensum confirmant, primùm quidem Iustinus Martyr in libro Quæstionum, & Responsionum: *Istud*, inquit, *Quid mihi tecum est, mulier? Non ad matris obiurgationem dictum est à Saluatore, sed ad illud ostendendum: Non nos, inquit, delecti sumus, quibus consumptum in nuptiis vinum curæ esset. Ex singulari tamen charitate, si vis, ne eos vinum deficiat, ministris dicito, vt quæ dixero faciant: & videbis non defore illis vinum*; id quod & factum est. *Non igitur verbis matrem increpuit, quam operibus cohonestauit.* Deinde Eusebius Emyssen. *Inter se loquebantur mater, & filius; ipsi se intelligebant, ipsi sua secreta nouerant, ipsi quid tum fieri oportebat, & quid postea futurum erat, sciebant; cæteri autem quid ipsi dicerent, ignorabant.* Addam & tertium testem Gaudentium æqualem Ambrosij tractatu secundo in Ioannem. *Ipsa*, inquit, *Beatissima Virgo, agnito responsionis huius profundo mysterio, intellexit, non suggestionem suam aspernanter acceptam, sed secundùm illam spiritualem rationem in mysterio dum delatam: cæterùm nunquam mandaret ministris, Quodcunque dixerit vobis, facite, nisi Spiritu sancto post partum diuinum pleno non solùm responsionis Christi virtutem cognouisset, verum etiam futuri ab eo tunc ex aqua vini ordinem vniuersum præuidisset. Quid enim lateret sapientia Dei Matrem, capacem Dei, ædem dignissimam tantæ virtutis, veritate facti historialiter approbata?* Adiungimus & quartum Maximi testimonium, qui in festum Epiphaniæ scribit: *Venerabilis Maria verè, vt mater Domini, in spiritu futura prænoscens, ac Dominicam præuidens voluntatem, solicitè ministros admonuit, dicens; Quodcunque dixerit vobis, facite. Sciebat profectò Mater sancta, obiurgationem illam Domini, Deiq; sui non irascentis offensam prætendere, sed miserantis præstare mysterium.* Postremò Bernardus superiori loco inquit: *Sed manifestè iam video, quòd non velut indignans, aut confundere volens virginis matris verecundiam, dixeris: Quid mihi, & tibi; cum venientibus ad te (iuxta matris præceptum) ministris, nihil cunctatus facias quod illa suggessit. Vt quid ergo, fratres, vt quid sic respondeat prius? Vtique propter nos, vt conuersos ad Dominum iam non solicitet carnalium cura parentum & necessitudines illæ non impediant exercitium spirituale. Quamdiu enim de mundo sumus, debitores nos constat esse parentibus: at postquam reliquimus nosmetipsos, multo magis ab eorum solicitudine liberi sumus. Vnde & legimus, fratrem quendam in eremo conuersantem, cùm ad eum carnalis frater auxilij gratia aduenisset, respondisse, vt adiret alterum fratrem eorum, cùm ille vtique iam obijsset. Quumq; admiratus qui venerat, responderet, quia ille obijt, eremita se quoque similiter obijsse respondit. Optimè ergo nos docuit Dominus, ne soliciti simus super propinquis carnis nostræ plusquam religio postulat; quando ipse matri, & tali matri respondit: Quid mihi, & tibi est, mulier?* Hæc ille sanctus Pater. Quòd verò Dominus expectauerit à Matre rogari, vt ederet signum, non

Quæ Dominus faciebat in aperto, quorum signa erant illa.

Quintus sensus, bipartitus.

Pontifices, & Episcopi in sacris honorib. tribuêdis quo modo se cum consanguineis gerant, præsenti exeplo Christi.

Iustin. Mart. li. qq. & resp. q. 136. to. 3.

Euseb. Emyss. in explicatiõe Euan. Domin. 2. post Epiphaniam.

Gaudentius.

B. Virgo conscia mysteriorum Dei.

B. Maxim.

B. Bernar. in præallato loco.

A carnalium cura parentū quando liberi simus teste Bernardo.

Exod. 20. & alibi. hanc doctrinam ille sancti cuiusdam viri confirmat exemplo.

Quare nisi à matre rogatus sit signum Christus ediderit.

Cyril li. 2. in Ioan. c. 23. to. 1. inst.

Gratiam suam vti Dominus donet.

non fuit à ratione alienum. Ait enim hoc loco Cyrillus: *Non à se, neque non rogatus, ad actionem miraculorum Dominus solet peruenire: necessitati enim atque vsui hominum gratiam suam præbere solet: quamuis gratiora etiam sunt quæ petuntur, si aliquantulum differuntur.* Hæc ille.

Alter sensus.

Maria virgo debuit esse Christo adiutrix in opere redēptionis, & quare. Gen. 2. Inf. 3. & seq. Rom. 5.

Secundus sensus est, quòd cùm Mater intenderet clarificationem Domini, & nouæ legis manifestationem; quorum primum, per illud miraculum fiebat; secundum significabatur in eo: & cum ad hoc electa esset Domina vt instigatrix, & cooperatrix Christi, quia bonum non erat hominem esse solùm; sed oportebat esse adiutorium simile sibi: vt sicut duo vir, & mulier, operati sunt ad ruinam, & damnationem, in qua mulier præuenit virum: ita per contrarium vir vnus, & mulier vna, operentur ad salutem, in qua mulier excitaret virum: Orabat ergo Maria in eo facto pro reparatione humani generis, & nouæ legis introductione. Hanc verò dignitatem cooperandi Christo, non habuit Maria ex eo quòd dedit Christo carnem, sed ab eo potius, quòd accepit illa de spiritu eius, & quasi ex costa eius fabricata fuit. Ideò Dominus non pro eo quòd nos intelligeret hoc Maria, sed propter non carnales instruendos dixit; *Quid mihi, & tibi, mulier?* non negando coniunctionem carnis, vt blaterant Hæretici; sed potius quod ad id operis non erat illa carnis coniunctio per seipsam respicienda, sed potius coniunctio spiritus, per quam ipsa erat ab eo nata, atque illi arctissimo charitatis vinculo coniuncta. Vnde non intellexit propterea se repulsam passam. Et hæc est ratio, quòd nunquam Christus vocat eam matrem, sed mulierem: quia in mysterijs non vt mater respiciebatur, sed vt mulier secunda, opposita primæ Heuæ. Et ideò ad primum signum, quo clarificandus erat, matre intercedente, accessit Christus: nam ex baptismo Christi, & voce de cælo delapsa, & Ioannis testimonio, & Discipulis prudens Virgo vidit tempus faciēdi primum signum: etsi, cùm nondum venisset hora, viuente Ioanne, non plenè seipsum manifestauit, aut publica prędicatione, aut multitudine signorum, vt postea fecit.

Hoc illa beneficium vnde sit cōsecuta.

Maria virgo (vt ex Adam Eua) ex costa Christi veluti fuit constructa.

Contra insanum huius loci Hæreticorum sensum.

Matth. 3. Ioan. 1. Eadem quib. argumentis adducta, hoc à Christo signum vt peteret.

Ex hoc loco mores ædificantur. I. documentū

Sed ne hic tractatus modum excedat, pedem referam: illud lectorem admonens, vt ex his verbis Domini discat, qua ratione cum consanguineis, & affinibus sibi sit gerendum: nimirum in caussa religionis, aut salute nostra spirituali illos non esse à nobis audiendos, sed asperè, & duriter cum illis agendum: quemadmodùm alias docuit Dominus, & verbis, & factis: & Paulus, qui agnito Euangelio, continuò non acquieuit carni, & sanguini. Facilè enim solet immodicus sanguinis amor ministeria spiritalia reddere carnalia, & infructuosa. Deinde discat lector tempus gloriæ nostræ nondum aduenisse, vt nos prodamus, & alijs ostentemus, ambiendo Episcopatus, aut dignitates Ecclesiasticas, maximè ob annexum honorem & lucrum, sed illud patienter expectandum tantisper, dum viuimus: quia nunc tempus est patiendi, & quasi frumentum seminatum sub terra delitescendi, vt hora nostra in lucem prodeamus, iuxta illud Apostoli: Mortui enim estis; & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Cùm autē Christus apparuerit, vita vestra, tunc, & vos apparebitis cum ipso in gloria. Quòd si interim Deus vti voluerit opera nostra ad alios illuminandos, vel gubernandos; in lucem proferri ab eo expectemus, non præueniamus vocationem. Postremò discat lector morem Domini Iesu fuisse, vt quo asperiorem se, ac duriorem exteriùs nobis ostenderit, vt fecit cum matre; eo se nobis benigniorem, leniorem, & dulciorem interius indicaturum. Propterea meliora sunt vulnera diligentis Christi; quàm fraudulenta oscula odientis dæmonis. Et à sanctissima, & modestissima Matre discamus patienter ferre quasuis obiurgationes, reprehensiones que, non tantùm Christi in conscientia, sed etiam aliorum, etiamsi superiores nobis non sint, modò salutis nostræ caussa adhibeantur. Hinc Petrus Apostolorum Princeps, æquo animo tulit, cùm audisset à Christo: *Vade post me, Satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum*; & increpationem Pauli, qui sibi restitit in faciem, quia reprehensibilis erat. Neque ille propterea minus est à nobis admirandus, ac magni pendendus: grandioris enim, & robustioris virtutis argumentum est, constanti animo propter Deum ferre increpationes, quàm illas inferre, etiam caussa Christi, cui cum Patre & Spiritu S. detur omnis honos, gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Gal. 1.

II. documētū.

Coloss. 3.

III. documēt.

Prou. 27.

Christiparæ virgin. Petriq; Apostolorū principis exēplū patientiæ. Matt. 16. Gal. 2.

Præstat iniuriam ferre, quā inferre.

TRACTATVS VII.

In illa verba: *Dicit mater eius ministris, Quodcunque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex, positæ secundùm purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas, vel ternas. Dicit eis Iesus, Implete hydrias aqua: & impleuerunt eas, &c.* Ioan. 2.

DIFFICILEM locum, tùm propter Hæreticos reprobantes inuocationem Sanctorum, tùm propter veteres Patres, qui non tam præclarè, & magnificè, quantum par erat, de B. Virgine senserunt, fusiore oratione, & vt puto, non infructuosa explicuimus: iam quæ supersunt, breuiori sermone, vtpote clariora, absoluemus. Verba itaque B. Virginis quoniam rara, pretiosa, & prudenter dicta, tanquam quędam monumenta sera nobis habenda, & osculanda sunt.

Dicit mater eius ministris. Ergo non solùm ex verbis, Nondum venit hora mea, intellexit se exauditam ab eo, qui sua hora esset facturus, sed ex reuelatione modū miraculi patrandi intellexit: & propterea quæ primò suppleuerat defectum vini, pergit iam supplere maiorem fidei defectum in ministris, dicens: *Quodcunque dixerit vobis, facite.* Verbum magnum, & dignum tanta Dei Matre, propter quod, vt Albertus Magnus asserit, magis piè fortassis, quàm solidè, dignitatem, & aureolam Doctoratus promeruit. Et simile est hoc verbum illi Dei Patris: *Hic est Filius meus dilectus, &cæt. ipsum audite.* Et nota, quàm verè dictum sit: *Doctrina prudentium facilis*; & alio loco: *Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia.* Et ad tollendos defectus nostros opus est Christo obedire: quia possibile est & honestum omne quod iubet, vel suadet, & adstringit se ad expensas, vt cùm dixit: *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis?* & præterea lucrum centuplum pro sua liberalitate pollicetur. Vtinam audiamus Christum, & faciamus quæ ille præcipit, & tollet omnes tristitias nostras, & defectus, dabitque vinum dulce consolationis. Disce, Mariam esse matrem concordiæ, & mediatricem: nam filio dixit, Vinum non habent. Alijs verò præcipit, vt filio obediant: *Quodcunque dixerit vobis, facite.* Timebat enim Beata Virgo, ne ministrorum incredulitas, vel obsequium non promptè exhibitum, maximè si quid inconsuetum præciperet, amentiæ deputarent, quod miraculum vel impediret, vel retardaret. Quodcunque ergo, siue facile, siue difficile, siue sensui repugnet, siue consentiat. Vnde Naaman Syrus extra rem esse iudicabat lauari septies in Iordane, vt Propheta dixerat: cui se serui opposuerunt persuadentes, vt obediret verbo eius.

Ex filij respōso: Quid mihi, & tibi mulier: quæ duo cognouit Christi mater lumine Diuino.

Alberti M. his in verbis Deiparę: Quodcūque dixerit vobis facite, parum solita meditatio.

Albert Mag. postill. in Ioā.

Matth 17.

Prou. 14.

Eccl. 48.

Ad tollendos defectus nostros quid facto opus sit.

Luc. 22.

Matt. 19.

Mariæ in nos virginis officia.

4. Reg. 5.

Erant autem ibi hydriæ sex. Hydriæ sunt vasa lapidea, vel fictilia à recipienda aqua dictæ: Græcè enim ὕδωρ est aqua: quia ad illum tantum liquorem recipiendum erant destinatæ: & aquales Latinè dici possunt, vt explicat M. Varro. Sed Cicero in Actionibus in Verrem dictione Græca frequenter vtitur. Et erant positæ ibi secundùm purificationem Iudæorum: quia frequenter consueuerant Iudæi ex traditionibus seniorum purificari: ideò opus erat non longè esse aquam. De quo apud Marcum dicitur: *Pharisæi enim, & omnes Iudæi, nisi crebrò lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum.* Non loquitur autem hoc loco de immunditijs per legem introductis, vt à contactu morticini, vel leprosi, aut à pollutione seminis: ab his enim immundi erant vsque ad vesperam, nec tales purificabantur in conuiuijs, sed tantummodò aqua lustrali expiationis. Annotat hic Beza: *Hanc Iudæorum superstitionem posteà in Ecclesiam Dei inuehere conatus est Hebion, atq; adeò reipsa in templa Christianorum intulit Satanas.* Sic ille, impiè perstringens salutarem vsum Aquæ Benedictæ, quæ in ingressu templi primò intranti occurrit, quo quisque recordetur aquæ, qua primùm Christo incorporatus est, & professionis in ea factæ, & sanguinis Christi, in cuius virtute illa aqua baptismi vim habuit peccata expiandi, & hæc lustrandi, & purificandi à venialibus delictis se illa ex fidei pietate abluentes, & Satanæ tentationes pellendi vim habet. Et extra chorum saltat Beza, qui superstitiosas Iudæorum ablutiones quibus in mensa communi vti consueuerant, ad aquam templi benedictam extendit. Certè in lege aqua erat lustrationis, vt habes in libro Numerorum, aqua expiationis, & labium æneum plenum aqua pro ablutione Sacerdotum, vt in Exodo dicitur; ne quisquam rei nouitate admiretur, in typum eorum, quę in Ecclesia gerenda erant. Et cui verisimile reddi queat illud à Satana inuentum; quod ad effuganda dæmonia, & de templo Dei eliminanda ab Ecclesia salutariter institutum fuit? Sed ad rem: descri-

Hydriæ & ὕδωρ Græcè quid.

M. Varro li. 4. de lingua Latina.

Cicero.

Hydriæ illæ cur positæ ibi secundū purificationem Iudæorum.

Marc. 7.

De qua purificatione Iudæorum hic sermo sit.

Contra Theodorum Bezam aquæ benedictæ in templis exhiberi solitę salutarem vsum Satanicū inuentum appellantem, Aqua benedicta in templis de causis quibus fuerit inducta.

Num. 8. & Infr. 31.

Exod. 30.

bens Euangelista miraculum, omnia fecit deseruire magnitudini eius. Primo enim miraculum auget hydriarum multitudo, quæ vasa erant aquea, ne quis suspicaretur vinum ibi delitescere; & Iudæi aqua, non vino purificabant manus. Deinde ipsarum hydriarum capacitas, & amplitudo, quia quælibet capiebat metretas binas, vel ternas: quod intellige disiunctiuè, id est, aliquæ binas, aliquæ ternas. Metreta verò quælibet continebat 45. pintas vini Parisienses, vel Italicos vrceolos, quos boccales vulgò vocant, vel caraffas secundùm Budæum. Secundùm verò Georgium Agricolam, quælibet capiebat 55. ita vt quælibet metreta penè conficiat cadum Neapolitanum, quem barilum vocant. Tertio ad fidem miraculi facit, quòd non ipse, sed ministri implent hydrias aqua; ne vinum per magiam aliunde asportatum videretur, sed vera conuersio: quia non datur penetratio corporum. Et apertę erant hydriæ ex parte superiori: quia ad lotionem institutæ erant. Et ministri eas implent aqua, & ad summum vsque; ne quis suspicetur dolum. Quartò facit, quòd Christus nullis precibus pręmissis aut aquæ, vel hydriæ contractu, sed solo nutu, & voluntate aquam in vinum conuertit: quod solius est Dei, & quod nullus Prophetarum, vel ipse præstare potuit Moses. Quintò facit verbum Domini, quod dixit: *Haurite nunc, & ferte architriclino.* Consultò enim differebat signum, quò magis innotesceret vini defectus. Hauriebant enim ex aqua patenti, quæ in haustu, & distributione fiebat vinum: sicut panes multiplicabantur in manibus Apostolorum, & edentium.

Iudæi aqua, quare purificabant manus.

Metreta olim quantum cōtineret.

Budæus li. 5. de Asse.

Georg. Agric.

Ministris cur dictum, vt implerent hydrias aqua.

Quare Christus solo nutu ac voluntate aquas in vinū conuertit.

Idem cur tādiu eiusmodi signum distulerit.

Matt. 14.

Infr. 15.

Ioan. 6.

Et voluit Dominus primum ferri ad architriclinum. Hic erat præfectus conuiuio, & mensarum trium ordini: quæ olim vt lecti erant, quia super illis recumbebant. Hinc introduxit Samuel Saul in triclinium, & dedit ei locum in capite eorum qui fuerant inuitati, & illi primùm vinum est allatum; vt seruetur ordo, & consuetudo, & eius testimonio, qui fortè ieiunus erat, vt docet Chrysostomus, pateat miraculum, & excellentia vini. Nam cùm tria sunt agentia, Ars nempe, Natura, & Deus; sicut ars non pertingit ad naturam, ita nec natura ad Deum, cuius immediata opera præstantiora sunt his quæ facit natura. Hinc eliciunt Doctores, quòd panes multiplicati, & oculi restituti præstantissimi fuerunt: & caro Naaman Syri leprosi restituta est sicut caro pueri paruuli, & mundatus est à lepra: ita hoc vinum optimum, & generosum fuit. Testes ergo aquæ in vinum mutatæ, sunt ministri, bonitatis verò vini architriclinus. Parui autem refert, rubrum ne fuerit vinum, an album: vt enim magis ex colore signum pateret, & quia pauperes erant sponsus, & sponsa inuitantes, & vinum rubrum viliùs venire solet; verisimilius est rubrum fuisse. Nam sicut multiplicauit panes, non frumenti, sed hordei, quod vilius est; ita Dominus in vinum rubrum videtur aquam conuertisse, canente Ecclesia: *Nouum genus potentiæ, Aquæ rubescunt hydriæ.* Et quanquam album soleat esse præstantius, & excellentius: Dominus tamen potuit eandem, & maiorem præstantiam, & excellentiam in vino rubro miraculi gratia ponere. Etsi autem potuisset ex nihilo vinum creare: quia tamen minus claresceret miraculum, & quia venit saluum facere quod perierat, & restituere destituta, vt infirmos sanando, mortuos suscitando, & quia eiusdem est potentiæ creata, ac perdita reficere, atque noua creare; maluit Dominus ex aqua per ministros hausta, & coram omnibus in hydrijs posita facere vinum, quam creare de integro.

Quare Christus primum architriclino vinum à se factum adferri voluerit.

1. Reg. 9.

Chrys. ho. 2. in Ioan. t. 9.

Agentia sunt tria: quænam illa.

4. Reg. 5.

Vinum ex aqua à Domino factum in nuptijs, rubrūne fuerit, an album.

Ioan. 6.

Quamobrem non ex nihilo, cū posset, verùm ex aqua per ministros hausta vinum Christus effecerit.

Luc. 19.

Vocat sponsum architriclinus, & dicit ei, Omnis homo primùm (siue priùs) *bonum vinum ponit: & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est.* Admiratus est architriclinus propter caussam ignoratam conuersionis aquæ in vinum; & ideò conuertit se ad sponsum, & eum sedentem alloquitur, vt eum exhilararet, & honoraret coram alijs, & volebat reddere testimonium, vt sobrij, & periti artificis in discernendis saporibus quod bonum erat. Est autem consuetudo, vt in conuiuijs optima quæque vina à principio propinentur; quod & sanitati, & hilaritati conuiuij solet esse aptius, & congruentius. Quia cùm sint ieiuni, melius vini nobilitatem percipiunt: vbi verò progressum habuit conuiuium, & cùm inebriati fuerint, & largius biberint, alia vina dilutiora proponunt. Est autem phrasis Hebræa per ebrietatem intelligere profusiorem lætitiam, & satietatem. Ita enim dicitur de conuiuio exhibito à Ioseph: *Biberuntque, & inebriati sunt cum eo;* & Propheta: *Visitasti terram, & inebriasti, eam,* id est, satiasti. Et infrà: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ; & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Vnde Augustinus libro Quæstionum in Genesim scribit: *Solent hic ebriosi adhibere testimonij patrocinium, non propter Israel, sed propter Ioseph, qui valde sapiens commendatur. Sed hoc verbum, & pro satietate solere poni in Scripturis, qui diligēter aduertit, in multis locis*

Quorsum architriclinus sponso dixerit: Omnis homo primum bonum vinū ponit, &c.

Vina optima quæque in conuiuijs initio cur solita adhiberi.

Inebriare Hebræis quid.

Gen. 43.

Psal. 64.

Aug. li. 1. qq. in Genesim.

inueniet, vt illud: Visitasti terram, & inebriasti eam. Hæc ille.

Positiuis pro comparatiuis vtuntur Hebræi.

Tu autem seruasti bonum vinum vsque adbuc. Bonum dixit tropo Hebræo, pro melius: nam illi Positiuis pro Comparatiuis vtuntur: vt Lucæ 10. *Maria bonam partem elegit*: ita enim Græca habent, pro eo quod est, meliorem. Regula autem mundi est, vt in conuiuijs, & nuptijs præcedat lætitia & gaudium, sequatur tristitia & dolor. Et hæc est natura peccati, vt primò delectet, post contristet: hic quidem conscientiam, postea verò & corpus & animam in gehenna. Christus verò in conuiuio suo, primò proponit panem doloris, & aquam angustiæ; sed postea conuertit illam aquam in vinum exultationis, vnde illud: *Ibant gaudentes Apostoli à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Et primò nuptiæ cum Christo faciunt animam leprosam, quia ipse CHRISTVS fuit leprosus in Cruce: sed post hanc vitam reddunt illam gloriosam sine macula, & ruga Carnispriuium, quando scilicet Bacchanalia diaboli celebrantur, consequitur ieiunium Quadragesimæ perpetuum: Quadragesimam verò Christi sequitur Paschale gaudium, & pleni iocunditatis dies. Hæreticus etiam primò proponit vinum doctrinæ sanæ; & postea illa inebrietatis, virus erroris porrigit. Et proinde diligenter ab eorum sermonibus, & libris cauendum est.

Peccati proprium quid.

Conuiuium Christi, & mundi differunt.

Act. 5.

Nuptiæ cum Christo qualem reddant animam in præsenti, qualem in futuro.

Esai. 53.

Ephes. 5.

Hæretici ingenium.

Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, vel in Chana Galilææ. Intellige ad manifestandum se Iesum Deum, & gloriam potentiæ suæ. Quòd enim stella traxerit Magos ab Oriente in Bethleem, vel quòd idola Ægypti ad Christi in templum ingressum corruerint, quando fugit in Ægyptum; vel quod columba descenderit in baptismo, & vox de cælo dicens: *Hic est Filius meus dilectus*; vel quod ieiunauerit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus absque vllo cibo, vel alia signa in pueritia sua, adolescentiave in priuatis ædibus, cùm subiectus esset parentibus, vt quidam volunt, ediderit: signa quidem erant, sed minùs clarè ostendentia eum esse Iesum, vel Messiam, siue Deum, nec ipse ita in pueritia videbatur illa edere. Vt enim Deitas erat magis occulta in puero, quàm in viro, & magis in viro, quàm in viro iam publicè prædicante: ita miracula occultiora, id est, eum minus manifestum reddentia, illo tempore fecit. Quod cum ratione certè factum est: ne scilicet non crederetur verus homo. Sed hoc est primum post baptismum, & tentationem publicè, & manifestè à se factum. Nam ieiunium quadraginta dierum, cùm nullus adesset, nemini manifestare potuit eius potentiam, vel diuinitatem. Hoc autem dicitur factum in Cana Galileę, id est, apud contemptibiles, & paruos in oculis suis, zelantes tamen Dei honorem; ne quis in se glorietur.

Conuersio aquæ in vinum quomodo primum signum Christi fuerit

Ita Scholastica. c. 38 exponit primum.

Matt. 2.

Ibidem.

Inf. 3. & Ioan. 1.

Matt. 4.

Christi pueri vel adolescentis signa quã occulta & incognita.

Quid est quod signum conuersionis aquę in vinum in Cana Galilææ factum esse perhibetur.

Et manifestauit gloriam suam. Id est, gloriam potentiæ, & sapientiæ, & bonitatis suæ in se delitescentem, & se esse vnigenitum Dei, iuxta illud dictum Ioannis: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Expressit autem Claudianus poeta in Epigrammate De Christi miraculis eleganti disticho hoc signum:

Ioan. 1.

Claudianus.

Conuertit lymphas in vina liquentia Christus:
Quo primum facto se probat esse Deum.

Et crediderunt in eum Discipuli eius. Rectè dixit discipuli, non mater, quæ non egebat signo, vt crederent in illum quasi in Messiam, vel in Deum, sed discipuli, qui actu erant, non qui futuri erant, vt exponit Augustinus. Crediderunt ergo discipuli: quia vel confirmati sunt in fide, vel crediderunt in Deum: quem prius crediderant Messiam: nam vt magistrum discipuli secuti erant eum.

Aug. tract. 9. in Ioan. c. 9.

Hactenus literam percurrimus, nunc mysterium litera inclusum explicandum est. In his enim nuptijs adumbrantur nuptiæ Verbi Dei cum Humanitate; deinde Verbi cum anima; postremò nuptiæ legitimæ & Christianæ viri cuiusque cum vxore sua. Primæ ergo nuptiæ celebrantur in Cana Galilææ, hoc est, in zelo rotæ, siue in zelo honoris Deitatis, quæ velut rota est sine principio, & fine, vbique habens initium, & terminum. Ob honorem ergo suum, & sapientiam, atque bonitatem declarandam, has nuptias celebrauit Christus: in quibus Sponsus est Verbum; Sponsa verò sancta eius Humanitas. Hinc dicitur: *Qui habet sponsam, Sponsus est.* Et Psalmes: *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Et de his dicitur in Euangelio: *Simile est regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo.* Factæ autem sunt tertia die. Prima dies, tempus ante legem. Secunda, tempus sub lege. Tertia, tempus Euangelicæ doctrinæ. In his nuptijs in primis fuit mutuus consensus in matrimonium: nam Verbum per Angelum requisiuit humanam naturam in Maria, & illa pro toto mundo consensit: quemadmodùm mater in contractibus, quæ in vtilitatem filiorum paruulorum, & quid fiat, ignorantium

Allegoria huius Euangelij proponitur, & explicatur.

Cana Galilææ quid.

Ioan. 3.

Psal. 18.

Matt. 22.

Luc. 1.

Simile.

rantium, celebrandis consentire solet. Præ MARIA autem omnes præteriti, & futuri paruuli sunt, ideo ipsa præ omnibus consensum exhibuit, cum dixit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Deinde fuit in hoc matrimonio mutua bonorum communio. Nam vir non habet potestatem sui corporis: sed mulier. Similiter autem & mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Nam per communicationem idiomatum, omnia quæ Humanitatis sunt, Verbo tribuuntur: rursus quæ Verbi sunt, Humanitati adscribuntur. Tertiò fuit mutua voluntatum vnio: nam Verbum voluit omnia quæ Humanitas, quia voluntatem timentium se facit, & deprecationem eorum exaudit. Ita etiam CHRISTVS homo Verbi voluntatem faciebat, qui dicebat: *Descendi de cœlo, non vt facerem voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me:* & iterum, *Non mea voluntas, sed tua fiat:* & alibi: *Ego quæ placita sunt ei, facio semper.* Spoliauit ergo se omni propria voluntate, vt illam Verbi faceret. Quartò fuit mutua reuelatio secretorum: nam Verbum omnia reuelauit CHRISTO, quorum capax erat: rursus CHRISTVS homo omnes nostras necessitates & desideria Verbo tanquam DEO proponebat, & de nostris nuptijs dicebat: *Vinum non habent.* Quintò fuit indissolubile vinculum. Nam, vt Dominus dixit: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*, nam CHRISTVS quod semel assumpsit, nunquam dimisit. Postremo in hoc matrimonio fuit etiam prolis generatio, agente Verbo, & patiente Humanitate, & parturiente cum dolore, & gemitibus in Cruce. Mulier enim cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius. Hinc clamauit voce magna, & quasi Rachel altera in partu prolis Beniamin mortua est. Et vt prolem pater voccuit Ben-iamin, id est, filium dexteræ, mater vero, Ben-oni, id est, filium doloris: ita nos filij sumus potentissimæ dexteræ Dei, quia Verbum est, & filij doloris ratione Humanitatis, quæ nonnisi doloribus crucis, & sanguine suo nos regenuit. In his nuptijs vinum deficiens erat doctrina Euangelij: quam ille ex Veteri Testamento quasi ex aqua vinum eduxit, quo inebriantur animæ agnoscentes DEI immensum amorem, quo sic DEVS dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret. Atque per hoc vinum Euangelij cognita est gloria Dei, & fide suscepta à toto mundo, iuxta illud: *Manifestauit gloriam suam: & crediderunt in eum discipuli eius.*

Ibidem. — *1. Cor. 7.* — *Psal. 144.* — *Ioan. 6.* — *Luc. 22.* — *Ioann. 8.* — *Matth. 9.* — *Ioan. 16.* — *Matt. 27.* — *Hebr. 5.* — *Gen. 35.* — Dextera Dei quænam sit. — *Ioan. 3.* — *Supra 2.*

Sunt & aliæ nuptiæ Verbi cum Ecclesia, siue cum anima qualibet, conciliatæ in Cana Galilææ, non in Ierusalem, vel Iudæa: quia ad Gentes magis spectant hæ nuptiæ. Vel in Cana Galilææ, hoc est, in zelo rotæ, id est, naturæ nostræ more rotæ per inconstantiam fluentis tum in anima, tum in corpore instar amnis deorsum, & ad carnalia bona huius mundi fluentis. In his sponsus est ditissimus, vt sponsam suam possit dotare: & sapientissimus, ne anima bona sua dissipare velit: pulcherrimus, & speciosus forma præ filijs hominum, ne sponsæ displiceret. Nobilissimus DEI Filius, ne ab ea contemneretur: Potentissimus, ne ab alio, nisi sua sponte opprimi posset: Denique optimus, & omni suauitate plenus, vt semper diligeretur. Et vt Moyses vxorem duxit Æthiopissam: ita CHRISTVS animam peccato denigratam accipit, vt reddat illam formosam, & dicere possit: *Nigra sum, sed formosa.* Quia ablata culpa per gratiam, remanet in ea nigritudo pœnæ in hac vita sustinendæ ad imitationem Christi. Erat autem sponsa pauper gratia, & debitis onusta, sed ditata est à sponso, & dotata, vt diximus. In has nuptias debet sponsa consentire: quia, vt ait Diuus Augustinus: *Qui fecit te sine te, non iustificabit te sine te.* His nuptijs intersunt tum Beata Virgo, non rogata, sed pro nobis rogans. Adsunt & Apostoli tanquam ministri verbi Dei, & Sacramenti, quibus anima ornatur, & præparatur, vt Christo desponsetur. Secundo, in his nuptijs est communicatio bonorum: quia omnia quæ Verbi sunt, nostra fiunt, de quibus Apostolus: *Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Hinc dignitates CHRISTI, & tituli in sponsas eius deriuantur. Nam vt ille Deus est, Dei Filius, Lux, Saluator, Iustus, & Iudex, & Christus: ita nos dij per participationem, & Filij Dei adoptione, & lux in Domino, & Christiani, & aliorum in eo saluatores, & denique iudices efficimur. Vt ergo quæ Verbi sunt, nostra fiunt, ita quæ nostra sunt, vt anima, corpus, intellectus, voluntas, &c. vni sponso nostro sunt consecranda, iuxta illud: *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Tertio debet adesse vnio voluntatum. Ideo oramus: *Fiat voluntas tua.* Nam eius voluntas, qui vt vir regit, prestare debet voluntati vxoris Ideo nostra voluntas, vtpote carnalis, exuenda est, & crucifigenda. Cum ergo nos eius voluntatem fecerimus, ipse faciet nostram,

Nuptiæ Verbi cum Ecclesia quænam sint. — Natura nostra merito rotæ comparatur. — *Psal. 44.* — *Num. 12.* — *Cant. 1.* — *D. Aug. serm. 15. de verb. Apostoli circ. med. to. 10.* — *Rom. 8.* — *1. Cor. 3.* — *Matt. 6.*

quia non erit à sua distincta. Quartò debet adesse mutua secretorum communicatio. Nam vt ille nobis omnia communicat secreta sua, qui dixit: *Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis:* Ita nos mutuo illi nostra consilia aperire, & corda nostra per orationem coram illo effundere debemus, secundum illud: *Reuela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet.* Quintò, debet esse inseparabilis vnio. Nam verbum ex parte sua dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.* Neque quenquam derelinquit, nisi prius derelictus, iuxta illud: *Dereliquistis Dominum, vt derelinqueret vos.* Imo eos qui se dereliquerunt, inuitat ad reditum, & facilè reconciliatur, & in priorem amicitiam recipit. Vt ergo ex parte Christi debet reddi indissolubile matrimonium, ita etiam ex parte nostra: assiduè, & impensè rogando, vt nos tanquam sponsas suas ab omni mũdi, & carnis, & diaboli, atque adeo nostræ ipsius propriæ voluntatis insidijs, & dolis, quibus ab eo abducamur, protegere velit, & ad eum nos gradum perfectionis deducere, vt cum Paulo valeamus dicere: *Quis me separabit à Charitate Christi?* Denique in hoc connubio debet adesse proles bonorum operum, Verbo in nobis, & per nos operante, etiamsi nos in patiendo patiamur. Nam vt nulla mulier gloriari potest se sola opera sua absque viri commercio filium genuisse, præter solam Virginem, quæ tamen Christum sine Spiritus sancti virtute non concepit: ad eum modum nemo potest vllum fructum boni operis ex se solo sine Dei gratia producere. Dixit enim Dominus: *Sine me nihil potestis facere.* Videmus autem filios filiorum nostrorum: cum exemplo nostrorum bonorum operum alij ad bene operandum excitantur, & impletur illud in spiritu: *Vt videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.* Atque hoc est maximum & primum signorum, quod facit Iesus cum anima, quam desponder, id est iustificatio, qua Dei gloria agnoscitur, & quisq; efficitur Christi discipulus. Quemadmodum in prioribus nuptijs diuini incarnatio Verbi, primum, & maximum signorum est, de quo Propheta dixit: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum, Ecce virgo concipet, & pariet filium.* His ergo nuptijs aqua naturæ nostræ frigidæ, & insipidæ, (nã aquæ multæ, populi multi) & quamuis forma facilè per amorem recipientis transit in naturam vini, videlicet inebriantis deitatis, & nos ad deitatis naturam euehentis. Has aquas adducunt ministri: architriclinus vero, rector est Ecclesiæ, probans doctrinas: qui nescit modum signi, quia omnia tribuit sponso Christo: nam neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Sex hydriæ, sex ætates seculi huius sunt. Quæuis hydria capit metretas binas, vel ternas: quia fuit seculum, quando satis erat credere quia Deus est, & quod omnium bene operantium remunerator sit. Capit vero ternas, qui continet fidem expressam sanctissimæ Trinitatis. Tertio loco instruimur, quales debent esse nuptiæ fidelium, nempe sobriæ, sanctæ, & reformatæ: nam ex his salus totius Ecclesiæ pendet, siquidem ex illis filij prodeunt, qui implent non minus cœlum, quam terram: ideo matrimonio reformato, omnia reformata haberemus.

Primo ergo debent celebrari hæ nuptiæ in Cana, id est, in zelo. Ille zelum habet, qui vt imbecillitati carnis suæ prospiciat, & vt castius viuat, vxorem ducit, ne solutus ad quamuis fœminam adhinniat, velut emissarij equi, qui nullo fræno rationis, pudorisue detenti, ad meretrices, vel ad fœminas non caste viuentes, tanquam ad grauidandas mulas steriles concurrunt. Sunt etiam vt pecus macello destinatum, cui propterea liberum est in quo cunque prato edere, & dicunt: *Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Secundo, debent fieri in Galilæa, id est, in transmigratione: nam propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ. Non solum autem debet quis transfundere esse suum naturale in filium, vt omnes etiam bestiæ faciunt, vel esse suum morale, vt Philosophi, sed esse suum diuinum, non tam illum mundo, quam Deo generando, vt hæres esse possit sanctitatis, & virtutis suæ. Tertio, hoc matrimonium celebrari debet in conuiuio, & præsentia multorum, & coram Apostolis, id est, ministris Ecclesiæ illud conciliantibus, vt caueantur matrimonia occulta, & clandestina, quibus plerunque multæ puellæ ab adolescentibus illas ducere minimè cogitantibus, sed corrumpere, seducuntur, etiamsi ore ficto citra cõsensum promittant. Nam talia plerunq; per fenestras crates ferreas habentes, & in alijs locis minus honestis, non autem in facie Ecclesiæ, & more Christiano, conciliantur matrimonia, quibus & violatur patria potestas, & virgines seducũtur, & seminarium inimicitiarum & rixarum inter socerum

Ioan. 15. · Psal. 63. · Matt. vlt. · 2. Par. 24. · Rom. 8. · Ioann. 15. · Psal. 127. · Esa. 7. · Apoc. 17. · 1. Cor. 3. · Heb. 11. · Quales debeant esse nuptiæ fidelium. · Qui zelum habet. · Sap. 2. · Galilæa quid sonet. · Gen. 2. · Matt. 19. · Vitanda clandestina coniugia.

Concil Trid sess.24.

& generum excitatur. Sed his corruptelis satis iam videtur per Concilium Tridentinum esse prospectum. Non dicam de his, qui publicè innuptas virgines, vel in templo osculantur, vt osculi iure cogantur parentes illas sibi desponsare, vt interdum fieri in Italia vidi. Quod grauissimum peccatum est, quia summa debet adesse libertas coniugibus, qui matrimonio copulantur. Hinc Laban fecit conuiuium, & vocauit inuitatos, quando celebrauit nuptias Liæ & Rachelis cum Iacob, & Raguel, quando dedit Annam filiam Tobiæ iuniori. Omnis vero qui male agit odit lucem, vt qui clandestine contrahunt. Quartò debet adesse Iesus in principio, & in progressu. In principio quidem, quando quæritur vxor ad bonum finem, id est, ad prolem in Christo educendam, & ad vitandam fornicationem, & solatium vitæ præsentis, & æternæ vitæ consecutionem: nam Apostolus ait: *Saluabitur mulier per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.* Item quęratur vxor honestis vijs & rationibus, nempe cauendo peccata, & orando Dominum. Quia *domus, & diuitiæ dantur à parentibus, à Domino autem proprie vxor prudens.* Consulendi sunt etiam amici, & seniores, & prudētiores: quia sæpe Deus dat coniugem in totius vitæ flagellum. Vt accidit illis, qui non consulunt nisi magnitudinem dotis, & sanguinis claritatem, & formæ pulchritudinem, quibus vt esca capiuntur iuuenes, & inexperti.

Gen. 29.

Tob. 9.

Ioan. 3.

1.Tim.2.

Prou.19.

Immoderatæ dotes tollendæ.

Desidero autem, vt Respublicæ nostro seculo plurimum correptum modum aliquem, ac moderationem indicant dotibus: quia intolerabiles sunt, & causa vt paucæ maritis collocari possint, & vt reliquæ in monasterium, vel inuitæ detrudantur quasi in carcerem: quod iniquissimum est. Quantum ad progressum vero matrimonij, maritus exhibeat vxori honorem, obsequium, doctrinam conditam sale amoris, vxor vero exhibeat viro amorem, reuerentiam, obedientiam, diligentiam, curam & regimen domesticorum. Quintò & vltimo debet adesse Maria, vt bona comes, & patrona contrahentium. Primo, vt sit castitas cum fœcunditate ex vtraque parte: sine fœcunditate enim vix est amor, licet esse debeat & curari. In nuptijs namque sine cesto, id est, cingulo castitatis, non potest adesse Deus, nec pax. Secundo, vt sit modestia in victu, & [illegible] & fuco, & vt vxor nolit placare [illegible] nec vi[illegible] nisi vxori propr[illegible] alio[illegible] ti-onibus de[illegible] fre[illegible] a-

Cestus quid.

cramentorum quo plerunque sanctificentur. In his nuptijs, quæ more Christiano celebrantur, solet Iesus aquam conuertere in vinum, dum onera matrimonij, & labores, & gestationem ventris, & partus dolores, & filiorum educationem, quæ per se sunt laboriosa, & insipida in vinum amoris cōuertit, vt ex dilectione Dei, & illa, quam inuicem sibi coniuges debent, charitate omnia reddantur leuia, facilia, & suauia. Nam hoc est ingenium charitatis, atque hoc est vinum inebrians, & ab sensu abducens, vt labores, & ærumnas quis non sentiat: aut si sentit, facile superet per gratiam Domini nostri Iesu Christi, qui cum Patre vna, atq; Spiritu sancto pari fruitur honore, potestate, atque imperio, in secula seculorum, Amen.

Ingenium charitatis quod.

TRACTAT. VIII.

De secundo signo eiectionis vendentium & ementium de templo. Ioan.2.

SOlus Ioannes Euangelista hoc signum describit, ab alijs tribus suppressum, quemadmodum signum eiectionis de tēplo morte imminente factum, quia ab alijs tribus erat descriptum, à Ioanne prætermissum est: qui quoniam postremus omnium scripsit, ab alijs quidem prætermissa suppleuit, ab alijs vero dicta non iudicauit operæpretium repetere. Quod vero hoc signum non sit idem cum illo quod alij enarrant, non solum ratio temporis euincit: quia illud in Dominica Palmarum contigit paucis dieb. ante mortem, hoc vero primo anno etiam antequam publicè inciperet prædicare, sed etiam, quia durius egit cum Iudæis in posteriori, quam priori cœperat miraculo. Nam in hoc tantum dixit: *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domū negotiationis:* In secundo vero, pertinaces in peccato acerbius reprehendit, dicendo illis: *Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam, speluncam latronum.* Sunt etiam aliç circumstantiæ, quæ ostendunt diuersitatem signorum. Sed hæc sint satis. Quod vero hæc vendentium, & ementium de templo, eiectio, signum extiterit, & quidem magnum, ac rarum, testatur ipse Euangelista Ioannes, qui post enarratum hoc factum subdit: *Cum autem esset Ierosolymis in Pascha, in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius quæ faciebat:* & Nicodemus paulo post dixit:

Matt. 21.
Marc.11.
Luc.19.

Quod hoc signum eiectionis vendentium & ementium, distinctū sit ab eo quod reliqui tres enarrant Euangelistæ.

Eiectionem hanc signi nomine esse censendam, quæ comprobent.

Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Non legitur autem vllum aliud in Pascha perfecisse præter hoc. Præterea Patres signum hoc, vt insigne: & admirabile, & vocant, & celebrant. Hinc Hieronymus in Matthæum de alia eiectione postrema verba faciens, scribit: *Plerique arbitrantur maximum esse signorum, quod Lazarus suscitatus est, quod cæcus ex vtero lumen acceperit, quod ad Iordanem vox audita sit Patris, quod transfiguratus in monte gloriam ostenderit triumphantis. Mihi inter omnia signa, quæ fecit, hoc videtur mirabilius esse, quod vnus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, vt postea crucifigeretur, Scribis & Pharisæis contra se sæuientibus, & videntibus lucra sua destrui, potuerit ad vnius flagelli verbera tantam eijcere multitudinem, mensasque subuertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non fecisset exercitus. Igneum enim quiddam atque sydereum radiabat ex oculis eius, & diuinitatis maiestas lucebat in facie.* Hæc ille, doctissimè indicans opus illud, quo tantum timorem omnibus incussit, planè diuinum, & non humanum opus extitisse.

Ioan. 3.

Hieronym. in Matt. 21. to. 9

Ioan. 11.

Supra 9.

Matt. 3.

Infra 17.

Signorum omnium Christi maximum illud esse, vnde Hieron. ostendat.

Quod vero Iudæi dixerunt: *Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?* non arguit prædictam eiectionem non fuisse signum: sicut & alias, quando sanauit hominem cæcum, & mutum, & à diabolo oppressum, apud Lucam dicitur: *Et alij tentantes, signum de cœlo quærebant ab eo.* Et apud Ioannem, cum panem multiplicasset, petebant: *Quod ergo tu facis signum, vt videamus, & credamus tibi?*

Luc. 11.

Ioan. 6.

Narratio porro huius signi necessaria fuit, non solum quod fuerit ab alijs Euangelistis omissum, sed etiam, quia sine ista historia non satis posset intelligi, quod alij Euangelistæ commemorant, quosdam coram Caipha testificatos, Christum aliquando dixisse: *Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud.* Rursus insultasse Christo in cruce pendenti: *Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas.* Hoc enim nullibi narratur dictum à Christo, nisi hoc loco: quanquam verba quædam calumniantes mutauerint. Percurremus autem primo loco literam Euangelij, deinde documenta in illis mysticè inclusa aperiemus.

Necessitas huius narrationis quæ fuerit.

Matt. 26.

Infra 27.

Ioannes ergo ita habet: *Post hæc descendit Capharnaum ipse, & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius: & ibi manserunt non multis diebus.* Capharnaum, ciuitas erat inclyta, & metropolis Galilææ. Caphar autem significat villam, vel oppidum: naum vero nomen proprium est loci, vt tradunt Rabbini, & significat pœnitentiam, siue consolationem. Sed nihil prohibet, ex duobus nominibus vnum esse compositum nomen proprium loci, vel ciuitatis: sic enim vocamus ciuitatem veterem, ciuitatem castelli, villam nouam, ac similia. Vt autem docet Hieronymus lib. De locis Hebraicis, hæc ciuitas maritima erat iuxta stagnum Genesareth, in finibus Zabulon, & Nephthali, ac proinde situ erat inferior ipsa Cana, vt propterea à Cana ad Capharnaum descendisse scribatur Dominus.

Capharnaum quæ ciuitas, vnde sic dicta.

Naum quid.

Hieron. to. 3.

Matth. 4.

Marc 1.

Luc. 4

Non est autem hic descensus Domini in Capharnaum, ille idem, cuius alij Euangelistæ meminerunt, quo Dominus reliquit patriam suam Nazareth, & venit ad habitandum in Capharnaum, Quoniam iste fuit ante Ioãnis carcerem, & ante multa miracula edita, alter vero descensus in Capharnaum factus est, postquam Dominus multa ediderat signa in Galilæa. Et dicitur mater eius venisse cum eo, quæ ad nuptias venerat, & fratres eius, hoc est, consanguinei, more Scripturæ. Discipulos autem eius vocat, qui eum sequebantur: & adhuc eos in Apostolos nondum elegerat, sed quatuor tantum habebat discipulos, quantum colligitur ex Euangelio, nempe Andream, Petrum, & Philippum, & Nathanaëlem. Eoque descendit Dominus, non ratione habitandi, nam mansit ibi paucis diebus, sed vt ad tempus edito signo se subduceret, & ne præcursorem suum adhuc prædicantem à cœpto cursu impediret, vel ne homines æmulatione & inuidia Ioannis hoc Christum facere calumniarentur.

An hic descensus Domini in ciuitatem Capharnaum, sit idem cum illo, cuius alij tres Euangelistæ meminere.

Ioan. 2.

Fratres in Scripturis, consanguineos sæpe significant.

Supra 1.

Quare nunc Dominus Capharnaum descenderit.

Sequitur in Textu: *Et prope erat Pascha Iudæorum.* Quia Ioannes postremus scripsit, quo tempore erat iam introductum Pascha Christianorum in Asia, propterea ad distinctionem illius dixit, *Pascha Iudæorum.* Erat autem Pascha, festum præcipuum Iudæorum in memoriam liberationis ex Ægypto: cuius festi ritus, erat comestio agni in vespera, & azymorum panum per septem dies. In pascha vero nostro agnus spiritualis, est Christus pro nobis immolatus, & azyma nostra, sinceritas, & veritas, & ipsa liberatio spiritualis est, scilicet à diabolo, & peccatis, de qua Paulus, *Eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnũ Filij dilectionis suæ.* Et in ipso festo Paschæ primo se Ierosolymis manifestum reddidit, vt tempore, & loco sacro exordiretur principium suæ patefactionis. Sic in eodem festo vltimo à Iudæis visus est: sed hic quidem seuerum se ostendit, eijciendo de

Ab Euangelista cur dictum sit Pascha Iudæorum.

Pascha quale festum apud Iudæos, & qua ob causam institutum.

Exod. 14.

Supra 12.

1. Cor. 5.

Coloss. 1.

do de templo vendentes, & ementes, in postremo vero se benignissimum indicauit eiectus ipse de Ierusalem, & pendens in cruce.

Matt. 27. & Heb. 13.

Et ascendit Iesus Ierosolymam. Præceptum erat, vt ter omni anno omne masculinum appareret coram Domino. Hinc Christus etsi, vt Dei Filius, & Princeps, solutus esset omni lege: tamen sponte se omni legi subiecit propter nos, vt confunderet superbiam nostram, & maxime hæreticorum, qui ab omni lege humana, siue Ecclesiastica, siue Ciuili, siue Imperiali liberi esse volunt, imo etiam à Diuina, quam pro modo suo interpretantur. Christus vero seruauit omnem legem: Sacramentalem, circumcisus: Cęremonialem, præsentatus in templo: legalem, ascendens ad festa: Sacerdotalem dicens: *Ite, ostendite vos sacerdotibus:* imperialem, soluens ipse tributum Cæsari, & alijs soluere iubens: & moralem: quia erat Iesus subditus illis: & diuinam: *Sicut,* inquit, *mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Atque hac tanta sua obedientia legibus pręstita satisfecit Deo pro nostris transgressionibus, & liberauit nos à lege peccati, & mortis, & excellentius præstitit illud quod quidam Iurisperitus sapientissimus dixit: *Digna vox est maiestate regnantis, alligatum legibus se Principem profiteri,* & ille, qui dixit: *Ideo legum serui sumus, vt liberi esse valeamus.*

Exod. 23. — Christum omnium legum tum Diuinarum, tum Humanarum, obseruantissimum fuisse. — *Luc 2. Leu 12. Luc. 2. Infra 17. & Matth. 8. Leu 14. Matth. 17. Infra 22. Luc. 2. Ioann. 14. Rom. 8.*

Et inuenit in templo. Non intelligas per templum, Sanctum Sanctorum, vbi erat arca, & propitiatorium, in quod semel in anno intrabat summus tantum sacerdos: neque Sanctum, in quo erat candelabrum & altare thymiamatis, cuius loci aditus solis sacerdotibus patebat, sed atrium omnibus laicis commune: nam ibi orabat populus, & audiebat verbum Dei, & sacrificabat, quia in eo erat altare holocaustorum. Ingressus est autem templum, vt filius in domum patris, vt præmissa oratione auspicaretur, & factis, & verbis sui detectionem. Deinde, quemadmodum Medicus populum infirmum curaturus, primum interrogat de capite, & de stomacho, & de corde, quæ sunt præcipua membra hominis, ex quibus hominis totius salus pendet: ita Dominus à templo, & Sacerdotibus qui comparatione populi caput sunt, & stomachus, & cor, exorditur.

Exod. 30. Heb. 9. Exod. 26. Heb. 9. — Templum Domini cur fuerit ingressus. — Simile.

Vendentes oues, & boues, & columbas, & nummularios sedentes. Sacrificare, vrbanitas est externa soli Deo debita, & à Deo libenter acceptata, tum ne Idolis fieret, tum vt homines agnoscerent supremum Dominium Dei, & illi sacrificando tributum penderent, tum vt agnoscerent se dignos morte propter peccata, quemadmodum animalia, quæ offerebant, mactabantur, tum denique vt illis omnibus sacrificijs repræsentaretur Noui Testamenti sacrificium, tum cruentum in cruce, tum incruentum in Eucharistia. Quoniam vero multi Iudæorum ex longinquis prouincijs ad templum confluebant, vt ex Græcia, Italia, Lybia, Mesoporamia, & ferè ex toto orbe, sacerdotes hunc mercatum ex auaritia instituetant, vt magis venales illis essent victimæ, quam vt instituerent populum Dei. Prætextum tamen aliquem ex lege habebant: quia in Deuteronomio præcipitur, vt qui longius à templo habitarent, sua dona domi venderent, vt alia eadem pecunia ementent in domo Domini. Et quo pecunia esset paratior, nummularij, siue mensarij aderant, qui minutiori moneta mutarét maiorem, aut aurum argento, aut peregrinam pecuniam eius loci moneta. Et hæc quidé per se turpia, aut illicita non erant, verum auaritia, & sordido quæstu sacerdotum reprehensibilia facta erant, & non multum aberant ab vsura: quam à fratribus accipere legem vetitum erat. Habebant autem ea animalia, quæ lex pro diuersis peccatis offerri mandauerat: quæ vel boues erant, pro opulentis, & diuitibus, vel oues, pro mediocribus, vel columbæ pro pauperibus.

Sacrificium soli Deo debitum, & cur præceptum. — *Deut. 14. Deut. 23. Leu. 12.*

Quod vero putat Beda, sacerdotes cum venditoribus pepigisse, vt animalia accepta ab offerentibus, rursus ipsi venditores à sacerdotibus emerent, sed minoris, vt iterum alijs cum lucro venderent, possent: non est verisimile. Quia iuxta legis præscriptum debebant sacerdotes oblata animalia mactare, & per ignem Deo offerre, vt non possent tale aucupium facere: etiamsi Erasmus secutus fuerit Bedam.

Bedæ minus commoda interpretatio reijcitur. — *Beda in Ioan. tom. 5. Leu. 9. Erasmus.*

Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis. Christus in nuptijs benignè indigentibus subuenit, hic autem seuerè peccantes corripuit. Illic charitatem in proximum ostendit, hic autem charitatem, & zelum in Deum Patrem suum prodidit. Illud vero, fecisse de funiculis flagellum, non intelligas, vel cingulo suo, quale est illud quod gestant Franciscani: quia zonas gestabant Iudæi, in quibus potius æra adferre soliti erant, quam ex eis flagella conficere. Vnde dixit Dominus: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.* Neque chordam

Ioan. 2. — Christi benignitas: eiusdé seueritas, & zelus gloriæ Paternæ. — Quo flagello de funiculis Christus eiecerit vendentes, & ementes de templo. — *Matt. 10. Infra 21.*

intelligas qua egit asellum: quia etsi hoc de secunda eiectione dici possit, in qua equitauit super asinum, non tamen de ista prima, in qua pedes in templum venit. Ergo probabilius est, quod ex funibus quibus alligabantur animalia, flagellum istud confecerit, & sicut canes de templo eiecerit, ac profligauerit. Et in spiritu significare voluit, quod ex peccatis nostris quasi funiculis, quibus peccator constringitur, occasionem accipit Dominus nos flagellandi, iuxta illud: *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Ex se autem, & ex bonitate sua neminem flagellat: quemadmodum neque de cingulo suo fecit flagellum. Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.

Flagellū, quo eiecit vendentes, & ementes de templo, ex quib. funiculis Dominus fecerit. Quid hoc facto adumbrauerit. *Prou. 5.* *Sap. 1.*

Omnes eiecit de templo, oues quoq;, & boues. Hoc fecit Dominus, in primis vt ostenderet, se non probare eorum peccata: nam qui potest reprehendere, neque reprehendit, peccatum alienum suum facit. Seneca ait: *Amici peccata si feras, facis tua.* Deinde iniuriæ proximi, & peccata tegenda, & excusanda sunt: quemadmodum Christus fecit cum peccatrice, & cum adultera. Iniuriæ vero nobis illatæ sunt quidem dissimulandæ, & condonandæ, vt Christus sæpe fecit: at iniuriæ Deo illatæ minimè quidem ferendæ, sed acerbè reprehendendæ, & ab eo, qui potestatem, & locum Dei habet, seuerissimè castigandæ: & summum pietatis genus est in hac re esse crudelem. Tertio docuit, auaritiam, morbum esse magnum, & vt dixit Apostolus, omnium malorum radicem: maxime si sub specie religionis delitescat. Quarto docuit, templum profanari, quando in loco sancto sub specie pietatis peccatur: vnde bis hoc peccatum puniuit. Hinc per Esaiam queritur: *In terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini.* Et Ieremias: *Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* Quinto prænuntiauit hoc facto finem Sacerdotij veteris, & sacrificij: nam adueniente veritate, & vero sacrificio, opus erat vt figuræ & vmbræ cessarent: quemadmodum priori signo in Cana Galilææ edito, demonstrauit Gentium vocationem: vt annotauit Cyrillus. Sexto ostendit, peccata sacerdotum causam esse totius ruinæ populi: & illos primum dignos esse flagello, qui grauius peccant, & exemplo suo alios ad peccatum prouocant. Hinc Petrus dixit: *Tempus est, vt incipiat iudicium à domo Dei.* Postremo, quia Sabbatho curaturus erat, multaque similia facturus, quæ Iudæis contra legem fieri iudicaturi erant, ne hæc tanquam Deo contrarius facere videretur, omnem Iudæis iustæ accusationis præripuit occasionem, ostendendo zelum, quo incensus honorem Dei, & gloriam zelabat.

Hæc eiectio vendentium & ementium de templo, à Domino cur facta. *Seneca.* II. Ratio. *Luc. 7.* *Ioan. 8.* Iniuriæ quæ, & quatenus ferendæ. III. Ratio. *1. Tim. 6.* IV. Ratio. *Matt. 21.* *Esa. 26.* *Ierem. 11.* V. Ratio. *Ioan. 2.* *Cyrill li. 2. in Ioan. c. 26. to. 1. in princ.* VI. Ratio. *1. Pet. 2.* Septima, & postrema.

Et vide ordinem: primo eiecit homines vendentes, qui soli peccabant. Quamuis Euthymius doceat per flagellum boues, & oues verberatas, expulisse de templo, homines autem non verberasse, sed tantum exterruisse, & eiecisse. Deinde etiam animalia propter homines flagellauit, & expulit illa de templo. Tertio nummulariorum effudit æs, quod Græcè κέρμα dicitur, id est, minutulam pecuniam, & nummorum congeriem, quibus fit permutatio. Et hos grauius puniuit, quod vsuras committerent: & hoc in loco sacro sub pietatis prætextu. Denique & mensas subuertit, ne facile impium opus repeterent. Postremo his qui columbas vendebant, dixit: *Auferte ista hinc.* Mitius cum illis agens, qui pauperes fortassis erant, & aliorum maiorum sequebantur vestigia. Et non eiecit illas, ne fortè auolarent, & pauperes iacturam facerent mercium suarum: ideo præcepit illis, vt illas de templo auferrent. ¶ *Et nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Cum istis, vtpote cū pauperibus, mitius egit Christus: instruens nos quanta reuerentia tractādum sit templum Dei, & quam longe ab eo profligandæ sunt omnes species turpis quæstus. At vero cum Scribis, & Pharisæis ex malitia peccantibus, durius egit Dominus, dicendo illis: *Vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Prius vocauit domum negotiationis, siue mercatus, Græcè enim dicitur ἐμπορίου, postea vero vocauit speluncam latronum.

Ordo signi huius eiectionis a Christo seruatus. *Euthym. in Ioan. c. 2.* Κέρμα Græce quid. Quibus Christus dixerit: Auferte ista hinc. Quanta reuerentia tractandum sit templum Dei. *Matt. 21.*

Recordati vero sunt discipuli eius, quia scriptum est, zelus domus tuæ comedit me. Ostendit, discipulos Apostolos non fuisse scandalizatos Christi facto, sicut alij, qui fortassis aderant: quia Dei zelo factum id esse cognouerunt: Atque hoc zelo Christus indicauit se aptum prædicatorem: qui zelo honoris Dei, & siti animarum flagrare debet. Magno Dei zelo olim flagrarunt Moyses, Dauid, Helias, Stephanus, & Paulus. Promeruit etiam hoc tanto zelo sacerdotium sempiternum multo melius quam Phinees, de quo ait Dauid: *Et stetit Phinees, & placauit: & cessauit quassatio. Et reputatū est ei in iustitiam in generatione & generationem, vsque in sempiternum.*

Psal. 68. Quorsum id, zelus domus tuæ comedit me. *Exod. 32.* *1. Reg. 18.* *3. Reg. 18.* *Act. 7.* *Infra 13.* *Psal. 105.* *Num. 25.*

Non explicauit autem Euangelista, an eo tempore quo hæc gesta sunt, discipuli

Luc. vlt. Quando recordati sint disci puli eius Scripturæ: Zelus domus tuæ comedit me. *Psal. 68.* *Psal. 118.* Hoc Christi signum eiectionis inter maxima numerandum cur sit.

Scripturæ illius meminerunt, an vero post resurrectionem quando Dominus aperuit Apostolis sensum vt intelligerent Scripturas. Et probabilius est tunc hanc Scripturam eis venisse in mentem, quando hęc gerebantur: quod alioqui Euangelista addidisset, cum surrexisset Christus à mortuis, vt fecit inferius in hoc eodem capite. Porro dicere: *Zelus domus tua comedit me*, perinde est ac dicere: *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Est autem hoc Christi miraculum inter maxima annumerandum: tum quia omnibus internum incussit timorem, tum quia splendorem maiestate plenum de facie iaculatus est, vt autor est Hieronym. tum quia virtutem contulit verbo suo, & vim flagello, perinde ac si esset ferreum, &, quod maius est, nemo ei restitit, aut contradixit. Eoque signo edocuit, ipsos in eum nihil posse, nisi quantum ipse vellet permittere, deinde quantum in eos posset, si vellet.

Hier. in Mat. ca. 21. tom. 9.

Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? Id est, ostende nobis signo, quod hæc non temerè, & priuatus, sed diuina autoritate, vel Prophetæ, vel summi Sacerdotis (qui sunt Dei ministris) facias, & voces tēplum domum Patris tui, quasi esses eius filius, vt Moses legationem suam probauit à signis. Rectè Paulus dixit: *Iudæi signum petunt. Sed certè stulti erant, qui signum in signo quærebant:* nam quod maius signum, quam quod filius Ioseph, siue filius fabri, vilis illis, & contemptus, tantum, ac tale signum ediderit? Ad hæc etsi signum non esset quod ediderat, certè signorum opus non erat, cum malefacta corriperet, & Dei domum tanta purgaret ignominia, vt egregie docet Chrysostom. in hunc locum. Quia vero Iudæi hæc dicentes signum ex animo nō quærebant, sed temeritatis, & seditionis. Christum arguere volebant, ideo Dominus signum illis non dedit. Et quod dicitur: *Responderunt Iudæi*, cum nullus sermo pręcedat, ad quem responsio referatur: dicendum est, Iudæos facto magis Christi, quam verbis respondisse. Vel secutus est phrasim Hebræam, qua respondere significat loqui, aut sermonem ordiri. Frigidum, quod Castellio hæreticus vertit: Quod exemplum nobis præbes, deserens vim Græci verbi. Alij vero interpretantur σημεῖον argumentum. Sed verior, & præstantior est nostra lectio: *Quod signum.* In alio huic simili signo dictum est: *In qua potestate hæc facis?* Quasi dicant, Potestate opus est ad puniendum. Et Christus non est vsus consueta, & ordinaria potestate, qui non venit vt iudicet

Quinam Dei ministri. *Exod. 4.* *1. Cor. 1.* *Matth. 12.* *Ioan. 6.* *Chrys. ho. 23 in Ioan. to. 3.* Quare hic Iudæis postulantibus non dederit Domi nus signum. Respondere, Hebręis, loqui aut sermone ordiri sæpe significat. Castellionis hominis hæretici versio iniepta reijcitur. *Matth. 21.* *Ioan. 1.*

mundum: neque vlla potestate humana ab illis accepta, quia illos inuitos de templo pellebat: ergo diuina potestate, qua Helias puniuit quinquagenarium, & quinquaginta, & Paulus Elymam Magum excæcauit. Potestate ergo diuina, qua seipsū suscitauit. Quod si diuina, ede ergo signum tuæ missionis.

Infra 12. *4 Reg. 1.* *Act. 13.*

Respondit Iesus, & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Satisfacit ratione, ne quis iure calumniari possit cum scandalo factum esse, quod citra illud fieri poterat. Secundo respondit ænigmaticè, & parabolicè, se diuina autoritate illud facere, qua se ipsum à morte erat excitaturus: quia capaces nudæ veritatis non erant: non enim credidissent, si se à morte excitādum apertis verbis dixisset. Alias vero signa quærentibus apertius respondit: *Generatio mala, & adultera, signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ.* Quod idem est cum hoc signo de reædificando templo soluto: & sermonis occasionem Dominus ab ipso templo, in quo versabatur, & de quo erat quæstio, pro sua prudentia accepit. Tertio non dat signa quæ petunt, quia ei minime credidissent, ne videri posset ad ostentationem signa facere, & non potius ad Dei Patris sui gloriam illustrandam, & ad subleuandam aliorum necessitatem. Nam nec post suscitatum Lazarum in eum crediderunt, imo ex eo tunc signo necē eius medidati sunt: omnia enim calumniabantur vt dæmonis opera. Si vero se non velle dare signa dixisset, agerent in eum, vt impotentem: ideo non apertè respondit.

Aenigmatice & parabolico responso cur Dominus fuerit vsus, dicēs: Soluite templum hoc, & reliq. *Matt. 12. & 16.* *Ioan. 2.* Iudæis signum Christus in qua potestate vendentes & ementes de templo eijceret, nullum cur dederit. *Ioan. 11.* *Matt. 12.*

Ait ergo: Me quidem permittente soluetis per mortem violentam templum hoc corporis mei, cuius hoc templum materiale est figura: sed qua potestate illud animatum templum excitabo in triduo, eadem possum autoritate templum hoc inanimatum vestris cōmercijs contaminatum expiare, & suæ sanctitati restituere. Rectè porro vsus est verbo soluendi, sicut & Paulus: *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Est enim mors nihil aliud, quam solutio, siue separatio corporis ab anima: & illud solutum ego resurgendo reædificabo. Et si signo Ionæ Prophetæ cum exhibitum fuerit, vix credetis, quanto minus ante vel tardius credetis, quam par sit? vt cum mali bonos excitatos à morte in iudicio videbunt: eo ꝙ flagello præsenti non creditis, neque flagellationi futuræ per Romanos. Est autem aduertendum, secundum Augustinum libro de Doctrina Christiana, fidem Christianam maximè fulciri per resurre-

Quid significet: Soluite templū hoc, & in trib. diebus illud excitabo. *Philip. 1.* Mors quid. *Ion. 2.* *Aug. lib. 2. de doctr. Christ. c. 18. & 3. init.*

Qua maxime re fulciatur Christi fides secundum Augustinum.

ctionem, & ascensionem Domini. Nam sponte mortuus conuincitur, qui tam cito resurrexit: & multum ostendit, quam voluntarie pro nobis animam posuerit, qui sic eam habuit in potestate resumere: ita enim bonus pater philosophatus est. Sanè illo opere plane se Deum ostendit: confutauit incredulitatem Iudæorum ita, vt nihil possent obijcere. Conuersi sunt ad Fidem tanto miraculo multi ex illis, qui non erant animo obstinato, vt liber Actuum Apostolicorum testatur. Hæc est vis responsi Christi. Vbi aduertendum est, verbum imperatiuum Soluite, non esse imperantis, vel exhortantis ad cædem, sed prædicentis, & permittentis. Et more Hebræo pro futuro accipitur, vt illud: Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, pro, excæcabis, & aggrauabis: vt è conuerso futurum pro imperatiuo accipitur frequentissime. Simile genere locutionis vsus est Christus, cum dixit Iudæ: *Quod facis, fac citius.* Vel dici potest, verbum hoc esse comminatorium, aut promissorium: dicimus enim, fac modo hoc, & videbis quid eueniet tibi, vel, quid faciam, quomodo te tractabo. Vel, Gusta hæc, & senties quantæ sit virtutis, & efficaciæ: quo genere, siue modo sermonis non tam iubemus, quam enuntiamus quid futurum sit, si quicquam alter fecerit.

Ioan. 10.

Act. 5.

Imperatiuum pro futuro accipere Hebræi cōsueuerunt, vt futurum pro imperatiuo.

Esa. 6.

Ioan. 13.

Dixerunt ergo Iudæi, Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc. Christi dictum visum est Iudæis impium; quod iuberet solui templum tantæ religionis, & absurdum, quod reædificaret intra triduum: & qualis fuit illorum intellectus, talis fuit responsio. Et secundum Originem, templum Salomonis cœptum est ædificari à præparatione materiæ facta à Dauide consilio Nathan Prophetæ, vt ita colligantur quadraginta sex anni. Quod falsum videtur: quia templum, vt est in 3. Regum libro, septem annis, & paucis mensibus extructum fuit. Alij vero existimant loqui de reædificatione facta post reditum à Babylonia tempore Ezræ, & ab anno primo Cyri, quo fundatum est, vt dicitur apud Esdram: & postea per Cambysen prohibitum vsque ad sextum annum Darij Hydaspis: quo consummatum est, vt dicitur apud eundem Ezram, fluxerunt prædicti sex & quadraginta anni. Non quod semper, & nulla intermissione tot annis Iudæi ædificauerint: quia aliquandiu cessatum est propter gentium vicinarum impedimenta, & Regis prohibitionem.

Templum Salomonis quando cœptum fuerit.

I. Opinio quæ rejicitur. Orig. in Ioan. to. 10. 1. Paral. 22. & 28. & 29. 3. Reg. 6.

II. Opinio itē improbabilis.

1. Esdr. 1. & seq.

1. Esdr. 6.

Quidam tamen ex Hæreticis, Iudæos auxisse numerum existimant: quod non tot, sed pauciores anni fluxerint reædificationis templi. Quod minus probabile mihi videtur: quia ex certa traditione argumentabantur. Et vt Euthymius ait, ab anno Cyri cœptum est ædificium, & inuidia, & calumnia circum morantium Samaritanorum impeditum, ita quadraginta annis permāsit. Circa secūdum vero annum Darij Hydaspis missus Zorobabel, in sex annis ipsam perfecit: & ita annis quadraginta & sex ędificatum est templum, qui numerantur ab initio ædificationis vsque ad consummationem.

III. Opin. quæ & ipsa refellitur.

Euthym prædicto loco 1. Esdr. 4. 5. 6.

Infra 6.

Quod vero templi non meminerint, quod ab Herode excisum fuerat, & pro eo aliud magnificentissimum, & immanibus sumptibus extructum intra octo annos ab Herode, vt testis est Iosephus in lib. Antiq. mirum esse non debet. Probabile enim est perinde habitam à Iudæis hæc obijcientibus nouam templi structuram, ac si vetus illud in statu suo durasset ædificium, quo ampliorem haberet venerationem. Mystice etiam tot diebus corpus hominis in vtero materno formatur. Sic etiam imprudentes verum dicunt, quod templum de quo Christus loquitur, id est, corpus eius, quadraginta sex diebus ædificatum fuit: vt Augustinus docet lib. 83. quæst. & libro de Trinitate.

Ioseph libr. 15. Antiq. c. vlt.

Aug. libr. 83 Quæst. qu 56. to. 4. & lib. 4 de Trin. ca. 5. tom. 3

Illa autem dicebat de templo corporis sui. In quo, vt Apostolus ait, inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Explicat Euangelista, quam turpiter hallucinati sint Iudæi in intelligendis verbis Christi. Nam idē verbum seminatum in terra spinosa Iudæorum, seruatum est vt crimen capitale ad accusandum eum in passione: & idem discipuli in pectoris sui terra recipiētes, bonum fructum tulerunt. Nam Apostoli post resurrectionem recordati sunt, nēpe quando aperuit illis sensum, vt intelligerēt Scripturas. Vt videas etiam Apostolos, quandiu vixit Dominus, verborum eius intelligentiam in totum minime accepisse.

Coloss. 2.

Iudæi verborū Christi maligni interpretes manifestè deprehenduntur.

Matt. 26.

Luc. vlt.

Cum autem esset Ierosolymis in Pascha, in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius quæ faciebat. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis. In die festo, inquit, Paschæ, hoc est, solennitate Paschali, quæ septem diebus constabat. Hic porro fuit fructus prædicti miraculi, vt multi ad credendum in eum excitarentur, quanquam quidam reniterentur. Et ait illos credidisse videntes signa eius: vel alia ab istis, vt docent Origenes, & Theophylactus, licet non sint scripta, vel hæc ipsa mirabilia opera eiectionis eorum de templo. Quia tamen illa eorum fides informis erat, & infirma, & à

Festū Paschæ quot diebus constaret apud Iudæos. Exod. 12 & 13.

Origen. to. 10 in Ioan. Theophyl. in Ioan.

Credentibus Christo ob signa, quæ faciebat, Iudæis vt ait Euangelista, quare non credebat semetipsum Dominus,& quomodo.

Chryf.ho. 28. in Ioan. to. 3. Theophylact. 2. Tim. 2.

signis coacta, dicitur quod Iesus non credebat semetipsum eis, id est, non fidebat: Quemadmodum neque podagra laborãs suis pedibus ęgrotis fidit. Significat autem, Dominum non statim illis omnia sua secreta communicasse, vt Chrysostomus, & Theophylactus docent: eo quod non omnia dogmata, vt vere fidelibus & perfectis discipulis credebat, vel aperiebat: quemadmodum & Apostolus: *Hæc commenda*, inquit, *fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere.* Quemad modum enim nos non eodem modo amicis nomine, & amicis re ipsa credimus: ita neq; Christus, siue Deus.

Euthym. loco prædicto.

Hinc Euthymius ex Chrysostomo eleganter ait: *Crediderunt in eum, non tamen firmiter: nam illi firmius credebant, qui non propter signa tantùm, verum etiam propter doctrinam eius credebant: nam signa crassiores attrahebant, doctrina verò, ac prophetia mente sublimiores. Ideo quoque constantiores sunt hi, quib. etiam aptatur id quod dicitur: Beati qui non audierunt, & crediderunt.*

Ioan. 20. Concionatores verbum Dei quomodo dispensare debeant.

Sic ille. In hoc autem instruuntur Euangelici verbi Dei ministri: vt in dispensando verbo Dei altiora, quam quæ capere valeant sui auditores, non proponant. Augustinus vero edisserens hunc locum, longa interpretatione videtur hoc ad Dominicam mensam referre: docens Catechumenos omnes in Christum credere, & tamen non se vicissim eis credere, eo quod nondum possint eius corpus, & sanguinem sumere, donec perfecti sint Christiani. Sed primum videtur literæ magis conuenire: quia necdum CHRISTVS instituerat Sacramentum Eucharistiæ, instruit Dominus Euangelicum præconem, quod prudentiæ est, non statim omnia mysteria fidei Christianæ rudibus proponere: & quod mansuetudinis est, imperfectos tolerare, donec proficiant ad sublimiora. Instruit etiam Sacerdotes, quibus diuinorum mysteriorum dispensatio credita est, ne nimis citò neophytos, aut publicos peccatores ad mensam Domini admittant, ne sanctum detur canibus. Ne etiam Episcopi manus citò alicui imponant, sed prudẽter, & cautè agant: quia multi falsi fratres sub habitu religioso delitescunt.

Aug tract. 11. in Ioan. to. 9.

Euangelici præconis munus quod.

Sacerdotes quid cauere debeant, & Episcopi.

Matth. 7. 1 Tim. 5.

Alter sensus illorum verborum: Iesus autem non credebat semetipsum eis

Potest & hic esse sensus accommodus: Non se credebat Christus eis: quia propter credentium multitudinem non erat securus de bono Iudęorum animo, vt se tuto illis committeret, & vitam propriam crederet. Significat ergo, quod suam illis præsentiam subduxerit, eo quod ipse nosset eos intus, & in cute, vt non egeret alterius testimonio, vt quis omnes intimos animi illorum recessus, inuidiam, & maleuolentiam, quam ipsi incipiebant concipere, ipsi declararet. Ideo Dominus relicta Ierusalem, & Iudęa, abijt in Galilęam: quod ex eo colligitur, quia postea subditur inferius: Posthæc venit Iesus, & discipuli eius in Iudęam terram: Ergo sequitur, Dominum prius Iudæam reliquisse. Porro illa phrasis: *Non credebat semetipsum eis*, vsurpata est à bonis autoribus, ait enim Cicero lib. 3. ad Atticum: *Ego si fidem accusarem, non me potissimum tuis verbis crederem.* Et Poëta Latinus de Dædalo:

Cicero.

Virg 6. Aeneid. init.

Præpetibus pennis ausus se credere cœlo.

Et in lib. Sapien. c. 14. *Exiguo ligno credunt homines animas suas.* Circa illud: *Multi crediderunt in nomine eius*, perpẽdat prudens Lector quasdam loquendi formulas, quibus Scriptura vti consueuit, quæ vel diuersæ sunt, vel proximæ, & prorsus eædem, ne fortè decipi contingat. Idem enim est credere in nomine Iesu, vel Christi. Græcè enim eadẽ est locutio, πιστεύειν εἰς ὄνομα αὐτοῦ: sed à nostro interprete variata, & per Accusandi, & per Auferendi casum expressa: quorum vtrumq; regit Latina præpositio In, & Hebræa præpositio ב Be, in principio dictionis deseruiens Ablatiuo, sicut את deseruit Accusatiuo. Et vna, & eadem præpositione Latina In, expressit interpres vtramq; Hebræam. Et ita interpres Ioan. 1. dixit: *His qui credunt in nomine eius*: vbi Græcè habetur, in nomen eius, &, *Baptizantes eos in nomine patris, & Filij, & Spiritus sancti*, Græcè habetur præpositio εἰς, cum Accusandi casu, sicut alibi: *Erunt duo in carnem vnam.* Et promiscue dicitur, credere εἰς Θεὸν, vel ἐπὶ Θεῷ, vel ἐν Θεῷ. Dicitur enim Rom. 9. Πᾶς ὁ πιστεύων ἐν αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται. Idem habetur 1. Pet. 2. & Paulus 1. Tim. 1. Πρὸς ὑποτύπωσιν τῶν μελλόντων πιστεύειν ἐπ' αὐτῷ. Ad informationem eorum qui credituri sunt illi, siue in illum. Et Luc. vlt. *O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ.* Vbi dicitur, ἐπὶ πᾶσι, Et Psal. 77. *Qui non crediderunt in Deo.* Græca habent, ἐν τῷ Θεῷ. Et 2. Paralip. 20. *Credite in Domino Deo vestro, &c. & credite in Prophetis*: Græca, ἐμπιστεύσατε τῷ Κυρίῳ, & rursus: ἐμπιστεύσατε τοῖς προφήταις: & Latinus interpres 1. Pet. 1. *Fideles estis in Deo.* Idem enim efficitur sensus, quacunque præpositione exprimatur actus credendi, siue regat Accusandi, siue Auferendi casum Latinis, nam Gręci qui Ablatiuo carent, Dandi casu pro illo vti solent: quanquam prępositioni Hebręę ב magis respondeat præpositio ἐν, & ἐπὶ, & Latinis In, cum Ablatiuo, quam εἰς cum Accusatiuo: etsi Act. 16. dicatur: πίστευσον ἐπὶ τὸν Κύριον Ἰησοῦν.

Credere in Christum, vel in Christo, vel in nomine eius, idem esse ostenditur.

Matt. 28.

Gen. 2. & Matt. 19.

His positis, dicendum est in primis,

inueniet, vt illud: Visitasti terram, & inebriasti eam. Hæc ille.

Positiuis pro comparatiuis vtuntur Hebræi.

Tu autem seruasti bonum vinum vsque adbuc. Bonum dixit tropo Hebræo, pro melius: nam illi Positiuis pro Comparatiuis vtuntur: vt Lucæ 10. *Maria bonam partem elegit*: ita enim Græca habent, pro eo quod est, meliorem. Regula autem mundi est, vt in conuiuijs, & nuptijs præcedat lætitia & gaudium, sequatur tristitia & dolor. Et hęc est natura peccati, vt primò delectet, post contristet: hic quidem conscientiam, posteà verò & corpus & animam in gehenna. Christus verò in conuiuio suo, primò proponit panem doloris, & aquam angustiæ; sed postea conuertit illam aquam in vinum exultationis, vnde illud: *Ibant gaudentes Apostoli à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Et primò nuptiæ cum Christo faciunt animam leprosam, quia ipse CHRISTVS fuit leprosus in Cruce: sed post hanc vitam reddunt illam gloriosam sine macula, & ruga Carnisprivium, quando scilicet Bacchanalia diaboli celebrantur, consequitur ieiunium Quadragesimæ perpetuum: Quadragesimam verò Christi sequitur Paschale gaudium, & pleni iocunditatis dies. Hæreticus etiam primò proponit vinum doctrinæ sanæ; & postea illa inebrietatis, virus erroris porrigit. Et proinde diligenter ab eorum sermonibus, & libris cauendum est.

Peccati proprium quid.

Conuiuium Christi, & mundi differunt,

Act. 5.

Nuptiæ cum Christo qualem reddant animam in præsenti, qualem in futuro.

Esai. 53.

Ephes. 5.

Hæretici ingenium.

Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaa, vel in Chana Galilææ. Intellige ad manifestandum se Iesum Deum, & gloriam potentiæ suæ. Quòd enim stella traxerit Magos ab Oriente in Bethleem, vel quòd idola Ægypti ad Christi in templum ingressum corruerint, quando fugit in Ægyptum; vel quod columba descenderit in baptismo, & vox de cælo dicens: *Hic est Filius meus dilectus*; vel quod ieiunauerit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus absque vllo cibo, vel alia signa in pueritia sua, adolescentiave in priuatis ædibus, cùm subiectus esset parentibus, vt quidam volunt, ediderit: signa quidem erant, sed minùs clarè ostendentia eum esse Iesum, vel Messiam, siue Deum, nec ipse ita in pueritia videbatur illa edere. Vt enim Deitas erat magis occulta in puero, quàm in viro, & magis in viro, quàm in viro iam publicè prædicante: ita miracula occultiora, id est, eum minus manifestum reddentia, illo tempore fecit. Quod cum ratione certè factum est: ne scilicet non crederetur verus homo. Sed hoc est primum post baptismum, & tentationem publicè, & manifestè à se factum. Nam ieiunium quadraginta dierum, cùm nullus adesset, nemini manifestare potuit eius potentiam, vel diuinitatem. Hoc autem dicitur factum in Cana Galilęę, id est, apud contemptibiles, & paruos in oculis suis, zelantes tamen Dei honorem; ne quis in se glorietur.

Conuersio aquæ in vinum quomodo primum signum Christi fuerit

Ita Scholastica c. 38 exponit primum.

Matt. 2.

Ibidem.

Inf. 3. & Ioan. 1.

Matt. 4.

Christi pueri vel adolescentis signa quã occulta & incognita.

Quid est quod signum conuersionis aquę in vinum in Cana Galilææ factum esse perhibetur.

Et manifestauit gloriam suam. Id est, gloriam potentiæ, & sapientiæ, & bonitatis suæ in se delitescentem, & se esse vnigenitum Dei, iuxta illud dictum Ioannis: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Expressit autem Claudianus poeta in Epigrammate De Christi miraculis eleganti disticho hoc signum:

Ioan. 1.

Claudianus.

Conuertit lymphas in vina liquentia Christus:
Quo primum facto se probat esse Deum.

Et crediderunt in eum Discipuli eius. Rectè dixit discipuli, non mater, quæ non egebat signo, vt crederent in illum quasi in Messiam, vel in Deum, sed discipuli, qui actu erant, non qui futuri erant, vt exponit Augustinus. Crediderunt ergo discipuli: quia vel confirmati sunt in fide, vel crediderunt in Deum: quem prius crediderant Messiam: nam vt magistrum discipuli secuti erant eum.

Aug. tract. 9. in Ioan. c. 9.

Hactenus literam percurrimus, nunc mysterium litera inclusum explicandum est. In his enim nuptijs adumbrantur nuptiæ Verbi Dei cum Humanitate; deinde Verbi cum anima; postremò nuptiæ legitimæ & Christianæ viri cuiusque cum vxore sua. Primæ ergo nuptiæ celebrantur in Cana Galilææ, hoc est, in zelo rotæ, siue in zelo honoris Deitatis, quæ velut rota est sine principio, & fine, vbique habens initium, & terminum. Ob honorem ergo suum, & sapientiam, atque bonitatem declarandam, has nuptias celebrauit Christus: in quibus Sponsus est Verbum; Sponsa verò sancta eius Humanitas. Hinc dicitur: *Qui habet sponsam, Sponsus est.* Et Psalles: *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Et de his dicitur in Euangelio: *Simile est regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo.* Factæ autem sunt tertia die. Prima dies, tempus ante legem. Secunda, tempus sub lege. Tertia, tempus Euangelicæ doctrinæ. In his nuptijs in primis fuit mutuus consensus in matrimonium: nam Verbum per Angelum requisiuit humanam naturam in Maria, & illa pro toto mundo consensit: quemadmodum mater in contractibus, quæ in vtilitatem filiorum paruulorum, & quid fiat, igno-

Allegoria huius Euangelij proponitur, & explicatur.

Cana Galilææ quid.

Ioan. 3.

Psal. 18.

Matt. 22.

Luc. 1.

Simile.

rantium, celebrandis consentire solet. Præ MARIA autem omnes præteriti, & futuri paruuli sunt, ideo ipsa præ omnibus consensum exhibuit, cum dixit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Deinde fuit in hoc matrimonio mutua bonorum communio. Nam vir non habet potestatem sui corporis: sed mulier. Similiter autem & mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Nam per communicationem idiomatum, omnia quæ Humanitatis sunt, Verbo tribuuntur: rursus quæ Verbi sunt, Humanitati adscribuntur. Tertiò fuit mutua voluntatum vnio: nam Verbum voluit omnia quæ Humanitas, quia voluntatem timentium se facit, & deprecationem eorum exaudit. Ita etiam CHRISTVS homo Verbi voluntatem faciebat, qui dicebat: *Descendi de cœlo, non vt facerem voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me*: & iterum, *Non mea voluntas, sed tua fiat*: & alibi: *Ego quæ placita sunt ei, facio semper.* Spoliauit ergo se omni propria voluntate, vt illam Verbi faceret. Quartò fuit mutua reuelatio secretorum: nam Verbum omnia reuelauit CHRISTO, quorum capax erat: rursus CHRISTVS homo omnes nostras necessitates & desideria Verbo tanquam DEO proponebat, & de nostris nuptijs dicebat: *Vinum non habent.* Quintò fuit indissolubile vinculum. Nam, vt Dominus dixit: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*, nam CHRISTVS quod semel assumpsit, nunquam dimisit. Postremo in hoc matrimonio fuit etiam prolis generatio, agente Verbo, & patiente Humanitate, & parturiente cum dolore, & gemitibus in Cruce. Mulier enim cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius. Hinc clamauit voce magna, & quasi Rachel altera in partu prolis Beniamin mortua est. Et vt prolem pater voccuit Ben-iamin, id est, filium dexteræ, mater vero, Ben-oni, id est, filium doloris: ita nos filij sumus potentissimæ dexteræ Dei, quia Verbum est, & filij doloris ratione Humanitatis, quæ nonnisi doloribus crucis, & sanguine suo nos regenuit. In his nuptijs vinum deficiens erat doctrina Euangelij: quam ille ex Veteri Testamento quasi ex aqua vinum eduxit, quo inebriantur animæ agnoscentes DEI immensum amorem, quo sic DEVS dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret. Atque per hoc vinum Euangelij cognita est gloria Dei, & fide suscepta à toto mundo, iuxta illud: *Manifestauit gloriam suam: & crediderunt in eum discipuli eius.*

Ibidem. | 1. Cor. 7. | Psal. 144. | Ioan. 6. | Luc. 22. | Ioann. 8. | Matth. 9. | Ioan. 16. | Matt. 27. | Hebr. 5. | Gen. 35. | Dextera Dei quænam sit. | Ioan. 3. | Supra 2.

Sunt & aliæ nuptiæ Verbi cum Ecclesia, siue cum anima qualibet, conciliatæ in Cana Galilææ, non in Ierusalem, vel Iudæa: quia ad Gentes magis spectant hæ nuptiæ. Vel in Cana Galilææ, hoc est, in zelo rotæ, id est, naturæ nostræ more rotæ per inconstantiam fluentis tum in anima, tum in corpore instar amnis deorsum, & ad carnalia bona huius mundi fluentis. In his sponsus est ditissimus, vt sponsam suam possit dotare: & sapientissimus, ne anima bona sua dissipare velit: pulcherrimus, & speciosus forma præ filijs hominum, ne sponsæ displiceret. Nobilissimus DEI Filius, ne ab ea contemneretur: Potentissimus, ne ab alio, nisi sua sponte opprimi posset: Denique optimus, & omni suauitate plenus, vt semper diligeretur. Et vt Moyses vxorem duxit Æthiopissam: ita CHRISTVS animam peccato denigratam accipit, vt reddat illam formosam, & dicere possit: *Nigra sum, sed formosa.* Quia ablata culpa per gratiam, remanet in ea nigritudo pœnæ in hac vita sustinendæ ad imitationem Christi. Erat autem sponsa pauper gratia, & debitis onusta, sed ditata est à sponso, & dotata, vt diximus. In has nuptias debet sponsa consentire: quia, vt ait Diuus Augustinus: *Qui fecit te sine te, non iustificabit te sine te.* His nuptijs intersunt tum Beata Virgo, non rogata, sed pro nobis rogans. Adsunt & Apostoli tanquam ministri verbi Dei, & Sacramenti, quibus anima ornatur, & præparatur, vt Christo desponsetur. Secundo, in his nuptijs est communicatio bonorum: quia omnia quæ Verbi sunt, nostra fiunt, de quibus Apostolus: *Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Hinc dignitates CHRISTI, & tituli in sponsas eius deriuantur. Nam vt ille Deus est, Dei Filius, Lux, Saluator, Iustus, & Iudex, & Christus: ita nos dij per participationem, & Filij Dei adoptione, & lux in Domino, & Christiani, & aliorum in eo saluatores, & denique iudices efficimur. Vt ergo quæ Verbi sunt, nostra fiunt, ita quæ nostra sunt, vt anima, corpus, intellectus, voluntas, &c. vni sponso nostro sunt consecranda, iuxta illud: *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Tertio debet adesse vnio voluntatum. Ideo oramus: *Fiat voluntas tua.* Nam eius voluntas, qui vt vir regit, præstare debet voluntati vxoris Ideo nostra voluntas, vtpote carnalis, exuenda est, & crucifigenda. Cum ergo nos eius voluntatem fecerimus, ipse faciet nostram,

Nuptiæ Verbi cum Ecclesia quænam sint. | Natura nostra merito rotę comparatur. | Psal. 44. | Num. 12. | Cant. 1. | D. Aug. serm. 15. de verb. Apostoli circ med. to. 10. | Rom. 8. | 1. Cor. 3. | Matt. 6.

quia non erit à sua distincta. Quartò debet adesse mutua secretorum communicatio. Nam vt ille nobis omnia communicat secreta sua, qui dixit: *Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis:* Ita nos mutuo illi nostra consilia aperire, & corda nostra per orationem coram illo effundere debemus, secundum illud: *Reuela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet.* Quintò, debet esse inseparabilis vnio. Nam verbum ex parte sua dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.* Neque quenquam derelinquit, nisi prius derelictus, iuxta illud: *Dereliquistis Dominum, vt derelinqueret vos.* Imo eos qui se dereliquerunt, inuitat ad reditum, & facilè reconciliatur, & in priorem amicitiam recipit. Vt ergo ex parte Christi debet reddi indissolubile matrimonium, ita etiam ex parte nostra: assiduè, & impensè rogando, vt nos tanquam sponsas suas ab omni mũdi, & carnis, & diaboli, atque adeo nostræ ipsius propriæ voluntatis insidijs, & dolis, quibus ab eo abducamur, protegere velit, & ad eum nos gradum perfectionis deducere, vt cum Paulo valeamus dicere: *Quis me separabit à Charitate Christi?* Denique in hoc connubio debet adesse proles bonorum operum, Verbo in nobis, & per nos operante, etiamsi nos in patiendo patiamur. Nam vt nulla mulier gloriari potest se sola opera sua absque viri commercio filium genuisse, præter solam Virginem, quæ tamen Christum sine Spiritus sancti virtute non concepit: ad eum modum nemo potest vllum fructum boni operis ex se solo sine Dei gratia producere. Dixit enim Dominus: *Sine me nihil potestis facere.* Videmus autem filios filiorum nostrorum: cum exemplo nostrorum bonorum operum alij ad bene operandum excitantur, & impletur illud in spiritu: *Vt videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.* Atque hoc est maximum & primum signorum, quod facit Iesus cum anima, quam desponder, id est iustificatio, qua Dei gloria agnoscitur, & quisq; efficitur Christi discipulus. Quemadmodum in prioribus nuptijs diuini incarnatio Verbi, primum, & maximum signorum est, de quo Propheta dixit: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum, Ecce virgo concipiet, & pariet filium.* His ergo nuptijs aqua naturæ nostræ frigidæ, & insipidæ, (nã aquæ multæ, populi multi) & quamuis forma facilè per amorem recipientis transit in naturam vini, videlicet inebriantis deitatis, & nos ad deitatis naturam euehentis. Has aquas adducunt ministri: architriclinus vero, rector est Ecclesiæ, probans doctrinas: qui nescit modum signi, quia omnia tribuit sponso Christo: nam neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Sex hydriæ, sex ætates seculi huius sunt. Quæuis hydria capit metretas binas, vel ternas: quia fuit seculum, quando satis erat credere quia Deus est, & quod omnium bene operantium remunerator sit. Capit vero ternas, qui continet fidem expressam sanctissimæ Trinitatis. Tertio loco instruimur, quales debent esse nuptiæ fidelium, nempe sobriæ, sanctæ, & reformatæ: nam ex his salus totius Ecclesiæ pendet, siquidem ex illis filij prodeunt, qui implent non minus cœlum, quam terram: ideo matrimonio reformato, omnia reformata haberemus.

Ioan. 15. | Psal. 63. | Matt. vlt. | 2. Par. 24. | Rom. 8. | Ioann. 15. | Psal. 127. | Esa. 7. | Apoc. 17. | 1. Cor. 3. | Heb. 11. | Quales debeant esse nuptiæ fidelium.

Primo ergo debent celebrari hæ nuptiæ in Cana, id est, in zelo. Ille zelum habet, qui vt imbecillitati carnis suæ prospiciat, & vt castius viuat, vxorem ducit, ne solutus ad quamuis fœminam adhinniat, velut emissarij equi, qui nullo fræno rationis, pudorisve detenti, ad meretrices, vel ad fœminas non caste viuentes, tanquam ad grauidandas mulas steriles concurrunt. Sunt etiam vt pecus macello destinatum, cui propterea liberum est in quo cunque prato edere, & dicunt: *Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Secundo, debent fieri in Galilæa, id est, in transmigratione: nam propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ. Non solum autem debet quis transfundere esse suum naturale in filium, vt omnes etiam bestiæ faciunt, vel esse suum morale, vt Philosophi, sed esse suum diuinum, non tam illum mundo, quam Deo generando, vt hæres esse possit sanctitatis, & virtutis suæ. Tertio, hoc matrimonium celebrari debet in conuiuio, & præsentia multorum, & coram Apostolis, id est, ministris Ecclesiæ illud conciliantibus, vt caueantur matrimonia occulta, & clandestina, quibus plerunque multæ puellæ ab adolescentibus illas ducere minimè cogitantibus, sed corrumpere, seducuntur, etiamsi ore ficto citra cõsensum promittant. Nam talia plerunq; per fenestras crates ferreas habentes, & in alijs locis minus honestis, non autem in facie Ecclesiæ, & more Christiano, conciliantur matrimonia, quibus & violatur patria potestas, & virgines seducuntur, & seminarium inimicitiarum & rixarum inter socerum

Qui zelum habet. | Sap. 2. | Galilæa quid sonet. | Gen. 2. | Matt. 19. | Vitanda clandestina coniugia.

& ge-

& generum excitatur. Sed his corruptelis satis iam videtur per Concilium Tridentinum esse prospectum. Non dicam de his, qui publicè innuptas virgines, vel in templo osculantur, vt osculi iure cogantur parentes illas sibi desponsare, vt interdum fieri in Italia vidi. Quod grauissimum peccatum est, quia summa debet adesse libertas coniugibus, qui matrimonio copulantur. Hinc Laban fecit conuiuium, & vocauit inuitatos, quando celebrauit nuptias Liæ & Rachelis cum Iacob, & Raguel, quando dedit Annam filiam Tobiæ iuniori. Omnis vero qui male agit odit lucem, vt qui clandestine contrahunt. Quartò debet adesse Iesus in principio, & in progressu. In principio quidem, quando quæritur vxor ad bonum finem, id est, ad prolem in Christo educendam, & ad vitandam fornicationem, & solatium vitæ præsentis, & æternæ vitæ consecutionem: nam Apostolus ait: *Saluabitur mulier per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate*. Item quęratur vxor honestis vijs & rationibus, nempe cauendo peccata, & orando Dominum. Quia *domus, & diuitiæ dantur à parentibus, à Domino autem proprie vxor prudens*. Consulendi sunt etiam amici, & seniores, & prudẽtiores: quia sæpe Deus dat coniugem in totius vitæ flagellum. Vt accidit illis, qui non consulunt nisi magnitudinem dotis, & sanguinis claritatem, & formæ pulchritudinem, quibus vt esca capiuntur iuuenes, & inexperti.

Concil Trid sess. 24. — *Gen. 29.* — *Tob. 9.* — *Ioan 3.* — *1. Tim. 2.* — *Prou. 19.*

Desidero autem, vt Respublicæ nostro seculo plurimum correptum modum aliquem, ac moderationem indicant dotibus: quia intolerabiles sunt, & causa vt paucæ maritis collocari possint, & vt reliquæ in monasterium, vel inuitæ detrudantur quasi in carcerem: quod iniquissimum est. Quantum ad progressum vero matrimonij, maritus exhibeat vxori honorem, obsequium, doctrinam conditam sale amoris, vxor vero exhibeat viro amorem, reuerentiam, obedientiam, diligentiam, curam & regimen domesticorum. Quintò & vltimo debet adesse Maria, vt bona comes, & patrona contrahentium. Primo, vt sit castitas cum fœcunditate ex vtraque parte: sine fœcunditate enim vix est amor, licet esse debeat & curari. In nuptijs namque sine cesto, id est, cingulo castitatis, non potest adesse Deus, nec pax. Secundo, vt sit modestia in victu, & vestitu, & fuco, & vt vxor nolit placare nisi viro suo, nec vir alteri, nisi vxori propriæ. Sit tempus aliquod precationibus destinatum: sit frequens vsus Sacramentorum quo plerunque sanctificentur. In his nuptijs, quæ more Christiano celebrantur, solet Iesus aquam conuertere in vinum, dum onera matrimonij, & labores, & gestationem ventris, & partus dolores, & filiorum educationem, quæ per se sunt laboriosa, & insipida in vinum amoris cõuertit, vt ex dilectione Dei, & illa, quam inuicem sibi coniuges debent, charitate omnia reddantur leuia, facilia, & suauia. Nam hoc est ingenium charitatis, atque hoc est vinum inebrians, & ab sensu abducens, vt labores, & ærumnas quis non sentiat: aut si sentit, facile superet per gratiam Domini nostri Iesu Christi, qui cum Patre vna, atq; Spiritu sancto pari fruitur honore, potestate, atque imperio, in secula seculorum, Amen.

Immoderatæ dotes tollendæ. — *Cestus quid.* — *Ingenium charitatis quod.*

TRACTAT. VIII.

De secundo signo eiectionis vendentium & ementium de templo. Ioan. 2.

Solus Ioannes Euangelista hoc signum describit, ab alijs tribus suppressum, quemadmodum signum eiectionis de tẽplo morte imminente factum, quia ab alijs tribus erat descriptum, à Ioanne prætermissum est: qui quoniam postremus omnium scripsit, ab alijs quidem prætermissa suppleuit, ab alijs vero dicta non iudicauit operæpretium repetere. Quod vero hoc signum non sit idem cum illo quod alij enarrant, non solum ratio temporis euincit: quia illud in Dominica Palmarum contigit paucis dieb. ante mortem, hoc vero primo anno etiam antequam publicè inciperet prædicare, sed etiam, quia durius egit cum Iudæis in posteriori, quam priori cœperat miraculo. Nam in hoc tantum dixit: *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domũ negotiationis*: In secundo vero, pertinaces in peccato acerbius reprehendit, dicendo illis: *Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam, speluncam latronum*. Sunt etiam aliç circumstantiæ, quæ ostendunt diuersitatem signorum. Sed hæc sint satis. Quod vero hæc vendentium, & ementium de templo, eiectio, signum extiterit, & quidem magnum, ac rarum, testatur ipse Euangelista Ioannes, qui post enarratum hoc factum subdit: *Cum autem esset Ierosolymis in Pascha, in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius quæ faciebat*: & Nicodemus paulo post dixit:

Matt. 21. Marc. 11. Luc. 19. — *Quod hoc signum eiectionis vendentium & ementium, distinctũ sit ab eo quod reliqui tres enarrant Euangelistæ.* — *Eiectionem hanc signi nomine esse censendam, quæ comprobent.*

Ioan.3.

Nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo. Non legitur autem vllum aliud in Paſcha perfeciſſe præter hoc. Præterea Patres ſignum hoc, vt inſigne: & admirabile, & vocant, & celebrant. Hinc Hieronymus in Matthæum de alia eiectione poſtrema verba faciens, ſcribit: *Pleriq; arbitrantur maximum eſſe ſignorum, quod Lazarus ſuſcitatus eſt, quod cæcus ex vtero lumen acceperit, quod ad Iordanem vox audita ſit Patris, quod transfiguratus in monte gloriam oſtenderit triumphantis. Mihi inter omnia ſigna, quæ fecit, hoc videtur mirabilius eſſe, quod vnus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, vt poſtea crucifigeretur, Scribis & Phariſæis contra ſe ſæuientibus, & videntibus lucra ſua deſtrui, potuerit ad vnius flagelli verbera tantam eÿcere multitudinem, menſasq; ſubuertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non feciſſet exercitus. Igneum enim quiddam atq; ſydereum radiabat ex oculis eius, & diuinitatis maieſtas lucebat in facie.* Hæc ille, doctiſſimè indicans opus illud, quo tantum timorem omnibus incuſſit, planè diuinum, & non humanum opus extitiſſe.

Hieronym. in Matt. 21. to. 9
Ioan. 11.
Supra 9.
Matt. 3.
Infra 17.
Signorum omnium Chriſti maximum illud eſſe, vnde Hieron. oſtendat.

Quod vero Iudæi dixerunt: *Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?* non arguit prædictam eiectionem non fuiſſe ſignum: ſicut & alias, quando ſanauit hominem cæcum, & mutum, & à diabolo oppreſſum, apud Lucam dicitur: *Et alÿ tentantes, ſignum de cœlo quærebant ab eo.* Et apud Ioannem, cum panem multiplicaſſet, petebant: *Quod ergo tu facis ſignum, vt videamus, & credamus tibi?*

Luc. 11.
Ioan. 6.

Neceſſitas huius narrationis quæ fuerit.

Narratio porro huius ſigni neceſſaria fuit, non ſolum quod fuerit ab alijs Euangeliſtis omiſſum, ſed etiam, quia ſine iſta hiſtoria non ſatis poſſet intelligi, quod alij Euangeliſtæ commemorant, quoſdam coram Caipha teſtificatos, Chriſtum aliquando dixiſſe: *Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud.* Rurſus inſultaſſe Chriſto in cruce pendenti: *Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas.* Hoc enim nullibi narratur dictum à Chriſto, niſi hoc loco: quanquam verba quædam calumniantes mutauerint. Percurremus autem primo loco literam Euangelij, deinde documenta in illis myſticè incluſa aperiemus.

Matt. 26.
Infra 27.

Capharnaum quæ ciuitas, vnde ſic dicta.

Ioannes ergo ita habet: *Poſt hæc deſcendit Capharnaum ipſe, & mater eius, & fratres eius, & diſcipuli eius: & ibi manſerunt non multis diebus.* Capharnaum, ciuitas erat inclyta, & metropolis Galilææ. Caphar autem ſignificat villam, vel oppidum: naum vero nomen proprium eſt loci, vt tradunt Rabbini, & ſignificat pœnitentiam, ſiue conſolationem. Sed nihil prohibet, ex duobus nominibus vnum eſſe compoſitum nomen proprium loci, vel ciuitatis: ſic enim vocamus ciuitatem veterem, ciuitatem caſtelli, villam nouam, ac ſimilia. Vt autem docet Hieronymus lib. De locis Hebraicis, hæc ciuitas maritima erat iuxta ſtagnum Geneſareth, in finibus Zabulon, & Nephthali, ac proinde ſitu erat inferior ipſa Cana, vt propterea à Cana ad Capharnaum deſcendiſſe ſcribatur Dominus.

Naum quid.

Hieron. to. 3.
Matth. 4.
Marc 1.
Luc. 4

An hic deſcenſus Domini in ciuitatem Capharnaum, ſit idem cum illo, cuius alij tres Euangeliſtæ meminere.

Non eſt autem hic deſcenſus Domini in Capharnaum, ille idem, cuius alij Euangeliſtæ meminerunt, quo Dominus reliquit patriam ſuam Nazareth, & venit ad habitandum in Capharnaum, Quoniam iſte fuit ante Ioãnis carcerem, & ante multa miracula edita, alter vero deſcenſus in Capharnaum factus eſt, poſtquam Dominus multa ediderat ſigna in Galilæa. Et dicitur mater eius veniſſe cum eo, quæ ad nuptias venerat, & fratres eius, hoc eſt, conſanguinei, more Scripturæ. Diſcipulos autem eius vocat, qui eum ſequebantur: & adhuc eos in Apoſtolos nondum elegerat, ſed quatuor tantum habebat diſcipulos, quantum colligitur ex Euangelio, nempe Andream, Petrum, & Philippum, & Nathanaëlem. Eoque deſcendit Dominus, non ratione habitandi, nam manſit ibi paucis diebus, ſed vt ad tempus edito ſigno ſe ſubduceret, & ne præcurſorem ſuum adhuc prædicantem à cœpto curſu impediret, vel ne homines æmulatione & inuidia Ioannis hoc Chriſtum facere calumniarentur.

Ioan. 2.

Fratres in Scripturis, conſanguineos ſæpe ſignificant.

Supra 1.

Quare nunc Dominus Capharnaum deſcenderit.

Sequitur in Textu: *Et prope erat paſcha Iudæorum.* Quia Ioannes poſtremus ſcripſit, quo tempore erat iam introductum Paſcha Chriſtianorum in Aſia, propterea ad diſtinctionem illius dixit, *Paſcha Iudæorum.* Erat autem Paſcha, feſtum præcipuum Iudæorum in memoriam liberationis ex Ægypto: cuius feſti ritus, erat comeſtio agni in veſpera, & azymorum panum per ſeptem dies. In paſcha vero noſtro agnus ſpiritualis, eſt Chriſtus pro nobis immolatus, & azyma noſtra, ſinceritas, & veritas, & ipſa liberatio ſpiritualis eſt, ſcilicet à diabolo, & peccatis, de qua Paulus, *Eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnũ Filÿ dilectionis ſuæ.* Et in ipſo feſto Paſchæ primo ſe Ieroſolymis manifeſtum reddidit, vt tempore, & loco ſacro exordiretur principium ſuæ pateſactionis. Sic in eodem feſto vltimo à Iudæis viſus eſt: ſed hic quidem ſeuerum ſe oſtendit, eijciendo de

Ab Euangeliſta cur dicatur ſit Paſcha Iudæorum. Paſcha quale feſtum apud Iudæos, & quam ob cauſam inſtitutum.

Exod. 14.
Supra 12.
1. Cor. 5.
Coloſſ. 1.

do de

do de templo vendentes, & ementes, in postremo vero se benignissimum indicauit eiectus ipse de Ierusalem, & pendens in cruce.

Matt. 27. & Heb. 13.

Et ascendit Iesus Ierosolymam. Præceptum erat, vt ter omni anno omne masculinum appareret coram Domino. Hinc Christus etsi, vt Dei Filius, & Princeps, solutus esset omni lege: tamen sponte se omni legi subiecit propter nos, vt confunderet superbiam nostram, & maxime hæreticorum, qui ab omni lege humana, siue Ecclesiastica, siue Ciuili, siue Imperiali liberi esse volunt, imo etiam à Diuina, quam pro modo suo interpretantur. Christus vero seruauit omnem legem: Sacramentalem, circumcisus: Cæremonialem, præsentatus in templo: legalem, ascendens ad festa: Sacerdotalem dicens: *Ite, ostendite vos sacerdotibus:* imperialem, soluens ipse tributum Cæsari, & alijs soluere iubens: & moralem: quia erat Iesus subditus illis: & diuinam: *Sicut,* inquit, *mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Atque hac tanta sua obedientia legibus præstita satisfecit Deo pro nostris transgressionibus, & liberauit nos à lege peccati, & mortis, & excellentius præstitit illud quod quidam Iurisperitus sapientissimus dixit: *Digna vox est maiestate regnantis, alligatum legibus se Principem profiteri*, & ille, qui dixit: *Ideo legum serui sumus, vt liberi esse valeamus.*

Exod. 13.

Christum omniū legum tum Diuinarum, tum Humanarum, ob seruantissimū fuisse.

Luc 2. Leu 12. Luc. 2. Infra 17. & Matth. 8. Leu 14. Matth. 17. Infra 22. Luc. 2. Ioann. 14.

Rom. 8.

Et inuenit in templo. Non intelligas per templum, Sanctum Sanctorum, vbi erat arca, & propitiatorium, in quod semel in anno intrabat summus tantum sacerdos: neque Sanctum, in quo erat candelabrum & altare thymiamitis, cuius loci aditus solis sacerdotibus patebat, sed atrium omnibus laicis commune: nam ibi orabat populus, & audiebat verbum Dei, & sacrificabat, quia in eo erat altare holocaustorum. Ingressus est autem templum, vt filius in domum patris, vt præmissa oratione auspicaretur, & factis, & verbis sui detectionem. Deinde, quemadmodum Medicus populum infirmum curaturus, primum interrogat de capite, & de stomacho, & de corde, quæ sunt præcipua membra hominis, ex quibus hominis totius salus pendet: ita Dominus à templo, & Sacerdotibus qui comparatione populi caput sunt, & stomachus, & cor, exorditur.

Exod. 30. Heb. 9. Exod. 26. Heb. 9.

Templum Dominus cur fuerit ingressus.

Simile.

Vendentes oues, & boues, & columbas, & nummularios sedentes. Sacrificare, vrbanitas est externa soli Deo debita, & à Deo libenter acceptata, tum ne Idolis fieret, tum vt homines agnoscerent supremum Dominium Dei, & illi sacrificando tributum penderent, tum vt agnoscerent se dignos morte propter peccata, quemadmodum animalia, quæ offerebant, mactabantur, tum denique vt illis omnibus sacrificijs repræsentaretur Noui Testamenti sacrificium, tum cruentum in cruce, tum incruentum in Eucharistia. Quoniam vero multi Iudæorum ex longinquis prouincijs ad templum confluebant, vt ex Græcia, Italia, Lybia, Mesopotamia, & ferè ex toto orbe, sacerdotes hunc mercatum ex auaritia instituerant, vt magis venales illis essent victimæ, quam vt instituerent populum Dei. Prætextum tamen aliquem ex lege habebant: quia in Deuteronomio præcipitur, vt qui longius à templo habitarent, sua dona domi venderent, vt alia eadem pecunia emerent in domo Domini. Et quo pecunia esset paratior, nummularij, siue mensarij aderant, qui minutiori moneta mutarēt maiorem, aut aurum argento, aut peregrinam pecuniam eius loci moneta. Et hæc quidē per se turpia, aut illicita non erant, verum auaritia, & sordido quæstu sacerdotum reprehensibilia facta erant, & non multum aberant ab vsura: quam à fratribus accipere legem vetitum erat. Habebant autem ea animalia, quæ lex pro diuersis peccatis offerri mandauerat: quæ vel boues erant, pro opulentis, & diuitibus, vel oues, pro mediocribus, vel columbæ pro pauperibus.

Sacrificium soli Deo debitum, & cur præceptum.

Deut. 14.

Deut. 23.

Leu. 12.

Quod vero putat Beda, sacerdotes cum venditoribus pepigisse, vt animalia accepta ab offerentibus, rursus ipsi venditores à sacerdotibus emerent, sed minoris, vt iterum alijs cum lucro vendere possent: non est verisimile. Quia iuxta legis præscriptum debebant sacerdotes oblata animalia mactare, & per ignem Deo offerre, vt non possent tale aucupium facere: etiamsi Erasmus secutus fuerit Bedam.

Bedæ minus commoda interpretatio reijcitur.

Beda in Ioan. tom. 5.

Leu. 7.

Erasmus.

Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis. Christus in nuptijs benignè indigentibus subuenit, hic autem seuerè peccantes corripuit. Illic charitatem in proximum ostendit, hic autem charitatem, & zelum in Deum Patrem suum prodidit. Illud vero, fecisse de funiculis flagellum, non intelligas, vel cingulo suo, quale est illud quod gestant Franciscani: quia zonas gestabant Iudæi, in quibus potius æra adferre soliti erant, quam ex eis flagella conficere. Vnde dixit Dominus: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.* Neque chordam

Ioan. 2.

Christi benignitas: eiusdē seueritas, & zelus gloriæ æternæ.

Quo flagello de funiculis Christus eiecerit vendentes, & ementes de templo.

Matt. 10. Infra 21.

intel-

intelligas qua egit asellum: quia etsi hoc de secunda eiectione dici possit, in qua equitauit super asinum, non tamen de ista prima, in qua pedes in templum venit. Ergo probabilius est, quod ex funibus quibus alligabantur animalia, flagellum istud confecerit, & sicut canes de templo eiecerit, ac profligauerit. Et in spiritu significare voluit, quod ex peccatis nostris quasi funiculis, quibus peccator constringitur, occasionem accipit Dominus nos flagellandi, iuxta illud: *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Ex se autem, & ex bonitate sua neminem flagellat: quemadmodum neque de cingulo suo fecit flagellum. Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.

Flagellū, quo eiecit vendentes, & ementes de templo, ex quib. funiculis Dominus fecerit. Quid hoc facto adumbrauerit. *Prou.5.* *Sap.1.*

Omnes eiecit de templo, oues quoq; & boues. Hoc fecit Dominus, in primis vt ostenderet, se non probare eorum peccata: nam qui potest reprehendere, neque reprehendit, peccatum alienum suum facit. Seneca ait: *Amici peccata si feras, facis tua.* Deinde iniuriæ proximi, & peccata tegenda, & excusanda sunt: quemadmodum Christus fecit cum peccatrice, & cum adultera. Iniuriæ vero nobis illatæ sunt quidem dissimulandæ, & condonandæ, vt Christus sæpe fecit: at iniuriæ Deo illatæ minimè quidem ferendæ, sed acerbè reprehendendæ, & ab eo, qui potestatem, & locum Dei habet, seuerissimè castigandæ: & summum pietatis genus est in hac re esse crudelem. Tertio docuit, auaritiam, morbum esse magnum, & vt dixit Apostolus, omnium malorum radicem: maxime si sub specie religionis delitescat. Quarto docuit, templum profanari, quando in loco sancto sub specie pietatis peccatur: vnde bis hoc peccatum puniuit. Hinc per Esaiam queritur: *In terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini.* Et Ieremias: *Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* Quinto prænuntiauit hoc facto finem Sacerdotij veteris, & sacrificij: nam adueniente veritate, & vero sacrificio, opus erat vt figuræ & vmbræ cessarent: quemadmodum priori signo in Cana Galilææ edito, demonstrauit Gentium vocationem: vt annotauit Cyrillus. Sexto ostendit, peccata sacerdotum causam esse totius ruinæ populi: & illos primum dignos esse flagello, qui grauius peccant, & exemplo suo alios ad peccatum prouocant. Hinc Petrus dixit: *Tempus est, vt incipiat iudicium à domo Dei.* Postremo, quia Sabbatho curaturus erat, multaque similia facturus, quæ Iudæis contra legem fieri iudicaturi erant, ne hæc tanquam Deo contrarius facere videretur, omnem Iudæis iustæ accusationis præripuit occasionem, ostendendo zelum, quo incensus honorem Dei, & gloriam zelabat.

Hæc eiectio vendentium & ementium de templo, à Domino cur facta. *Seneca.* II. Ratio. *Luc.7.* *Ioan. 8.* Iniuriæ quæ, & quatenus ferendæ. III. Ratio. *1.Tim.6.* IV. Ratio. *Matt. 21.* *Esa.26.* *Ierem.11.* V. Ratio. *Ioan. 2.* *Cyrill li.2. in Ioan. c.26. to. 1. in princ.* VI. Ratio. *1. Pet.2.* Septima, & postrema.

Et vide ordinem: primo eiecit homines vendentes, qui soli peccabant. Quamuis Euthymius doceat per flagellum boues, & oues verberatas, expulisse de templo, homines autem non verberasse, sed tantum exterruisse, & eiecisse. Deinde etiam animalia propter homines flagellauit, & expulit illa de templo. Tertio nummulariorum effudit æs, quod Græcè κέρμα dicitur, id est, minutulam pecuniam, & nummorum congeriem, quibus fit permutatio. Et hos grauius puniuit, quod vsuras committerent: & hoc in loco sacro sub pietatis prætextu. Denique & mensas subuertit, ne facile impium opus repeterent. Postremo his qui columbas vendebant, dixit: *Auferte ista hinc.* Mitius cum illis agens, qui pauperes fortassis erant, & aliorum maiorum sequebantur vestigia. Et non eiecit illas, ne fortè auolarent, & pauperes iacturam facerent mercium suarum: ideo præcepit illis, vt illas de templo auferrent. ¶ *Et nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Cum istis, vtpote cū pauperibus, mitius egit Christus: instruens nos quanta reuerentia tractādum sit templum Dei, & quam longe ab eo profligandæ sunt omnes species turpis quæstus. At vero cum Scribis, & Pharisæis ex malitia peccantibus, durius egit Dominus, dicendo illis: *Vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Prius vocauit domum negotiationis, siue mercatus, Græcè enim dicitur ἐμπορίου, postea vero vocauit speluncam latronum.

Ordo signi huius eiectionis a Christo seruatus. *Euthym. in Ioan. c.2.* Κέρμα Græce quid. Quibus Christus dixerit: Auferte ista hinc. Quanta reuerentia tractandum sit templum Dei. *Matt.21.*

Recordati vero sunt discipuli eius, quia scriptum est, zelus domus tuæ comedit me. Ostendit, discipulos Apostolos non fuisse scandalizatos Christi facto, sicut alij, qui fortassis aderant: quia Dei zelo factum id esse cognouerunt: Atque hoc zelo Christus indicauit se aptum prædicatorem: qui zelo honoris Dei, & siti animarum flagrare debet. Magno Dei zelo olim flagrarunt Moyses, Dauid, Helias, Stephanus, & Paulus. Promeruit etiam hoc tanto zelo sacerdotium sempiternum multo melius quam Phinees, de quo ait Dauid: *Et stetit Phinees, & placauit: & cessauit quassatio. Et reputatū est ei in iustitiam in generatione & generationem, vsque in sempiternum.*

Psal.68. Quorsum id, zelus domus tuæ comedit me. *Exod.32.* *1.Reg.18.* *3.Reg.18.* *Act.7.* *Infra 13.* *Psal.105.* *Num. 25.*

Non explicauit autem Euangelista, an eo tempore quo hæc gesta sunt, discipuli

Luc. vlt.

Quando recordati sunt discipuli eius Scripturæ: Zelus domus tuæ comedit me.

Psal. 68.

Psal. 118.

Hoc Christi signum eiectionis inter maxima numerandum cur sit.

Scripturæ illius meminerunt, an vero post resurrectionem quando Dominus aperuit Apostolis sensum vt intelligerent Scripturas. Et probabilius est tunc hanc Scripturam eis venisse in mentem, quando hęc gerebantur: quod alioqui Euangelista addidisset, cum surrexisset Christus à mortuis, vt fecit inferius in hoc eodem capite. Porro dicere: *Zelus domus tuæ comedit me*, perinde est ac dicere: *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Est autem hoc Christi miraculum inter maxima annumerandum: tum quia omnibus internum incussit timorem, tum quia splendorem maiestate plenum de facie iaculatus est, vt autor est Hieronym. tum quia virtutem contulit verbo suo, & vim flagello, perinde ac si esset ferreum, &c. quod maius est, nemo ei restitit, aut contradixit. Eoque signo edocuit, ipsos in eum nihil posse, nisi quantum ipse vellet permittere, deinde quantum in eos posset, si vellet.

Hier. in Mat. ca. 21. tom. 9.

Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? Id est, ostende nobis signo, quod hæc non temerè, & priuatus, sed diuina autoritate, vel Prophetæ, vel summi Sacerdotis (qui sunt Dei ministris) facias, & voces tẽplum domum Patris tui, quasi esses eius filius, vt Moses legationem suam probauit à signis. Rectè Paulus dixit: *Iudæi signum petunt. Sed certè stulti erant, qui signum in signo quærebant:* nam quod maius signum, quam quod filius Ioseph, siue filius fabri, vilis illis, & contemptus, tantum, ac tale signum ediderit? Ad hæc etsi signum non esset quod ediderat, certè signorum opus non erat, cum malefacta corriperet, & Dei domum tanta purgaret ignominia, vt egregie docet Chrysostom. in hunc locum. Quia vero Iudæi hæc dicentes signum ex animo nõ quærebant, sed temeritatis, & seditionis. Christum arguere volebant, ideo Dominus signum illis non dedit Et quod dicitur: *Responderunt Iudæi*, cum nullus sermo pręcedat, ad quem responsio referatur: dicendum est, Iudæos facto magis Christi, quam verbis respondisse. Vel secutus est phrasim Hebræam, qua respondere significat loqui, aut sermonem ordiri. Frigidum, quod Castellio hæreticus vertit: Quod exemplum nobis præbes, deserens vim Græci verbi. Alij vero interpretantur σημεῖον argumentum. Sed verior, & præstantior est nostra lectio: *Quod signum.* In alio huic simili signo dictum est: *In qua potestate hæc facis?* Quasi dicant, Potestate opus est ad puniendum. Et Christus non est vsus consueta, & ordinaria potestate, qui non venit vt iudicet

Quinam Dei ministri.

Exod. 4.

1. Cor. 1.

Matth. 15.

Ioan. 6.

Chrys. ho. 23 in Ioan. to. 3.

Quare hic Iudæis postulantibus non dederit Dominus signum.

Respondere Hebræis, loqui aut sermonem ordiri sæpe significat.

Castellionis hominis hæretici versio inepta reijcitur.

Matth. 21.

Ioan. 1.

mundum: neque vlla potestate humana ab illis accepta, quia illos inuitos de templo pellebat: ergo diuina potestate, qua Helias puniuit quinquagenarium, & quinquaginta, & Paulus Elymam Magum excæcauit. Potestate ergo diuina, qua seipsũ suscitauit. Quod si diuina, ede ergo signum tuæ missionis.

Infra 12.

4. Reg. 1.

Act. 13.

Respondit Iesus, & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Satisfacit ratione, ne quis iure calumniari possit cum scandalo factum esse, quod citra illud fieri poterat. Secundo respondit ænigmaticè, & parabolicè, se diuina autoritate illud facere, qua se ipsum à morte erat excitaturus: quia capaces nudæ veritatis non erant: non enim credidissent, si se à morte excitãdum apertis verbis dixisset. Alias vero signa quærentibus apertius respondit: *Generatio mala, & adultera, signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ.* Quod idem est cum hoc signo de reædificando templo soluto: & sermonis occasionem Dominus ab ipso templo, in quo versabatur, & de quo erat quæstio, pro sua prudentia accepit. Tertio non dat signa quæ petunt, quia ei minime credidissent, ne videri posset ad ostentationem signa facere, & non potius ad Dei Patris sui gloriam illustrandam, & ad subleuandam aliorum necessitatem. Nam nec post suscitatum Lazarum in eum crediderunt, imo ex eo tunc signo necẽ eius medidati sunt: omnia enim calumniabantur vt dæmonis opera. Si vero se non velle dare signa dixisset, agerent in eum, vt impotentem: ideo non apertè respondit.

Aenigmatico & parabolico responso cur Dominus fuerit vsus, dicẽs: Soluite templum hoc, & reliq.

Matt. 12. & 16.

Ioan. 2.

Iudęis signum Christus in qua potestate vendentes & ementes de templo eijceret, nullum cur dederit.

Ioan. 11.

Matt. 12.

Ait ergo: Me quidem permittente soluetis per mortem violentam templum hoc corporis mei, cuius hoc templum materiale est figura: sed qua potestate illud animatum templum excitabo in triduo, eadem possum autoritate templum hoc inanimatum vestris cõmercijs contaminatum expiare, & suæ sanctitati restituere. Rectè porro vsus est verbo soluendi, sicut & Paulus: *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Est enim mors nihil aliud, quam solutio, siue separatio corporis ab anima: & illud solutum ego resurgendo reædificabo. Et si signo Ionæ Prophetæ cum exhibitum fuerit, vix credetis, quanto minus ante vel tardius credetis, quam par sit? vt cum mali bonos excitatos à morte in iudicio videbunt: eo q̃ flagello præsenti non creditis, neque flagellationi futuræ per Romanos. Est autem aduertendum, secundum Augustinum libro de Doctrina Christiana, fidem Christianam maximè fulciri per resurre-

Quid significet: Soluite templũ hoc, & in trib. diebus illud excitabo.

Philip. 1.

Mors quid.

Ion. 2.

Aug. lib. 1. de doctr. Christ. ca. 15. to. 3. init.

Quæ maxime fulciatur Christi fides secundum Augustinum.

ctionem, & ascensionem Domini. Nam sponte mortuus conuincitur, qui tam cito resurrexit: & multum ostendit, quam voluntarie pro nobis animam posuerit, qui sic eam habuit in potestate resumere: ita enim bonus pater philosophatus est. Sanè illo opere plane se Deum ostendit: confutauit incredulitatem Iudæorum ita, vt nihil possent obijcere. Conuersi sunt ad Fidem tanto miraculo multi ex illis, qui non erant animo obstinato, vt liber Actuum Apostolicorum testatur. Hæc est vis responsi Christi. Vbi aduertendum est, verbum imperatiuum Soluite, non esse imperantis, vel exhortantis ad cædem, sed prædicentis, & permittentis. Et more Hebræo pro futuro accipitur, vt illud: Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, pro. excæcabis, & aggrauabis: vt è conuerso futurum pro imperatiuo accipitur frequentissime. Simile genere locutionis vsus est Christus, cum dixit Iudæ: *Quod facis, fac citius.* Vel dici potest, verbum hoc esse comminatorium, aut promissorium: dicimus enim, fac modo hoc, & videbis quid eueniet tibi, vel, quid faciam, quomodo te tractabo. Vel, Gusta hæc, & senties quantæ sit virtutis, & efficaciæ: quo genere, siue modo sermonis non tam iubemus, quam enuntiamus quid futurum sit, si quicquam alter fecerit.

Ioan. 10.

Act. 3.

Imperatiuum pro futuro accipere Hebræi cõsueuerunt, vt futurum pro imperatiuo.

Esa. 6.

Ioan. 13.

Dixerunt ergo Iudæi, Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc. Christi dictum visum est Iudæis impium; quod iuberet solui templum tantæ religionis, & absurdum, quod reædificaret intra triduum: & qualis fuit illorum intellectus, talis fuit responsio. Et secundum Origenem, templum Salomonis cœptum est ædificari à præparatione materiæ facta à Dauide consilio Nathan Prophetæ, vt ita colligantur quadraginta sex anni. Quod falsum videtur: quia templum, vt est in 3. Regum libro, septem annis, & paucis mensibus extructum fuit. Alij vero existimant loqui de reædificatione facta post reditum à Babylonia tempore Ezræ, & ab anno primo Cyri, quo fundatum est, vt dicitur apud Esdram: & postea per Cambysen prohibitum vsque ad sextum annum Darij Hydaspis: quo consummatum est, vt dicitur apud eundem Ezram, fluxerunt prædicti sex & quadraginta anni. Non quod semper, & nulla intermissione tot annis Iudæi ædificauerint: quia aliquandiu cessatum est propter gentium vicinarum impedimenta, & Regis prohibitionem.

Templum Salomonis quando cœptum fuerit.

I. Opinio quæ reijcitur. *Orig. in Ioan. to. 10.*

1. Paral. 22. & 28. & 29.

3. Reg. 6.

II. Opinio itẽ improbabilis.

1. Esdr. 1. & seq.

1. Esdr. 6.

Quidam tamen ex Hæreticis, Iudæos auxisse numerum existimant: quod non tot, sed pauciores anni fluxerint reædificationis templi. Quod minus probabile mihi videtur: quia ex certa traditione argumentabantur. Et vt Euthymius ait, ab anno Cyri cœptum est ædificium, & inuidia, & calumnia circum morantium Samaritanorum impeditum, ita quadraginta annis permãsit. Circa secũdum vero annum Darij Hydaspis missus Zorobabel, in sex annis ipsam perfecit: & ita annis quadraginta & sex ędificatum est templum, qui numerantur ab initio ædificationis vsque ad consummationem.

III. Opin. quæ & ipsa refellitur.

Euthym. prædicto loco

1. Esdr. 4. 5. 6.

Infra 6.

Quod vero templi non meminerint, quod ab Herode excisum fuerat, & pro eo aliud magnificentissimum, & immanibus sumptibus extructum intra octo annos ab Herode, vt testis est Iosephus in lib. Antiq. mirum esse non debet. Probabile enim est perinde habitam à Iudæis hæc obijcientibus nouam templi structuram, ac si vetus illud in statu suo durasset ædificium, quo ampliorem haberet venerationem. Mystice etiam tot diebus corpus hominis in vtero materno formatur. Sic etiam imprudentes verum dicunt, quod templum de quo Christus loquitur, id est, corpus eius, quadraginta sex diebus ædificatum fuit: vt Augustinus docet lib. 83. quæst. & libro de Trinitate.

Ioseph libr. 15. Antiq. c. vlt.

Aug. libr. 83. Quæst. qu. 56. to. 4. & lib. 4. de Trin. ca. 5. tom. 3

Ille autem dicebat de templo corporis sui. In quo, vt Apostolus ait, inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Explicat Euangelista, quam turpiter hallucinati sint Iudæi in intelligendis verbis Christi. Nam idẽ verbum seminatum in terra spinosa Iudæorum, setuatum est vt crimen capitale ad accusandum eum in passione: & idem discipuli in pectoris sui terra recipiẽtes, bonum fructum tulerunt. Nam Apostoli post resurrectionem recordati sunt, nẽpe quando aperuit illis sensum, vt intelligerẽt Scripturas. Vt videas etiam Apostolos, quandiu vixit Dominus, verborum eius intelligentiam in totum minime accepisse.

Coloss. 2.

Iudæi verbori Christi maligni interpretes manifestè deprehenduntur.

Matt. 26.

Luc. vlt.

Cum autem esset Ierosolymis in Pascha, in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius quæ faciebat. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis. In die festo, inquit, Paschæ, hoc est, solennitate Paschali, quæ septem diebus constabat. Hic porro fuit fructus prædicti miraculi, vt multi ad credendum in eum excitarentur, quanquam quidam reniterentur. Et ait illos credidisse videntes signa eius: vel alia ab istis, vt docent Origenes, & Theophylactus, licet non sint scripta, vel hæc ipsa mirabilia opera eiectionis eorum de templo. Quia tamen illa eorum fides informis erat, & infirma, & à

Festũ Paschæ quot diebus constaret apud Iudæos.

Exod. 12. & 13.

Origen. to. 10. in Ioan.

Theophyl. in Ioan.

signis

Credentibus Christo ob signa, quæ faciebat, Iudæis vt ait Euangelista, quare non credebat semetipsum Dominus,& quomodo.

Chryſ.ho. 28. in Ioan. to. 3
Theophylact.
2 Tim. 2.

ſignis coacta, dicitur quod Ieſus non credebat ſemetipſum eis, id eſt, non fidebat: Quemadmodum neque podagra laborãs ſuis pedibus ęgrotis fidit. Significat autem, Dominum non ſtatim illis omnia ſua ſecreta communicaſſe, vt Chryſoſtomus, & Theophylactus docent: eo quod non omnia dogmata, vt vere fidelibus & perfectis diſcipulis credebat, vel aperiebat: quemadmodum & Apoſtolus: *Hæc commenda*, inquit, *fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere.* Quemadmodum enim nos non eodem modo amicis nomine, & amicis re ipſa credimus: ita neq; Chriſtus, ſiue Deus.

Euthym. loco prædicto.

Hinc Euthymius ex Chryſoſtomo eleganter ait: *Crediderunt in eum, non tamen firmiter: nam illi firmius credebant, qui non propter ſigna tantùm, verum etiam propter doctrinam eius credebant: nam ſigna craßiores attrahebant, doctrina verò, ac prophetia mente ſublimiores. Ideo quoque conſtantiores ſunt hi, quib. etiam aptatur id quod dicitur: Beati qui non audierunt, & crediderunt.*

Ioan. 20.
Concionatores verbum Dei quomodo diſpenſare debeant.
Aug tract. 11. in Ioan. to. 9.

Sic ille. In hoc autem inſtruuntur Euangelici verbi Dei miniſtri: vt in diſpenſando verbo Dei altiora, quam quæ capere valeant ſui auditores, non proponant. Auguſtinus vero ediſſerens hunc locum, longa interpretatione videtur hoc ad Dominicam menſam referre: docens Catechumenos omnes in Chriſtum credere, & tamen non ſe viciſſim eis credere, eo quod nondum poſſint eius corpus, & ſanguinem ſumere, donec perfecti ſint Chriſtiani. Sed primum videtur literæ magis conuenire:

Euangelici præconis munus quod.

quia necdum CHRISTVS inſtituerat Sacramentum Euchariſtiæ, inſtruit Dominus Euangelicum præconem, quod prudentiæ eſt, non ſtatim omnia myſteria fidei Chriſtianæ rudibus proponere: & quod manſuetudinis eſt, imperfectos tolerare, donec proficiant ad ſublimiora. Inſtruit etiam Sacerdotes, quibus diuinorum myſteriorum diſpenſatio credita eſt, ne nimis citò neophytos, aut publicos peccatores ad menſam Domini admittant, ne ſanctum detur canibus. Ne etiam Epiſcopi manus citò alicui imponant, ſed prudẽter, & cautè agant: quia multi falſi fratres ſub habitu religioſo deliteſcunt.

Sacerdotes quid cauere debeant, & Epiſcopi.

Matth. 7.
1 Tim. 5.

Poteſt & hic eſſe ſenſus accommodus: Non ſe credebat Chriſtus eis: quia propter credentium multitudinem non erat ſecurus de bono Iudęorum animo, vt ſe tuto illis committeret, & vitam propriam crederet. Significat ergo, quod ſuam illis præſentiam ſubduxerit, eo quod ipſe noſſet eos intus, & in cute, vt non egeret alterius teſtimonio, vt quis omnes intimos animi illorum receſſus, Inuidiam, & maleuolentiam,

Alter ſenſus illorum verborum: Ieſus autem non credebat ſemetipſum eis

quam ipſi incipiebant concipere, ipſi declararet. Ideo Dominus relicta Ieruſalem, & Iudęa, abijt in Galilęam: quod ex eo colligitur, quia poſtea ſubditur inferius: Poſthæc venit Ieſus, & diſcipuli eius in Iudęam terram: Ergo ſequitur, Dominum prius Iudæam reliquiſſe. Porro illa phraſis: *Non credebat ſemetipſum eis*, vſurpata eſt à bonis autoribus, ait enim Cicero lib. 3. ad Atticum: *Ego ſi fidem accuſarem, non me potiſſimum tuis verbis crederem.* Et Poëta Latinus de Dædalo:

Cicero.
Virg 6. Aeneid. init.

Præpetibus pennis auſus ſe credere cælo.

Et in lib. Sapien. c. 14. *Exiguo ligno credunt homines animas ſuas.* Circa illud: *Multi crediderunt in nomine eius*, perpẽdat prudens Lector quaſdam loquendi formulas, quibus Scriptura vti conſueuit, quæ vel diuerſæ ſunt, vel proximæ, & prorſus eædem, ne fortè decipi contingat. Idem enim eſt credere in nomine Ieſu, vel Chriſti. Græcè enim eadẽ eſt locutio, πιστεύειν εἰς ὄνομα αὐτοῦ: ſed à noſtro interprete variata, & per Accuſandi, & per Auferendi caſum expreſſa: quorum vtrumq; regit Latina præpoſitio In, & Hebræa præpoſitio ב Be, in principio dictionis deſeruiens Ablatiuo, ſicut את deſeruit Accuſatiuo. Et vna, & eadem præpoſitione Latina In, expreſſit interptes vtramq; Hebræam. Et ita interpres Ioan. 1. dixit: *His qui credunt in nomine eius*: vbi Græcè habetur, in nomen eius, &, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, Græcè habetur præpoſitio εἰς, cum Accuſandi caſu, ſicut alibi: *Erunt duo in carnem vnam.* Et promiſcue dicitur, credere εἰς Θεὸν, vel ἐπὶ Θεῷ, vel ἐν Θεῷ. Dicitur enim Rom. 9. Πᾶς ὁ πιστεύων ἐν αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται. Idem habetur 1. Pet. 2. & Paulus 1. Tim. 1. Πρὸς ὑποτύπωσιν τῶν μελλόντων πιστεύειν ἐπ' αὐτῷ. Ad informationem eorum qui credituri ſunt illi, ſiue in illum. Et Luc. vlt. *O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti ſunt prophetæ.* Vbi dicitur, ἐπὶ πᾶσι, Et Pſal. 77. *Qui non crediderunt in Deo.* Græca habent, ἐν τῷ Θεῷ. Et 2. Paralip. 20. *Credite in Domino Deo veſtro, &c. & credite in Prophetis*: Græca, ἐμπιστεύσατε τῷ Κυρίῳ, & rurſus: ἐμπιστεύσατε τοῖς προφήταις: & Latin⁹ interpres 1. Pet. 1. *Fideles eſtis in Deo.* Idem enim efficitur ſenſus, quacunque præpoſitione exprimatur actus credendi, ſiue regat Accuſandi, ſiue Auferendi caſum Latinis, nam Gręci qui Ablatiuo carent, Dandi caſu pro illo vti ſolent: quanquam prępoſitioni Hebręę ב magis reſpondeat præpoſitio ἐν, & ἐπὶ, & Latinis In, cum Ablatiuo, quam εἰς cum Accuſatiuo: etſi Act. 16. dicatur: πίστευσον ἐπὶ τὸν Κύριον Ἰησοῦν.

Credere in Chriſtum, vel in Chriſto, vel in nomine eius, idem eſſe oſtenditur.

Matt. 28.
Gen. 2. & Matt. 19.

His poſitis, dicendum eſt in primis,

Credere in Iesum, & credere per Iesum quid differant.

aliud esse credere in Iesum, ac, credere per Iesum: primum enim est perinde ac credere Deum, iuxta illud Ioan. 14. *Creditis in Deum, & in me* (qui sum Deus ex Deo) *credite.* Et ita in symbolo Apostolico solum docemur credere in Deum Patrem, & in Iesum Christum Filium eius, & in Spiritum sanctum, nō autem in sanctam Ecclesiam, sed credimus sanctam Ecclesiam. Quod Euthym. in Ioan. 12. confirmat super illud: *Qui credit in me, nō credit in me. Scire autem* (inquit) *oportet, quod aliud est credere ei, quam credere in eum. Illud siquidem est credere sermonibus eius, quod de ceteris etiam hominibus dicitur, hoc autem est, credere in diuinitatem eius: quod de solo Deo dicitur.* Sic ille. Porro credere per Iesum, est per ministerium prædicationis (qui minister fuit circuncisionis) adducere ad fidem in se, & in Patrem, & in Spiritum sanctum. Ita enim dicimur credere per Apostolos, per Prophetas, & per eos, qui euangelizauerunt nobis. Et ita Petrus de Christo loquens, ait: *Precogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem nouissimis temporibus propter vos, qui per ipsum fideles estis in Deo, qui suscitauit eum à mortuis:* vel vt Græca habent: *Qui per ipsum credidistis in Deum.* Et Act. 3. idem Petrus loquitur: *Et in fide nominis eius, hunc quem vos videtis, & nostis, confirmauit nomen eius, & fides quæ per eum est, dedit illi integram sanitatem istam.*

Euthym. — *Rom. 15.* — *1. Pet. 1.*

Credere per Christum cū dicitur, quem sensum Catholicū recipiat.

Sed vt hæc phrasis rarissima est in Scripturis, ita frequentissima, quæ affirmat credi ei, vel in eum, vel in nomē eius, vel in eo & nomine eius: & tamen cum credere per eum inuenitur, interpretandum est Catholicè. Vt enim per Christum habuit Apostolus gratiam, & Apostolatum in omnibus Gentibus, & per eum omnes habemus redemptionem, remissionem peccatorum, & gratiam istam, in qua stamus, quæ charismata Dei sunt, ita etiam fidem, quę donū Dei est, vt ne quis glorietur. Et duo hac loquēdi forma signantur. Primum, per Christum credimus, id est, per eius ministerium in prædicatione, & signis situm, vel per ministros & legatos eius, sicut de Ioanne dicitur: *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine; vt omnes crederent per illum.* Alterum vero signat, per eius vim, & sanguinis meritum & obedientiam. Et ita vtrumque connectens Lucas, dixit Act. 10. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius,* (id est, virtutem & meritum) *quotquot credunt in eum.* Ecce per eundem mediatorem Iesum accipiet fidem in eum, & peccatorum remissionem.

Rom. 1. — *Infra 5.* — *Ephes. 2.*

Eiusmodi locutione continentur duo.

Ioan. 1.

Deinde aduerte, idem esse, credere in Christum, & in Christo, vel in nomen eius, & in nomine eius: & hoc ostendit apertissimè Ioannes in 3. cap. vbi promiscuè illis loquendi modis pro vna & eadem re accipere videtur. Ait enim: *Exaltari oportet Filium hominis, vt omnis qui credit in ipso* (Græcè dicitur εἰς αὐτὸν, in ipsum) *non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et subdit: *Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei.* Idem ergo ostendit esse credere in eum, & credere in nomen, vel in nomine ipsius.

Idem esse, credere in Christū, & in Christo, vel nomine eius, & in nomine eius ostenditur.

Credere in Deum, vel in Iesum, vel in Christum, & credere in nomine Dei, vel eius, vel Christi, idem esse.

Tertio aduertendum, idem esse, credere in Deum, vel in Iesum, vel in Christum, & credere in nomen, vel in nomine Dei, vel Iesu, vel Christi. Nomen enim pro ipsa re nominata & repræsentata accipitur, siue pro gloria, potentia, & magnificentia nominati. Quare post primum præceptum de Deo, adiungitur secundum de nomine eius sanctificando. Et perinde Deus propter nomen suum operari dicitur, & propter se ipsum vniuersa: *Vniuersa, inquit, propter semetipsum operatus est Dominus,* &, *Non propter vos ego faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis in Gentibus, ad quas intrastis.* Hinc Deo adiungitur frequenter nomen eius: *Tu autem in nobis es, Domine, & nomen tuum inuocatum est super nos,* & tres pueri in fornace canebant: *Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, &c. & benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum, & laudabile, & superexaltatum in omnib. seculis.* & Dauid, *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius:* &, *Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini:* Et infra: *Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc, & vsque in seculum.* Cui versui decantando assurgimus, eandem illi atque Deo reuerentiam & venerationem exhibentes.

Prou. 16. — *Ezech. 36.* — *Ierem. 14.* — *Dan. 3.* — *Psal. 102.* — *Psal. 112.*

Quartò statuendum est, differentiam illam à sacris Theologis traditam, sed præsertim à B. Augustin. super Ioannem (nempe aliud esse credere in Deum, aliud, credere Deum, aliud, credere Deo. Vt primum sit fidei per spem, & dilectionem operantis. Secundum, fidei simpliciter Deum esse credentis, quam etiam dæmones habent, iuxta illud Apostoli: *Tu credis quoniam vnus est Deus. Benè facis: & dæmones credunt, & contremiscunt.* Tertium vero, fidei assentientis diuinitus reuelatis à Deo, etiamsi quis charitate sit destitutus) non esse vsquequaque certā & veram. Nam interdum etiam peccatores dicuntur credere in Deum, quoniā hic aperte habetur multos credidisse in nomen Christi videntes signa quæ faciebat. Quod perinde est ac dicere, credidisse in

Aug. tract. 29. in Ioan.

Theologorū distinctio illa: credere in Deum, credere Deo, & Deum, interdum fallit.

Iacob. 2.

Christum: & tamen subdit Euangelista: *Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis.* Quod autem eis non se committeret, signum erat, illos gratiam Diuinæ charitatis non habuisse. Clarius etiam Ioannes alibi ait: *Ex Principibus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è Synagoga non eijcerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.* Ad hæc omnes fideles, siue iusti, siue peccatores, instituuntur per Symbolum Apostolicum dicere: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ: & in Iesum Christum Filium eius:* & per Symbolum Nicenum in templo decantatum: *Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ:* & tamen non omnes qui dicunt, vel decantant: credo in vnum Deum, charitatem habent. Ergo illa differentia non est perpetuo certa, vt credere in Deum, sit tantum iustorum, & Deum amantium. Quintò non differunt, credere in Deum, & credere Deo: quoniam Scripturæ pro eodem vsurpant. Ecce Ioan. 6. dixit Dominus ad Iudæos: *Hoc est opus Dei vt credatis in eum quem misit ille.* Iudæi vero responderunt: *Quod ergo tu facis signum, vt videamus, & credamus tibi?* pro eo quod est, vt credamus in te. Et c. 5. *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi,* id est, in me. Et in Epistola sua Catholica priori: *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se: Qui non credit Filio,* (vel, vt Græcè dicitur θεῷ, hoc est Deo) *mendacem facit eum: quia non credit in testimonio, quod testificatus est Deus de Filio suo.* Idem ergo est credere in Filium, & credere Filio, & credere in testimonium Dei: quod non est aliud, quam credere Dei testimonio. Idem etiam apertissimè comprobatur ex loco Ioan. 8. vbi dicitur: *Hæc illo loquente, ex turba multi crediderunt in eum. Dicebat ergo Iesus ad eos qui crediderunt ei Iudæos: Si vos manseritis in sermone meo.* Vbi eosdem quos dixerat credidisse in Iesum, postea ait credidisse Iesu.

Ioan. 12.

Credere in Deum, & credere Deo, non sunt diuersa.

1. Ioan. 5.

Ioan. 8.

Sextò constituendum est, hanc loquendi formam, credere in aliquem, Græcis, & Latinis auribus inusitatam atq; ignotam existere, & proculdubio Hebræã esse: nam illi fere semper verbo credendi addũt præpositionem ב Be, id est, In, iuxta illud: *Credidit Abraham in Deo,* (sic enim habet Hebræa lectio) *& reputatum est illi ad iustitiam,* & iterum: *Et crediderunt Domino, & Moysi seruo eius:* Hebraicè legimus: *Crediderunt in Deo, & in Moyse seruo eius:* & alibi: *Credite in Domino Deo vestro, & securi eritis: credite Prophetis eius, & cuncta euenient prospere.* Idem habes Psal. 77. *Quia non crediderunt in Deo, nec sperauerũt in salutari eius:* & iterũ infra: *Non crediderunt in mirabilibus eius.* Et Psal. 105. *Et crediderunt in verbo eius:* sic enim habent Hebræa. Hanc loquendi rationem secutus est Chaldæus Paraphrastes. Nam in Genesi dicitur: *Credidit Abraham in verbo eius, & reputatum est ei ad iustitiam:* & frequentissime Dominus in Euangelio vsurpauit: *Creditis,* inquit, *in Deum, & in me credite,* scil. quasi in Deum. Alia autem ratio est credendi Moysi, alia Domino, alia Prophetis, & alia, credendi Moysi, alia Domino Iesu, quãdo dixit: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi.* Nam Moysi & Prophetis credimus vt ministris Dei verba eius ad nos deferentibus, & tanquam vera de Deo & Christo prædicantibus: at credere in Deum, & in Iesum, non sunt diuersæ rationis: quia Iesus est Deus verus & vnus cum Patre & Spiritu sancto. Hæc autẽ propterea tam diligenter sunt à nobis annotata, vt quisq; cognoscat linguæ Hebrææ idiotismos, & non existimet interdum aliqua delitescere mysteria, vbi nulla sunt, hoc est, in his varijs loquendi formis. Et nota in sententia illa Exo. 14. Deo iam per signa magna sese exerenti Iudæos credidisse primum. Deinde Moysi eius seruo, & minus noto, & in testimonio libri 2. Paralip. credendum esse scilicet Deo primum, deinde Prophetis, in illo vero Ioannis: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi,* à magis noto, & recepto Moyse, apud Iudæos conciliare Iesum sibi fidem, eo quod ipse tunc minus notus esset illis: quemadmodum Iudæis probamus Nouum Testamentum quod non recipiunt, per Vetus quod accipiunt: & Manichæis Nouum acceptantib. & credentibus, per illud probamus Vetus, quod reprobant.

Hanc locutionem: credere in aliquem, propriam esse Hebræorum.

Gen. 15.

Exod. 14.

2. Paral. 20.

Gen. 15.

Ioan. 14.

Aliud esse, credere Moysi, & Prophetis, aliud Domino, s. u in Dominum, & Iesum

Prædictæ formulæ de credendi verbo traditæ, quid conferant.

2. Paral. 20.

Quare Christus à Mose, & Prophetis, sibi fidem conciliaret.

Ioan. 5.

Manichæi vetus reijciunt Testamentũ.

Sequitur in textu: *Eo quod ipse nosset omnes. Et quia opus ei non erat vt quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine.* Ter eandem sententiam repetit: tum vt indicet, Christum nõ tantum externa, sed etiam interna scrutari, neq; egere ad hoc hominis testimonio, vt homines egẽt, tum vt indicet illum Deum esse, de quo dicitur: *Scrutans corda & renes Deus:* tum vt moneamur, teste Beda, vt nunquam de nostra conscientia securi simus: quia quod nos interdum latet, æternum arbitrium latere nõ valet, & dicamus cũ Dauide: *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo.* Nam eius oculi viderunt imperfectum nostrum. Et quid sit in homine, id est, substantiam pietatis, non tantum accidẽtia, quæ hominib. quandoque apparent. Homo etiã nescire vires suas metiri, & quantum possit. Vnde Petrus putabat se pro Christo mori posse, cum tamen nondum haberet tãtam

Christũ toties cur dixerit Euangelista nosse quod sit in homine.

Psal. 7.

Beda in Ioan. tom. 5.

De nostra conscientia nunquam securi esse debemus.

Psal. 18.

Psal. 138.

Matt. 26.

fidem & charitatem, vt experientia didicit. Quod si nos ipsos penitus inspicere nequimus, multo minus aliorum intimos sinus & recessus penetrare possumus, vt propterea maledictus sit qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Et de his quidem hactenus dictum sit.

Ierem. 17.

In hoc signo quæ mysteria comprehēdãtur.

Iam vero ad explicanda mysteria quæ in hoc signo cōprehensa sunt, accedamus. Nam aptè videtur punitionem Iudæorum ob sua peccata, & reprobationem & obsidionem vrbis & templi hoc facto adumbrasse, & iuxta tropologiam, quid ex misericordia Dominus operetur cum qualibet anima iustificanda docere voluisse. Ad primum explicandum, aduertendū est, quod inuenit in templo vendentes oues, & boues, & columbas: at hoc quid aliud significare voluit, quam tum maiores Ecclesiæ dignitates significatas in bobus, tum inferiores in ouibus, tum dona Spiritus sancti, & Sacramenta in columbis, omnia esse venalia, & pretio exposita, ita vt summus Pontificatus annuo pretio redimeretur, & denique ipsum templum factum esse speluncam ad prędandum accōmodatam. Quod vero nummularij sederent, significat, alias seculares artes ad lucrum cōpositas, in templum Domini introductas, & auaritiæ Sacerdotū, & vsuræ deseruire. Tertio, quod Iesus zelo accenditur, pertinet ad amorem Dei, quem erga Ecclesiam gerit, & quam auaritia Pontificum perire cernebat. Quarto, quod facit flagellum, indicat quod non nisi præuio flagello renouari possit Iudaismus, siue Ecclesia Dei. Quinto, quod facit flagellum de funiculis, est, quod à peccatis plurimis & longo tempore contextis & roboratis flagellum Dei conflatur. Vide funem longum: *Vt veniat*, inquit, *super vos omnis sanguis iustus qui effusus est super terrā, à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ*. Et Esaias: *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum*. Sexto, quod tempore Paschatis flagello eiecit de templo, insinuat quod per Titum & Vespasianum, ac virgam furoris Domini, & tempore quo illi erant præparati ad Pascha magnum celebrandum, euertendi & destruendi erant. Septimo, quod inde columbas auferri iussit, innuit, quod Sacramenta alterius legis transferenda erant ad nos: &, quod sacrificijs typicis & legalibus erat imponendus finis. Octauò, quod æs nummulariorum effunditur, ostendit, eorum thesauros & diuitias non tantum vectigalibus Gentium corrosas, sed etiam inter milites Romanos distribuendas. Nono, quod discipuli recordantur Scripturas in ea re completas, illud portēdebat, nunquam è memoria discipulorum Christi delēdum hoc Christi factum, ne & ipsi Christiani similia patiantur. Decimo, quod Iudæi signum in signo quærunt, quid aliud designat, nisi quod hæc viderunt, & senserunt, & tamen non crediderūt, sed signum clarius expectant, cum tamen Daniel prædixerit post mortem Messiæ: *Et ciuitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo*. Postremo, quod signum dedit illis solutionis templi, & reædificationis, quod ipsi non intellexerunt, sed Apostoli, quid aliud denotat, quam claram eius à mortuis resurrectionem, quam ipsi, vtpote excæcati non solum non intellexerunt, sed etiam pecunia redempto mendacio obscurare tentarunt: Discipuli vero recordātur, quia intellectus Scripturæ ab illis quidem sublatus, ad nos vero deuolutus est, vt comminatus est Dominus: *Auferetur*, inquit, *à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius*. Vides igitur quanta mysteria sub nuda signi litera contegantur? vt rectè dictum sit: *Scrutamini Scripturas*: quia non tantum superficietenus, sed etiam intime sunt expendendæ, & inspiciendę, vt nucleum dulcem eruamus.

Iudæorum auaritia Pontificum & Sacerdotum quanta.

Matt. 21.

Vnde flagellum Dei conficitur.

Infra 23.

Gen 4.

Esa 5.

Virga furoris Domini in Iudæos exercendi quæ mysticè.

Luc. 21.

Dan. 9.

Solutione templi corporis sui quid Dominus Iudaeis eleganter ostendit.

Matt. vlt.

Supra 21.

Scriptura quo modo scrutandæ.

Ioan. 5.

Docent secundo zelum suum in animā peccantem: nam tempore Paschæ, id est, Transitus ab Ægypto peccati ad terram gratiæ, qui prope est, quando Iesus aduenit in animam, ascendit Christus Ierosolymam, id est, ad animam factā ad videndam pacem quæ in Christo est, & fruentem falsa pace mundi. Et ad hanc cum difficultate ascendit Christus, quia ei non patet aditus: *Quoties*, inquit, *volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas suas, & noluisti*: Ex eius autem ascensu anima eleuatur à profunda valle gehennæ, qua digna erat.

Secundum mysterium in signo eiectionis vendentium & ementium de templo contentum.

Matt. 23.

Ascensus Christi in animam quid conferat.

Inuenit in templo vendentes oues, & boues, &c. Homo, templum sanctum Dei esse debet, vt docet Apostolus, in quo Deus per fidem habitat: & in eo orandum est in Spiritu, & illi intimum cor in Sacrificium offerendum. In templo vero Dei profanato, & contaminato inueniuntur vendētes varia animalia. Nam propterea quod liberū arbitrium varium est, & ad diuersos fines tendit, ideo in eo dicuntur esse vendentes, nempe pro gloria tēporali, pro delicijs carnis, atq; diuitijs possidendis peccata perpetrantes. Primo quidem oues balantes, & fatuas, hoc est, verba, deinde vero boues laborantes, & crassos, hoc est, opera laboriosa, & columbas volantes, id est, cogitationes. Animus ergo malus & peccato deditus

1. Cor. 3.

Ephes. 3.

Ioan 4.

Psal 50.

Oues, boues, & columbæ quid denotent.

vendit verba, opera & cogitationes Satanę emptori. Sunt etiam in eo nummularij sedentes, id est, dęmones quietam habitationem possidentes, & proponentes varios & vitiosos fines, ad quos dirigamus nostras cogitationes, verba & opera. Hi verò nummularij vltra sortem, id est, occasionē peccatorum, quam offerūt, exigunt nummū, id est, peccati vsuram. Sed ad hanc animam iustificandam facit Christus quasi flagellum. Temporalis enim pœna pro correptione non est flagellum, licèt secundùm carnales id esse videatur: quod tamen sępè magna est misericordia Domini. Nam etsi multa flagella peccatoris in alia vita; in ista tamen sperantem in Domino, misericordia circumdabit, teste Propheta. Non ergo habere flagellum in hac vita, magnū est Diuinæ vindictæ signum & argumentum. Ideò qui flagellatur, non desperet: quia quos Deus amat, arguit & castigat. Nam quemadmodum si quis crumenam grauem, & auro onustam ex edito loco in caput cuiusdam pro debito aliquo in carcere detenti proijceret, & dolorem aliquē ei inferret, & tumorem capitis excitaret, & vnam aut alteram sanguinis guttulam eliceret, ille quidē rei ignarus molestè à principio ferret, & vicem suam magnoperè doleret, quòd afflicto afflictio adiungeretur; verùm si paullò post, animo iam tranquillo, ad saxum, quo petitum se esse existimat, oculos suos conuertat, & crumenam multo auro refertam deprehendat, quo possit debita sua persoluere, & quod superest ad vitam tranquillè placideque traducēdam sufficere, profectò de illato tantillo vulnere nulla esset amplius aut querimonia, aut memoria, imò seria congratulatio, & libenter similibus se peti saxis iam desideraret. Ad eum modum est de Christi flagello cogitandum: multos enim & pretiosos thesauros eiusmodi flagella continent. Dicitur autem flagellum factum ex funiculis: quia breuis est aduersitas, & paruo tempore durat: & quia contemperata est viribus infantiæ nostræ. Quemadmodum autem Christus flagello eiecit omnes: ita de anima nostra primum pellitur mala voluntas, quando fit bona. Eijciuntur etiam dæmones, qui sunt tanquam nummularij, quia fugiunt à facie lucis. Quæ enim societas luci ad tenebras? Deinde eijciuntur oues balantes: quia lingua primum coercenda, quæ plus videtur esse in potestate nostra; iuxta illud: ***Dixi; Custodiam vias tuas, vt non delinquam in lingua mea.*** Nam etsi Apostolus frater Domini dicat: ***Linguam nullus hominum domare potest:*** id tamen intelligendum

[Margin: Nummularij templi animæ nostræ qui. *Matth. 12.*]
[Margin: Temporalis pœna inflicta peccatori, quod sæpe magna Dei sit misericordia. *Psal. 31.*]
[Margin: *Apoc. 1.* Qualia flagella peccatoris in hac vita tantummodo esse videri possit.]
[Margin: Aduersitas peccatoris quàm breuis & fugax.]
[Margin: Ex anima nostra Christus quid eijciat. *2. Cor. 6.*]
[Margin: *Psal. 38.*]
[Margin: *Iacob 3.*]

est ex se, & ex proprijs viribus; secus ex Dei gratia, vt interpretatur Augustinus. Deinde etiam boues, id est, opera. Demum effunditur æs, id est, finis temporalis, qui quando à nobis non spectatur, sed contēnitur, effusus est, quando dicimus: *Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Et cum Paulo dicimus: ***Propter Christum omnia detrimentū facio, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam.*** Mensa qua æs sustentabatur, subuertitur, quando cōcupiscentia per charitatem tollitur, ne reddat ampliùs vsuras dęmoni, sed Christo, de quo ait Dauid, *Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum.* Ijs verò, qui columbas vendunt, dicitur, Auferte ista hinc: quia cùm boues, & oues ipse per se eijciat, relinquit nobis negotium abijciēdarum cogitationum volitantiū. Hinc per Esaiam clamat, dicēs: ***Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis:*** & per Ieremiam: ***Vsquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ?*** Diciturq; nobis, ne domum Dei efficiamus domum negotiationis, nempe cum dæmone, qui pro lucro momentaneo spoliat nos æternæ felicitatis bono. Melius autem est cum Deo negotiari, qui dixit: *Negotiamini dum venio: quia vendit vili, & emit caro pretio. Id enim quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Recordātur discipuli Scripturæ illius: *Zelus domus tuæ comedit me:* quia factus discipulus per flagellū, tandem cognoscit quāto zelo Deus prosequatur animā, pro qua recuperanda homo factus est, prædicauit, continuam Crucem, ac denique mortem tulit, & cibus eius fieri voluit. Immittit flagella & beneficia, vt vndique nos ad sui cognitionem, & amorē trahat. Antequàm ergo Dominus flagello suo vtatur contra nos, si sapimus, per contritionem & pœnitentiam eijciamus quasi de templo cordis nostri cuncta peccata, siue corde, siue opere admissa: rogemusque Dominum, vt funiculis paternæ correptionis nos hic, & nō in æternum flagellet, vt nos his vinculis charitatis ad se trahat, sibique vinciat & coniungat. Quòd si quis ex Iudæis Christum labijs tantùm, & non corde, vel factis cōfitentibus, se opponat, & dicat; *Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?* id est: Nolumus credere, templum in hoc, vel illo homine esse mundatum à peccatis, nisi signis editis id probaueris. Respondet Dominus: ***Soluite templū Dei,*** id est, soluetis ab vnione vestris persecutionibus integram congregationē; eam tamen ego restaurare possum

[Margin: Illud: Linguā nullus hominum domare potest, quomodo accipiendum sit, teste Augustino. *August. lib. de Nat. & Gratia c. 15. init. tom. 7.*]
[Margin: *Matth. 16.*]
[Margin: *Phil. 3.* Concupiscentia quomodo tollitur.]
[Margin: *Psal. 81.*]
[Margin: *Esai. 1.*]
[Margin: *Ierem. 4.* Quemadmodum quis domum Dei faciat domū negotiationis.]
[Margin: *2. Cor. 4.*]
[Margin: *Psal. 68.* Quanto zelo Deus prosequatur animā.]
[Margin: Flagellum Dei qua ratione effugiemus.]
[Margin: *Heb. vlt.*]
[Margin: Integram aliquam congregationē persecutionis.]

bus dissolutũ, instaurare Christus vt triduo possit.

tribus diebus, sc. expellendo ab ea oues, boues, & columbas. Non ergo mirum est, si in vna anima hoc possum præstare. Vel signum quod possum mundare templum animę est; quia suscitabo meum corpus per mortem solutum. Mors ergo & Christi resurrectio certum argumentum, & indicium pręstat immensi zeli Christi, quo animas primùm quidem à peccato suscitat, vt in nouitate vitæ ambulent; deinde verò suscitabit & eorum corpora suo die; vt Sponsa Christi integra & gloriosa sine vlla macula aut ruga ad nuptias perueniat agni Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto detur omnis honos, gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.

Quo signo Christus restetur animæ templum sibi esse reparabile.

Rom. 6.
Ioan. 4.
Inf. 6.
Ephes. 5.

TRACTATVS IX.

De signo filij Reguli à Christo absente sanati: & habetur tantùm. Ioan. 4.

Præsens signum secundũ esse signorum Christi.

MIRACVLO, quod hoc loco enarratur, nullum ex alijs Euangelistis apparet esse præponendum, cùm Ioannes testetur fuisse secundum signum factum à Christo in Galilæa: reliqui verò Euangelistæ multa miracula in ea facta fuisse enarrant, sed non primo ascensu è Iudæa in Galilæam, sed in secundo. Primò ergo historia est percensenda, & ad literam explicanda; deinde verò aliqua documenta quę mores nostros informent, elicienda.

Christus è Iudæa cur redierit in Galilæã.

Venit ergo iterum in Cana Galilea, vbi fecit aquam vinum. Hic reditus Christi ex Iudæa in Cana Galilææ, testatur Christum à patria abfuisse, in qua honoré non habebat. Deinde, vt Leontius testatur, eò diuertit, vt fidé, quam primo signo in nuptijs edito compararat, sua præsentia confirmaret, & vt quos, priùs edito signo, ad Fidem adduxerat (nã de solis discipulis dicitur quòd crediderunt in eum) non cesserat ad Fidem inuitare; & vt in eodem loco, vbi præsens fecerat miraculum conuersionis aquæ in vinum, absens quoque sanaret filium Reguli; & ita potestatem suam edendi signa, & præsens & absens indicaret.

Luc. 4.
Leontius.
Ioan. 2.
Ibidem.

Et erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur, Capharnaum. Græca exẽplaria, quæ modò extãt, habent: Τὶς βασιλικὸς, id est, Regius, siue Palatinus ethnicus quidã, vt notauit Hieronymus, & codex Syriacus, seruus Regius. Atq; hic fortè vir quidam erat de aula & familia Tetrarchæ Regis Herodis, cuius aliquam dignitatem eius nomine gerebat apud Iudæos: siue de eius genere, & sanguine, quod verisimilius est. Quia Dominus eius fidei infirmitatem improperãs, dixit, *Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis:* quod opprobrium Dominus in ethnicos nunquàm, in Iudęos sæpè obijcit. Interpres tamen noster sine dubio legit nõ βασιλικὸς, sed βασιλίσκος, hoc est, Regulus: quo nomine significantur non modò parui Reges, aut Regis filij, sed alicuius oppidi, aut ditionis Principes, & magistratus, & nomine Regis gubernantes. Et talis hic esse potuit: quod nomine Herodis ciuitati Capharnaũ præfectus esset. Leõtius existimat, dici posse hunc nominatum quasi proprio nomine Basilicum, eratque inter Iudęos Princeps, vt verba Domini testantur, *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* Sed parui tamen refert, scire quis, & qualis hic homo fuerit: sed magis quæ, & quanta eius fuerit fides, plurimum ad nos pertinet. Irenæus existimat, huius Regis puerum esse filium Centurionis: quod Chrysostomus, & sui sectatores impugnant. Et meritò: quia illius Centurionis non erat filius infirmus, sed seruus, siue δοῦλος, hic verò filius; ille paralysi, hic febri laborabat. Illic de monte descendens Dominus, in Capharnaum dicitur intrasse, & sanasse puerum; hic à Samaria in Cana Galilææ dicitur redijsse, & signum edidisse. Ille venientem ad se Christum rogat vt maneat, dicens, *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum*; hic verò viget vt veniat: *Descende*, inquit, *priusquam moriatur filius meus.* Ad hæc Ioannes parciùs attingit, quæ sunt ab alijs Euangelistis enarrata; illud autem signum à Matthæo, Lucáque erat diligenter perscriptum, hoc autem à nemine tactum. Fuit autem fortasse causa putandi vnum & eundem esse seruum Centurionis, & filium Reguli, quòd vterq; esset puer, quòd vterque in Capharnaum infirmaretur, quòd vtrumq; Dominus absentem sanauit; quòd rogatus Iesus ab vtroque fuerit, quòd iste aliquo magistratu Regis fungeretur, sicut & Centurio publicum munus gerebat. Sed tot aliæ circumstantiæ occurrunt, vt vidimus, vt necessariò constituendum sit diuersa fuisse signa.

Hier. in Esa. c. 65. to. 5
Quis fuerit hic Regulus, cuius filius in Capharnaum ægrotabat.

Quibus duntaxat infidelitatis crimen obiectaret Dominus.
Regulus propriè quid.
Leon. Episc.
Irenæus lib. 2. c. 39.
Chrys. hom. 17. in Matth. to. 2.
Matt. 8.
Luc. 7.
Huius Reguli filium à puero Centurionis ostẽditur esse diuersum.
Quæ res occasionem dederit filium Reguli & seruum Centurionis suspicandi.

Illud etiam aduertẽ, quod cum Ioannes præmiserit Samaritanorum fidem, quam pertranseundo Samariam, nullis signis editis Domino habuit, ita etiam huius Reguli: qui si de sanguine Regio Herodis erat, proselytus fuit, fides proponitur, vt Christum ab initio ab omnibus fidem habuisse innotescat, & confundat Iudæos tardiùs ad Fidem accedentes. Deinde aduerte, potentiam, & diuitias Reguli non

Huius Reguli fidẽ cur proponit Euangelista.

Honorum & diuitiarum huius mundi impotentia.
Psal. 54.
Amor parentum in liberos quantus sit, & vnde oriatur.

potuisse infirmitatem filij præuenire, neq; postquàm venit, illam propulsare. Ideò vanum est cõfidere in potentia, & diuitijs huius mundi: sed iacta super Dominum curã tuam, & ipse te enutriet. Aduerte etiam, naturalem amorem parentum ad filios, tantũ esse, vt nolint filios ante se mori, sed potius cupiunt illos relinquere superstites. Plus enim diligunt, quàm diliguntur, & priùs amant diligunt, quàm diliguntur: quemadmodum Deus & plus, & priùs nos diligit, quam diligatur à nobis: *In hoc*, ait Dilectus, *est charitas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Quæ sit verò infirmitas, inferiùs declaratur. Erat enim febris, vt videtur, pestifera, quæ illum morti vicinum constituit.

1. Ioan. 4.
Ille filius Reguli, quo morbo laborabat.

Reguli fides in Christum qualis fuerit.

Hic cum audisset quia Iesus adueniret à Iudæa in Galilæam. Notatur paruitas fidei eorum, qui Deum non agnoscunt, nec credunt, donec in mala incidant, quandoquidẽ sola vexatio dat intellectum: quemadmodum Nabuchodonosor regno deiectus, & inter bestias aliquot annos degens, tandem resipuit. Veniebat ergo de templo, vbi miraculum eiectionis vendentium & ementiũ ediderat: & veniebat in Galilæam, vbi paulò antè in Cana conuerterat aquam in vinum, & pertransierat per Samariam, in qua nonnullos ad Fidem cõuerterat. His tot ac tantis signis excitatus, venit ad eum in Cana, & rogabat vt descenderet, & sanaret filium eius.

Esa. 28.
Dan. 4.
Ioan. 2.
Ibidem.
Vnde Regulus ille permotus, pro filio Christũ rogauerit.

Incipiebat enim mori, siue, *Erat enim moriturus.* Quod rogat pro filio, exemplum dedit parentibus, vt soliciti pro salute sunt filiorum: & eos Christo precib. commendẽt, antequam moriantur in mala consuetudine. Adolescens enim iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea; &;

Parentes quid discant ab hoc Regulo.

Prou. 27.
Horat. lib. 1. epist. 2. in fin.

Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem
Testa diu.

Arguit etiam hic Regulus eos, qui in aduersis non ad Deum, sed ad magos, & incantatores, & ad dæmonum auxilium pro solutione maleficij confugiunt.

Quòd autem orat pro sanitate corporis; infirmitatis humanæ est, qua priùs corporis, quàm animi sentimus incõmoda; cùm tamen maiora sint animæ mala. Minùs ergo præclarè de Christo sentit, qui temporalia tantùm ab eo quærit, quasi secundùm carnem tantùm, vt ait Apostolus, agnoscat Messiam, à quo præcipuè spiritualia sunt petenda, ad quæ temporalia adijciuntur: in cælo verò & spiritualia, & temporalia in æternum præstabit. Refert autem hic Regulus ingenium parentum, qui in morbis suorum, non ad Deum priùs, vt par est, confugiunt, sed vbi prius periculum fecerint omnium medicamentorum naturalium, nihil conferre ad morborum subleuationem, & vident iam suos moribundos, & animam agere, tunc accurrũt ad Deum, & ad Sacramenta Ecclesiæ. Christus tamen interdum temporaria hic concedit, vt per ea gradum faciat erigendi eos ad spiritualia: sed reprehendebat priùs, & tardabat in dando, vt ita illa mora excitaret ad prouectiorem fidem. Hic ergo vrgebat Dominum vt citò descenderet: non enim putabat absentem posse sanare, vt Centurio credidit. Et simili errore, siue imbecillitate Fidei laborabant Thomas, qui dixit, *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum*, & cæt. *non credam*; & Martha quæ dixit; *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*: & Apostoli, dum olim in mari periclitarentur, putabant, Dominum dormientem nõ posse à periculo liberare; ideo excitarunt eum, quasi dormire possit, vel dormitare, qui custodit Israel. Deinde non credebat Christum posse viuificare mortuum; cùm tamen illi omnia viuant: ideo properabat rogans vt citò descenderet, priusquàm moreretur.

Quid est, q̃ Regulus pro filio rogat ægrotante.
Minùs præclare de Christo quis sentiat.
2. Cor. 5.
Matt. 8.
Regulus ille quorum typus sit.

Christus interdũ cur daret corporea beneficia.
Infr. 8.
Reguli fides quorum fidei non absimilis.
Ioan. 20.
Sup. 11.
Matt. 8.
Psal. 120.
& Esai. 5.
Alter fidei Reguli defectus.

Dixit ergo Iesus ad eum, Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Beatus Gregorius Romanus meritò quærit: *Si Regulus domum egressus est, & Christum honorauit, & salutem filij postulauit; videtur ergo credidisse. At quomodo Christus ait: Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis?* Respondet Diuus Chrysostomus, quod hoc non tam dixit de Regulo, quàm de alijs Capharnaitis, qui cum comitabantur, qui erant increduli, & scandalizabantur in eo. Hinc cum loqueretur (vt Ioannes refert) de Sacramento Eucharistiæ, scandalizati sunt. Quare meritò dixit Dominus apud Lucam: *Et tu Capharnaum vsque ad cælum exaltata; vsque ad infernum demergẽris.* Et iuxta hunc sensum elicimus, quòd nulla natio, aut ciuitas in vniuersum est damnãda: nam aliqui sunt semper qui credunt, vt Regulus, & Centurio. Sed magis literalis responsio est Beati Gregorij asserentis Regulum fuisse incredulum: sed vt suauiùs & rectiùs diceret, plurali numero vsus est. Istum verò non credidisse, apparet ex eo, quod petit vt descendat, putans quòd solo contactu, vt Helias, & Helisæus sanaret: quemadmodum etiam Naaman Syrus existimabat de Helisæo. Deinde post alia remedia adhibita filio, sed frustra, venit ad CHRISTVM. Et quia videbatur velle cum conditione credere, si scilicet sanaret filium. Ad hæc non putabat posse post mortem sanare,

Regulus quid de incredulitate à Christo redarguitur, quem tamen rogaret pro filij sanitate.
B. Greg. hom. 28 in Euang. tom. 2.
1 solutio.
Chrys. hom. 34. in Ioan. tom. 3.
Ioan. 6.
Luc. 10.
Altera solutio cõgruentior.
3. Reg. 17.
4 Reg. 4.
Infr. 6.

ideò vrgebat, dicendo: *Descende priùs quàm moriatur filius meus*. Putabat ergo præsentiã Christi necessariam, quemadmodum & illi, quorum superiùs exempla produximus.

Regulo filij sui sanitatem postulanti, quam aptè Dominus responderit.

Nota ergo Christum Dominum sic responsum suum temperasse, vt nec omninò negaret quod petebatur, ne in desperationem eum adigeret, nec statim concederet, quod postulabatur, sed differt, vt ardentiùs, & maiori cum fide petatur: quemadmodum cum Chananæa idem Dominus fecit. *Matth. 15.* Interim de incredulitate cum eo expostulat, quasi dicat: Ad quis petis vt descendam, cùm nõ credas? Si enim crederes, non peteres vt descenderem, sed tantùm rogares verbum à me, vt fecit Centurio. *Sup. 8.* Quo verbo Regulum, & sui similes in plurali tangit, qui subinde signa petebant, aliàs non credituri.

An cogerẽtur Iudæi habere fidem Christo sine signis.

Sed iam insurgit dubium, aut cogerentur habere fidem Christo sine signis. Et breuiter respondendum est, minimè ad id adstringi: tùm quia qui citò credit, leuis corde est, vt ait Sapiens; *Eccli. 19.* tùm quia mandauit discipulis Ioannis: *Euntes renuntiate Ioanni quæ audistis, & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant*, &c. *Matt. 11.* tùm quia ipse dixit: *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit; peccatum non haberent. Nunc autem & viderunt, & oderunt me Patrem meum*, &c. *Ioan. 15.*

Quare Christi signa fuerint necessaria.

¶ Erant ergo Christi miracula necessaria. Primò, propter doctrinam arduam & supernaturalem, quam prædicabat; in quam tamen multæ rationes fieri poterant, & argumenta. Secundò, quia Dominus homo apparebat, non Deus; & tamen se Messiã & Deum credi volebat, ad quod obtinẽdum, signis supernaturalibus opus erat. Tertiò, quia antiquabat non tantùm fidem Paganorum & idololatrarũ, sed etiam Moysi legem cum signis & prodigijs datã. *Exod. 19.* Si ergo signa erant necessaria; cur reprehendit petẽtes signa? Responsio est in promptu: quia cùm priùs signa edidisset, non credebant tamen, neque satiabantur.

Si ad Fidem signa necessaria sunt, cur illa petentes Dominus arguat.

Ad cuius rei euidentiorem intelligentiam statuendum est, inter Iudæos quosdam extitisse benè dispositos, qui ad simplex Christi verbum statim crediderunt, vt Apostoli, & Nathanaël, vel vnum, aut alterum signum videntes, vt Nicodemus, qui dicebat: *Nemo potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo*. *Ioan. 1. Infr. 3.* Alij erant duriores, & magis indispositi, qui nec verbis molliebantur, nec signis, vel ad Fidem adducebantur, vt Regulus, qui licet audisset de signo nuptiarum in Cana Galilææ, & de eiectione vendentium, & ementium in tẽplo, cui propter festum Paschæ adesse ob- *Sup. 2. Ibidem.* stringebatur Regulus, non credebat tamen. Et de his dicitur apud Ioan. *Quum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum*. *Inf. 12.* Dominus etiam, teste Matthæo, in Corozaim, & Bethsaida, & Capharnaum comminationes pronunciat, quòd nec pœnitentiam egerint, nec fide eum amplexi fuerint. *Matt. 11.*

Si ad Fidem Messiæ miracula requirũtur cur nos sine illis ad Fidẽ perducti sumus?

Quòd si vrgeas; Si signa sunt necessaria ad fidem Messiæ, quid est quod nos sine signis credimus, & Indi Occidentales nostro seculo reperti ad fidem sine signis perducti sunt? Respondemus, aliam esse rationem fidei introducendæ in mundum, & aliam postquàm iam inualuit, eiusdem acceptandæ. Cùm enim primùm introducta est Fides, multis & magnis signis opus habuit à Christo, & Apostolis, & Apostolicis viris factis, ob credendorum tum magnitudinem, tum multitudinem; vbi verò plantata est Fides, non est opus alijs signis, quia sufficiunt signa priora à Patrib. facta.

Vt olim Iudæis ad Dei Legẽ recipiendam, ita & nouis Christianis ad Euangelium acceptandũ, prima quæ facta sunt signa, satis esse omninò.

Nam quemadmodum populus Israel non cogebatur exire de Ægypto, venire in desertum, & acceptare Legem sine signis multis, quæ Moyses edidit ante egressum, & in egressu, & in peregrinatione ad Terram promissam: sequentes verò signa amplius non viderunt, quia quæ sui maiores miracula in Scripturis Canonicis commemorata acceperant, fide amplectuntur. Ita Euangelium, signis quidem multis, & admirandis plantatum est, & quod nos omnes credimus, magnis miraculis fuit comprobatum: ideo nos nouis signis non indigemus, neque illi Indi ad Fidem conuersi indiguerunt. Si enim credimus signa vera facta esse quæ enarrat Scriptura, non opus est alijs signis: si verò illis non credimus, nec mille alijs miraculis coram nostris oculis editis crederemus.

Mahometana secta sine signis vllis cur credita fuerit, & acceptata.

Si verò obijcias, Mahometanam sectam sine vllis signis fide susceptam; facilè est respondere, carnalem illam & mendacem legem, & promissiones tantùm carnales & viles proponentem ideo citò creditam, & acceptam; quia ad hæc mendacia & carnalia amplectenda, propensa est natura nostra: secus ad Legem Spiritus vitæ, quæ omnem Naturæ legem comprehendit, in qua est omnis virtus, omnis castitas, omnis honestas, quæ nemini persuaderi potest humanis verbis, nisi lumen cœlitùs in corde fulgeat, & signa externa, quæ confirment, interdum adijciantur.

Catholici ab hæreticis qua in re distinguantur.

Atque in hoc apparet discrimen Catholicorum & Hæreticorum. Nam primi à secundis meritò petunt signa: quia multa de integro ad credendum proponunt, quæ

Vtilis digressio in hæreticos à Catholicis suæ fidei signa postulantes.

vtpote noua, & Ecclesiæ incognita, signis confirmare deberent. Contrà, secundi, id est, hæretici à primis, id est, Catholicis petunt, sed immeritò signa : nam cum Fides Catholicorum eadem complectatur, quæ priores Catholici Patres crediderunt, vt sunt, primatus Petri, Sacramentorum numerus, Veritas præsentiæ realis & substantialis corporis Christi in Eucharistiæ mysterio, Missæ sacrificium, Purgatorium, suffragia animarum, orationes, & inuocationes Sanctorum, operum merita, & satisfactio, iustificatio, & supererogatio, & similes articuli, ad quos credendos omnia miracula ab illis edita tendebant, quia cõfirmabant gentem, quæ illa opera credebat; ideo iniustè à Catholicis, & imprudenter hæretici miracula exigunt. Iustiori ratione, & veriori Catholici ab hæreticis, qui noua & contraria tradunt, signa exigunt. Et quanquàm Deus non permiserit hactenùs vt vlla signa probandis suis erroribus ederent; quia esset Deum attestari mendacio: tamen, etiamsi multa miracula edidissent, adhuc audiendi nõ essent. Admonuit enim Deus olim, vt Prophetæ deducenti ad deos alienos, etiamsi signa ederet, nequaquàm fidem haberent: & Dominus significauit venturos pseudochristos, & pseudoprophetas, qui darent signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. Sed signa vera non erunt. Nam vt ait Apostolus de Antichristo, quòd editurus sit signa, & prodigia mendacia. Præstat ergo stare signis firmis & solidis quæ Euangeliũ docet, quàm nouis, & mendacibus hæreticorum. Illud etiam tutiorem partẽ Catholicorum reddit: quod vt docent Iurisperiti, melior est conditio possidentis, quàm non possidentis: quia possidenti non incumbit onus probandi, quæ multo tempore, & ab immemorabili possedit. Eorum verò qui iure nostro spoliare nos volunt, erat producere miracula, aut Scripturas manifestas allegare, aut rationibus solidis & euidentibus agere. Vt hinc appareat impostura, & techna sophistica hæreticorum, qui destituti prædictis omnibus præsidijs, à nobis importunè vel signa, vel probationes exigunt.

Quanto iustiùs Catholici ab hæreticis suæ fidei, id est, perfidiæ signa petãt, atque exigant.

Deut. 13. Vllum facere signum hæretici cur nequeant in testimoniũ suæ falsitatis: *Matt. 24.*

2. Thess. 2. Pseudochristi, & pseudoprophetæ qualia tantũ signa facere possint. Possidentis, quã nõ possidentis melior conditio cur sit. vt aiunt Iurisperiti.

Scripturarum testimonia qualia producant hæretici.

Quòd si obijcias, illos proferre Scripturarum testimonia, & Christi, & Pauli sententias: non inficiabor: sed illas sententias, & Scripturas prauè intellectas asserimus ab eis proferri. Quòd si contendant illi, illas à nobis non satis rectè intelligi; iam ad litem inter illos, & nos dirimendam opus est aliquo iudice. Quisque enim pro se stare, & militare contendit. Quis ergo erit iudex? Nec enim ipsa Scriptura, quam quisque pro se allegat, officio iudicis fungi poterit. Iudex autem, qui litem non dirimit, & qui vtriusque partis causam tuetur, & fouet, certè legitimus iudex non est: quemadmodum neque testis validum est testimonium, quod ex æquo vtrique parti deseruire potest. Quis ergo iudex est constituendus? an non Papa Romanus, aut Concilium Oecumenicum, aut consensus veterum Patrum? nam hos iudices, vt incorruptos & legitimos, semper agnouit, & venerata est Ecclesia. Sed vide versutiam & stropham hæreticorum. Recusant hos in iudices recipere, & aiunt non esse rationi, aut pietati consonum, vt qui homines extiterint, super Scripturas, & verbum Dei dijudicandum constituantur. Debent enim iudices legibus subesse, non præesse. Admittimus similitudinem, & fatemur legibus subesse iudices, & secundùm illas esse iudicandum; non autem leges sub illis esse positas. Sed quemadmodum iudices, auditis vtriusque partis aduocatis, & legibus, quas ad corroborandum suam partem allegant; quæ interdum diuersæ sunt, interdum eædem, sed alio modo inductæ, & intellectæ: tunc quidem iudices potestatem & autoritatem habent, non quidem supra leges, sed supra aduocatos, & litigantes, qui leges adducunt, & interdum diuersos, vel contrarios sensus illis affingunt, ita vt possint pro autoritate sua hunc rectè, illum peruersè citasse legem statuere. Alioqui nullus esset litiũ & contentionum finis. Ad eum modum confitemur Concilium generale, aut Romanos Pontifices nõ esse supra Scripturas, aut supra verbum Dei, sed illis subesse, & iuxta illas tantùm posse proferre sententiam. Sicut tamen superiores supra litigantes & contendẽtes de sensu alicuius loci, vt possint autoritate sua silentium litis imponere, & reprobare hũc sensum tanquàm falsum, & statuere hunc sensum tanquàm verum. Alioqui non satis esset prospectum Fidei, si nullus esset finis contendendi & litigandi.

Iudex minime legitimus quis.

Qua ratione hæretici leuissima Ecclesiæ indiciũ effugere se posse cõfidant impostores illi.

Iudicum partes.

Generale Concilium, Romanique Pontifices quatenus supra Scripturas, aut supra verbum Dei sint.

Sed redeamus ad Regulum, & finem digressioni imponamus. *Dicit ad eum Regulus, Domine, descende prius quàm moriatur filius meus.* Regulus non attendit ad Christi verba: multum enim dominatur animi affectus & perturbatio, quæ non dat locum prædicationi, aut correptioni. Ideo sapientia scribenda est in tempore vacuitatis, vt ait Salomon. Dixit ergo Regulus: *Domine, descende, priusquàm moriatur filius meus.* Id est, Posteà vacabis meæ reprehensioni, ne scilicet

Animi perturbati affectus.

Eccli 38. Rogandum quomodo nobis sit.

spectes

ſpectes fidem & dignitatem meam: nam ſi hoc volueris attendere, citiùs morietur filius meus, quàm ſuccurras. Sic debemus omnes rogare, tanquã agnoſcamus nos quidem reprehendi: ſed tamen idcircò magis rogemus: quia quo magis ſumus indigni; eo ſumus indigentiores auxilio Dei, vt quòd ipſe poſſit, non quid nos mereamur, attendat. Et magis prodidit ſuam infantiam, non ſolùm non credendo Christum verbo ſanitatem conferre poſſe, ſed neque mortuum poſſe ſuſcitare. Sed certè malè nobis eſſet conſultum, ſi tantùm Christus in hac vita poſſet nobis ſuccurrere, non autem in morte, vel poſt mortem. Sed benè ſe habet res: ipſe enim dixit: *Ego ſum reſurrectio & vita.* Deinde prodidit incredulitatem ſuam, quòd tantopere feſtinat. Increduli enim feſtinant frui hoc mundo antequàm tranſeat, & roſis coronari antequàm marceſcant; vt dicitur in libro Sapientiæ: fides verò expectat, iuxta illud Eſaiæ: *Qui crediderit, non feſtinet*: & Habacuc; *Si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit.* Christus ergo reprehendebat incredulos, vt hunc, & Thomam, & Apoſtolos, quibus cùm non poſſent ſanare puerum Lunaticum, dixit: *O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar?* Atque hoc propter duo faciebat. Primùm, ne crederent fidem habere ex proprio merito, vt Pelagius poſteà docebat; vel ne exiſtimarent, fidem omnia operari ſine nobis, vt Manichæus aſſerebat: quæ duo extrema ſunt fugienda, & media, & regia via Eccleſię incedendum; videlicet quòd natura noſtra nihil crederet, niſi dono Dei adiuta; ſed ad credendum oportet acceptare donum fidei. Ideo reprehendit ponentes obicem lumini fidei. Nam ſtultus eſſet qui quereretur ſe non poſſe videre, propterea quòd non aperiat feneſtram: nam illo obice ablato, continuò lux accederet. Iuuat autem reprehenſio, vt humiliemur, & humilitatę digni Deo efficiamur: nam nolle Deo credere ſine ſignis, degenerare eſt à patre Fidei Abraham, qui ſine vllo ſigno ad verbum Dei exiuit de terra ſua & de cognatione ſua, & ad immolandum filium ſuum Iſaac acceſſit. Repugnat etiam naturę fidei & ingenio: nam illa eſt ſubſtantia rerum ſperandarum: & argumentum non apparentium. Ad hęc Deo eſt iniurioſum, quaſi ipſe falli, aut fallere poſſit: quemadmodum non pręclarè de altero ſentit, qui illi ſine pignore non mutuat.

Regulus qualem ſe prodiderit his verbis: Domine, deſcẽde prius quàm moriatur filius meus. — *Ioan. 11.* — *Incredulorum propriũ quid.* — *Sap. 2.* — *Eſa. 28.* — *Habac. 2.* — *Ioan. 20.* — *Marc. 9.* — *Quare Christus Apoſtolos incredulitatis interdũ argueret.* — *Pelagij & Manichæi contraria inter ſe dogmata perueſa.* — *Reprehenſio ad quid conferat.* — *Gen. 2.* — *Deo ſine ſignis credere nolẽtes, quã in illum cõtumelioſi exiſtant.* — *Infr. 22. & ſeq.* — *Heb. 11.* — *Proprium quid Dei. Christi in homines benignitas.*

Dicit ei Ieſus, Vade, filius tuus viuit. Benignus Ieſus non ſemper ad imperitiam noſtram reſpicit. Nam etiam peccantibus, & minùs præclarè de ſe ſentientibus opitulatur. Ipſe enim nouit figmentum noſtrum: & quomodo miſeretur pater filiorum ſuorum, ita ille noſtri miſeretur. Deinde etſi duriuſculis verbis obiurgauerit Regulum, præſtat tamen quod rogauit. Cùm enim iratus fuerit, miſericordiæ recordatur. Oſtenditque hoc verbo ſe poſſe abſentem ſanare, quemadmodum Centurioni dixit: *Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi*, & Heliſæus per internuntium mandauit Naaman Syro, vt ſe in Iordane ſepties ablueret. Et ita hoc verbum: & vera de pręſentibus prophętia fuit; & ſicut poſteà ex ſeruis comperit, imperium vitę fuit. Nam non tam prædixit ſanitatem filij, quàm effecit, quemadmodum verba Sacramentalia idem quod ſignificãt, efficiunt: & vt dixit Dauid: *Miſit verbum ſuũ, & ſanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.* Et verbum, *Viuit*, idem ſignificat, quod ſanus eſt, ſaluus, & incolumis, more Hebræorum.

Credidit homo ſermoni quem dixit ei Ieſus, & ibat. Vno verbo ſanauit patrem, & filium: filius enim ex verbo Dei, tanquàm ex herba medica ſanitatem accepit, & pater ex eo vt igne robur fidei concepit. Deinde plus dedit quàm peteretur. Dedit enim ſanitatem filio in abſentia, & fidem patri ſolidam. Et ait, non regulus, quod nomen eſt ſuperbię, ſed homo: hominis enim cognomine digni ſumus, ſi incredulitatem abijciamus. Atque hæc fides ſola non erat, ſed coniuncta cum oratione, & diligenti recurſu ad Deum. Hinc Auguſt. lib. de prædeſtinatione ſanctorum, ait: *Sic ergo diſtinguit Apoſtolus ab operibus, fidem, quemadmodum in duobus, regnis Iudæorum diſtinguitur Iudas, & Iſrael, cùm & ipſe Iudas ſit Iſrael. Sic fides eſt opus, iuxta illud: Hoc eſt opus Dei, vt credatis.* Sic ille.

Et ait, credidiſſe illum ſermoni, quem dixit ei Ieſus. Primò enim credidit ex miraculis auditis: ſed quaſi infans, aliàs ad Ieſum non acceſſiſſet. Deinde credidit quaſi vir verbis Christi corroboratus: & credidit abſentem poſſe ſanare, nec ampliùs inſtitit vt deſcenderet. Ea enim eſt demùm vera fides, vt etiamſi cuncta aduerſantia, & contraria videantur, de verbo Dei tamen non dubitet: & potiùs credat cęlum, & terram peritura, quàm verbum Dei poſſe excidere. Et iſtę nihil aliud credebat eſſe Ieſum, quàm hominem prophetam, & ſanctum; vt ita & nos diſcamus credere, quæ per Prophetas, & Apoſtolos nobis dicta ſunt, non minùs quàm quæ per ipſum Deũ loquentem audiremus. Et quanquam filius non eſſet mortuus; quia tamen erat morti vicinus, & breui moriturus, dixit:

Pſal. 102. — *Ibidem.* — *Habac. 3. & Tob. 3.* — *Christi potẽtia in ſanando, eiuſde in prædicendo ſapientia.* — *Matt. 8.* — *4. Reg. 5.* — *Pſal 106.* — *Viuere Hebræis, quid.* — *Chriſti in Regulum munificentia.* — *Expenditur dictum: Credidit (homo non regulus) ſermoni Ie ſu, & reliq.* — *Aug. lib. de prædeſt ſan. cto. c. 7. 1 7. circa finem. Fidem vti ab operibus diſtinguat Apoſtolus, ſecundum Auguſt.* — *Ioan. 6.* — *Fidei progreſſus in Regulo.* — *Vera fides quæ.* — *Matt. 24.* — *Regulus de Ieſu quid ſenſerit: & quid doceat nos.*

Reguli fides, & ex Christi ſermone lætitia.

Viuit filius tuus. ¶ *Et ibat*, inquit. Nempè proficiens in fide per illum, & ſequentem diē, vt cęcus natus pergebat ad natatoria Siloe, & vt leproſi, qui miſſi ad ſacerdotes, in via mundati ſunt. Ibat ergo fidens, & lætus: quemadmodum is qui impetrauit, etiamſi nec poſſeſſionem doni receperit, nec literas Regis, ſed tantùm credens verbum Regis eſſe irreuocabile.

Ioan 9. *Luc.17*

Cana Galilææ, & Capharnaum ſitus. Regulus cur quæſierit de ſeruis horam, in qua filius melius habuerit.

Iam autem eo deſcendente, ſerui occurrerunt ei. Quia Cana Galilææ in alto loco ſita erat, Caphernaum in plano loco, & maritimo; ideo ait deſcendiſſe. Occurrerunt porro ei ſerui, læta annuntiantes: quanquàm pater aliò ſpectans, & totam familiam ad perfectam animæ ſanitatem perducere cupiens, interrogabat horam qua melius habuerat; vt conſtaret magis potentia Christi ſignum edentis. Et vt Cyrillus ait: *Serui occurrerunt, velocitatem, & vim verborum Christi annuntiantes, Domino ſic diſpenſante, vt ab euentu rerum Reguli fides confirmaretur.* Sic ille. Et dicunt ſerui illa eadem verba, quæ Christus dixerat: *Filius tuus viuit*: vel diſponente ſic Diuina voluntate; vel quia ſerui de vita filij deſperauerant, vel pro mortuo habuerant, quemadmodum pater dixit Christo, quòd incipiebat iam mori.

Cyrill. li. 2. in Ioan. ca. 120. tom 1.

Serui cur ſimiliter atque Christus Regulo dixerint: Filius tuus viuit.

Dies in quot horas diſtribuebatur olim: & quid hora ſeptima, in qua filius Reguli conualuit.

Et dixerunt ei, Quia heri hora ſeptima reliquit eū febris. Cùm dies in duodecim horas more antiquorum diuidatur, hora ſeptima eſt prima pomeridiana, in qua omnis ægrotus incipit peius habere: quia Sole declinante, incipit virtus ægroti deficere: vt conſtet ſupernaturalem fuiſſe, non naturalem ſanitatem. Ideo deficiente natura, diſce Deo benè ſperare, qui ſupra naturam eſt ¶ *Et credidit ipſe, & domus eius tota.* Poſtquàm fide, deinde experientia contulit opus factum ad verbum Dei, & vidit opus eſſe diuinum; quemadmodum Nathanaël conferens arcana quæ ſibi Christus reuelauit cum verbo eius, dixit: *Rabbi, tu es Filius Dei*: & Nicodemus ſimiliter cōferens facta, & verba Christi, verbum Fidei protulit: *Nemo poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo*: Ita regulus, vbi contulit verbum Christi cum facto ſubſecuto, credidit ipſe. Primò, vt notauit Beda, credidit, accedendo: Secundò, credidit ſermoni quem dixit Ieſus: Tertiò, videndo effectum. Et ſic habes initium, progreſſum, & culmen, ſiue faſtigium fidei in Regulo: & credit ſimpliciter eſſe Meſſiam, & Deum, & habere vitæ & mortis imperium. Et oſtendit hoc ſigno Christus, ſe vbique eſſe, & vbique poſſe ſua ſola voluntate omnia operari: non eſt ergo cur trepidemus in vllis aduerſis. Et fungitur officio boni patrisfamilias, qui

Ioan. 1.

Infra 3.

Regulus quomodo in Christum, ſanato filio, crediderit.

Beda in Ioan. c. 1. tom 5.

Apoc. 3.

In eo quod Christus filiū Reguli abſens ſanauit, qualem ſe declarat eſſe.

verbo, & exemplo ſuo alios ad fidem prouocat; & ratò accidit vt boni patresfamilias malos habeant ſeruos, ſi velint aduertere, & adhibere diligentiam. Et fides viua eſt, quæ impetrat filio, & familiæ Christi cognitionem, & amorem. Et nihil dicitur de alijs Capharnaitis: quia maior pars ſolet, etiamſi videat, & audiat, in ſordibus ſuorum peccatorum permanere.

Fides viua quid impetret.

Hoc iterum ſecundum ſignum fecit Ieſus, cùm veniſſet à Iudæa in Galilæam. Aduerbium *Iterum*, non determinat verbum, *Fecit*: vt ſit ſenſus, quod iterum fecit hoc ſecundum ſignum, quod vix intelligi poteſt, ſed ſi determinat verbum, Veniſſet, ſenſus eſt clarus, quòd cùm iterū veniſſet in Galilæam, fecit hoc ſecundum ſignum: nam priùs venerat in Galilæam, quando fecit primum ſignum ad nuptias. Et ideo hoc dicitur ſecundum ſignum editum in Galilæa; ad differentiam eorum miraculorum, quæ fecit Hieroſolymis; & intelligamus hoc miraculū editum à Ieſu ante omnia miracula quæ narrantur ab Euangeliſtis.

Ioan. 2.

Quare hoc dicatur ſecundū ſignum à Christo editum.

Iuxta ſpiritum Regulus iſte, mens eſt, ſiue intellectus, non ſolùm quia cognatus Deo eſt Regi regum omnium, quemadmodum Paulus ex Poeta quodam dixit: *Ipſius enim, & genus ſumus*; ſed etiam quia in hoc mundo cùm dominium habeat in vniuerſas creaturas, quæ ad ſe ordinem habent, prorex Dei eſt, reſpectu cuius Regulus eſt, & non Rex, & regnum animæ, & corporis habet. Et ſenſus quidem, & membra dominio deſpotico regit; appetitum verò cōcupiſcentis, & iraſcentis animæ, dominio politico. Habet etiam inſignia regalia, nempè coronam prudentię, ſceptrum Iuſtitię, purpuram Fortitudinis, & fibulam auream Temperātiæ, de qua Poeta deſcribens Reginam, dicebat:

Huius ſigni myſtica intelligentia proponitur.

Act 17. *Aratus.*

Mentis dominij deſcriptio.

Aurea purpuream nectebat fibula veſtem.

Virg lib. 1. Aeneid.

Huius Reguli filius eſt Volūtas: nihil enim voluntate expeti poteſt, quòd non fuerit prius per intellectum præmonſtratum. Eſt autem infirmus: quia volūtas ignorans eſt, laſciua, rationique rebellis. Eſt enim febris calida amoris ſuperflui & immoderati rerum temporalium: & febris frigida timoris amittendi bona temporalia; qua febri laborabant illi, qui dicebant: *Et venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem.* Nam vel amore aſſequendi bona huius mundi, vel timore ea quæ conſecuti ſumus, amittendi, maximè infirmatur volūtas. Cuius infirmitatis cauſſa plerunque oriri ſolet ex patre, quia ſæpè pater filio indulgendo, eſt cauſſa infirmitatis illius: ita nunquàm voluntas in amādo erraret, niſi ab intellectu ſit decepta,

Mentis infirmitas vnde ſit.

Ioan. 11.

cùm multa nō diligenda intellectus ostendat voluntati. Caussa etiam morbi esse possunt, nobilitas, libertas, iuuentus, & abundantia rerum omnium, quę in Capharnaū, id est, villa cōsolationis inueniuntur. Nam vt ait Propheta: *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* Et dicitur filius moriturus: Quia peccatum mortiferum grauissima est infirmitas, & veluti inchoatio mortis. Secundę, nam inter peccatum lethiferum, & gehennam non intercedit nisi murus vitreus corporis, qui facilè quouis ictu frangitur. Vt ergo voluntas nostra sanitatem recuperet, festinandum est ad Christum, & ille supplicibus precibus rogandus est, vt descendat, dando charitatem voluntati, quia tunc viuit homo, iuxta illud: *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.* Et charitas vita est omnium virtutum. Non potest ergo esse sanitas, nisi ad nos descendat Diuina virtus, cùm ad ipsam in sua celsitudine consistentem non possimus ascendere. Sæpè ergo intellectus fidei pennis attollitur, ad quæ amor noster rerum visibilium pinguedine delectatus nequit ascendere. Cùm autem Christus per virtutem ita ad voluntatem nostram sanandam descendit, tunc veniunt serui, id est, sensus, & annuntiat omnibus sanitatem voluntatis, secundùm illud Apostoli: *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati, ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Credit verò intellectus perfectè, quando voluntas confirmatur fidei, quam intus habet, & omnis domus, quando lingua abstinet à malis verbis, manus operantur eleemosynas, pedes peregrinantur ad loca sacra, vel ad visitandum infirmos, & hospitalia, & reliqua membra ad suas honestas functiones. Et iam non est ampliùs Regulus paruæ potestatis, siue paruæ scientiæ, & parui regni, sed perfectus Rex, iustitia regia præditus, & potestate, & sapientia. Reliquit autem eum febris hora septima. Considera quòd vt ex motu Solis super terrā fit dies, ita ex præsentia Spiritus sancti dies in anima efficitur. Nam ille pro sua bonitate lucet ad veritatem, inflammat ad charitatem, fœcundat ad opera bona, lætificat ad consolationem. Septem horæ, septem dona Spiritus sancti sunt. Et quia in timore Domini declinat omnis homo à malo; ita hora septima febris peccati tollitur. Hinc Esaias dixit: *A facie tua, Domine, concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum salutis.*

Capharnaum quid sonet.
Deut. 32.
Peccatum mortiferum qualis sit infirmitas.
Voluntas vt nostra pristinam recipiat sanitatem, quid facto opus sit.
Ioan. 3.
1. Ioan. 3.
Charitas vita est omnium virtutum.
Serui Mentis nostræ quinā sint.
Rom. 6.
Credat perfectè intellectus quando.
Dies in anima quomodo efficitur.
Prou. 6.
Septem horæ quæ mysticè.
Esa. 26.

Fideliter ergo, & festinanter confugiamus ad Deum, postquàm tot morbis, & infirmitatibus spiritualibus quotidiè confligamur, vt ille nostra fide excitatus, mittat ad nos medicum suum potentissimum, & nostræ salutis sitientissimum Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre, & Spiritu sancto perpetuò lætatur in secula seculorum. Amen.

TRACTATVS X.

De dæmoniaco sanato à Domino in Synagoga in die Sabbati: & habetur Marc. 1. & Lucæ 4.

BEATVS Marcus postquàm vocationem quatuor discipulorum descripsit, continuò subijcit, Christum cum eis ingressum Capharnaum, ibique eum Sabbatis docuisse in Synagoga, atq; in ea curasse dæmoniacum. Idem Lucas refert, Christū in exordio suæ prædicationis fecisse. Nam hi duo hoc miraculum inter prima signa Christi recensent, siue primum quod fecit Iesus post reditum eius è Iudæa in Galilæā, audita morte Ioannis, & primum ad firmandam doctrinam: nam priùs in vocandis discipulis ediderat signum capturæ piscium, teste Luca: sed illud inter ea quæ ad historiā spectant, est expositum. Matthæus verò illud tacuit, sicut Ioannes: propterea hoc loco meritò enarrādum est, & nullum illi præferendum. Proponemus ergo textū B. Lucæ, & quod videbitur supplendū, adijciemus ex Marco.

Ait ergo Lucas: *Et descendit in Capharnaum ciuitatem Galilææ, ibiq; docebat illos Sabbatis.* His verbis nihil aliud adiungit Marcus, nisi quòd ingressus Synagogam, docebat eos. In primis aduertendum est, Dominum Iesum, relicta superba Nazareth, & incredula, descendisse ad ciuitatem Galilææ Capharnaum opulentam, & ideo luxu, voluptatibus, & ambitione perditam. Aduerte etiam, frequenter scribi ab Euangelistis, Christum venisse in Capharnaum. Primò quidem à Ioanne post miraculū aquæ conuersæ in vinum. Deinde à Matthæo, quando Dominus ex Iudæa reuersus in Galilæam, & relicta ciuitate Nazareth venisse dicitur Capharnaum, sibique in ea habitationem delegisse: vnde posteà ex hac ciuitate loca Galilææ perambulans, frequenter eò redibat. Et primùm quidem, vt hîc describunt Marcus, & Lucas, post vocationem quatuor discipulorum ad Mare Galilęæ, ingressus est Capharnaū, & sanauit oppressum

Ordinis ratio Signi huius quænam sit.
Matth. 14.
Luc. 5.
Cur Christus è Nazareth venerit Capharnaum.
Quoties venerit in eam ciuitatem Christus.
Ioan. 2.
Matth. 4.

preſſum à diabolo. Deinde aduerte quomodo Sabbatum feriandum,& ſanctificandũ ſit; cùm Dominus Sabbatis in Synagogis doceret. Eſt enim præcipuus ſanctificationis modus Diuina opera & beneficia cõmemorare, vt fidem alamus, & mores noſtros ad rectam vitæ formam inſtituamus. Et Dominus quidem à principio in Synagogis cœpit docere, non ſolũ vt minùs nouitatis pareret ſua prædicatio, ſed etiam vt copioſiùs haberet auditorium: nam Synagoga locus cõgruus erat, deputatus doctrinæ Diuini verbi.

Præcipuus ſanctificationis modus quis.

Quare Christus in Synagogis primum prædicauerit.

Sequitur: *Et ſtupebant in doctrina eius: quia in poteſtate erat ſermo ipſius*, Marcus dicit: *Erat enim docens eos quaſi poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ.* Talis erat Dominus in docendo, vt omnes auditores in ſtuporem verterentur: audierant enim Scribas, & Phariſæos docentes, ſed eorũ doctrina mirè frigebat. Nam præterquàm quòd in Chriſto omnes rationes erant quæ in admirationem raperent, vel ſapientia, vel eloquentia, & venuſtas dicendi, & cognitio eorum, quibus permouenda erant auditorũ corda, erat etiam diuinitas, & perſuadendi vis in labijs ſuis ſeſſitans: nam vel ipſi Gentiles agnouerũt, ſermonem qui ſtuporem non excitat, non eſſe oratori tribuendum. Hinc Cicer. in Oratore ad Brutum, ait, orationem quæ admirationem non habet, nullam eſſe.

Cur omnes ſtuperent in doctrina Chriſti.

Proprius oratoris ſermo quis.

Cicero.

Reddit autem Euangeliſta rationem admirationis à Chriſto excitatæ, *Quia*, inquit, *in poteſtate erat ſermo ipſius.* Quod non ſolùm dicitur propter miracula quibus confirmabat doctrinam, & propter ſingularis vitæ integritatem, ſed maximè quòd cum poteſtate doceret. Nam hic ſolus poteſtatem habet, non ſolum miniſterium iuxta illud Apoſtoli: *Neq; qui plantat, eſt aliquid, neq; qui rigat, ſed qui incrementum dat, Deus.* Docebat etiam ſine metu, in magna libertate, & fiducia hominum vitia redarguens. Ad hanc autem Chriſti autoritatem, verba eius ignita, & ad ima cordis penetrãtia accedebant.

In poteſtate eſſe cur dicatur ſermo Chriſti.

1. Cor. 3.

Secunda ratio.

Et in Synagoga homo erat habens dæmonium immundum. Sequitur doctrinæ à Chriſto prædicatæ confirmatio. Per ſignum vocat dæmonium immundum, ſicut etiam Marcus; ad differentiam ſpirituum mũdorum, & ſanctorum: nam deſtituti Dei gratia, & lumine, in ſeipſis immundi ſunt, & ſeipſos pluſquàm Deũ diligentes, imò illum contemnentes, ad immunda quæq;, id eſt, peccata, & ſpiritualia & carnalia ſolicitãt. Græcè hîc dicitur ἔχων πνεῦμα δαιμονίου ἀκαθάρτου, id eſt, habens ſpiritum dæmonij immundi; intellige intranſitiuè ſpiritum, qui erat dæmonium immundum, vel ad immũda prouocans. Vox enim illa Dæmonis etiamſi ex vſu loquendi reſtricta ſit ad ſignificandum Angelos apoſtatas qui ceciderunt: in ſua tamen plenitudine & cõceptũ ſignificat tam bonos, quàm malos: vt docet Auguſtinus, & Plato in Timæo, & Lactantius. Dæmones dicuntur quaſi δαήμονες, id eſt, ſapientes, ſiue ſcientia præditi: & in Actis de Paulo docente Chriſtum, & reſurrectionem mortuorum, dixerunt Philoſophi: *Nouorum dæmoniorum* (id eſt, deorum) *videtur annuntiator eſſe.* Et hac de cauſſa, quòd in bonum & malum accipi conſueuerit hæc vox, hinc dicti ſunt boni, εὐδαίμονες; mali verò, κακοδαίμονες. A dæmonibus porrò poſſeſſi, Latinè, dicũtur arreptitij, à Græcis, ἐνεργούμενοι, quaſi acti ab alio ipſos occupante. Obſident autem hominum corpora partim nocẽdi cupiditate, partim diuini honoris ambitione. Affligebant enim multos tempore Chriſti ſpiritus maligni: tùm vt oſtenderetur nobis inualuiſſe eo tempore dæmonis imperium propter peccatorum abundantiam; tùm vt indicaretur veniſſe eum, qui diaboli poteſtatem frangeret, & ab ea ſuos liberaret. Et aduerte, non eſſe vllum locum extra cœlum, in quem non conetur Satan ſeſe ingerere: nullus tam ſanctus, quem non audeat aggredi. In paradiſo certè non defuit: quia inuidia illius mors introiuit in orbem terrarum. Sed & hoc loco, vbi multus populus ad audiendum verbum Dei confluxerat, & Chriſtus ipſe Eccleſiaſtes erat, tamen nõ defuit Satanas immundus ille ſpiritus. Qui nõ ferens nouam virtutem Ieſu, quæ ſe tacitè proferebat, vociferari cœpit ingenti clamore, & impedire auditum verbi Dei. Caueat ergo vnuſquiſque ſibi, ne locum det diabolo, ſed cum maxima attentione Chriſti ſermones audiat. Nam ſcriptum eſt: *Omnis qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus, & rapit quod ſeminatum eſt in corde eius.*

Spiritus immundi quare dicantur.

Dæmon propriè tam bonum, quàm malum ſpiritum ſignificãt.

Dæmones vnde dicantur.

Aug lib. 9. de Ciu. Dei 10. 5.

Plato.

Lactan. lib. 2 cap. 15.

Act. 7.

Quæ cauſſa fuerit bonos dæmones εὐδαίμονες, malos verò κακοδαίμονες appellandi.

Quare hominum corpora dæmones obſideant.

Cacodæmonis mira nocendi auiditas.

Gen 3.

Sap. 2.

Ab eo quatenus cauẽdum.

Epheſ. 4.

Matth. 13.

Iam, quid exclamauerit, audi: *Sine, quid nobis, & tibi Ieſu Nazarene; veniſti perdere nos? ſcio te qui ſis, ſanctus Dei.* Quaſi dicat; ſcimus quę ſupplicia maneant nos in extremo die: ſed nunc tua præſentia nos ante tempus crucias, & torques. ¶ *Quid nobis, & tibi?* Id eſt, Quid tibi nobiſcum eſt negotij? an veniſti ante tempus torquere nos, & perdere? ſicut illud: *Quid mihi, & vobis eſt, filij Saruia?* & illud: *Quid mihi, & tibi, mulier?* Ita hoc loco: *Quid nobis, & tibi?* id eſt, Quid cauſſæ eſt tibi in nos, vt tua præſentia nobis ſis moleſtus? an veniſti ad perdendum nos? Et quia dixit: *Quid nobis, & tibi*, oſtendit dæmones ad malum inferẽdum eſſe concordes. Cogita hîc Satanæ erga humanum

Quid illud Satanæ: Quid nobis, & tibi Ieſu Nazarene? veniſti perdere nos?

2. Reg. 16.

Ioan. 2.

Dæmon quàm ægrè & moleſtè

stè ferat hominis liberationem.

genus inuidiam, pœnam sibi putat hominis liberationem. Sic homo diabolicus perire sibi videtur, si quis illi peccatum, in quo viuebat, auferre velit: non enim nouit viam iustitiæ. Et in hominibus sæuis plerumque contingit quòd in seipsis torquentur, si alios torquere nō possint: & hoc habet proprium obstinata crudelitas, vt pœnam patiatur, si pœnam non inferat. Apud Matthæum dicunt: *Venisti huc ante tempus torquere nos?* nimirū, vt exponit August. ante tempus iudicij, quo æterna damnatione puniēdi sunt cum omnibus etiā hominibus qui eorum societate detinentur: etiam si nunc grauissimè crucientur, & torqueantur interim. Obserua etiam, in principio ostendisse quanam de caussa ad nos venerit, nimirum vt de Satana triumpharet, eiusque regnum destrueret: In hoc enim apparuit Filius Dei, vt dissoluat opera diaboli: & veniens fortior fortem alligaret, & vniuersa eius arma auferet, & spolia distribueret. Hoc non ignorans dæmonium, propterea clamabat, quòd regnum sibi eripi cerneret. Regnabat enim in animabus per peccatum, & in corporibus per obsidionem, & vexationem: sed Messias ex vtrisque illum pellere debebat, sicut fecit. Imò propterea de corporibus eijciebat inuitum; vt intelligerent se illum de animabus vel reluctantem propulsare. Quod verò subdit dæmonium: *Scio te qui sis, sanctus Dei*: Cur eum prædicat, cum quo iniuriam expostulat? neque enim aduersariorum est inimici virtutem, ac magnitudinem commendare. Hoc vel extorsit inuito virtus illa, quam cernebat in Christo, vel tentando mentitur, dicendo se scire quis esset, vt vel sic exploraret quod in deserto non valuit. Quod mihi verisimile non videtur, cùm Euangelista testetur, dæmonia exeuntia è corporibus, & exclamantia esse prohibita à Domino loqui, quòd scirent ipsum esse Christū. Vel certè malitiosè hoc dæmonium simulabat se Dominum commendare, vel sperans adulando se impetraturum ne eum expelleret, vel quòd autoritatem haberet apud homines, vel opinionem scientiæ, à qua nomē habet, quòd scilicet intelligeret quæ adhuc homines latebāt, nempè Iesum esse sanctum illum Dei Messiam à lege, & Prophetis promissum, & maximè à Daniele vocāte illum Sanctum Sanctorum. Ideo cum duobus articulis dicitur, ὁ ἅγιος τοῦ θεοῦ, id est, ille sanctus magni Dei. Sed primum mihi præstantius videtur, nempè quòd virtus Christi ab illo inuito extorsit testimonium. Et sensus est: Scio qui sis, & ibi distinctio. Et ideò sequitur, nempè sanctus ille Dei. Græca habent οἶδά σε τίς εἶ. Græcismus est, pro noui quis tu sis, sicut Terentius in And. *Obserua filium quid agat.* Et inimici Christi de ipso testificantur quod sit Filius Dei; vt homines increduli confundantur Christo non credentes verà dicenti, & miraculis suos sermones confirmanti. Quidā disputant, an, & quomodo dæmones Christum agnouerint? Cui rei Augustinus breuiter respondet libro de Ciuit. Dei: *Tantum eis* (dæmonibus scilicet) *innotuit, quantum voluit: tantum autem voluit, quantum oportuit.* In Quæstionibus autem Veteris, & Noui Testamenti (si tamen eius sint) *Damonia* (inquit) *sciebant ipsum quidem esse qui per legem fuerat promissus: omnia enim signa videbant in eo, quæ dixerant futura esse Prophetæ, vt quòd ex semine Dauid venturus esset redemptor Israel, mysterium autem diuinitatis eius ignorabant, sicut et principes eorum.* Hæc ille. Sed, vt existimo, etiam diuinitatis eius aliquot coniecturas habebant: quia non tantùm verbis se dicebat filium Dei, æqualem se faciens Deo, sed etiam opera ipsius Diuinitati eius apertum testimonium reddebant.

Obstinatæ crudelitatis propriū quid.

Matth. 8. Illud diaboli cum: Venisti ante tempus perdere nos? quid significet.

Aug. lib. 8. de Ciuit. Dei c. 23 in fin. to. 5.

Quare Christus ad nos venerit.

1. Ioan. 3. *Luc. 11.*

Dæmonis regnum in animabus quale olim ante Christū fuit.

Cur dæmon Christum prędicat, cū quo iniuriam expostulat?

Matth. 4. *Luc. 4.*

Deut. 18.

Dan. 9.

Cur dæmones Christi hostes eius diuinitati attestentur.

An, & quomodo dæmones Christum agnouerint. *Aug. lib. 9. de Ciu. Dei c. 21 tom. 5.* *Idē li. Quæst. Vet. & no. Testam. q. 66 tom. 4.*

Dæmones vade agnoscere potuerunt diuinitatem Christi. *Ioan. 5.*

Obserua verò quemadmodum superbia peculiare dæmonum vitium sit. Metuit dæmon Iesum, & ad eius prædicationē exhorrescit; & tamen arroganter dicit, Sine; id est, desine mihi esse terrori, vel, desiste à tortura, qua mē torques. Et subdit: *Quid nobis, & tibi, Iesu Nazarene?* Perinde ac si diceret, regnum nostrū nihil ad te pertinet: iura nostra violas. Sine, vt quod industria nostra iamdudum adepti sumus pacificè possideamus. Nos tibi non aduersamur, tibi non nocemus: nulla inter nos & te est lis: quare venisti perdere nos?

Peculiare dæmonum vitiū quale sit.

Et increpauit illum Iesus, dicens, Obmutesce, & exi ab eo. Primùm increpauit eum, siue comminatus est, vt Marcus ait: quia eius, vtpotè domini, est punire, & plagas inferre hostibus suis rebellibus, & capitalissimis. Deinde indicit ei silentium, recusans à mendaci spiritu recipere testimonium: nam vt Ecclesiast. ait: *Nō est speciosa laus in ore peccatōris, quia non est à Domino missus.* Idē fecit & Paulus, vt habetur in Actibus: Puella enim quædā habens spiritū pythonem, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis diuinando; hæc subsecuta Paulum, clamabat dicens: *Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annūtiant vobis viam salutis.* Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & cōuersus, spiritui dixit: *Pracipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea. Et exijt eadem hora.* Quo exemplo pulchrè instruimur, nulla vnquàm in re habere fidem verbis dæmonum, etiamsi maximè veritatē dicant, & nos cōmendent

Christus primum cur dæmonem increpuit, deinde silentium indixit.

Ecclesi. 15. *Act. 16.*

Quid nos Christus hoc facto docuerit.

& lau-

&laudent. Non enim egebat malorum dęmonum, atq; hostium Christi testimonio Euangelium; quod certissimum prædicationis veritatem continet. Hæc si attenderent Christiani, exhorrescerent quicquam audire à dæmonibus: multi enim sunt, qui curiosè inquirunt, & scire ab eis cupiūt futurarum rerum euentus, & præteritarum, & præsentium occultos casus: nec intelligunt quàm sit hoc ab Euangelica doctrina alienum. Docet etiā hoc exemplo Dominus, non esse eximiam concionatoris laudem, si ab improbis laudem accipiat: & catholicus malle debet suam doctrinam ab Hæreticis vituperari, quàm laudari. Nam sicut Satanæ blasphemia laus Dei est; ita vituperari ab Hæreticis, magna quædam doctrinæ nostræ commendatio est.

In eos, qui dęmonum diuinationes inquirunt, & consectantur.

In eo etiam quod Dominus laudari à dæmone recusauit, quid insinuauerit.

Tertiò, præcipit ei cum imperio, *Exi ab eo.* Non enim dæmon tantùm loquitur, aut vexat quantum vult, sed quantum permittitur: vellet enim ampliùs loqui, vellet & longiùs hominem vexare, sed cogitur mutire, & abire. Nihil tale legimus vnquàm à Prophetis factum, vt simplici verbo propellerent dæmonia. Neq; hic magicis precibus, aut prolixa ad Deum oratione, aut magno adiurationis negotio profligat impios spiritus, sed ceu dominus, & victor eorū, nudo verbo imperat illis, qui nolentes, & volentes obediunt ei. Facilè quidem est imperare spiritui immundo: sed vt exeat, hoc opus, hic labor est. Hinc in Actis legimus septem filios Sceuę Principis Sacerdotum adiurasse spiritus immūdos per Iesum quem Paulus prædicabat; & in eos insiliuit dæmonium, & dominatum est eis, ita vt nudi, & vulnerati effugerent de domo eius. Hinc ergo discat concionator Euangelicus, prædicare verbum Dei, nihil aliud esse quàm bellum indicere dæmonibus, qui animas miserabiliter obsident, & cruciant: nam hos quidem per superbiam, illos per auaritiam, alios verò per vitium carnis & gulæ dæmones possident. Ideo prædicator debet quasi tuba exaltare vocē suam: quia vt tuba signum est belli, ita prædicatio indicium est belli quod indicitur contra malignos spiritus. Et vt Christus comprobat doctrinam suam veram ab eiectione dæmonum de corporibus, ita illi prædicationem suam confirmare debent expulsione Satanæ de animabus. Nā iste est omnis fructus, vt auferatur peccatum. Quemadmodum autem dæmoniacus hic Domino prędicāti restitit, & clamauit impediens verbi Dei progressum: ita multi sunt, qui verbis Concionatoris vtcunque attacti statim responsant, indignum arbitrantes, si quis scelera ipsorum pro merito accuset, nec verētur cum Satana dicere: Quid nobis tecum rei est, Iesu Nazarene? venisti perdere nos? Quid nobis cum Euangelio tuo? nōn in aliud ascendisti suggestum, nisi vt verbis duris nos traducas, & populo digi o ostēdas? Hæc, & similia multa auditores veris Christi concionatoribus obijciunt.

Quare Christus dæmoni præceperit, vt exiret ab obsesso.

Christi, non autem Prophetarum proprium.

Act.19.

Prædicari verbum Dei quid sit.

Esa.58.

Prædicatores verbi Dei doctrinam suam, vt cōfirment.

Supra 27.

Et cùm proiecisset illum dæmonium in medium, exijt ab illo, nihilq; illum nocuit. Furens impetus dæmonis hoc effecit, vt exiturus proijceret eum in medium: intellige in tertā mediam hominū in Synagoga sedentium: & discerpens eum, & exclamans, siue per pręteritum cùm discerpsisset, & exclamasset, iuxta Græcam literam, vt Marcus ait. Nam hoc est ingenium dæmonum, vt in ipso egressu torqueant grauiùs, ac discerpant, vt si non datur diutiùs manere, saltem quas possunt, ab hominib. sumant pœnas. Quod Deus permittit: tùm vt agnoscatur mala voluntas diaboli, qui vas quod amissurus est, inutili prędatori relinquit; tùm vt misericordia, & benignitas Christi liberantis de manibus tanti hostis patefiat. Hos imitātur illi, qui cum altero litigantes, vbi sentiunt sibi esse cedendum caussæ, non ante eam dimittunt, quàm quanto possunt damno aduersarium afficiant. Veri profectò dęmonū imitatores, quorum mores cùm per totam vitam sequantur, non credunt se illis etiam cum æterno igne socios esse tradendos, & audituros illud amarum dictum: *Ite maledicti in ignem æternū, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Dicitur autē nihil ei nocuisse proiectio, vel discerptio: quia solent discedentes dæmones membra lædere, aut debilitare, vel morbum incurabilem relinquere, teste Beda: sed hîc nihil permissi sunt facere. Integra etiam manet natura, recedente malitia & peccato per Christi gratiam.

Marc.1.

Quo Domin consilio dæmones obsessorum corpo ra priusquam egrediantur, affligant, & torqueant.

Dæmones qui consectentur.

Matth.25.

Dæmonum corpora deserentium proprium quid.

Beda in Mar. tom.5.

Et factus est pauor in omnibus, & colloquebantur adinuicem dicentes, Quod est hoc verbum, quia in potestate, & virtute imperat immundis spiritibus. & exeunt? Marcus habet: *Et mirati sunt omnes, ita vt conquirerent inter se, dicentes: Quidnam est hoc? quenam doctrina hæc noua, quia in potestate spiritibus immundis imperat, & obediunt ei?* Miraculi magnitudo pauorem, & timorem, vel potiùs stuporem, & admirationem (vt propriè significat: dicitur enim Græcè θάμβος, & verba quæ dixerunt, admirantium sunt) spectantibus inijciebat. Magna est enim potestas imperare dæmonibus, illosque inuitos eijcere: quos Paulus appellat principatus & potestates, dominos mūdi, & rectores tenebrarum harum: quibus cum perquàm difficillima nobis lucta est. Vnde Septuaginta discipuli reuersi à prædicatio-

Marc 1.

Eiecto dæmone de obsesso, cur pauebant omnes & admirabantur.

Dæmones quid Apostolo

Ephes.6.

Luc.10. dicatione, gratulabundi dicebant, *Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo.* Admirantur etiam præsentes propter rei novitatem, & ignorationem caussæ. Nam si Diuinam virtutẽ Christo infuisse cognoscerent, minimè admirarentur: quoniam omni iure Deo subijcitur omnis creatura. Admirabantur autem, dicentes, *Quod est hoc verbum?* Id est, Quænam res hæc tam noua? nam verbum more Hebræo, pro re accipi solet: vnde Marcus habet: *Quidnam est hoc?* Vel si propriè accipiatur, Quodnã est hoc verbum Christi, quod tãto imperio, & virtute præditum est, vt mox velut agnoscentes potentiorem se, relinquant hominem spiritus immundi? Ita exponit Theophylactus. Vel etiam verbũ accipi potest pro doctrina; vt idem sit: Quodnam est hoc verbum, ac dicere, Quænam hęc doctrina noua? secundum Euthymium. Mirãtur etiam de doctrina, dicentes: Quænam doctrina hæc noua? quia in potestate spiritibus immundis imperat, & obediunt ei? Neque est quo Lutherani hoc pro se dictũ existiment, aut his verbis suam hæresim quasi nouam doctrinam defendere velint. Neque enim ideo doctrina Christi noua erat, quòd populo noua videbatur, sed verè vetus erat: quandoquidem Christus omnia & faciebat & docebat iuxta Moysen, & Prophetas. Neque ideo damnatur doctrina illa, quia noua est (Nihil enim vetus est, quòd non fuerit nouũ aliquando) sed ideo dãnatur, quia impia est, & singularis, veterique doctrinæ Catholicæ aduersa. Adhęc aliud est, Christum Filium Dei nouam doctrinam proponere; aliud hominem immundum nouum, & inauditum dogma velut oraculum quoddam mundo obtrudere. Quod si suum dogma nouum esse negent, libenter illis hoc concedam, cùm nihil aliud Lutherani, vel Sacramentarij, vel Anabaptistæ proposuerint, quòd non damnatos Hæreticos ante multa secula autores habuerit.

Altera eorum ratio admirationis de virtute Christi, & potestate.

Verbum more Hebræo, quid.

Theophylact. in Marcum.

Euthym. c.1. in Marcum

Hæretici his verbis quomodo abutantur.

Sed ad rem, doctrina Christi noua est, à nouo homine Iesu Christo pronũtiata excludens figuras, vmbras, & cęremonias Iudaicæ vetustatis, & ab homine propulsans omnem vetustatem peccati, & corruptionẽ veteris Adæ, illumq; renouans, & nouam creaturam constituens, & Sacramenta noua adhibens ad hominem sanctificandum: quibus omnis dæmonũ virtus cedit. Nam per illa, Deus in nobis exurgit (nempè vt opituletur) & dissipãtur omnes inimici nostri, & fugiunt qui oderunt nos à facie eius. Ideo doctrinæ nouæ tribuitur, in potestate dæmones pellere.

Doctrina Christi noua cur sit.

Psal.67.

Et diuulgabatur fama de illo in omnem locum regionis. Intellige finitimæ, seu circumiacentis, vt Græca habet litera. Fama autem erat, quomodo dæmoniacum illum vnico verbo curauerit, & quòd spiritus immundus testimonium dederit, Christum, sanctum illum esse Dei. *Neque enim accẽdunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt.* Et in Psalmo dicitur: *Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo eius*: quòd nimirum Diuina opera in aliorum aures effunderet. Tunc igitur verbum huius miraculi ad nos perueniet; si agnoscamus Christum, sanctũ illum Dei esse ad nos sanctificandos destinatum, qui verbo imperat dæmonibus: vt si nos Satanam nostra corda cruciantem senserimus, ad Iesum cũ omni fiducia confugiamus, vt à dæmonis nos captiuos tenentis potestate liberare velit. Nam liberatio hæc studiosiùs nobis est quærenda, & tanto pluris est faciẽda, quanto anima præstar corpori, & quanto magis in nostra semper situm est potestate vt liberemur, si ad Dei benignitatem tota mente accurramus: quod non semper in obsessis corporibus homines assequuntur. Vnde Euangelista de hac dęmonis animam obsidẽtis oppressione sermonem fecit, cum ait: *Cùm diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotes*; & rursus Petrus in Actis Apostolicis dixit ad Ananiam, qui fraudauerat de pretio agri: *Anania, cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Sed hos dęmones de animabus nostris pellendi, autoritatem habent Sacerdotes, qui omnibus ad se accedentibus Sacramenta administrant vice & loco Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre, & Spiritu sancto detur omnis honor, gloria, & imperiũ, in secula seculorum. Amen.

Quæ fama Iesu diuulgata

Sit in omnem locum regionis.

Matth 5.

Psal. 147.

Fructus huius miraculi quis.

Ioan. 13.

Act. 5.

Dæmones qui pellant ex animis credentium in Ecclesia Dei.

TRACTATVS XI

De curatione à febri socrus Simonis, & ægrotorum multorum. Et refertur à Matthæo cap. 8. à Marco 1. & à Luca cap 4.

MIRACVLVM hoc quod expositiuri sumus, curationis socrus Petri, vt constat ex Marco, & Luca, cõtigit mox post prænarratum miraculum, imò eadem die: nam surgens Iesus de Synagoga, introiuit in domũ Simonis, vt ait Lucas, & Marcus: *Et protinus egredientes de Synagoga, venerunt in domum Simonis, &c.* Ex quibus manifestum est Matthæum qui hoc miraculũ describit post

Hoc miraculum quando fecerit Dominus.

Luc. 4.

Mar. 1.

Matth. 8.

post sermonem Domini in monte, & post miraculum curati leprosi, & serui Centurionis, ordinem historiæ in eo enarrando nō seruasse, sed recapitulando illud scripsisse, vt & multa quæ sequuntur, ostendunt. Vnde etiam tali vsus est locutione, quæ necessariò non exigat intelligentiam ordinis eorum quæ narrantur: nam post narratam curationem serui Centurionis, subijcit: *Et cùm venisset Iesus in domum Petri, &c.* non dicit, Posthæc cùm venisset in domum Petri, &c. Atque hæc de ordine dicta sint.

Proponamus verba B. Lucæ, qui fusius hoc miraculum enarrat: & si quid defuerit, supplebimus ex textu Matthæi, & Marci. Ait ergo Lucas: *Surgens autem Iesus de Synagoga.* In qua tantam gloriam assecutus fuerat in curatione dæmoniaci, vt eius rumor in omnem Galilææ regionem processerit. Docens nos suo exemplo, vt gloriam bonorum operum declinemus, & illam soli Deo tribuamus. Docet etiam nos charitatem: nam sanato homine priùs in Synagoga, venit ad sanādam mulierem, qui vtriusque sexus peccātis medicus, & redemptor venerat. *Introiuit in domum Simonis.* Marcus ait: *Et protinus egredientes de Synagoga, venerunt id domū Simonis, & Andreæ cum Iacobo, & Ioanne.* Nā etsi Petrus esset à Bethsaida Galilææ propinqua Capharnaum; tamen vel habebat domum cōductitiam in Capharnaum, vel domus vxoris Petri vocatur domus eius: quæ domus etiā dicitur Andreæ, quòd illam simul cum fratre suo Petro inhabitarent. Respuendū verò est Caietani dogma, dicentis, Petrum, qui omnibus renunciatis, Christum secutus fuerat, proprietatem domus retinuisse. Sed vt diximus, non erat propria domus Petri, quæ erat ex Capharnaum, in qua ædes proprias habebat, & ita domum socrus, siue vxoris eius vocat domum Simonis. Quòd verò retinuerit proprietatem domus, falsum est. Sed vt religiosus qui omnib' renunciauit, dicitur venire in domum suam, id est, eam, quæ olim fuerat eius, vt Simon leprosus, & Matthæus publicanus, id est, qui olim tales fuēre: ita etiam eâdem locutione dicitur domus Simonis. Et semper in domibus eorum, qui diligunt Christum, reperiuntur infirmi: vt in domo Mariæ, & Marthæ, erat Lazarus languens ad mortem; in domo Centurionis, seruus paralyticus; & in domo Petri febricitans. Nemo ergo carēs medico desperet: quia quo magis est humanitus res deplorata, eo propior est & vicinior Dei misericordia. Venit autē in domum Simonis cibi sumendi gratia, appetēte iam hora: quia in domo dixerunt Christo de ea, vt dicitur in Marco, quanquam magis vt ministraret spiritualia, quàm vt ministraretur ei, cùm ipse omnia præsciret. Deinde vt honoraret se honorantes. Nam scriptum est: *Quicunq; honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem cōtemnunt me, erunt ignobiles.* Tertiò, vt solueret obiectionem eorum, qui dicturi erant: *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magister vester?* Quartò, vt ostēderet se amicum pauperum. Nam paupertas si patienter propter Christum toleretur, & nullis admisceatur peccatis, grata est Deo: *Desiderium,* inquit, *pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Pauperibus prospicit, & opitulatur: *Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adiutor. Ego mendicus sum, & pauper: Dominus solicitus est mei.* Remittit peccata pauperibus, secundùm illud: *Parcet pauperi, & inopi, & animas pauperum saluas faciet.* Denique pauperes Euangelizantur, & illis promittitur regnū iuxta verbum Domini: *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnū cælorum.* Sed vtcunque his priuilegijs fulciatur paupertas, mundus tamen illis facilè renunciat, & ipsi paupertati tantoperè à Christo, & verbo, & facto honoratæ nuntium mittit: saltem si diuites sumus, exemplo Christi visitemus pauperes, infirmos, & vinctos in carcere. Hinc Spiritus sanctus adhortatur nos: *Non te pigeat,* inquit, *visitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis.* Et rectè dixit: *Non te pigeat..* Sciebat enim, pigritiam, & tarditatem interuenire in visitatione infirmorum. Et non promisit dicens; Ex hoc habebis dilectionem, sed, quod plus est, firmam illam facies. Nam actus auget indies habitum, & homo per illos promeretur à Deo incrementum charitatis.

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Hæretici noui Iouiniani sectatores tanquam immundi porci hîc grunniunt, commendantque magnopere cōiugium, ex eo quòd Petrus habuerit socrum. Sed nos non negamus Petrum fuisse cōiugatum, neque quicquam honorabili connubio, & toro immaculato per cœlibatum detractū esse volumus. Respondemus tamen, quòd Petrus non duxit vxorem postquā vocatus est à Domino ad Apostolatum. Nec probare possunt Petrum cū vxore rem habuisse, ex quo secutus est Dominum: quia vxorem reliquerat, vt dicitur apud Matthæum: *Ecce,* inquit, *nos reliquimus omnia, & secuti sumus te:* & inter ea quæ reliquerat, etiam vxorem esse relictam declarauit Dominus. Nec valet exemplum Petri ad hoc, vt eorum Sacerdotes ducant vxores: imò potiùs valet ad probandam maiorem castitatem,

[Margin notes, left:]
Bonorū operū gloria nobis declināda, soliqùe Deo tribuenda, quo Domini exemplo.
Domus Petri & Andreæ, cur dicta, vbi nimirùm socrū eius febricitantē Christus curauit. *Matth. 4.*
Inepta Caietani ratio reijcitur.
Infra 26. *Supra 9.*
Vbi semper inueniantur infirmi. *Ioan. 11.* *Matth. 8.*
Quare Christus venerit in domum Simonis.

[Margin notes, right:]
1. Reg. 2.
Matth. 9.
Paupertas quę Deo placeat. Pauperes quamque felices.
Psalm. 9.
Ibidem.
Psalm. 39.
Psalm. 71.
Matth. 11.
Supra 5. Odiosa & inuisa paupertas tam diues quibus tamen sit.
Eccl. 7. Expenditur illud Ecclesiastici: Non te pigeat visitare infirmum ex his enim in dilectione firmaberis.
Contra Hæreticos nouellos cœlibatū hinc etiam cōiugio postponentes. *Hebr. 13.*
Matth. 19.
Ibidem. Quam turpiter & stulte ex eo quod Petrus duxit vxorem, Sa-

cerdotes arguant, coniugatos fieri debere.

vt coniugatus etiam vxorem ob Sacerdotium, & Apostolatus ministerium relinquat. Maius ergo signum castitatis fuit accipere cõiugatum, & euehere ad Sacerdotium, priuando illum vsu vxoris, quam si cœlibem vocasset, aut continentem. Quòd si illi contendant imitandum esse Petrum: objiciendum est, illis plus esse Christum imitandum, quàm Petrum; Petrum autem nonnisi quatenus Christi imitator est, iuxta illud Apostoli: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Petrus cùm Iudæus esset, & antequam Christum nosset, duxit vxorem; nec in eo Christum est imitatus. Cæterùm in eo quòd vocatus ad Apostolatum, coniugij vsu se abdicauit, Christum Dominum quoad eius fieri potuit, imitatus est. Est autem mira, & effrons impudentia istorum Hæreticorum, qui se iactitant Apostolorum imitatores, & asseclas, cùm contraria illis quæ Apostoli fecerunt, operari deprehendantur. Illi namque relictis vxoribus vacârunt prædicationi, & muneri Apostolico; isti verò cùm essent Sacerdotes, & monachi Deo dicati, contra promissam Deo fidẽ vxores acceperunt, vt Euangelizarent. Vides quàm pulchrè imitentur Apostolos? Nam si imitari est, oppositum, & contrarium omninò præstare; profectò elegantes, & præclari isti Apostolorum imitatores sunt.

Petrus quatenus nobis imitandus tantummodò.

1. Cor. 11.

Quemadmodum ille Christum fuerit imitatus.

Quales Apostolici, seu Apostolorum imitatores Lutherani sint, vti iactitant sese arrogantissimi illi.

Lex igitur continentiæ, vel cœlibatus pro hominibus constitutis in sacris Ordinibus etsi non sit iuris Diuini, quia nullum extat in Euangelio tale ius, siue præceptum Domini, neque Græca Ecclesia ignorasset huiusmodi diuinum pręceptum, cùm coniugatos ad Sacerdotium admittat, etiã cum vsu vxorum: primitiua etiam Ecclesia, quæ vxoratos ordinabat, idẽ ostendit: repugnat autem Scripturam ab ea non fuisse intellectam. Prætereà nec Pontifices iustis de causis dispensassent in lege cœlibatus, si cognouissent illã iuris diuini esse: nã in legem superioris inferior dispensare nequit: tamen lex ista Ecclesiastica de cœlibatu seruando persancta est, & cõuenientissima Scripturis, & expedientissima Sacerdotibus, & Episcopis, & decore magno statum Ecclesiasticum ornans. Quod ex multis comprobatur: nam Sacerdotum est offerre munera, & sacrificia. Vnde tempore quo ministrabant Sacerdotes in lege, à congressu vxorum abstinebant, & in ministerio femoralibus præcincti erant in signũ castitatis commendandæ. Esuri etiam agnum in lege, renes præcingebant. Quòd si in agno typico edendo castitatem seruabant, quantò magis in vero agno omnis castitatis, & pudicitiæ fonte seruanda est: maximè cùm omnis emissio seminis voluntaria personã sacram, & locum sacrum cõtaminet, & polluat. Deinde ad Sacerdotem spectat prædicare verbum Dei; at Cicero dicebat: *Non possum simul vacare vxori, & Philosophiæ:* quantò minus quis potest vacare Sacris literis, & vxori? Coniugatus etiam Sacerdos quomodo cohortabitur ad consilia Christi arripienda, & ad continentiam colendam? Tertiò, Sacerdotis officium est orare, & iuges preces Deo fundere. Quòd si Apostolus cõiugatos, obsecrationis tempore vult ab vsu coniugij separari, vt habetur in priori ad Corinthios; quantò magis Sacerdos, qui continuis Deo precibus offerendis, & hymnis & Psalmis decantandis est dicatus, semper ab vsu coniugij abstinere debet? Quartò, Sacerdotis est officium dispensare Sacramenta: at si Sacerdotes coniugati essent; & ipsi, & Sacramenta contemptui haberentur: quemadmodum sub Gregorio VII. in Austria factum est, & in Hispania, antequam illa prouincia in ditionem Maurorum, siue Saracenorum veniret. Quintò, Sacerdotum est crimina confitentium sibi, sub sigillo confessionis audire, & pœnitentias imponere. Difficile autem prpfectò esset virum cum vxore secretum aliquod tenere: proinde odiosa redderetur confessio. Sextò, Sacerdotis est lugere, & peccata populi comedere, de quibus Propheta: *Inter vestibulum & altare plorabant Sacerdotes ministri Domini: & dicent, Parce Domine, parce populo tuo:* at luctui, & pœnitẽtiæ Sacerdotum pro populo assumendæ repugnat vsus veneris, etiam cum propria vxore. Septimò, Sacerdotis officium est dispensare temporalia bona in vsus pauperum, viduarum & orphanorum, & curam illorum gerere: at Sacerdotes vxoribus copulati, & filios habentes, raras aut nullas eleemosynas facerent propter onera alendæ vxoris, & familiæ, & quia debent thesaurizare filijs, & honestè locare filias. Nã si hodie cum magno dedecore & scandalo concubinis, & filijs spurijs alendis omnes sumptus Ecclesiasticos nõnulli insumunt; quãtò magis si coniugium liceret? nam non solum non esset vituperabile hæreditatem filijs relinquere, & filias amplè collocare, sed etiam honestum, & cum virtute coniunctum. Est etiam Sacerdotis ingredi per ostium virtutis, & literatum: tunc autem, posito coniugio, hæreditate possideretur sanctuarium Dei, si modò subdole, & miris technis spurij, & damnato coitu nati in Ecclesias interdum admittuntur. Est denique Sacerdotum officium Christum repræsentare, & vitæ

Vnde constet cœlibatum Sacerdotum non esse iuris Diuini, sed Humani.

Quod cœlibatus sacris personis, & Ecclesiasticis maximè conueniat.

Hebr. 5. & 8.

Leg[a]les Sacerdotes qualem castimoniam obseruarent.

Exod. 12.

Emissio seminis quæ hominẽ sacrumque locum contaminet.

Secunda ratio.

Ciceronis dictum.

Tertia ratio.

1. Cor. 7.

Quarta ratio testimonia Sacerdotum,

Quibus nuper Sacerdotes ob coniugium atque adeò Sacramenta viluerint.

Quinta ratio.

Sexta ratio.

Osee 4.

Ioel. 2.

Septima ratio.

2. Cor. 12.

Octaua ratio.

vitæ exemplo alijs præire: At Christus virgo fuit, de Virgine natus, & vterque Ioannes, & Apostoli omnes, si quas vxores habuerunt, relinquentes, cœlibatum coluerunt. Et quomodo excellentiori vitæ genere possent alijs prælucere, si cõtinentiam non amplecterentur, quæ præstantior est matrimonio? Postremò Reges, & Principes terræ occuparent omnes gradus Ecclesiasticos, & propter temporalia fortunæ bona, quæ illis adiuncta sunt, vsurparent Episcopatum, Cardinalatum, ac Papatum, & haberent quo tegerent suam auaritiam, nempe Melchisedech, Regem & Sacerdotem fuisse, sicut & Machabæos, qui Pontificatum cum regno coniunxerunt: & de rege Anio testatur Poëta:

Nona ratio ac postrema.

Gen. 14.

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbiq; Sacerdos.

Verg. 3. Æn.

Vides igitur quàm sancta lex sit cœlibatus Sacerdotum, & quàm illi accommodata, vt qui illam de medio auferre tentauerit, nonnisi totam Ecclesiam dehonestare, ac decolorare videatur? Scio hæreticos multa obijcere, quo suum errorem tueantur: sed alio loco fortassis eorum rationes refellemus, ne hîc æquo prolixiores esse videantur.

Febris quid, & vnde sit dicta.

Sed redeamus iam ad socrum Petri, quæ tenebatur magnis febribus, vel, vt Græcè dicitur, magna febri. Est autem febris (à feruore dicta) calor extraneus inflammatus in corde per venas, & arterias diffusus in totũ corpus, in detrimentum substantiæ, & facultatũ animæ, & impedimentũ functionum, & operationum. Et quo magis socrus Petri febrib⁹ affligebatur, eò propinquior erat medico Christo, & sanitati.

Petrus an rogauerit pro socru sua ægrotãte Dominum, nec ne.

¶ *Et rogauerunt illum pro ea.* Non legitur rogasse Petrus: quia vel ignorabat, si morbus erat recens; vel ne impediret Christum, si nouerat; vel ne videretur caro petere, ea maximè, quæ sua natura media, & indifferentia sunt. Alij tamen rogarunt pro ea: & qui non rogatus expulit dæmonem de arreptitio, voluit rogari ad sanandam febricitantem. Et plus est accipere donum, & preces quibus donum impetres, (quod est duplex gratia) quàm solum donum sine precibus: quia facilius perdimus gratiam, quam precibus non obtinuimus. Deinde mirum est, quòd cùm Christus plus diligat, & maiorem misericordiam habeat quàm qui intercedunt, sinat tamen, & velit alios præire, & videri magis se amantes, & misericordes; vt mereantur. Sed hæc est Dei sapientia, vt etiamsi magis salutem nostram sitiat, non excludat tamen adiutores, & administros; vt hac etiam ratione Charitas, & Humilitas inter nos & eos, qui pro nobis intercedunt, magis coalescat. Imò quod plus est, pro rebus à Deo prædestinatis non excluduntur orationes, & opera nostra, quæ potiùs sunt signa ipsius prædestinationis. *Satagite*, inquit Petrus, *vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Hinc Apostoli orant pro sanitate socrus, Paulus pro salute & incolumitate nauis, Ecclesia pro Petro in carcere posito, Isaac pro semine promisso à Deo, & iureiurando confirmato. Simili ratione Dei præscientia etiam non excludit, imò statuit opera, & orationes: nouit enim Deus quod metes frumentum, si seminaueris; sanaberis ab infirmitate, si vocaueris medicum, & medicinam nõ recusaueris.

Duplex Dei gratia quæ censenda.

Quare Christus nõnisi rogatus socrum Petri sanauerit.

Prædestinatiõ opera nostra, & orationes minimè excludit.

2. Pet. 1.
Actor 27.
Supra 12.

Gen. 26.

Proprium diuinæ præscientiæ.

Et stans super illam. Describitur gestus Christi sese ad lecti fulcrum inclinantis, vt febricitantem manũ apprehendens eleuet. Ait enim Matthæus: *Et tetigit manum eius, & dimisit eam febris.* Marcus verò ait: *Et accedens eleuauit eam apprehensa manu eius: & continuò dimisit eam febris, & ministrabat eis.* Tetigit ergo manum, non vt medicus, sed vt iuuans sanet eam, & erigat: quasi dicat, Nihil est, surge; vt sic videretur ipse curare. Non enim solo verbo, vt in condendo mundo fecit à principio, sed in eo instaurando adhibuit etiam manus contactum: quia opus fuit Verbum carnem fieri, & illam pro nobis in Cruce immolari, & illam à nobis fide manducari in Sacramento, vt vitam habeamus.

Christus vt sanauerit socrũ Simonis febricitantem.

Marc. 1.

Cur eius manum tetigerit.

Gen. 1. & seq.
Ioan. 1.
Infra 6.

¶ *Et imperauit febri.* Interpres noster videtur legisse ἐπέταξε, nostra exemplaria habent, ἐπετίμησε, id est, increpauit. Et notat Euthymius, increpare accipi pro præcipere, siue imperare, vt noster Textus habet: quia animata propriè increpantur, vt dæmones, qui intelligunt; in inanimata verò propriè, nec increpatio cadit, nec imperium, etiamsi dicatur imperasse ventis, & mari, vel potiùs iuxta Græcum textum, increpasse. Quantum ad Deum tamen, omnia sunt & præcepti, & increpationis capacia. Præcepti quidem, non tanquam apprehendentia præceptum, sed tãquam ineffabiliter obedientia Diuinæ voluntati. Hinc dicitur: *Præceptum posuit, & non præteribit.* Vt enim per voluntatẽ Dei & imperium omnia consistunt, ita per eius voluntatem & imperium omnia quocunque ille verterit, obediunt. Sunt deinde capacia increpationis, iuxta illud Psalmi: *Et increpuit mare Rubrum, & exsiccatum est:* & de aquis dicitur: *Ab increpatione tua fugient:* non quasi propriè peccantia, sed quasi vexantia, in-

Quid est, Christum imperasse febri.

Euthym. c. 9. in Lucam.

Matth. 8.
Quia ratione vniuersa Diuini & præcepti, & increpationis sint capacia.
Psalm. 148.

Psalm. 105.
Exod. 14.
Psalm. 103.

digneque

digneque nocentia. Indignum est enim, hominē adeò nobilem creaturam, ijs malis, & morbis subijci: ob quam indignitatem Dominus indignatus, dicitur increpasse. Et hinc Dominus infremuit, & indignatus est contra mortem Lazari. Rectè ergo interpres noster verbum increpandi durius in mollius imperandi interdū conuertit.

Ioan. 11.

Quia verò Dominus imperat febri, constat morbos ministros Christi esse, qui ad eius imperium accedunt, ac recedunt: & Christus, Dominus est vitæ, & mortis: & quando vult, vel mitigat, vel tollit pœnas à nobis. Et quia vult quando oportet, patienter agendum est, dum morbus adest, quia obest impatientia: & omnia, siue prospera, siue aduersa, ad Christum sunt referenda. Neque, vt facimus, sistendum nobis est in causis secundis: inde enim in prosperis ingrati animi omne vitium in Deum, in aduersis verò omnis impatientia. Quidam enim eo tempore in aduersis de Deo murmurant, quando seipsos maximè accusare deberent.

Vnde constet morbos esse ministros Domini.

Vnde in Deū ingrati, ijdem que simus impatientes.

Et continuò surgens ministrabat illis. Efficax fuit Domini imperium: nam solùm febris recessit, & non expectauit vt redirent vires, sed statim robusta, & perfectè curata fuit, ita vt posset ministrare: quod non habent ab alijs curati. Et vide quàm non fuit ingrata medico: quia statim illi, & ijs qui cum eo venerant, ministrauit. Cuius rei gratia Christus domum Petri diuerterat, nempe vt habitaret, & administraretur illi. Et bonus hospes Christus priùs soluit Symbolum, quàm quicquam apponeretur ei. Nec ob aliud nobis immittuntur aduersa, quàm vt Christo, & non Satanæ ministremus. Sed multi sunt, qui, dum morbis afflictantur, proponunt mutare vitam, & mores, & Christo ministrare: at vbi salutem sunt consecuti, propositum suum obliti, ad pristina vitia, peccataque reuertuntur.

Christi Domini in sanando imperium efficax.

Cur nobis à Deo immittuntur aduersa.

Quum autem Sol occidisset: Pro occideret, siue occumberet, quando homines laborum diei pertæsi quieti se tradunt. Vt semper benè speres, etiam cùm in extremis angustijs verseris. Nullo enim tempore vacabat Christus, noctu, diuque semper operabatur, sicut ipse dixit: *Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est.* Marcus distinctè ait: *Vespere autem facto, cùm occidisset Sol;* quia vespera est ab meridie elapsa. Sicut Lucas innuit, cùm euntes in Emaus dixerunt Domino: *Mane nobiscum, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies:* hîc autem inclinata erat dies ad Solis vsque occubitum. In occasu ergo Solis adducebant infirmos: vel quia dies Sabbati erat, vt Theophylactus notauit, quod putarent non licere curare in die Sabbati, donec transiret; vel reueriti tempus illud quo prædicabat, ne interdicere viderentur verbum Dei; vel quia recessurus erat crastino die sequenti; propterea in Solis occasu ad eum accurrebant. Non autē quòd timerent Pharisæos, nec propter morborum verecundiam, nec propter laborem diurnum: quia profectò omnia illa obstacula facilè relinquerent propter sanitatem adipiscendam, & nō ita publicè conuenirent. Et verbum, *Cùm Sol occidisset*, Matthæus & Marcus dicunt, *Vespere autem facto*, siue Græcè, ὀψίας γενομένης, id est, cùm serum diei esset. Et sic loquitur Liuius: *Castrorum*, inquit, *oppugnatione, quia serum erat diei, abstinuere.*

De Christo semper benè sperandum.

Ioan. 9.

Christus nunquam vacuus ab opere, aut remissus.

Luc. 24.

Quare post Solis occasum infirmi ad Christum deferebantur, teste Euangelista.

Theophylact.

Aliæ quædam causæ reijciuntur.

Liuius lib. 9. ab vrbe.

Omnes qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad eum. Adiungit Marcus: *Et erat omnis ciuitas congregata ad ianuam.* Quemadmodum ad medicum, quando vnus est, omnes festinanter accurrunt ad ianuam domus: tu adducito ad Christum infirmos tuos, quia sanat omnes, iuxta illud: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.*

Ad Christum medicum qui debent adduci.

At ille singulis manus imponens, curabat eos. Licèt verbo posset curare, tangit tamen, vt & veritas carnis suæ, & virtus ostendatur. Nam vt ait Cyrillus, sicut vas æneum ab igne calefactum, vim habet calefaciendi: ita carni Christi deitas & virtutem sanandi cōtulit: vt & Verbum diuinū sub aspectum & tactū non cadebat, illud carne indutum, & visui, & tactui expositum sanaret infirmitates nostras siue fœdas visu, siue contagiosas, quas nō sit tutum tangere, siue adeò vehemētes, vt medicorum artem, & opem superent. Et bonus pastor, ac medicus singulas oues morbidas vult contrectare, cùm nos ne longè quidem illas videre dignemur. Infirmi autem præ reuerentia, & lætitia ad contactum Christi contremiscebant. Tu ergo adducito infirmos tuos ad Sacramentum pœnitentiæ, vbi manus Christi imponitur ad absoluendum, & ad fimbriam vestimenti Iesu contingendam, id est, ad Eucharistiam, quæ sanat: & maximè pastor spiritualis, & paterfamiliâs hoc præstare debent. Infirmi quoque sinant se duci ad Christum, & Fide; & obedientia saluti suæ cooperentur, vt isti faciebant: virtus enim deitatis in manus, & à manibus in ægrotos deriuabatur. Manus Christi sunt Sacerdotes, & ministri eius, vel absoluentes in foro Pœnitentiæ, vel conficientes & porrigentes Eucharistiam

Christus verbo cum posset infirmos curare, cur tangit?

Cyrill. lib. 4. in Ioan. c. 15. vel lib. 10. cap. 18.

Vnde caro Christi vim sanādi habuerit, teste Cyrillo.

Mira Christi medici benignitas.

Fimbria vestimēti Iesu quæ sit, à quibus que tangenda.

Manus item Christi quænā sit mysticè.

charistiam, vel alia Sacramenta administrantes.

Dæmonia cur solo verbo Dominus eijceret, nō tangeret obsessos.

Exibant autem dæmonia à multis, clamantia, & dicentia, Quia tu es Filius Dei, &c. Dæmonia solo verbo expellebat: quia intelligunt. Ideò non tangebat arreptitios; tactu verò languidos curabat. Ait aūt Matthæus: *Et eijciebat Spiritus verbo.* Intellige malignos spiritus, siue dæmonia, vt explicat Lucas, id est, loquendo, & iubendo, vt ij solent, quorum est summa potestas. Vnde Cicero in Catilinam eâdem dicendi phrase vsus est: *Ego*, inquit, *vehemens ille consul, qui verbo ciues in exilium eijcio.* Et infrà: *Quod ego si verbo assequi possem, istos ipsos eijcerem, qui hæc loquuntur.* Exibant autem (inquit) dæmonia clamātia ex indignatione, & dicentia, *Quia tu es Filius Dei.* Diabolus quia fecit se filium Dei, dicendo: *Super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, &c. similis ero Altissimo*, mori debuit, sicut & mortuus est, eò quod rapinā arbitratus est esse se æqualem Deo. Idemque persuasit Adæ, qui scientiam Dei ambitiosè affectauit: qui etiam morti addictus fuit. Idē denique insidiosè persuadere voluit secundo Adæ: *Si Filius*, inquit, *Dei es, dic vt lapides isti panes fiant:* & modò dicendo, *Tu es Filius Dei.* Verum non obtinuit; vt Christus mortem animæ incurreret. Videns autem posse id occasionem esse mortis corporis, eum Filium Dei vocabat, vt illum titulum acceptans, morte dignus efficeretur. Quod tamen, habens potestatem ponendi animam suam, permittere noluit, quousque venit hora, quando pro hac tanta veritate, qua dixit, Filius Dei sum, moreretur, & confunderet dæmonem illam obstinatè vsurpantem, & satisfaceret Deo pro vsurpata diuinitate ab Adam.

Matth. 8. — Cicero orat. 2 in Catilinā. — Diabolus cur mori debuit, & quonā modo mortuus sit ille. — Esai. 14. — Gen. 3. — Quare mortuus est Adam. — 1. Cor. 15. — Matth. 4. — Quam ob causam dæmon Christum vocauerit filium Dei veterator ille. — Ioan. 10. — Marc. 14.

Verbum hoc: quia sciebant ipsum esse Christum, duplicem habet sensum.

Et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum. Dupliciter potest intelligi illud quod ait, *quia sciebant.* Vno modo, vt non sineret vt ipsa dæmonia affirmarent se nosse Christum, vt illud dæmonium quod dicebat: *Scio te qui sis, sanctus Dei.* Et ita idem est dicere, quia sciebant; ac dicere, quòd sciebant. Alio modo exponi potest; vt nō sint verba dæmonum, sed ipsius Euangelistæ, declarantis propterea Dominum vetuisse illorū voces, & clamores; quia certissimè sciebant, Iesum esse Christum, & Filium Dei. Quod magis satisfacit: tùm quia dæmonia hîc non clamabant, Scio quòd sis Christus Filius Dei, sed, *Tu es Filius Dei:* tùm quia dæmones ex Scripturis, & operibus Domini agnoscebant illum verum esse Messiam, & Filium Dei promissum; tùm quia Dominus volebat Iudæos confundere nolentes credere, quod vel spiritus maligni omninò coacti cōfitebantur. Quanquam Dominus illis silentium imponeret, quòd nondum esset tempus huiùs veritatis confitendæ, donec amplius progrederetur prędicatio eius. & signa plura testantia Messiam ederet. Nam eadem ratione Apostolis interdixit, ne dicerent se esse Christum. Confirmat hunc sensum quod Marcus ait, quòd non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum. Vnde Euthymius hæc verba Marci explicans, ait: *Loquebantur verò de eo, quoniam nouerant ipsum esse Christum: sicut rursum dixit Lucas. Cognoscebant autem per radium diuinitatis, qui in eos ad modum ignis iaciebantur.* Hæc ille.

Luc. 4. — Alter sensus. — Vter sensus illorū præstantior. — Quæ causa Domino fuerit increpandi dæmonia ne se filium Dei dicerent, & manifestarēt. — Matth. 16. — Euthym. c. 3. in Marcum. — Vndenam dæmones sciuerint Christum esse Dei Filium.

Cur item Dominus dæmonibus vetuerit ne dicerent ipsum esse Christum.

Sunt & aliæ rationes huius præcepti. Nolebat enim Dominus hanc tantam veritatem, in qua est mundi salus posita, prædicari à diabolo, ne suspicio esset illum habere commercium cum dæmonibus. Et quia perinde est laudari à viris turpibus, & laudari ob turpia, vt dixit Seneca: sicut è contrario magna laus est laudari à viro laudato: nec enim est speciosa laus in ore peccatoris. Et huius tantæ veritatis accepturus erat grauissimum testimonium in transfiguratione à Patre; & quia à suis operibus in gloriam Dei factis volebat plus illucescere, quàm hominum, dæmonumve testimonijs. Deinde imponit silentium dæmonibus, in signum quod omnia dæmonum oracula suo aduentu statim deficere deberent, & arescere, & muta reddi. Vnde Horatius dixit:

Seneca. — Nausius apud Cic. lib. 5. Epist. ad Lucaium. — Eccl. 15. — Matth. 17. — Secunda ratio. — Horatius.

Iampridem cessant oracula Delphis:

Et Plutarchus libellum edidit de Oraculis deficientibus. Et ne nos apperamus respon sa à dæmone, cuius ingenium est obscura claris, & falsa veris inuoluere, & verba dare hominibus. Ne appetamus etiam ab organis dæmonum, id est, hæreticis, aliquam veritatem discere: quia eorum libri periculosi sunt. Et vt tutum non esset ad splendidam, & lautā mensam accedere, in qua duo vel tres boli essent veneno lethali infecti: ita ad libros Hæreticorum legendos, etiam si multa vera dicant: tamen propter venenum in paucis delitescens, tutum nō est ad illorum lectionē accedere. Tertiò, quemadmodum Sathanas laudat Christum, vt mortem illi suis laudibus machinetur: ita Hæretici non ob aliam causam Christi gratiam, & misericordiam vsque ad cœlum celebrant, nisi vt interim subducant nos ab Ecclesia, & à doctrina Catholica.

Dæmonis ingenium. — De hæreticorū libris quid censendum, simili ostenditur. — Tertia ratio. Eorundem de Christo eiusque gratia infinita præconia quò tendant.

Subdit autem Matthæus solus post eiectos dæmones, & sanatos languidos. *Vt adimpleretur* (inquit) *quod dictum est per Esaiam*

Prophe-

Esai 53. Hoc testimonium Esaiæ: Ipse infirmitates nostras accepit, & reliq. cur solus retulerit Matth.

Prophetam, dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portauit. Solus Matthæus citat: quia scripsit Iudæis, vt diximus. Vbi in primis, quomodo sanando infirmos, hæc verba Esaiæ, quæ de spiritualibus peccatorum infirmitatibus, & reatu delictorum, quæ in corpore suo patiens tulit, intelliguntur, in Christo sunt impleta. Erasmus nesciens hunc nodum soluere, dixit, Euangelistam coactiùs attulisse hoc testimonium Prophetæ. Sed profectò consultiùs suam infirmitatem fassus fuisset, asserendo nos in omnibus non posse accipere mentem Spiritus sancti. Neque satis est quod addit, illas sanationes typū illius fuisse sanationis quam in morte præstitit: quia Scriptura non impletur in vmbris, typis, & figuris, sed in veritate. Caietanus autem: *Et ne putes, inquit, vt Porphyrius dixit, Matthæum fuisse ignorantem, discute diligenter textum illum Esaiæ, & perspicies sensum istum esse sensum literalem. Intendit enim Propheta de Messia in Cruce constituto dicere, quod verè, non fictè, aut vulgari fama miracula sanitatum efficit alios sanando: & tamen nos reputauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo. Vnde principes Iudæorum obijciebant Christo, dicentes: Alios saluos fecit, se ipsum non potest saluum facere. Est itaque,* inquit, *sensus literalis prophetiæ, quod Messias verè abstulit infirmitates nostras, quæ ex defectu accidunt, & ægrotationes quæ super excessu proueniunt, vt omne genus ægritudinis comprehendatur. De languoribus verò animæ, quæ peccata sunt, subdit posteà: Deus posuit in eo iniquitatem omnium nostrûm.* Hæc ille. At certè si veritatem amamus, non apprehendit sensum Prophetæ. Nam Esaias Christi passionem declarare intendit pro nobis debitam, & ab illo in se ipsum susceptam: vnde ægrotationes nostras, & infirmitates, & plagas nostras vocat, quæ nobis debebantur, sed ipse ex misericordia illas pro nobis sustinuit.

Erasmi in hūc locum minus Catholicus sensus improbatur.

Scriptura quomodo impletur.

Caietan. in Matth.

Matth. 27. Infirmitates Christus, & ægrotationes nostras quas portauerit, lāguoresque tulerit, teste Caietano.

Reijcitur sensus ille Caietani.

Nota ergo pro vero sensu Euangelistæ, quòd omnes morbi & infirmitates nostræ, vt testantur Chrysostomus, & Euthymius, à peccato veniunt, vel ab illo antiquo Adæ, vel à nouo, & proprio, siue personali peccato. Ait enim Apostolus: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors*; & Dominus paralytico: *Iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Vt ergo posset Dominus has infirmitates salua iustitia curare, oportebat eas, id est, earum pondus, in se accipere, & profiteri se earum debitorem, quod sanando faciebat: hoc enim erat accipere infirmitates, quæ sunt pœnæ peccatorum, in se ipsum transferre earū reatum, & diluere in corpore suo innocente, in quo à planta pedis vsque ad caput nō fuit sanitas. Et ita impleta est Scriptura, quę dicit accepisse, & portasse nostras ægrotationes; ne putares ꝙ quos sanabat gratis, sanaret sine vlla satisfactione, sed in corpore proprio pro nobis solueret debita. Sicut fideiussor iubens aliquem de carcere exire, profitetur se debitorem pro eo, & quod soluet: ita Christus Dominus liberans à carcere infirmitatum.

Sensus verus huius loci traditur.

Morbi nostri & infirmitates vnde proueniant.

Chrys. hom. 28 in Matth. tom 2.

Euthym. c 9. in Matth.

Rom. 5.

Ioan. 5.

Esai 1.

Christu ægritudines nostras accipere, iuxta Prophetam quid.

Nec ibi adhuc loquitur Propheta de passione Domini, quā extremam tulit in Cruce: quia non fuit tunc initium passionis in corpore: sed tota eius vita fuit passio, & infirmitas, quam accepit pro nobis, & portauit. Nam post illa verba adiungit Propheta de passione: *Et nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Vt reuera hoc ibi fuerit, infirmitates nostras recipere, & ægrotationes portare; scilicet vulnerari propter iniquitates nostras, & atteri propter scelera nostra. Vnde Euthymius: *Per languores, & morbos hic mihi intellige languorum, ac morborum reatus. Cùm enim languores, ac multos patientes morbos curauit, in se ipsum eorum reatum transtulit: dico sanè labores, & mortem: ideò etiam multos perpessus labores tempore acerbæ passionis mortuus est.* Et infra: *Pulchrè autem propheticum dictum transumpsit Euangelista. Plures siquidem languores ac morbi corporales à peccatis oriuntur.* Hæc ille. Rupertus Tuitiensis ait citari Esai. cap. 53. de infirmitatibus spiritualibus loquentem: quia Dominus sanabat corporis morbos in testimonium, & argumentum quod esset medicus animarum, & spirituum. Est etiam certus intelligēdæ Scripturæ canon; vt cum oratio aliqua plures sensus habere possit, omnes illos dicamus Spiritum sanctum significare voluisse. Matthæus ergo hunc locum ad omne morborum genus propulsatum à Domino retulit, ob dictā causam; Petrus verò priori Epistola ad peccata retulit: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*: secutus 72. interpretes, qui verterunt: *Iste peccata nostra portat: & pro nobis dolet.* Certè Origenes in cap. 8. & 15. Epist. ad Romanos, verba hæc de corporis, & animi morbis interpretatur.

Secunda ratio in sensum Caietani.

Esai. 53.

Euthym. loco supra citato. Qui sint languores & dolores quos tulisse Dominū Propheta testatur.

Morbos corporis humani Christus quare sanaret, teste Ruperto.

Rupert. Tuit. in Matth. lib. 7.

Certus intelligēdæ Scripturæ canon quis.

1. Pet. 2.

Orig. tom. 2.

Cum verò de corporis morbis per Christum sanatis intelligitur hîc locus, non est sensus quòd Christus morbos & infirmitates in seipsum transtulit. Vnde Basilius in Regulis breuioribus: *Languores nostros,* inquit, *ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: non quod in se hæc ille susceperit, sed quod eos, in quibus hæc erant, curauerit.* Simili ratione dicitur à Paulo: *Alter alterius onera portare, &*

Infirmitates corporis, & ægrotationes qua ratione Christus minime portauit.

Basil. in Reg. breuioribus interr. 177. tom. 2.

sic adim-

Peccata portare cur Christus dicatur. *Luc. 16.*

sic adimplebitis legem Christi. Et dicitur peccata portare, per modum victimæ: nam animal, quod pro peccatis ad victimam, vt hircus emissarius producebatur, quodammodo peccata omnium in se ipsum suscipiebat, ac portabat. Vnde Ioannes dixit: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi:* & Petrus: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*, Hinc etiam Dauidi dictum fuit: *Dominus transtulit peccatum tuum:* quòd nimirum ab humeris peccantium in humeros Christi transferretur. Vt prædicta verba Esaiæ melius intelligas, Christus defectus assumpsit, qui necessarij erant ad patiendum pro nobis curandis, & pro veritate naturæ nostræ ostendenda. Et quia defectus spirituales, vt ignorantia, & peccatum, tales non erant; propterea eos non assumpsit; sed corporeos tantum, qui speciem humanam consequuntur, etiam antequam laberetur homo, vt sunt, cibi egestas, & somnus; vel qui lapsum comitantur, vt fames, dolor, & mors. Non autem defectus qui quædam tantum indiuidua, & non omnia consequuntur: quia neque ad patiendum, neque ad veritatem naturæ indicandam sunt necessarij, vt est monstrositas, quæ in Christo non erat, in quo nec materiæ, nec virtutis formantis, id est, Spiritus sancti, defectus aliquis fuit. Nec etiam morbi adfuerunt: quia licet sine malo vitæ regimine interdum accidant, noluit eos assumere, quod ad rem non facerent. Et quia Dominus naturæ, potuit eam, non autem eam consequentia assumere, qualia sunt omnia, quæ peccata consequuntur. Sed inter hæc, voluit maximè assumere omnibus necessaria ob causas dictas, non morbos. Tantùm ergo assumpsit defectus generales consequentes naturam, vel peccatum, vt dictum est. Nec fuit conueniens, vt omnium defectus assumeret: quia fuisset omnium monstrosissimus; ac proinde contemptui esset, tùm ipse, tùm doctrina eius, cui minor fides haberetur.

Ioan. 1. *1. Pet. 2.* *2. Reg. 12.* Illud Dominus transtulit peccatum tuum, quid significet. Christus humanæ naturæ quos tantum defectus assumpserit, quos verò minimè. Omnium si Christus defectus assumpsisset, quid inde.

Sequitur in Luca: *Facta autem die, egressus ibat in desertum locum.* Marcus hæc explicans, ait quorsum iret, dicendo: *Et diluculo valde surgens, egressus abijt in desertum locum; ibiq; orabat.* Nota parcitatem somni in Domino, & diligentiam surgendi antequam conueniret ad eum multitudo. Neque repugnat quod dicit Lucas, *facta die*, cum verbo Marci, *surgens valde diluculo:* quemadmodum etiam quod dicitur in resurrectione: *Et valde mane vna Sabbatorum veniunt ad monumentum, orto iam Sole.* Significatur enim crepusculum matutinum appetens, quod luce Solis aduenientis incipit inclarescere, & tenebris noctis ex parte inuoluitur. Vel summo mane surrexit, vt Marcus narrat; sed non nisi facta iam die ibat in desertum, vt explicat Lucas.

Christi vigilantia precandique studiũ. *Marc. 16.*

Ibat autem in desertum, vt se subduceret à turba, & fugeret suspicionem humanæ laudis, & præmij pro beneficijs præstitis expectati, & daret exemplum declinandi gloriam, & quæreret locum commodum orationi, quo gratias Patri ageret de signis, & beneficijs mundo per eum exhibitis, & amplius exhibendis. (Hoc est enim Christum orare.) Et vt exhiberet documentum prædicatoribus, vt interdum solitudinem quærant, & precibus incumbant, quibus tum ipsi amore Dei inflammentur, tùm alios inflammare valeant, & vt instrumentum musicum ad suauiorem prædicationis concentum temperetur; & vt sua absentia desiderium doctrinæ in turbis accenderet; Denique vt orãdo obtineant quod populo sunt Euangelizaturi.

Cur se in desertum Dominus subduxerit. Quo modo Christus oraret Patrem.

Subdit etiam Marcus, *Et prosecutus est eum Simon, & qui cum illo erant. Et cùm inuenissent eum, dixerunt ei. Quia omnes quærunt te.* Apostoli primi consecuti sunt Christum, & illos secutæ sunt turbæ tardiores. In quo voluit nos esse admonitos, ne vnquam libenter patiamur nos à Christo auelli. Lucas verò addit: *Et turbæ requirebant eum, & venerunt vsq; ad ipsum, & detinebant illum ne discederet ab eis.* Non expellebant, vt Geraseni, & Nazareni: quia cognoscebant quàm suauis esset eius consuetudo. Sed Dominus respondit, vt ait Marcus: *Eamus in proximos vicos, & ciuitates, vt ibi prædicem; ad hoc enim veni.* Lucas verò alijs verbis, sed sensum non mutantibus dixit: *Quia & alijs ciuitatibus oportet me Euangelizare regnum Dei; quia ideò missus sum.* Noluit reuerti Capharnaum; ne increduli multa videntes miracula, posteà atrociùs punirentur; & vt doceat pastores quærere oues perditas, vbicunque illæ sint; & vt instituat verbi Dei præcones non vni, aut alteri tantùm benefacere, sed omnibus qui eorum opera egent, pro viribus, & saltem sit animus paratus. Tacitè etiam insinuat, ne ibi diu hæreant, vbi senserint se populo esse gratiores. Deinde vt testatetur se non venisse, vt Iudæos à Romanorum iugo eriperet, sed à seruitute peccati, & diaboli. Subdit Marcus: *Et erat prædicans in Synagogis eorum, & in omni Galilæa; & dæmonia ejciens.* Vt intelligas bellum sibi indictum fuisse cum dæmonibus, non minus à cordibus, quàm à corporibus propulsandis.

Nunquã nisi inuiti, & coacti, ac ne sic quidem nos à Christo auelli pati debemus. *Luc. 4.* *Matth. 8.* Quare modò non redierit Dominus in Capharnaum.

Et hactenus de litera sit dictum.

Prædicti signi allegoria. *Luc. 5.*

Iam iuxta Spiritum pulchra nobis documenta proponuntur. Nam in primis in eo quod Iesus egressus de Synagoga in Capharnaum, in domum Simonis ingreditur, & sanat socrum eius. Quemadmodum alibi ascendit in nauim Simonis, & ex ea docebat, intelligimus Christum renuntiasse Synagogæ Iudæorum, venisse in Ecclesiam, quæ domus est, & nauis Petri, & ciuitas refugij, & arca veri Noë, quòd illi soli Ecclesiæ gubernatio, clauium traditio, & pascendarum ouium cura commissa sit. Et in hac domo sanabat & docebat Iesus: quia in Ecclesia tantùm est vera doctrina Christi, & vera remissio peccati. Reliquit autem Synagogam in die resurrectionis, & sanauit socrum Petri: id est, partem Iudæorum, ex quibus posteà formata est Sponsa Petri, id est, Ecclesia Gentium. Quando verò Socrus Petri à febri sanitatem accepit, tunc omnes qui male habebant, & morbosi erant, ad Christum sanandi adducti sunt. Quia quando Ecclesia Romana à suis peccatorum abusibus, & corruptelis reformata fuerit, omnesque eius ministri, siue clerici, siue minores, siue maiores, sanctum vitæ propositum amplexati fuerint, tunc omnes infirmi, & malè habentes, varijsque peccatorum languoribus affecti, tanto exemplo excitati, atque commoniti reformabuntur, ne sub capite reformato sint membra deformia. Et exibunt dæmonia ab obsessis, id est, ab Hæreticis, qui à dæmonibus agitantur, & Christum malo animo laudant. Et hi quidem verbo & increpatione sanandi sunt: quia hæresis crimen est læsæ maiestatis, quia est vniri cum hostibus Dei, & Ecclesiæ, id est, cum dæmonibus in errore perseuerantibus: illisque silentium in perpetuum imponendum, ne hæreses vel retineant, vel disseminent. Reliqui verò infirmi manibus impositis curantur: id est, operibus Christi meritorijs, & ministris quasi manibus eius absoluentibus, sanctamq; Eucharistiam porrigentibus. Et hæc quidem magis ad allegoriam pertinent.

Ecclesia Dei quid. *Matth. 16. Ioan. 21.* Vera Christi doctrina, veraque peccati remissio vbi tantùm sit. Ecclesiæ Gentium sponsæ Petri typus. Hæretici in quibus aptè repræsententur. Hæresis quale crimen sit.

Moralis sensus huius historiæ proponitur.

Quod ad mores verò statuendos spectat, statuendum est, quæ sit socrus Petri, & quid Petrus. Primò igitur Simon, animus siue spiritus est, seu mens seruiens legi Dei secundùm interiorem hominem. Simon enim, interpretatur obediens: & ille erat Iesu discipulus. Itaque congruè significat spiritum iustificatum, & Apostolicæ vitæ sectatorem: sed nondum plenè mortificatum propter socrum importunam. Nam totum est illud Comici dictum: *Socrus oderunt nurus.* Quod à B. Hieronymo in Iouinianum scribente pulchrè ponderatur ita esse dictum, socrus odisse nurus, quòd mutuum sit ex vtraque parte odium: hinc lis etiam oritur inter socrum, & generum. Socrus ergo spiritus obedientis, & iustificati sensus, siue caro est, quæ vt socrus concupiscit aduersus spiritum: & spiritus aduersus carnem, quæ socrus est. Causa autem odij, est, quòd sensus, siue carnis filiam, id est, inclinationem prauam ad malum, siue appetitionem carni seruientem, quam in vxorem priùs acceperat, vt eius in omnibus faceret voluntatem, iam iustificatus odio habet, & mortem eius machinatur. Hinc sensus malè habens, quod appetitionibus suis frustretur, magnis cupiditatum febribus laborat, nec ministrat spiritui, nec sinit eum quicquam lætè operari, sed cum labore, & dolore partum boni operis edit. Audi quid dicat Apostolus: *Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem.* Ecce tibi Simonem iustificatum, & verè obedientem. Subdit Apostolus: *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est membris meis.* Ecce socrum renitentem Simoni.

Rom. 7. Simon quid sonet. *Terent.* *B. Hieron. lib. 1. aduer. Iouinian. tom. 2.* Quare socrus oderint nurus, recte Hieronymo. *Galat. 5.* Quare aduersus carnem spiritus concupiscat. *Rom. 7.*

Vt ergo istæ malarum appetitionum febres; quæ in carne nostra delitescunt, tollantur, manente tamen semper aliqua parte caloris, siue febris ad mortem vsque nostram, primò est rogandus IESVS pro ea. Nam orant & sancti, & ministri Ecclesiæ, imò ipse Simon, qui ait: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* & Paulus in persona eius: *Datus est mihi stimulus carnis Angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me.* Et Dauid: *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea. Afflictus sum, & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei. Domine, ante te omne desiderium meum.* Deinde Christus accedit, & stat super illam, flagello scilicet, & timore illam castigans, & domans iuxta illud: *Castigo corpus meum.* Et iterum: *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.* Ad quod opus est vt obedientes, & constantes simus. Tertiò, eleuat eam apprehensa manu eius: quia manu amoris astringit carnis cupiditatem, ita vt constringatur, non tamen vt omnino tollatur. Per augmentum enim charitatis imminuitur cupiditas, quæ manus est sensus. Oportet ergo te infirmum porrigere manum tuam manui CHRISTI medici, ne fortè dicat de nobis: *Extendi manum meam, & non fuit*

Febres carnis quomodo tollantur. *Ibidem.* *2. Cor. 12.* *Psalm. 37.* *1. Cor. 9.* *Psalm. 118.* Quid minuat carnis cupiditatem. *Prouerb. 1.*

Petr. Rauen. ser. 18. *Gen. 1.* *Ioan. 10.* *qui aspiceret.* Vnde Chrysologus in hæc verba: *Tenuit manum mulieris ad vitam; quia Adam de manu mulieris acceperat mortem. Tenuit manum eius, vt quod manus præsumentis amiserat, manus repararet autoris.* Sic ille. Et tunc surgit, & ministrat Christo: quia Diuinæ gratiæ abundantia caro fit obedientior spiritui, atque illi minus repugnat: quemadmodum in gloria, quando erit perfecta charitas, & perfectè curata socrus, omnis rebellio, & mortalitas ab ea auferetur. Sole etiam prudentiæ humanæ, & carnalis concupiscentiæ in nobis extincto perfectè curamur à Christo ab omnibus peccati reliquijs, & à cunctis perturbationum animi motibus. Nec miteris, si priùs Christus spiritum sanat, nam vt dæmon prius corrumpit spiritum, quàm carnem: ita Christus primò sanat spiritum per gratiam iustificantem, deinde carnem per flagellum timoris, & incrementum charitatis, vt ministrare possit Christo, & fratribus propter eum, qui dicet: *Quamdiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Perfectissimè verò in resurrectione, quando mortale hoc induet immortalitatem, & corruptibile hoc induet incorruptionem ablata à carne nostra omni praua appetitione; vt perfectè sanati, & pacificati, iuges laudes decantemus Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto, gloria, honor, & imperium sempiternum reddatur, Amen.

Caro nostra quando ministret Christo.

Perfectè quãdo curemur à Christo.

Quare Christus spiritum prius sanet, quã carnem.

Matth. 25. *1. Cor. 15.*

TRACTATVS XII.

De signo tempestatis in mari iussu Christi sedatæ, de qua loquuntur. Matth. cap. 8. Marc. cap. 4. Luc. cap 8.

Ordo historiæ proponitur.

POST miraculum socrus Petri, & aliorum ægrotorum sanationem, quid secundum ordinem historiæ debeat subiungi dubium est. In Marco continuò subiungitur curatio leprosi, quæ in Luca sequitur post interpositam vocationem quatuor discipulorum. Quod certe constare non potest: nam hæc curatio leprosi continuò sermonem illum, qui dicitur in monte habitus, sequitur, vt constat ex Matthæo. *Matth. 8.* Rursus quæ apud Marcum & Lucam sequuntur (qui per multa capita eundem rerum ordinem seruare videntur) de curato paralytico per tectum demisso, & vocatione Matthæi, ac disputatione de ieiunio superioribus immediate connecti nequeunt, cum hæc omnia ex cap. 9. Matth. constet contigisse, postquam Christus è regione Gerasenorum, in qua dæmonibus permiserat ingredi in porcos, eosque præcipitare in mare, redijsset in Capharnaum. Itaque ex Matthæo manifestum euadit, recapitulando scripta esse, quæ de traiectu & sedata tempestate, deque dæmonibus porcos ingressis scribunt. Marcus quidem in fine, cap. 4. & initio, cap. 5. Luc. verò cap. 8. Et post hæc subiungenda sunt quæ de curato paralytico, ac Matthæi vocatione cum adisceptatione illa de ieiunio scribunt Marcus & Lucas. Deinde illis immediate coniungenda de curata hæmorrhoyssa, & suscitata filia Archisynagogi. Porrò, etsi, quæ Matthæus in traiectu Christi cum sequentibus apud eum iam dictis Christi factis commemorat, non omnino contigerunt post ea, quæ scribit de curatis multis ægrotis vesperi oblatis (nam vt constat ex Marco, & Luca, post illos curatos inde abijt, alijs ciuitatibus Euangelizaturus) tamen quoniam nihil est aliud ab aliquo narratum Euangelista, quod ante hunc traiectum videri possit contigisse: recte hæc narratio superioribus subiungẽda est: maximè cum hoc sequatur vocatio Matthæi, quam in principio prædicationis Christi factam probabile est. Et ante sermonem Domini in monte habitũ factam cõstat ex Luca, atque ex ipso sermone, cuius magna pars ad Apostolos, ex quorum numero Matthæus fuit, pertinebat.

Probabilior solutio huius quæstionis.

Marc. 2. *Luc. 5.*

Marc. 1. *Luc. 4.*

Matth. 8. Postquem ergo dixisset Matthæus, Dominum præcepisse discipulis vt transfretarent, subijcit de duobus Christum sequi nolentibus, de quibus Lucas scribit cap. 9. Adiungens etiam de tertio quæ iam exposita sunt in quarto lib. Incipit Matthæus: *Et ascendente eo in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus; ipse verò dormiebat.* Proponemus verba Matthæi, & si qua sunt addenda, ex Marco & Luca supplebimus. Duplex oritur hoc loco difficultas, quæ ad consensum Euangelistarum spectat. Nam Marcus significat transfretationem hanc factam vespera eius diei, qua Christus è naui locutus est parabolas illas, quæ habentur Matth. 13. nam illis parabolis à B. Marco cap. 4. enarratis posteà subdit: *Et ait illis in illa die, cùm serò esset factum, Transeamus contra:* eam tamen transfretationem non eadem die illa contigisse, est perquam manifestum. Non tantùm ex eo quòd Matthæus longe ante has parabolas describat hanc transfretationem (quia posset intelligi per præoccupationem à Matthæo scriptam) sed primùm, quòd constet ex Matthæo ea die; qua Dominus illas parabolas è naui est locutus,

De tempore quo hæc contigit discipulorum transfretatio, qua ratione tres priores Euangelistæ inter se consentiunt.

Transfretationem illam, vespera eius diei, qua Dominus parabolas Matth. 13. locutus est minime contigisse, multis ostenditur.

illum non transfretasse: nam dimissis turbis dicit eum venisse in domum, ac tunc discipulos interrogasse intellectum parabolæ zizaniorum. Deinde ex eodem Matthæo constat, ante vocationem eiusdem Matthæi contigisse hanc transfretationem: parabolas autem illas Dominum è naui dixisse, non solùm post Matthæi vocationem, sed etiam post duodecim Apostolorum ordinationem, vt ex Marco euidens est. Ait enim Marcus, eos qui cum Domino erant duodecim, interrogasse eum, cùm esset singularis, quæ esset parabola seminantis. Tertiò, ex Lucæ cap. 8. qui cùm parabolas illas commemorasset, subiecit: *Factum est autem in vna dierum, & ipse ascendit in nauiculam, &c.* Si vero eadem die qua superiora, gesta fuissent etiam quæ sequuntur, certè dicturus fuerat, factum est in hac die; non autem, Factum est in vna dierum. Quo loco videtur Lucas explicasse quomodo Marcus intelligendus sit, qui dixit: *In illa die: cum serò esset factum:* In illa die, inquit, id est, in illo tempore quo Christus prædicauit in Galilæa. Annotauit hoc & Euthymius; admonens in illa die dictum, pro, in vno dierum. Secunda difficultas est, quòd Matthæus significet Christum præcepisse discipulis, vt transfretarent, antequam esset in naui. Lucas verò & Marcus significant id præcepisse illis, cùm iam esset in naui. Lucas enim habet: Et ipse ascendit in nauiculam, & discipuli eius: & ait ad illos: *Transfretemus trans stagnum.* Quod verò sequitur: *Et ascenderunt:* non sic intelligas, vt sit sensus, & ascenderunt nauim, cùm priùs dixerit eos ascendisse, & Græcè sit ἀνήχθησαν, quod est, soluerunt à littore, vel recesserunt, aut potiùs subducti sunt, videlicet in altum à littore soluentes. Proinde illud: *Et ascenderunt*, accipiendũ est de ascensione in profundum maris. Marcus autem sic habet: *Et ait illis in illa die, cùm serò esset factum, Transeamus contrà. Et dimittentes turbam, assumunt eum ita vt erat in naui, &c.* Ex quibus cõstat, Christum, cùm in naui esset, præcepisse discipulis transfretationem.

Secundum argumentum.

Tertium argumentum.

Euthym. c. 9. in Marcum.

Quando iusserit Dominus discipulis vt transfretarẽt an ante nauis ascensum, an post.

Sed hæc facilè conciliari possunt, si dicamus, primùm Christum in terra existentem iussisse discipulis parare nauim ad transnauigandum: ex quo loco cùm proficisceretur ad mare, in via accesserunt ij, qui Dominum sequi volebant. Deinde naui conscensa cum discipulis suis; turbam quæ sequebatur, è naui docuit, & vespera imminente, eis, vt transfretarent, præcepit: & tunc, vt ait Marcus, discipuli dimittentes turbam, hoc est, separando se à turba, soluendo scilicet à littore, assumpserunt eum, in altum scilicet, & profundũ maris.

Solutio.

Posset addi tertia difficultas, quòd Matthæus quidem increpationem discipulorum priorem posuit; Marcus verò & Lucas eandem posteriori recensent loco. Sed profectò Matthæus magis videtur hoc loco ordinem obseruasse, quia post Apostolorum descriptam increpationem subijcit: *Tunc surgens imperauit ventis, & mari.* Sed & illud quod etiam Marcus posuit: *Quid timidi estis?* significat discipulos, cùm à Domino increparentur, adhuc timore præsentis periculi fuisse correptos. Et propterea priùs conueniebat vt tolleret animi eorum turbationem, quàm turbationem maris; quòd fides eorum imperfecta edendo miraculo obesset. Sicut in consolandis sanctis, dum tentantur, priùs eos sua inspiratione erigit; deinde, si expedit, à malis liberat. His vtcumque de ordine historiæ præmissis, ad literam explicandam accedimus. Ait ergo Matthæus: *Et ascendente eo in nauiculam.* Græcè dicitur nauim: tamen quia in lacu illo magnæ naues non erant, benè dicitur nauicula. Vt autem Christus fugiat turbas, & vt ostendat potestatem in mare, & vltra mare prædicet, ascendit. ¶ *Secuti sunt eum discipuli eius.* Intrantes post eum eandem nauim, vel vt serui Dominum comitantes. Non autem per terram secuti sunt, nec ingressi aliam nauim: quanquam, vt ait Marcus, aliæ naues essent cum illo.

An ante tempestatem sedatam, vt Matthæus, an post illam, vt Marcus, & Lucas referunt, increpatio discipulorum contigerit.

In solandis seruis suis quid obseruet Dominus.

Cur Dominus nauem conscenderit.

Voluit autem Dominus habere discipulos, ob honestatem, & vt prohiberent volentes eum tangere, & vt essent testes oculati vitæ suæ. Vnde sine speciali causa non erat solitus esse solus: vt cum Samaritana, & cùm fugit turbas volentes eum creare Regem; cùm volebat turbas dimittere; item cum volebant eum lapidare, vel præcipitare. Volebat ergo, vt discipuli sibi indiuulsè adhærerent, vt discerent quæ prædicanda sunt, & experirentur pericula; & vt humiliarentur debilitate propria cognita, & vt consolarentur de liberatione miraculo facta: *Et ecce motus magnus factus est in mari.* Lucas ante excitatam tempestatem, ait: *Et nauigantibus illis obdormiuit: & descendit procella venti in stagnum, & compellebantur, & periclitabantur.* Sed dicamus priùs de motu facto, siue de procella. Motus hic supernaturalis extitit, nam Lucas dicit, Descendit procella, id est, ventus; cùm tamen naturaliter ab ascendente vento genito sub aqua ventus generari soleat. Vnde Origenes in hæc verba: *Illa tempestas* (ait) *non ex se orta est, sed potestati paruit imperantis eius,*

Quare cum discipulis Dominus transfretauerit.

Ioan. 4. & seq.
Infra 6.
Matth. 14.
Ioan. 8. &
Infra 10.
Luc. 4.

Vnde motus ille magnus extiterit, de quo hic loquitur Euangelista.

Ventorum ortus.

Orig. hom 6. in c. Matt. 8. tom. 2.

Psalm. 134. Iob. 38.

qui educit ventos de thesauris suis: Qui terminum mari arenam constituit, Dixit enim ei: Vsq; huc venies, & non supergredieris, sed in temetipso confringentur fluctus tui. Facta est tempestas magna, & non pusilla, vt magnum opus, & non pusillum ostenderetur: quantoq; fluctus nauiculæ magis irruebant, tanto magis discipulos timor conturbabat, vt plus desiderarent ad liberandum se, mirabilia Saluatoris. Sic ille. Vt ergo tempestas, qua Ionas in mare proiectus est, à Deo suscitata fuit: quia in Iona dicitur: *Dominus misit ventum magnum in mare: & facta est tempestas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri*: ità hîc etiam. Deus enim mittit ventos vt vult, qui faciunt verbum eius: vt in desiccando mari, in deferenda coturnice, siue locusta. Et ipse tam tempestatem pro nutu sedat, & mitigat, iuxta illud: *Tu dominaris potestati maris; motum autem fluctuum eius tu mitigas.* Suscitat etiam tempestatem, Propheta dicente: *Dixit, & stetit spiritus procellæ, & exaltati sunt fluctus eius.* Quanquam fieri posset, vt esset naturalis: vel fortè à dæmone, qui summo odio persequitur nauiculam Iesu, & suorum, suscitata fuit. Sed Iesus, Dominus est & naturæ, & dæmonum, & per omnia probare suos consueuit.

Iona 1. Psalm. 148. Exod. 14. Infra 16. Supra 10. Psalm. 88. Psalm. 106.

Quare facta sit tempestas magna.

Fuit autem magnus motus, vt excitarent Christum Dominum: quia (vtpote piscatores, & maris experientiam habentes) paruum ventum, & motum non timerent: & vt maius signum videretur, & à maiori periculo liberati, consolationem acciperent; & vt maiorem de eo fidem conciperent, & vt discipuli sibi ipsis innotescerent. Qui enim non est tentatus, quid scit?

Eccl. 34.

Ita vt nauicula operiretur fluctibus. Intellige, non ita vt intraret aqua: quia Christus non dormiret alioqui in puppi super ceruical, vt docet Marcus: vt discat vnusquisque nostrum, non habens vbi caput suum reclinet, accipere, vel quodcunque ceruical oblatum, vt Christus accepit. Præbens exemplum infirmis, sicut in asperitate fortioribus, vt idem pater cum vno ex filijs seuerè se gerit, cum alio blandè agit. Dormiebat autem, vt verum se esse hominem ostenderet, qui omnia, excepto peccato & ignorantia communia nobiscum habuit. Quia enim anima infatigabilis est, semper intra se operatur, sed occupata circa excellentes operationes, tùm sensus, tùm intellectus remissæ incumbit nutritioni, ac vegetationi; & proptereà animal valdè resoluitur. Atque ob hanc causam natura constituit somnum, id est, quietem facultatum animalium, & intensionem naturalium. Ad quod conueniens, & necessarium fuit, vt nerui capitis, per quos feruntur species quinque externorũ sensuum ad sensum communem, vbi fit eorum perfecta actio, essent in parte inferiori, vt vapores calidi ex corde & hepate ascendentes in superiorem partem cerebri, ibi congelati caderent in inferiorem, & obthurata via specierum, omnino tolleretur exterior sensuum actio siue functio; ac proinde adimitur perfecta interior actio Intellectus, & ratiocinationis vsus. Vnde qui cibo plenus est, vel laborat, vel humido constat téperamento, modò ex parte sit calidus, magis dormit, ob vapores, & in hyeme magis ob frigus congelans. Quamdiu autem vapores sunt calidi, quia rari sunt, non obthurant. Si autem capita neruorum sensuum, vel vnius illorum, natura posuisset in parte superiori, animal semper vigilaret, & citò periret, & Christus nisi miraculo se ipsum non conseruaret, nec videretur tunc perfectus homo non habens effectum hunc somni generalem, naturæ etiam integræ conuenientem. Vnde discipuli non mirabantur de somno, quia solitus erat dormire: quia tamen erat Dominus naturæ, quam non omnino ineuitabilis sequitur somnus; ideò poterat pro libito dormire, & vigilare: vt cùm tota nocte in oratione pernoctauit, teste Luca, ita vt non esset debilis ad actiones diei sequentis, id est, ad sermonem illum longum in monte habitum. Et hoc nulla etiam naturali existente: quia poterat calefacere, & frigefacere cerebrum, & obthurare poros pro voto suo: si potuit ita grauem soporem immittere Adæ, vt non sentiret costæ eductionem. Poterat autem hic somnus naturalis esse in eo, nunc verò dormiebat, corde tamen, id est, deitate, & facultate animæ beatæ vigilante; tum vt ostenderet veritatem humanæ naturæ: tùm vt securitatem, & mentis cõfidentiam in periculis indicaret. Nam vt Ionas, cæteris periclitantibus, ipse securus erat, & dormiebat, & suscitabatur, & imperio, ac Sacramento passionis suæ liberabat suscitantes, ita modò Dominus Iesus fecit. Tum vt signum ostenderet laborum præcedẽtium; tum deniquè vt magnũ videatur miraculum: nam eo vigilãte discipuli magnum periculum venturum nõ putarent, vel eo vigilante, & inuito suscitatam existimassent procellam. Etsi Christus statim exaudisset, non edidisset magnum signum: si non statim exaudisset, videretur Christi imbecillitas, & impotentia, & perinde fecisset, ac si miraculum non edidisset.

Vti nauicula operiebatur fluctibus. Marc. 4. In eo quod Christus in naui dormiebat super ceruical, quid docuerit nos.

Quare Christus dormiret.

Rom. 8. Animę nostræ ingenium & natura.

Somnus à natura animali est datus.

Somnus quomodò fiat.

Vnde maior somnus in aliquibus sit quã in alijs.

Naturæ prouidentia.

Quare Christus pro arbitrio, & dormiebat, & vigilabat.

Luc. 6.

Matth. 5.

Gen. 2.

Quemadmodum Christus in naue dormiens etiam vigilabat.

Iona 1. Ionas quoq; ut dormiens in naui naufragantes seruabat.

Christi sapientia.

Et accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eum. Discipuli ad Iesum, vt pulli ad gallinam, in omni tribulatione accurrebãt: hic tamen ex amore proprio perturbati, ad præsentiam Christi sensibilem confugiunt diuinitatis eius obliti. Et quia eum suscitauerunt, non miremur si interpellatur à Christo quies nostri corporis, qui tamen solet parcere dilectæ suæ sponsæ, vt cùm velit, ipsa suscitetur, vt in libro Canticorum dicitur: *Adiuro vos,* inquit Salomon: *filiæ Ierusalem, per capreas ceruosq; camporum, ne suscitetis, neq; euigilare faciatis, dilectam, donec ipsa velit.*

Cur discipuli Christum excitauerint dormientem.

Christi in suam sponsam amor, reuerentia. *Cant. 2.*

Dicentes, Domine, salua nos, perimus. Fatentur illum Dominum, ac proinde potentem: ac scientem saluare. Lucas geminata voce iuxta Græcam literam refert dixisse Apostolos: *Præceptor, præceptor;* quod arguit animorum consternationem. Libenter etiam Christus hanc orationem exaudit. Vt enim perfectus artifex delectatur in suo officio, ita Christus in danda salute: quia Iesus est. Quod verò dixerunt: *Perimus,* verba diffidentiæ videntur; quanquam ferè semper ex nobis perimus, nisi à Deo protegamur. Ideò quotidie esset hæc precatio nobis fundenda, sed cum propriæ indigentiæ, & bonitatis diuinæ cognitione.

Iesus qualis Dominus.

Qua in re Christus maximè delectetur.

Et dicit ei Iesus, Quid timidi estis? Nihil est quod timeant qui cum Iesu sunt cõiuncti, nisi culpam: quia omnis pœna donum eius est. Et manifestat se nõ dormire quantum ad deitatem: & quod videret eorum interiora, & modicam fidem. ¶ *Modicæ fidei?* Id est, vt Græcè vna voce dicitur, ὀλιγόπιστοι, id est, modicæ confidentiæ, quæ in oratione, & miraculis requiritur, sicut granum sinapis. Fides autem de credendis æqualis debet esse circa extensionem, & hæc erat in illis modica, non enim omnia credebant: neque dubitabant si quid posset CHRISTVS, sed credebant vigilem illum seruare posse, non autem dormientem. Peccarunt autem non habendo maiorem fidem, & immoderate timendo amittere vitam præsentem, quam post tot signa contemnere debebant: ideò increpauit eos. Ex parte defectus fidei, & excessus timoris veniale videtur peccatum: grauius autem fuit delictum non credere Deum, vel, vt Deus erat, credere eum dormire: & Christus eum errorem, quo putabant ipsum tantum vigilantem signa edere, voluit illis adimere. Ob absolutam autem Dei electionem, Apostolos ad disseminandum Euangelium per vniuersum orbem selegit; & quia esset Christi decus, tam imperfectos discipulos, habere, non poterant nunc perire, licèt nihil crederent: ipsi tamen putabant se omnino perituros, & ita naturaliter fuisset, nisi Dominus sua prouidentia prospexisset. Quòd si credebant Christum dormientem non posse eos saluare, consequitur vt ipse Christus dormiens se ipsum saluare non posset: quanquam discipuli forte hanc sequelam non animaduerterent. Constanter igitur credendum est, Christo, siue dormiente, siue vigilante, neminem suorum perire posse: non enim dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel. Et æquè sperare debemus auxilium ab ipso Deo dormiente, si in illum vllus somnus cadere posset, sicut à vigilante: imò quandoque plus adiuuat dormiens ipse, id est, dissimulans, & permittens nos tentari.

Christo coniuncti, quid vnum timere tantum debeant.

In oratione, & miraculis quid exigitur.

Discipuli Christi cur modicæ fidei & quid in eo peccauerint.

Discipulorum error de Christo ab eis meritò pellẽdus.

De Christo omnino quid nobis credendum, & sperandum.

Psalm. 120.

Et quia Matthæus dicit: *Quid timidi estis, modicæ fidei?* & Marcus: *Quid timidi estis? necdum habetis fidem?* & Lucas: *Vbi est fides vestra?* pro horum concordia dicendum est: vel Christum nulla ex illis verba dixisse, sed tantùm sensum; vel vnum dixit, & sensum aliorum expressit; vel omnia verba simul dixit, nempe: *Quid timidi estis? necdum habetis fidem?* scilicet illam perfectam velut granum sinapis: vt ait Augustinus libr. de Consens. Euangelistarum: *Vbi est fides vestra?* homines modicæ fidei. Non autem intelligas ter Dominum respondisse: quia semel tantùm excitatus est, licet pluribus verbis, vt narrant Euangelistæ.

Euangelistarũ hoc loco dissonantia componitur in eo quod dicitur. Quid timidi estis, modicæ fidei.

Luc. 17.

Aug. lib. 2. de Consens. Euang. c. 24. tom. 4.

Tunc surgens, imperauit ventis, & mari. Surrexit, vt eorum infirmitati se attemperaret, & agnosceretur ipse miraculum edere: aliàs poterat, vel sedens, vel dormiens signum facere. Marcus habet: *Comminatus est:* Lucas, *Increpauit:* Matthæus, *Imperauit:* in Græco vnum & idem est verbum ἐπετίμησεν, quod propriè est increpare: hic tamen & in alijs locis Scripturæ, pro eo quod est præcipere cum indignatione accipitur. Vnde Lucas paulò infrà homines admiratos refert dixisse: *Ventis, & mari imperat:* vbi Græca vox habet ἐπιτάσσει, quæ significat propriè, imperat, vel præcipit. Et Moyses quidem virga sedauit mare; Helisæus inuocatione desiccauit Iordanem, solus verò Christus imperio & præcepto. Imperauit ventis, id est, dixit verba imperantis, scilicet tace, & obmutesce, vt ait Marcus. Et venti, siue mare, quod ad effectum attinet, in modũ se habuerunt obsequentium verbo Domini. Tempestas autẽ etsi miraculo orta sit, potest naturaliter cessare,

Cur Dominus surrexit, vt ventis, & mari imperaret.

Exod. 14.

4. Reg. 2.

Imperare ventis, & mari quid.

cessare, quemadmodùm supra naturam suscitatus naturaliter mori, vt Lazarus. Mare etiam Rubrum, & Iordanis virtute Diuina iter populo præbuerunt, sed naturaliter redierunt ad loca sua. Hîc tamen miraculo cessauit tempestas, quia præcepto Christi sedata est, & ab extremo ad extremum, & subitò; cùm tamen venti etiam consumpta materia mora longa temporis egeant vt cessent: ideò admirati sunt homines, *Et facta est tranquillitas magna*. Sicut priùs fuit procella magna venti, vt inquit Lucas.

Ioan. 11. Exod. 14. Iosu 3. Tranquillitas hæc maris vnde extiterit.

Porrò homines mirati sunt, dicentes, Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei? Homines alij erant ab Apostolis, qui erant in alijs nauiculis, de quibus Marcus: Assumunt eum ita vt erat in naui: & aliæ naues erant cum illo. Intellige etiam simul nauigasse, & passos naufragij periculum, vt Hilarius, Hieronymus, & Chrysostomus testantur. Non ergo erant Apostoli, quia non dicerent, Qualis est hic: nec dubitabant de potestate Christi, ideò dixerunt, Salua nos. Vel discipuli laudantes, & admirantes de re magna, etsi sibi persuasa, dicunt, *Qualis est hic?* sicut Christus de fide Centurionis: *Non inueni tantam fidem in Israel*. In miraculo autem maris Matth. 14. detegitur Christi potestas ambulantis super mare, & Petri Dominum imitantis, & exemplum auxilij Christi erga nos orantes, & absentes; vt erudiret circa timorem phantasmatum: & quia alij erant tùm videntes spectatores, alia etiam necessitas, & alius modus ostendendi potentiam suam supra mare; elicimus bis fuisse hoc signum à Domino editum. ¶ *Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?* Hoc est, Plusquàm homo est, & supra hominum potentiam exeruit suam. Est enim Dei proprium quod ait Esaias: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, & intumescunt fluctus eius*: & Dauid: *Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas.*

Quinam dixerint de Christo: Qualis est hic, quia ventus & mare obediunt ei. *Marc. 4. Hilar. ca. 8. in Matth. Hieron. ibid. tom. 9. Chrys. ho. 29. in Matt. to. 2.* Alter sensus. *Matth. 8.* Pacati maris à Christo signū cur bis factum fuerit. *Esai. 51. Psal. 88.*

Iuxta spiritum autem, nauiculam Crucis Christus ascendit inter aquas tribulationum: in qua dormiebat, quiescebatque interiorem animi dolorem externo dolore mitigando, vt tradit beata Catharina Senensis. Et proptereà à Propheta dicta est Crux lectus doloris eius. Excitatus autem est per resurrectionem: & sedata est quæ in eum, & fidem eius concitata erat tempestas. Fuit etiam illa tempestas typus quidam futurarum tentationum, ad quas suos discipulos exercebat tunc Dominus. Futurum enim erat, vt cùm discipuli Christum in mari huius orbis essent transuecturi (cùm Euangelium disseminabant) multi & graues tumultus contra eos concitarentur: sed non præualituros, etiamsi Christus dormire videatur. Nunc ergo dissimulans Ecclesiæ persecutiones, & hæreses, excitandus est pijs precibus & bonis operibus, vt Ecclesiam suam aliquando reformet. Nos autem modicæ fidei dubitamus de eius prouidentia erga Ecclesiam: Christo autem super pulinar dormiente, & somnum captante, excitatur tempestas. Qua in re Dominus depingere voluit ænigmate quodam, quantum immineat periculi rebus humanis, quoties ij dormiunt humanis vitæ commodis deliniri, qui Christi vices susceperunt. Nam pastores Ecclesiæ altè, & periculosè indormiunt, hodie puluillis huiusmodi, & ceruicalibus innixi: apud quos plus valet ceruical, quam Christus cum sua Ecclesia. Illis igitur altum stertentibus, ad vnicum Christum confugiendum est, qui nunquam Ecclesiam suam perire permittit.

Hæc historia quem sensum spiritualem capiat. *Catharina Senensis. Psalm 40.* Lectus doloris eius apud Dauidem quis. Ad quas discipulos suos tentationes exercebat Dominus. Christus in media tempestate super ceruical dormiens, quorū typum gerat.

Ad mores verò rectè formandos nauicula anima est: quia ex tabulis capacibus, id est, tribus facultatibus animæ supra terram existentibus natat super mare mundi. Habet autem nauis puppim, & proram, quæ findit vndas, & mediam partem, vbi malus, ex qua pendent vela. Puppis, rationalis pars est: in qua gubernaculum fides est, dirigens per magnetem respicientem stellam Polarem, id est, per Christi Humanitatem, quæ instar magnetis est trahentis omnia ad Patrem. Vnde dixit: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*. Magnes igitur Christi hominis respicit stellam immobilem Diuinitatem, de qua: *Quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi Luna plena in diebus suis lucet*. Nam cætera omnia præ ipso Deo fluxa sunt, & obscura vt nebula. Maximè autem cauendum est, ne clauum fidei amittamus: quia illo amisso, actum est de nobis. Secunda pars nauis, prora est, quæ prima fluctus findit: atque hæc est pars animæ irascentis: quæ virtute fortitudinis corroborata, omnia aduersa perrumpit, & omnes aduersarios tentātes aggreditur, & dicit cùm Paulo: *Omnia possum in eo qui me confortat*. In prora affixæ sunt anchoræ ad firmandam nauim cùm opus est. Hæc est spes, siue Diuini auxilij confidentia, per quod in ipsis tribulationibus constantes sumus, & immobiles. Quia, vt ait Apostolus: *Spes non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Tertiò est media pars nauis, in qua malus cum velo, id est, pars animæ concupiscens,

Secunda allegoria ad mores pertinens. Nauis spiritualis sane per elegans descriptio. *Ioan. 12. Eccles. 50. Philip. 4. Rom. 5.*

Coloss. 3. seu voluntas: in qua malus recta cælum respiciens, aliud non est, quàm recta intentio omnia in gloriam Dei faciens. Affiguntur huic malo vela electionis, siue consensus de medijs ad finem spectantibus. Et quemadmodum cùm malus nauis recta est, feliciter succedit nauigatio, quando verò flectitur in aliquam partem; periculum imminet submersionis: ita nos, quando aliud à Deo in nostris actionibus quærimus. Sentina, est conscientia fœtens, & nos accusans, ex aquis quæ latenter ingrediuntur per lignum porosum, id est, ex tentationibus, quæ per partem imam pedum, id est, sensus, & carnis, nos aggrediuntur. Ventus prosper, Spiritus sanctus est ducens in terram, & implens vela nostrarum electionum, & consensuum, & operum. Venti aduersus nos reflantes, dæmones sunt ducentes in profundum abyssi. Eius tentationes, sunt vndæ quæ vndique aperiunt nauiculam. In medio nauis merces sunt, quæ vehuntur. Talia sunt dona Dei, sancta desideria, rectæ cogitationes, & alia talenta. Nauigantes solent perturbari capite, & procliuè habere vomitum, & vt ait Propheta, *Omnis sapientia eorum deuorata est.* Ad hunc modum oportet nauigantes ad terram viuentium, peccata vt superfluas facultates, quæ potiùs sunt oneri quam saluti, tanquam malos humores euomere. Et ita nauigantes interdum accedunt vsque ad cælos, per spem, & charitatem; & descendunt vsque ad abyssos, per humilitatem, ac timorem. Cùm tædio, & labore nauigantibus nullum superest aliud solatium, quàm procul spectare portum æternæ vitæ, & exitum nauigationis morte esse complendum. Quam statim sequitur continens, siue viuentium terra: in qua non secus delectabimur, quam qui post longam tempestatem iactati ad littus perueniunt, vbi præ lætitia gestientes terram amplectuntur, & osculantur, & vt Poëta ait,

Obliqua in bonis actionibus intentio qualis sit.

Psal. 106.

Ibidem.

Optata Troes potiuntur arena.

Virgilius 1. Aeneid.

Tertia allegoria.

Possumus etiam per nauiculam intelligere congregationem eorum qui sectantur consilia; qui sunt discipuli Domini, qui pro se, & pro alijs in tentationibus ad Christum confugiunt. In his nauiculis vehitur Christus: quia, vt ait Apostolus ad Ephesios, habitat Christus per fidem in cordibus nostris. Sed interdum nobis dormit, dum sinit dæmones in eos insurgere tanquam ventos, & mare mundi, id est, mundanos homines nobis interitum comminari. Sed vt nauis non putrefit ab aquis, nec perit, nisi intrent: ita nec anima propter tentationes perire potest, nisi illis consentiat. Sed opus est gressibus mentis ad Christum accedere, & excitare eum quasi dormientem: quod facimus, cùm nos ipsos excitamus, & à consideratione nostri ipsorum, & diffidentia, ad Deum, & bonitatem eius cogitandam assurgimus, Ad hæc magnis desiderijs quæ maximè Christus audit, & infinitæ Dei in exaudiendo bonitati proportionem habent, insistendum est, clamandumque, *Domine, salua nos, perimus.* Domine, etiam dæmonum, & tempestatum, salua vera salute, quam tuum nomen nobis pollicetur: nos, non carnem nostram, sed nos, id est, animas, qui præcipuè sumus nos. Et precatio debet fundi generalis pro omnibus; proinde rectè ait, nos. Verbum, *Perimus*, oratio est imperfectorum, qui putant se, cùm tentantur, perire; cùm tamen, vbi adsit bona voluntas, semper sit salus. Sed respondet Dominus: *Quid timidi estis?* suauis reprehensio est; quæ ex charitate fit, & ostendit aliquem profectum, vt animarentur; & hortatur ad maiora. Cùm autem charitas in laudatione, vel correptione apparet, cor hominis generosum capitur. Postremò Christus surgens, imperat ventis, & mari. Surgit autem, cùm præsto est nobis ad opitulandum. Neque dubitare debemus illum suo tempore adfuturum, tametsi nobis tardare aduentum suum videatur. Imperat autem primò ventis, qui concitant mare mundi, & terram carnis nostræ: post imperium autem fit tranquillitas magna, sicut tempestas magna fuit. Nam secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Quia Christus fit nobis pax, quæ exsuperat omnem sensum, & omnia bona. Hanc autem tranquillitatem imperfecti raptim experiuntur, perfecti verò per modum habitus illam possident, iuxta illud: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Adeò, vt homines, id est, imperfecti, & Diuinis non assueti, admirentur de tanta Dei potentia, & virtute; perfecti autem, qui Christum agnoscunt omnia posse, tantùm admirantur de bonitate & clementia Domini nostri Iesu Christi: cui cum Patre & Spiritu sancto detur omnis honos, gloria, & imperium in seculis seculorum. Amen.

(.·.)

In quibus habitet Christus per fidem.

Ephes. 3.

Animæ nauis nostræ quando putrefiat.

Hæc oratio; Perimus, quorum sit tummodo.

Suauis reprehensio quænam illa.

Psal. 93.

Philip. 4.

Mentis tranquillitatem aliter imperfecti, aliter perfecti sentiunt.

Ioan. 14.

Philip. 4.

TRACTATVS III.

De duobus dæmoniacis ſanatis in regione Geraſenorum, & de dæmonibus porcos ingreſſis, & illos in mare præcipitantibus. Et habetur Matth.8. Marc.9.& Luc.8.

QVOD ad ordinem hiſtoriæ attinet, videri poſſet hæc, quæ eſt apud Matthæum hiſtoria de dæmonibus in porcos ingreſſis poſt transfretationem, diuerſa eſſe à ſimili, quam tradit Marcus, & Lucas. Primò, quia etſi in noſtris codicibus apud omnes Euangeliſtas legatur hæc hiſtoria contigiſſe in regione Geraſenorum; tamen in Matthæo apud Græcos, pro Geraſenorum, eſt Gergeſonorum; in Marco verò & Luca eſt Gadarenorum. Diuerſa ergo Euangeliſtæ videntur loca deſignaſſe; & proinde diuerſas etiam texuiſſe hiſtorias. Secundò, quia Matthæus, cùm duos occurriſſe Chriſto dicat ſpiritibus obſeſſos, quorum dæmones expulſi, & porcos ingreſſi præcipitauerunt eos in mare: Marcus & Lucas vnius tantum faciunt mentionem.

Secundum argumentum.

Sed cùm alioqui res ipſa, & præcedentia, & ſequentia declarent eandem eſſe hiſtoriam, ita illa argumenta parum mouere debent. Nam ad primum, docet B. Hieronymus libro de locis Hebraicis, Gargaſi ciuitatem eſſe trans Iordanem iunctam monti Galaad, quam tenuit tribus Manaſſe: *Et hæc*, inquit, *nunc dicitur Geraſa, vrbs inſignis Arabiæ.* Addit autem Hieronymus: *Quidam autem ipſam eſſe Gadaram exiſtimant.* Hæc ille: Ex quibus verbis multi intelligunt vnam & eandem ciuitatem tria hæc nomina habuiſſe, nempè Gargaſi, Geraſa, & Gadara. Sed ex Ioſepho libro de bello Iudaico, vbi Gadaræ ponitur expugnatio, & deinde Geraſæ deuaſtatio, manifeſtum eſt diuerſas fuiſſe ciuitates Geraſam, & Gadaram, ambas tamen trans Iordanem ſitas, non longè (vt apparet) ab ſe inuicem in regione Galilææ oppoſita, quam ipſe vocat regionem Tràſamnanam; cuius metropolim dicit Gadaram. Ad hæc Ptolemæus Tabula 4. Aſiæ cap.15. in Cœleſytia ponit & Geraſam, & Gadaram, deſtinctas vrbes. Proinde veriſimile eſt, eandem hanc regionem ab vtraque ciuitate nomen accepiſſe, vt promiſcuè, & Geraſenorum & Gadarenorum regio diceretur. Interpres autem ideò videtur nomen Geraſenorum poſuiſſe in Matthæo, Marco, & Luca, pro Gergeſenorum, & Gadarenorum; quòd idem ſuo tempore notius eſſet, & communius. Nam Godarenorum habet lectio Euangelij Syriaci. Hieronymus in Abdiam Prophetam ſcribit, eam Arabiæ partem, quæ priùs Galaad dicebatur, dictam ſuo tempore Garaſam. Certè Epiphanius ſcribens contra Manichæos, indicat variam fuiſſe lectionem huius loci: ait enim: *Deinde rurſus cùm veniſſet in partes Gergeſthorum, velut Marcus habet, aut in confinia Gergeſenorum, ſicut Lucas dicit, aut Gadarenorum, velut Matthæus, aut Gergeſenorum, quomodò exemplaria quædam habent (nam locus is inter tres medias partes medius erat)* & reliqua. Hæc bonus ille & antiquus Pater. Præter dictam autem Gadaram trans Iordanem, erat, altera extra Iordanem in tribu Iuda, & dicitur Gedera, cuius Ioſue meminit, & Ioſeph. libro de bello Iudaico, vbi agit qua ratione illam occupauerit Veſpaſianus, & vaſtarit: & ſtatim conuerſus eſt ad Iotapatæ obſidionem. Et ita hæ ciuitates erunt citra Iordanem. De hac Hieronymus lib. de locis Heb. tradit fuiſſe in tribu Iuda, & nunc dici Villam, ad ciuitatis Ælienſis regionem ſpectantem, nomine Gadora, iuxta Terebinthum.

B. Hierony. tom.3.

Ioſe libr.5. de bel Iudaic. cap 3. Infra cap.7.

Ptolemeus lib.5. Georg.

Geraſenorum pro Gergeſenorum, & Gadarenorum cur nomen vſurpauerit Interpres noſter.

Hieron. in cap. primum Abdiæ to.6.

Epiphan. in hæreſ.66.

Duplex Gadara.

Ioſu.15. Ioſeph. lib 3. de bel. Iudai. cap.6. Infra cap.7. Hierony. to.3.

Ad ſecundum argumentum reſpondemus: quòd etſi Marcus & Lucas vnius tantùm faciant mentionem; non aſſerunt tamen vnum ſolum fuiſſe, & proinde non contraria Matthæo ſcribunt. Vnius autem tantùm faciunt mentionem: ſiue quòd hic inter illos duos clarior eſſet, & celebrior, per cuius curationem fama Chriſti longiùs, latiuſque ſit ſparſa, vt vult Auguſtinus; ſiue, vt tradit Chryſoſtomus, quòd hic ſæuior eſſet. Vnde eius ſæuitiæ laram deſcriptionem à Matthæo prætermiſſam, alij duo proſequuntur. Poteſt etiam dici, vnius ab illis tantùm factam mentionem, quòd fortè hic ſolus fuerit, qui curatus Chriſtum ſequi voluerit, & à Chriſto dimiſſus longè lateque ipſum prædicauit. Nam de his duobus nihil tale narrat Matthæ. in hac hiſtoria.

Primi argumenti ſolutio. De eo quòd Marcus & Lucas vnius tantùm arreptitij mentionem faciunt, cùm Matth. duorum meminerit.

Auguſt. lib.2 de conſenſ. Euang. c.24. tom 4. Chryſo. hom. 29. in Matthæum, to.2.

Quod Marcus dicit, circa montem fuiſſe gregem porcorum: nō repugnat ei quod dicit Lucas Græcè, hunc in monte fuiſſe. Nam vt ait Auguſtinus, grex porcorū tam magnus fuit, vt aliquid eius eſſet in monte, aliquid circa montem. Erant enim duo millia porcorum, ſicut Marcus expreſſit. Aut totus etiam grex circa montem fuiſſe dicitur, & tamen etiam in monte: quia in inferiori fuit mōtis parte, quæ in agros, & campos diffundi cœperat.

Auguſt. ibid.

Altera ſolutio.

His locis conciliatis, explicanda eſt litera Matthæi, qui de duobus loquitur: & ſupplenda quæ ex alijs defuerint. *Et cùm*

veniſſet

venisset Iesus trans fretum in regionem Gerasenorum. Ordo historiæ contextus est cum præmissa nauigatione in præcedenti signo, Et transfretum, significat vlteriorem ripam, siue trans mare Galilææ, de quo mari solùm mentio in Euangelio habetur. Tria enim erant maria vicina Iudææ: alterum, Mare Occidentale, quod erat Mediterraneum; alterum, ad Orientem, dictum Mare Rubrum: tertium, Mare Mortuum, siue Sodomorum. Nullum ex prædictis est hoc, de quo est sermo: Non Mediterraneum: primò quia Christus non perrexit ad Oceanum, de quo nihil in Scripturis, cùm non sit valde vicinum Iudææ: nec ad Rubrum mare, quod est terminus Orientalis Chanaan, vt Exod.23. in fine dicitur: vbi erat Asion-gaber, portus Regis Iuda, vt habetur 3.Reg.9. & 22. Ex parte Aegypti diuisum à Mediterraneo mari, ne esset libera nauigatio ab Occidenti in Orientem; vnde pleraque bella orirentur, & opes, luxusque incitamenta aduehetentur. Et ad mare Rubrum erat terra duarum tribuum & dimidiæ: ad Orientalem plagam Iordanis, vt dicitur Numer. 32. In terram autem aliarum tribuum occupatam à Samaritis, vt est in 4.Reg.17. rarò Christus proficiscebatur; nec intrabat, mare, licèt esset in littore, vt in Tyro, quæ dicitur esse in corde maris Ezech.28. id est, mari cinctam vndique. Neque Mediterraneum, quod est ad Occidentem Iudææ, vt dicitur Numer.34. vbi vocatur Mare Magnum, scilicet respectu aliorum; & Occidentale Deute.11. & Palæstinorum, quia Philistinis coniungitur, vt Accaron Iosue 13. & Exod.23. prope finem. Quia ergo vltra hoc mare non erant Iudæi, Christus illuc non nauigabat. Rursus non est mentio de mari Mortuo, quia non nauigatur: eo quod puppis, quia mortua, non potest supernatare, sed ibi submergitur; & viua omnia, contra naturam aquarum, non submerguntur. Est etiam hoc mare in angulo Australi Terræ promissæ, & dicitur Mare deserti, quia situm est iuxta desertum, vbi nulli Iudæi agunt. Dicitur etiam Salsissimum, ob sulphur; cùm tamen olim esset sicut paradisus illa regio, vt tradit liber Geneseos. Vocatur Mare solitudinis Iosue 3. nec non & Mare Mortuum, & Sodomorum, & lacus Asphalti, id est, bituminis. Genes.14. dicitur & Mare Nouissimum, quia in angulo lateris Orientalis, & Meridionalis Terræ promissæ situm est, Num.34.

Maris Galilææ nullibi præterquàm in Euangelio mentio habetur.

Quænam maria olim Iudææ finitima.

Oceani maris cur Scripturæ non meminerint. Asion-gaber portus Regis Iuda. Mare Rubrum ex parte Ægypti cur diuisum à mare medio.

Tyrus cur dicatur esse in corde maris, ab Ezechiele.

Maris Mortui sic dicti proprietates mirabiles.

Eiusdem situs, & variæ appellationes. *Deut.3.*

Ibidem, & sæpe alias in libro Numer. & Iosue.

Asphaltus quid. *Genes.14.*

Quartum ergo mare, quod Christus nauigabat, & cuius crebra est mentio in Scripturis, mare est Galilææ: estque lacus ex aqua pluuiali, atque Iordane, qui profundus est, & rectè in lacum ingreditur. Estque inter Galilæam ex parte Occidentali, & terram duarum tribuum cum dimidia ex parte Orientis: & ex vtraque parte sunt multæ vrbes iuxta lacum. Diciturque mare Galilææ, Stagnum Genesareth, fretum, quia paruum; mare Cenereth, Numer.34. & Iosue 13. ab vrbe Cenereth, id est, Tiberiade; cuius etiam dicitur hoc mare. Iordanis autem oritur ab Aquilonari parte Iudææ in monte Libano iuxta Cæsaream Philippi: descenditque per lacum Galilææ, deinde per Iericho, postremò absorbetur in mari Mortuo.

Quod mare nunc Christus nauigauerit.

Mare Galilææ vbi situm sit.

Eiusdem in Scripturis varia nomina.

Iordanis fluuius vnde oriatur: idem vbi desinat.

Occurrerunt ei duo habentes dæmonia. Cùm primùm exijt nauim, vt dicitur in Marco, quoniam non mansit in illa regione; & eadem sunt hæc cum illis Lucæ; Matthæus ne immoretur, narrat communia duobus; alij narrant quæ magis peculiaria sunt sæuiori, quod maius signum videbatur. Occurrerunt autem, quia vagabantur, & putabant Christum aliquem esse, cui nocere possent: vel Christus eos traxit, quia ibi erant porci; & vt citò sanarentur, & ne Christus esset otiosus, Lucas ait, *Occurrit illi vir quidam.* Non intelligas quòd exeundo de ciuitate ei occurrerit, quia de monumentis exibat; sed quòd esset ex ciuitate illa oriundus. ¶ Petet aliquis; Cur dæmones eos quos obsidebant, compulerũt Christo occurrere; cùm potiùs esset illis à Christo fugiendum? Vt aliorum responsiones taceam, probabile est Christi virtute coactos fuisse venire, & occurrere; & quia, dum eius præsentia torquerentur, putabant humili supplicatione aliquid impetrandum ab eo. Cumque isti dæmoniaci adeò sæui essent, vt nemo eos adducere posset, vt legimus de quibusdam alijs: ipse ad eos curandos in hanc venit regionem, atque eos sibi fecit occurrere.

Marc.5.

Cur hi duo dæmoniaci occurrerint Christo.

Luc.8.

Cur dæmones eos quos obsidebant, compulerint Christo occurrere: à quo potiùs, ne eijcerentur, fugiẽdum videbatur?

De monumentis exeuntes, sæui nimis. Monumenta quia erant habitationes, quas mulieres intrarunt, teste B.Matthæo: & tam magnæ erant, vt opus esset ostendere locum, in quo positum fuerat corpus Iesu; & magno lapide propter bestias operiri consueuerat: propterea isti in illis habitabant, Nam præter sepulchra Regum, quæ erant in horto Regis (de quo fit mentio 4.Reg.25. & 2.Paralip.26. vbi dicitur quòd sepelierunt Oziam in agro Regali sepulchrorum, eo quòd esset leprosus, ne videlicet contactu suo alia cadauera contaminaret, & de hoc frequenter dicitur: *Sepelierunt eum in ciuitate Dauid*) vt 3.Reg.14. & 2.Pa-

Cur isti dæmoniaci in monumentis habitarent. *Matth.28. Ioan.19.*

Vbi sepelirentur Reges Israel.

& 2. Paralip.9.14.21.24.27.28. (erant alia ſepulchra in agris. Et quia agri coli non poterant, ſæpè erant in montibus; vt in nemore Iabes Galaad, de quo 1.Reg.31.& in latere montis, cuius meminit.2.liber Regum cap.21.& in monte Moddin, de quo 1.Machab.13. Ioſue, & Eleazar in monte Ephraim, vt dicitur Ioſu.24. Heliſæus in agro, 4. Regum 13. ſpelunca vicina ſepulchris Gentium: de quo Geneſ. 23. 48.49. Et liber Regum 4.cap.23. *Vidit ibi ſepulchra quæ erant in monte, & ſepulchra vulgi in conualli.* Chriſtus etiam ſepultus extra vrbem fuit: ſoli Chriſtiani intra vrbes & Eccleſias ſepeliuntur. Epiphanius in Ebionæos: *Sepulchra*, inquit, *ſic appellantur, ſpeluncæ videlicet in petris effoſſæ, & conſtructa.* Sic ille: Dæmones igitur, vt alios perterrefacerent, & ad ſua inducerent, & declararetur quibus rebus maximè dæmones delectentur, videlicet hominum morte; & vbi ſit illorum pars, nempè non inter viuos, nec in Terra viuentium, ſed inter mortuos; & vt ſuaderent (vt aiunt Chryſoſtomus, & Theophylactus) animas hominum peſſimas in dæmones poſt mortem conuerti. Et quia non erat in montibus alius locus, cogebant eos in ſepulchris habitare. Sanè Auguſtin. lib.de hæreſ. Tertulliano tribuit hunc errorem, quòd ſenſerit animas hominum peſſimas in dæmones conuerti. Dicuntur autem iſti dæmoniaci nimis ſæui: quia dæmonibus data erat magna poteſtas in eos, vnde poterant magna operari, & rumpere catenas, & plures vincere, vt in Actis refertur: vt maniaci etiam dæmone non obſidente oſtendunt. Multa etiam poterant pati, quia arreptitij variatur temperamentum, ac ſenſus expers efficitur: vnde non ſentiebant, etiamſi quidam horum concideret ſe lapidibus. Quia tamen organa ſenſuum tenera ſunt, dæmones non valent exercere omnes vires ſuas, quia corrumperent omnia. Fierique poteſt vt dæmon inferior altero maiore plus ſæuiat: quia vel de minimo dæmone ait Iob: *Non ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei.* In his autem arreptitijs nulla erat voluntas nocendi, quia homo natura beneuolus, & amicus homini eſt, nec ei nocet, niſi intercedat lucri, aut delectationis cauſa. In his autem dæmones ab omnibus indifferenter nocendum incitabant, & nihil ſuum quærebant, quia nudi incedebant. Tantùm ergo dæmon mouebat organa ſenſuum, & phantaſiam, vt arreptitius exiſtimaret ſe benè agere: & turbata phantaſia nil benè iudicabat, ſe concidebant lapidibus: quia dæmones gaudent

Ioſue, Eleazar, & Heliſæi ſepulcra.

Hebr.vlt.

Soli Chriſtiani vbi ſepeliātur.

Epiphan. in hæreſin 30.

Sepulcra cur ſic appellata, ſecundum Epiphanium.

Quare dæmones maximè delectentur. Eorumque pars vbi ſit.

Chryſoſt. ho. 29 in Matth. tom.2.

Theophy. ibi.

Aug. de hæreſ num 86. to.6. initio.

Dæmoniaci iſti cur dicantur ſæui nimis.

Act.19.

Iob.41.

Dæmon vt hominem arripiat.

Cur caderent ſe ſe lapidibus.

ſanguine noſtro, & malis noſtris. Vnde nudi erant. Et lib.3.Regum, cap.18.refertur de Prophetis Baal, quòd cultris & lanceolis ſanguine ſe perfunderent. Et ſimilia faciebant Sacerdotes deæ Berecynthiæ, vt teſtis eſt Auguſtinus lib.2.& 6. de Ciuitate Dei. Vt nos diſcamus à dæmone tanquàm ab hoſte capitali cauere, qui hos ſtupidos, & ſenſus expertes ferè reddebat. Tantus autem terroris eorum rumor ſparſus erat, vt nemo poſſet tranſire per viam illam. Quamprimùm autem Dominus de mari egreſſus fuit, venerunt coacti tormentis, vt adorantes deprecarentur, ne ampliùs eos torqueret. Vnde apparet Chriſti poteſtas, & diuinitas; quia coacti adorabant. Sed non meruerunt in eo actu adorandi, quia in peccato obſtinati erant. Tormento etiam præſenti, & timore futuri, coacti ſunt à Chriſto ipſum manifeſtare clamando: *Quid nobis, & tibi, Ieſu Fili Dei? Veniſti huc ante tempus torquere nos.* Quaſi dicerent, Non es ſuprà nos, vt nos torqueas, quod eſt ſuperbiæ: vel, Nil meriti ſumus, vt torqueas, quod eſt ſpecies querimoniæ, & mendacij. Et vocant Filium Dei coacti, vt homo excuſari non valeat; vel etiam ſponte, vt placent eum, & ex timore, vel alia cauſa. Vnde aliàs dæmoni clamanti & confitenti impoſuit ſilentium. Et dolent ſe ante tempus torqueri: quia non putabant tempus eius aduentus tam citò imminere. Sed id falſum erat; & exiſtimabant ſe poteſtate tentandi priuandos; quod tamen erit in die iudicij. Torquebantur autem vltrà inferni tormenta ex Chriſti hoſtis illorum præſentia, & quia expellendi erant de corporibus obſeſſis, priuandique cultu ſuo, & regno: & ne fortè confeſſio dicta adulationi daretur, voluit illos maximè dolere, & cruciari, quòd priuarentur poteſtate nocendi. Hinc timebant mitti in abyſſum, vel extra regionem. De huius dæmonis ſæuitia loquitur B.Marcus & Lucas: ſed præcipuè Marcus his verbis: *Et exeunti ei de naui, ſtatim occurrit de monumentis homo in ſpiritu immundo; qui domicilium habebat in monumentis, & neque catenis iam quiſquam poterat eum ligare: quoniam ſæpè compedibus, & catenis vinctus, dirupiſſet catenas, & compedes comminuiſſet: & nemo poterat eum domare. Et ſemper die, ac nocte in monumentis, & in montibus erat, clamans, & concidens ſe lapidibus. Videns autem Ieſum à longè, cucurrit, & adorauit eum. Et clamans voce magna, dixit, Quid mihi, & tibi, Ieſu Fili Dei Altiſſimi? Adiuro te per Deum, ne me torqueas.* Vides crudeliſſimum ſpectaculum? Vides quanto odio, & furore correptus in

nos

B. Auguſt ca. 4. lib 2 cap. 7. lib. 6.

A dæmone cauendum quantoperè.

Chriſti vis, & poteſtas quanta.

Quibus verbis dæmones ſuperbos ſe prodant, & mendaces in Ieſum.

Marc. 1.

Cur ſe dæmones doleant ante torqueri. Eos Chriſtus quomodo torqueret.

Vnius illorum dæmonis ſæuitia quanta eſſet, teſte Marco.

Marc.5.

Luc.8.

erat, vnde cognouit Iesum tortorem suum esse fortiorem, & potestatem habere deijciendi illum vsque ad profunda inferorum supplicia.

Christus cur ex dæmone quæsiuit nomen suum.

Sequitur in Marco: *Et interrogabat eum, Quod tibi nomen est? Et dicit ei, Legio mihi nomen est; quia multi sumus.* Interrogauit, qui omnia nouerat, Dominus nomen dæmonis; vt appareret magnitudo signi, & causa sæuitiæ arreptitij, & desiderium nocendi dæmonum. Et quia nō sunt in arreptitio nisi tantùm vt noceant, omnes volunt intrare, vt quiuis vel parum noceat. Voluit ergo Dominus nobis innotescere hanc dæmonum multitudinem vnū corpus possidentium; vt intelligamus non esse nobis singulis negotium cum singulis dæmonibus, sed multos sæpè dæmones vnius saluti insidiari, vt ita maiori cum timore & tremore salutem nostram operemur, & vni Domino totos nos confidenter committamus: cuius potestas solius longè superat omnium dæmonum, & aduersariorum nostrorum vim & potentiam. *Maior est,* inquit Ioannes, *qui in nobis est, quàm qui in mundo.* Et vt autor est Beda, non expellit Dominus dæmones, nisi prius fateatur arreptitius quid patiatur ab illis. Vocauit autem se Legionem nomine bellicæ congregationis. Nam vt Angeli, qui ordinatè procedunt ad Dei mandata, milites Dei sunt, vnde pro gloria Dei prædicantur, & cùm Iacob Angelos vidisset, dixit *Castra Dei sunt hæc*; & Iob: *Nunquid est numerus militum eius?* & Dominus: *An putas quia nō possum rogare Patrem meum; & exhibebit mihi modò plus quā duodecim legiones Angelorum?* Ita dæmones quia ordinem habent inuicem, & quia hæc multitudo est sub vno Principe militantium, vnde ab Apostolo dicuntur Principes, & potestates, & rectores tenebrarum harum: idem ait, *Cùm euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & virtutem,* nempe dæmonum: proptereà nominibus bellicis se ipsos describunt. Erat autem centuria constans ex centum militibus, & cēturione qui illis præerat: & cohors cōgregatio mille militum, cui tribunus, siue χιλίαρχος, id est, millenarius, præerat. Legio verò secundū aliquos constabat 6666. militibus: secundùm alios verò constabat 12250. Quia Legio diuidebatur in decem cohortes, cohors in quinquaginta manipulos, manipulus in vigintiquinque milites. Et hoc loco nō erat præcisus numerus dæmonum, quot solent esse in Legione, dixit enim: *Legio mihi nomen est, quia multi sumus:* & quia B. Marcus testatur, præcipitata duo millia porcorum; nisi dicas vnum & eundem porcum à pluribus dæmonibus fuisse

Philip. 2. Cui nos totos dedere oporteat. *1. Ioan. 4.* *Beda in Matth.* Cur hic dæmon se Legionem vocarit militari vocabulo. *Gen. 32.* *Iob 25.* *Matth. 26.* *Ephes. 6.* *1 Cor. 15.* Cēturia quot militibus constaret. Cohors quid Legio quod milites haberet. *Marc. 5.*

oppressum, & suffocatum: sed nō est necessarium. Non ergo exquirit nomen dæmonij ex ignorantia, sed vt prius cōstet de miseria hominis, qui tot malos hospites habebat apud se; & Christi aperiatur potestas, qui nō minus potuit eijcere Legionem dæmonum, quā vnicum dæmonem. Dæmones autem nō torquent quantum volunt, & possunt, sed quantum illis permittitur: ideò quandoque occidunt, vt viros Saræ Raguelis filiæ apud Tobiam: & primogenita Ægypti; quandoque vulnerant, vt in Actis, & Marco legitur, licèt possint occidere: quia occiderunt duo millia porcorum, quia porcis volebant nocere propter homines; sicut armentis, & gregib⁹ ouium & camelorum Iob, propter eum. Nec nocent, quantùm nocere tentant: quia tentauerat vnus eijcere in ignem, & non poterat, licet ab infantia possideret, vt dicit Marcus. Volunt autem intrare in homines, id est, vexare, quia possunt vexare nō intrādo, & intrare non vexando, ob inuidiam, & ob superbiam: quia gradus quidam est vexare posse. Et vt ex timore honorentur à Gentibus, qui quosdam honorabant ne nocerent; sicut purgationes, lustrationesque Deorum inferiorū fiebant in Februario, secundùm Ouidium in libro Fastorum, ne terrerent. Et Tullus Hostilius tertius Rex Romanorum vouit templum Timori, & Pallori, ne eum affligerent, quē inuaserant in bello. Romani etiam colebant Tertianam, & Quartanam, & alia huiusmodi portenta, ob easdem causas.

Dæmones quantum possunt nocere. *Tob. 8.* *Exod. 12.* *Actor. 19.* *Marc. 5.* *Iob. 1.* Iidem, cū extra torquere valeant, cur intrare nihilominus in hominem contendant. *Marc. 9.* *Ouid. 2. Fast.* Romanorum cultus superstitiosi, & inanes.

Deus autem hoc iusto iudicio communiter permittit: tùm ob peccatū nostrum; tùm vt potestas Dei variè puniendi cernatur; tùm vt potestas dæmonis nō sit superflua, quia superfluū repugnat ordini à Deo statuto; tùm vt credantur dæmones esse, & consequenter futura vita, & rursus eorum consortium fugiatur: nam si tantopere hîc sæuiunt, quantum in gehenna nocebunt? Christus autem eijciebat dæmones, vt erat de eo prophetatum apud Zachariam: *Spiritum,* inquit, *immundum, auferam de terra*; vt agnosceretur eius misericordia, & potestas, putaretur enim imbecillus, si nō curaret; & ne posteà etiam putaretur virtute dæmonis operari Dominus, vt crederetur eos expulsurus de mundo, & de animabus; & vt ei vel inuiti testimonium redderent. Sed semper hoc non voluit; ne homines illis fidem haberent; & ne vsurparent officium Apostolicum.

Quo Dei permissu dæmones in obsessa corpora desæuiant. Quare Christus pelleret dæmones ab obsessis *Zach. 13.*

Permittebat autem in exitu magis vexare arreptitios; vt clarius pateret beneficium. Angeli verò non vexant; cùm facti sint

Dæmon in egressu cur grauius torqueat.

Angeli boni quare nobis non noceant. *Hebr. 1.* *Luc. 2.*

socij, & nostræ salutis administri. Ideò Christus circa eos signa non edidit; nisi quod venerunt in die Natiuitatis ad annuntiandā pacem. An verò spiritus loquatur in arreptitijs, an anima defuncti alicuius, vt dæmones interdū mentiuntur, maximè isti, qui ob eam causam monumenta inhabitabant, dubium est. Ad cuius dissolutionem præmittendum est, animam, quatenus forma est, tātùm dare esse specificum corpori, & cuiuis parti eius æqualiter, id est, facere corpus, & partes eius quaslibet humanas sine aliqua differētia organorum. Et hoc facit anima per essentiam suam: per vires autem, siue facultates est motrix, & operans per corpus, id est, vegetans, & sentiens: & inde sunt diuersa, & varia organa. Istæ ergo operationes variæ prodeunt ab anima, non vt forma est: quia vt forma est, dat vnicum esse tātùm per essentiam suam: actio autem multiplex est, & conuenit ei per facultates, non per essentiam. Sed quia vegetare, & sentire, sunt operationes ad certam speciem spectantes, oportet motorem illarum esse intrinsecum; id est, ita esse vnitum, & coniunctum corpori, vt ex illis quasi materia & forma, constituatur vnum ens per se. Ideò dæmon licet intret cadauer, non præseruat tamen illud à corruptione, & interitu: quod tamen faceret, si posset, ob honorem suum. Vnitur ergo anima corpori primò vt forma; deinde vt intrinsecus motor mobili; tertiò, vt finis, quia est perfectio corporis, atque adeo eius finis, vt habet rationem perfecti. Ideò anima, etiam miraculo, nō potest esse forma alterius corporis à suo, per quod habet esse indiuiduum. Non potest etiam sine miraculo suum corpus, quod semel reliquit, iterum informare. Primò, quia cum suum esse naturale sit esse partē, id summè desiderat: ergo si posset, rediret ad informandum. Deinde, quia nō exit anima de corpore, nisi quia discrasia corporis eam expellit: sed hæc indies fit maior; ac ob id natura redire non potest. Tertiò, quia resurrectio non esset miraculum; cùm tamen scriptū sit: Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit. Sed quia anima à corpore soluta vim operandi retinet, quia illam à corpore non habet, vniri potest vt motor extrinsecus corpori mobili suo, vel alteri. Quia verò est extra esse naturale, minus mouet corpus, & minori facilitate, quàm quando erat forma: & tunc non mouebat nisi corpus suum.

An spiritus loquatur in arreptitijs, nec ne.

Anima homini quæ præstet officia.

Dæmon quod præstare munus animæ nō possit.

Triplex vnio animæ cum corpore.

Quòd anima corpus quod semel reliquit, sine miraculo, denuò informare nō possit.

Anima cur corpus deserat dilectū suum. *1. Reg. 2.*

Spiritus ergo qui loquitur in arreptitio, non est anima defuncti, sed dæmon: idque sic ostenditur ab Episcopo Abulensi, quæst. 124. in hunc Matthæi locum. In primis, quia anima arreptitij nolente loquitur dæmon, & vincit homines; & tamē anima separata minus potest, quàm si esset vnita. Deinde, quia arreptitij dicunt quædam alta, & inaudita; & tamen anima quæ est in inferno, vel Purgatorio, nesciebat, nec nouit plusquam hîc sciebat, nisi quæ per tormentorū experientiam discit. Tertiò, quia anima non torquet, neque inuidet, sed diligit ob similitudinem in specie, saltem cognatos, vt anima Epulonis; & tamen isti dicunt: Sum pater huius, vel illius, & nolunt exire, sed in torquendo delectantur. Quartò, quia animæ malorum vexantur, ergo nō vacat eis hæc facere, & alios vexare, licet in assumptis corporibus apparere possint. Quintò, quia Christus eos de arreptitijs expellens, semper vocabat eos dæmones. Dæmon ergo se animam huius, vel illius esse mentitur, & quæ erant vera, & occulta, dicit, & vtilia suadet, vt perducat ad falsum. Et vt credatur ei, tanquam animæ, ab his, qui non crederent ei vt dæmoni, suadebat animas ab aliquo occisi hominis fieri dæmones adiutores occidentis, vt autor est Chrysostomus. Sed licet fierent dæmones, non essent in potestate viui, & potius eum persequerētur, quia vita priuârunt: sed dæmones potius occidentibus seruiebant, qui vt possent fingere corpus simile mortuo, ita etiā vocem eius. Et hactenus de hac quæstione.

Quòd qui loquitur in arreptitio, non sit anima defuncti, sed dæmon multiplici ratione.

Luc. 16.

Dæmon huius vel illius hominis animā esse comminiscens, quo tendat veterator ille.

Chrys. ho. 29. in Matth.

Redeamus ad textum: *Erat autem nō longè ab illis grex multorum porcorum pascens.* Rectè dicitur non longè abfuisse, vt possent illum videre: si enim longè porci abessent, non cognosceretur à quo id mali perpessi essent. Eratque totus grex circa montem, nō in ipso cacumine, sed in campestribus, id est, in lateribus; sicut sermo in monte habitus, apud Lucam dicitur in campestri loco, & vna ex mansionib⁹ ponitur in campestribus Moab, alia in planis. Ideò non pugnat quod ait Lucas, gregē hunc fuisse in monte, ei quod Marcus scribit fuisse circa montem pascentem in agris. Quia, vt docet Augustinus de consensu Euangelistarum, grex porcorum tam magnus erat, vt aliquid eius esset in monte, aliquid circa montem. Inferior etiam pars montis solet in agros & campos diffundi.

Matth. 8. Quid est, quod non longè ab arreptitijs grex porcorū aberat.

Luc. 6.

Num. 33.

Aug lib. 2. de cōsen. Euang c. 24. tom. 4.

Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si eijcis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Cùm exeundum esset illis ab hominibus, nec eis amplius pro voluntate sua manere permitteretur, petierunt cōcedi sibi intrare in porcos: quia nobis, vel nostris rebus, nocere cupiunt, & quia Christus incitauit ad hoc,

Quam ob causam dæmones Dominum rogauerint vt mitterentur in gregem porcorum.

ad hoc, deditque fiduciam impetrandi, vt ostenderetur numerus dæmonum. Non præcepit Christus vt intrarent, ne non rogatus videretur spõte damna inferre; vt videretur planius miraculum; ac vt agnosceretur desiderium nocendi nobis quod dæmones habent; & quod fecit eos humiliari ad petendum. Oratio supplex iustorum etsi directè gloriam promereatur; non autem illa, quæ in oratione petuntur, id est, illa, quæ non fiunt ei debita, sed ex liberalitate donantur. Ideò Deus quædam concedit malis, & quædam negat bonis. Dæmon ergò illud postulando nõ promeruit quicquam, quia Deo non est gratus. Nec verè humiliabatur, aut laudabat, vel adorabat, nec hoc vt rem iustã petebat: sed Deus eam concessit, vt expedientem ad gloriam suam propalandam. Et potius voluerunt esse in porcis, quàm in aëre: nõ horrore lucis corporeæ, vt docet Ambrosius in Lucam, quia oculos non habent, vt animalia: nec horrore lucis spiritualis Christi, qui est lumen de lumine, quia per ingressum in porcos non fugeretur; sed desiderio nocendi hominibus, & præcipuè, quia incitati à Christo ad hoc fuerunt.

Edidit autem potius miraculum in grege porcorum, quàm in grege ouium: quia erant propè ad ostensionem signi; & quia erant dominorum, qui in illis puniri digni erant: vnde simile fieret de grege arietum propinquo, si porci distarent. Neque decẽs erat, vt qui de hominibus pellebantur, in alios homines ingrederentur. Non autẽ permissum est illis in porcos ingredi, quod animalia essent Lege immunda: quia tunc poterant mitti in bestias, & in serpentes immundos. Et quanquam in propria persona Dominus non venisset, vt Lex solueretur, sed vt potius consummaretur; & proinde in persona sua seruauerit Legem: nõ tamen docuit eam seruandã verbis, vel exemplo. Eijciendo autem dæmones in porcos, confirmarentur cæremoniæ Legis; quia à carnalibus illis abstineret, non tantum ob Legem prohibentem, sed quod crederentur in eiusmodi animãtibus dæmones inhabitare. Etsi ergo hi porci essent illius ciuitatis Iudæorum, ad quos Iesus prædicaturus ibat, qui non venit nisi ad oues quæ perierunt domus Israel, & inhabitata erat à tribu Manasse dimidia, vel à tribu Gad, à quo nomine putant inditum nomen ciuitati Gadara: tamen intelligendum est, illos porcos aluisse lucri gratia, vt venderent eos Romanis, vel Samaritanis, & Gentibus; et si eorũ esus esset illis prohibitus, & Antiochus in contemptum Legis offerret Iudæis car-

Supplex iustorum precatio quid promereatur apud Deum, quid nõ promereatur.

Quare Christus dæmoni rem iniustam petenti concesserit.

Amb. in Luc. cap. 8. tom. 5.

Cur in grege porcorum potius, quàm in grege ouium Dominus signũ ediderit.

Qua ratione dæmones in porcos minimè in[…]erint Domino permittente *Leuit. 11. & Deut. 14. Matth. 5.*

Infra 15.

Gadara vrbs vnde dicta, secundum aliquos.

Leuit. 11.

nes porcinas edendas, vt habetur 1. Mach. Erat etiam Gadara Græci instituti, vt tradit Iosephus lib.17. Antiq. cap.13. ideò non mirum, si porcos alebat, quia erat illa ciuitas Syris attributa.

Permisit autẽ Dominus ingredi in porcos, & eos occidere; nõ vt placeret dæmonibus, quorum preces malo animo fusæ erant; sed vt ostenderetur multitudo dæmonum inhabitantium; & refelleretur Sadducæorum error negantium naturam dæmonũ, vel illos vexare homines posse, sed tantùm ægritudinẽ naturalem affligere. Nam fingi nequit, ægritudinẽ hominis migrasse in gregem porcorum, vt præceps se mergeret. Et vt agnosceretur se ad saluandum homines venisse, non autem illi esse curæ porcorum, aut aliorum animalium, vel rerum salutem: & ob vnius hominis salutẽ cætera esse negligenda. Hinc Beda in hoc caput: *Erubescat, inquit, Manichæus, qui hominum & bestiarum vnam dicit esse substantiam, dum pro vnius hominis salute duo millia, vt Marcus commemorat, porcorum suffocantur.* Sic ille. Denique vt nota esset dæmonum nocendi cupiditas; impotentia nocendi sine Christi permissu; prouidẽtia Dei etiam erga bruta animantia, & erga illos homines arreptitios, quos nõ permisit lacerari, & erga alios homines, & animalia, in quæ non permisit ingredi. Petiuerunt etiã dæmones ne mitterentur in abyssum, vt Lucas ait, id est, in immensæ profunditatis voraginem: quã idem Lucas alibi vocat ᾅδην, id est, infernum, in quo nimirum dæmones constricti tenẽtur caliginis tenebris, & inferni rudentibus, siue catenis, vt docet Petrus in posteriori Epist. & Iudas in sua Catholica. Etsi enim abyssus, & Hebraicè theom, propriè sit aquarũ profunditas: capitur tamen in Nouo Testamẽto pro inferno, ob id quod sub terra sit, & damnatos Angelos, siue homines ita absorbeat, vt non liceat inde emergere: & ita abyssus frequenter accipitur in libro Apocalypsis, & semel ad Romanos. Rogant ergo ne mittãtur in locum damnatorum, in quem nouerant se in die iudicij iustè præcipitandos: quia peccata eorum id promerebantur: & putabant Christum venisse ad iudicandũ eos. Deinde dæmones qui tentant alios, & non superant, sed superantur, mittuntur in abyssum. Et quia isti nunquam superati pellebantur ex hominibus, timuerunt mitti in abyssum. Ad hæc propter desiderium nocendi: nã pergentes in abyssum, nemini nocerent, sed vexarentur ipsi. Ostenditur præterea ille locus proprius dæmonum, quem timent; & nolunt à nobis recedere, vt possint nocere. Denique vt oc-

1. Machab. 1.

Cur Dominus permiserit dæmones ingredi in porcos, atque eos occidere. *Actor. 23.*

Beda in Matth. 10. 5. Aduersus Manichæum, qui hominum & bestiarũ vnam sensit esse substantiam.

Marc. 5. Cur dæmones petierint ne mitterentur in abyssum.

Et quid mitti in abyssum. *Luc. 8. Infra 16.*

2. Pet. 2. Abyssi própria significatio. Abyssus in Nouo Testamento quid significet.

Rom. 10.

vt occasionem haberent petendi, vt permitteretur ingressus in porcos.

Extra quam regionem dæmones petierint vt non mitterentur. *Marc. 5.* Quibus rebus dæmones delectentur.

Petierunt prætereà, vt habetur in Marco, ne irent extra regionem, scilicet illam, non mundum inhabitatum, vt quidam interpretantur. Nam vt varij dæmones varijs delectantur peccatis, & ad tentandum de diuersis vitijs destinantur: ita sanè hinc apparet affectus dæmonũ esse ad diuersas regiones. Nam sicut diuersis sunt patrijs tutelares genij, & Angeli, quos speciatim iuuat suæ regioni beneficos esse: ita etiam dæmonibus certæ regiones vexandæ permittuntur, in quibus aut mores hominum magis habẽt perspectos, aut vbi maior est nocendi spes, & occasio, aut vbi ad tentãdum peculiariter sunt destinati: tùm vt illud euitarent, ne retruderentur in abyssum; tùm ne mitterentur in porcos; tùm ne mitterentur in desertum, vbi nõ possent nocere: quemadmodum Asmodeus, qui tẽtabat de luxuria, & occidebat viros, dicitur ab Angelo Raphaële relegatus in deserto superioris Ægypti; vt ibi alligatus non posset nocere Tobiæ iuniori in die nuptiarum. Et quia Deus ob peccata hominum dabat dæmonibus potestatem magnam in regione illa, & fortè in ea colebantur, quia erant in ea Gentiles, & Samaritani; secùs in alia regione Iudæorum: & vt commodè possent petere ingressum in porcos. Et ita videtur quod dæmones petiuerint ex odio ista tria. Primò, ne mitterentur extra regionem, vt ait Marcus: atque hoc obtento tandem postulârunt ingressum in porcos: & omnia vel sub vnica clausula petierunt, vel sub diuersis, quod est probabilius.

Ijdem in quas regiones magis affecti sint.

Tob. 8. Asmodeus in deserto superioris Ægypti ab Angelo Raphaële cur fuerit relegatus.

Marc. 5.

De eo quod dæmones à Domino precati sunt ne mitterentur extra regionem, quid senserint nonnulli.

Nonnulli tamen existimant, dæmones, qui in hoc aëre caliginoso detinentur vsque ad diem iudicij certis sic à Deo addici locis, vt inde non sint exituri, nisi cum præcipites deturbandi sunt in abyssum inferni: & ideò precatos fuisse ne expellerentur extra regionem. Et ita in eundem sensum cõcurrerent istæ duæ petitiones, ne expellantur extra regionem, & ne mittantur in abyssum.

Dæmonibus mitti in porcos postulantibus, cur Dominus nil verbo respõderit.

Porrò illud aduerte, Christum Dominum ad has dæmonũ preces nihil respondisse verbo, aut concedendo, aut negando: eo quod ad homines saluandos, & à potestate dæmonum liberandos venit, nõ autem ad dæmones cõdemnandos postrema sua cõdemnatione, qua etiam nequẽ vexare amplius, neque tentare homines poterunt; quod faciet in secundo suo ad iudicandum aduentu. Voluit autem Dominus spiritus illos ea à se postulare, metu perculsos, vt præsentes intelligerent tantam esse Domini Iesu potestatem, vt eos non tantum de hominum corporibus pellere, sed etiam de tota regione posset, & præcipitare in abyssum solo suo iussu: quod arguit magnam iudiciariam, ac diuinam eius potestatem.

Quo Domini instinctu hoc ab illo dæmones flagitauerint.

Videtur autem Dominus, qui se Saluatorem in omnibus ostendebat, hoc in facto nominis sui oblitus, qui permisit dæmones porcos inuadere, & perdere: sed id magna sapientia factũ est. Interfecit enim porcos, quia sui erant; & ob peccata dominorum, sed præcipuè ob gloriam suam, sicut de ficulnea, & cæco nato ad Dei gloriam dicitur: quia si esset absens grex, non occisus esset, sicut & aliorum pecorum: & tota legio, à qua liberatus est vnus, teste Luca, posteà videtur missa in duo millia porcorum, & ita multi vnum porcum vexarent. Spiritus autem nõ est per essentiam in loco circumscriptè, quia non est quantus, sed per virtutem siue operationem; ideò modo operationes non confundantur, possunt plures esse intra vnum; vt in Magdalena erant septem dæmonia. Possunt autem non confundi, si vnus torqueat vnam partem, alius aliam, vel eandem diuerso tormento: sicut idem est album, & frigidum secundum diuersas partes, & sicut vnicus motus, vt compressio, est à pluribus. Nõ autem dæmones subitò occiderunt porcos, vt occidere poterant: quia posset imputari pesti, vel vni dæmoni, vt vnus Angelus occidit exercitum Sennacherib: nec ijdem dæmones viderentur, qui furiosè agebant arreptitios. Satis autem nõ fuit arripere porcos sine occisione: quia non ita videretur dæmon occidere, quia non loqueretur: nec detrimentum dæmonis, nec prouidẽtia Dei seruans à morte arreptitios. Occisio ergo in mari facta est; vt dolor extra illatus ad id cogens videretur. Non autem mors ab intra compressis præcordijs, quia videretur pestis: nec à vulnere extrinsecus illato, quia non viderentur intrasse in gregem.

Cur Dominus permiserit dæmones ingredi porcos, & illos perdere.

Matth. 21. *Ioan. 9.*

Luc. 8.

Spiritus vt sit in loco. *Ibidem.*

Quemadmodum plures in vno corpore maneant inconfusi.

Quam ob causam dæmones, cum possent, porcos non vno momẽto perdiderint. *4. Reg. 19.*

Totus ergo grex præcipitatus est, ad ostendendam miraculi magnitudinem in multitudine dæmonum de homine expulsorum, quæ non potuit declarari nisi dæmonibus in aliqua animalia ingressis: quia cum morerẽtur singuli porci à singulis dæmonibus, apparebat saltem tot esse dæmones, quot porcos.

Quare totus grex porcorũ in mare præcipitatus sit.

Notandum est, Matthæum & Marcum dixisse gregem præcipitatum in mare; at Lucam, in stagnum: videtur ergo quod cum non longe ab egressu de naui hoc miraculum acciderit, quod præcipitatio facta sit in stagnum Genesaret. Licet alij, vt Zuin-

Matthæus, & Marcus in mare dicentes, cum Luca in stagnum gregem porcorũ præcipitatum fuisse quomodò cõueniant.

Zuinglius. Vadianus. Beza.

Zuinglius, & Vadianus, quos sequitur Beza, alterā afferant, nempè propè ciuitatem Gadaræ fuisse stagnum aquarū noxiarum, in quē sit grex præcipitatus. Et hoc dicunt docere Strabonem, qui libro Geographiæ ita scribit: *Est etiam in Gadaride regione stagnum aquæ pessimæ, qua degustatâ, pecora pilos, vngulas, & cornua amittunt.* Sic ille. In hoc ergo stagnum præcipitati sunt porci: vt sicut Christus porcos delegit animal immundū, & lege Mosaica vetitum, ita stagnum elegit; quod sua natura humanis vsibus erat inutile. Non enim conueniebat vt in stagnum Genesareth, quod teste Iosepho, aquæ erat saluberrimæ, & laudatissimæ, porci immundi simul cum dæmonib⁹ mitterentur: quòd hinc aquas polluendas putaret, & hominibus eis vtentibus inutiles, & incommodas. Ideò illi suspicantur, lacum hunc non longè post hoc signum à vicinis terra obstructum, ne fœtore cadauerum pestis aliqua oriretur, & idem ob præsentiam dæmonum magis abominabile redditum; vt proptereà historiographi post Strabonem, & Christum, eius nequaquam meminerint, vt Iosephus, Plinius, Ptolemæus, Eusebius.

Strabo lib. 16.

Leuit. 11.

Ioseph. lib. 18. Antiq. cap. 3.

Improbatur hæc opinio.

Verùm nihil solidi cōtinet hæc sententia: nam pugnat cum ipso Euangelio. Nam quod Lucas stagnum dicit, Matthæus, & Marcus vocāt mare, qui lacum Genesareth mare appellare solet. Ad hæc Lucas ipse tum alibi, quando ait: *Et ipse stabat iuxta stagnū Genesareth,* tum in hoc signo stagnum vocat Mare Galilææ, ait enim: *Transfretemus trans stagnum.* Et infra: *Et nauigauerunt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam.* Cùm ergo dicitur præcipitatos porcos in stagnum, intellige Genesareth, de quo præfatus fuerat. Adde quod Hieronymus in libro de Hebraicis quæstionibus post descriptionem ciuitatis Gadaræ scribit: *Hodie supra montem viculus demonstratur iuxta stagnum Genezareth, in quod porci præcipitati sunt.* Hæc ibi. Prætereà confictum videtur, & nullo solido testimonio confirmatum, stagnū illud ob fœtorem, & pestis metum à vicinis terra fuisse obstructum; sed hunc errorem in Syriæ descriptione confutatum reliquimus.

Luc. 5.

In quod stagnū grex porcorum præcipitatus sit.

Hieron. to. 3. prope finem.

Lib. 1. prolego.

Quare fugerint pastores præcipitatis porcis in stagnum.

Sequitur Matthæus: *Pastores autem fugerunt, & venientes in ciuitatem, nuntiauerunt hæc omnia, &c.* Pastores timore perculsi fugerunt, ne perirent, & ne peterentur porci ab eis: ideo antequam Christus recederet, voluerunt eum Dominis ostendere. ¶ *Et ecce tota ciuitas exijt obuiam Iesu.* Apud Lucam legitur tota regio exiuisse vt Christum videret, & certior redderetur de re tanta.

Luc. 8.

¶ *Et viso eo, rogabant eum vt transiret à finibus eorum.* Non ex contemptu, vel ex superbia hoc fecerunt: quia intulit damna, vt ait Hieronymus, sed ex timore, quod verisimilius videtur: quia, vt ait Lucas, rogauerunt illum, vt discederet ab ipsis: quia magno timore tenebantur, ne scilicet alia damna inferret. Vel putabant eo remanente, dæmones irritatos sæuiores futuros, ideo pacem cum eis sine Iesu volebant. Illis nō absimiles, qui relinquunt hæreses minimè confutatas, aut punitas, tantum vt sit pax in diebus eorum. Vel se reputantes indignos, & grauius puniendos præsente Christo: sicut vidua Helia præsente petijt, & præsente arca Philisthæi dixerunt: *Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius? & ad quem ascendet à nobis?* Et quanquam ex humilitate illum abiecissent, imprudentes & rudes fecerunt, vt eum qui nocere visus fuerat antequam cognoscerent, expellerent; cùm alibi sequerentur eum, & rogarent, vt maneret apud eos. Nam (referente Luca) si vellet prædicare, libentissimè eum detinerent: sed quia ibat in Ierusalem, non admiserunt eum.

Cur isti Geraseni Dominū rogauerint, vt exiret de finibus eorum. Hieron. in Matth. to 9.

In Gadarenis istis qui adumbrati.

1. Reg. 17. 1. Reg. 6.

Gerasenorum imprudens humilitas.

Ioan. 4. Luc. 9.

Christus autem non puniuit expellentes se: tum ob mansuetudinem suam indicandam; tum quia priuare voluit eos sua præsentia, qua digni non erant; & ne sanctū daret canibus, & margaritas suas proijceret ante porcos; tum denique quia manebant pastores, & ab eo curati ipsum prædicantes. Videtur ergo, vt obsessos illos curaret, & se per miraculum, & pastores, & à se curatos proderet, ad eos venisse. Et minus fuit horū peccatum, quàm Nazarenorum: quia hi etsi damno affecti humiliter Christum rogant, vt discedat; Nazareni verò nullum damnum passi, imò & benefacientem eis (quia paruos infirmos impositis manib⁹ curauit) expulerunt de ciuitate, & præcipitare voluerunt. In eo tamen videntur Gadareni peccasse grauiter, quòd potentiam Domini in expulsione dæmonum, & perditione tot porcorum declaratam magis timuerunt, quā amauerint eius bonitatem satis ostensam in obsessis liberatis. Et magis sese prodebant solicitos de perditione animalium, quam de animarū suarum salute: nam vidētes Dominum eos curasse dæmoniacos, qui toti regioni erant infesti, magis debebant credere eum venisse ad saluandum, quam ad perdendum. Quare cum illo malo timore indignos se reddiderunt Christi præsentia, & doctrina; ac idcirco eorum votis annuendo ille discessit.

Cur Gerasenos Dominus se expellentes e suis finibus nō punierit. Matth. 7.

Vtri grauius deliquerint Nazareni, an Geraseni, ob expulsum Dominum.

Luc. 4. Marc. 6.

Marcus addit: *Et egressi sunt videre quid* Marc. 5.

esset facti: & venerunt ad Iesum, & vident illum qui à dæmonio vexabatur, sedentem, vestitum, & sanæ mentis: & timuerunt. Et narrauerunt illis qui viderant, qualiter esset factum ei qui dæmonium habuerat, & de porcis. Et rogare cœperunt eum vt discederet de finibus eorum. Cumq; ascenderet nauim, cœpit illum deprecari, qui à dæmonio vexatus fuerat, vt esset cum illo: & non admisit eum, sed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, & misertus sit tui. Et abijt, & cœpit prædicare in Decapoli quanta sibi fecisset Iesus, & omnes mirabantur. Non recepit Dominus in contubernium suum à dæmone liberatum, corpore, & mente iam sanum, non tanquam indignum, sed mallens eum manere ad instruendos suos, Deique beneficia annuntianda: sicut facere debent liberati à periculis, morbis, & peccatis: quod in præsentia Christi ille non fecisset, nec miraculum alijs euulgasset. Deinde, vt indicaret, quòd licet non sit secum, gratia tamen eius protectus liber erat à dæmonis insultibus. Timebat enim, vt Theophylactus exponit, ne elongatus à Iesu, iterum à Satana inuaderetur. Et Dominus hoc loco Dei gloriam iubet prædicare, se tacens Deum: leproso autem non Dei gloriam, quia iussit ostendere se sacerdotibus, sed tantùm quod ipse sanasset. Hic autem à dæmonio liberatus abijt per totam ciuitatem prædicando quæcunque sibi fecisset Iesus, sed non discessit à præcepto Christi, nam ipse Iesus erat etiam Deus: cùm ergo prædicabat Iesum, gloriam quoque Dei pariter prædicabat. Est Decapolis regio decem ciuitatum trans Iordanem ad Orientem Iudææ, cuius meminit Plinius, & Hieronymus de locis Hebraicis: circa Hippum, & Pellam; & Gadaram. Debemus igitur non imitari ingratos Gerasenos, qui plus tristantur de porcorum interitu, quàm de hominis sanitate lætantur. Et certè ille homo dæmoniacus plus poterat omnibus Gerasenis incommodare, qui nō poterant tuti exire de ciuitate, quam vniuersi porci incommodarent. Habet & præsens seculum quosdam, qui mallent habere porcum, quàm Iesum cum discipulis. Sic impij semper piorum conspectum deprecantur, ne aliquantisper cogantur ab impietate cessare. Exemplo verò à dæmonio liberati, Dei beneficia publicè annuntiemus, & confiteamur, nihil diuinæ gloriæ nobis vendicantes, sed totum Iesu Christo tribuentes, cui cum Patre, & Spiritu sancto debetur omnis honor, gloria, laus, & gratiarum actio in secula, seculorum, Amen.

* * *

Quare Christus hunc hominem à se iam dæmonio liberatum, ad sui sequelam nō admiserit.

Theophyl. in Marcum.

Cur hic olim dæmoniacus Christum sequi voluerit.

Matth. 8.

Decapolis quid.

Plin. lib. 5. cap. 18.

Hieron. to. 3.

Gerasenorum in Christum ingratus animus, & insipiens.

Eorum qui similes.

TRACTATVS XIV.

De signo paralytici per tegulas demissi, & à Christo sanati: quod habetur Matth. 9. Marc. 2. & Luc. 5.

QVOD attinet ad ordinem historiæ, aduerte, post reditum Christi à regione Gerasenorum, Marcum similiter, & Lucam commemorare miraculum de filia Archisynagogi resuscitata, & curata Hæmorrhoyssa: & ita narrant, vt videantur hæc gesta statim à reditu, priusquam adhuc in domum, aut in ciuitatē descenderet. Nam Lucas sic habet: *Factum est autem cum redijsset Iesus, excepit illum turba: erant autem omnes expectantes eum. Et ecce venit vir cui nomen Iairus.* Et eadē propemodum habet Marcus: vbi etiam in Græca litera habetur aduerbium, Ecce, quo videtur significari miraculū hoc contigisse in egressu Domini de naui.

Non posse tamē intelligi hunc esse historiæ ordinem, ex Matthæo manifestum fit: non quidem quod post transfretationem commemorat eum venisse in suam ciuitatem, ac sanasse paralyticum (intelligi enim possent hæc facta post transfretationē, sed quibusdam in medio prius gestis) verum quia Matthæus principem illum, qui pro sua precabatur filia (qui idem est cum eo, cuius meminit Marcus, & Lucas, etsi solus Osiander hæreticus id perneget) dicit Christum accessisse, cùm loqueretur & disputaret de ieiunio cū discipulis Ioannis, & Pharisæorum. Quam disputationem habitam post vocationem Matthæi, & hanc factam esse post curationem paralytici, & vocationem Matthæi, & disputationē de ieiunio, eodem cum Matthæo, ordine describunt, etsi alio loco: sed ita, vt eorū narratio rerum narratarū immediatum cum eis quæ præcedunt, ordinem non requirat. Siquidem Marcus tria illa enarraturus, sic incipit: *Et iterum intrauit Capharnaum*, post dies scilicet aliquot; non enim legendum est post dies octo, vt quidā codices habent. Diebus ergo illis intermedijs, post quos venit iterum Capharnaum ab illo discessu, facta sunt hęc quæ narrata sunt de trib9 volentibus sequi Christum; & tempestate maris iussu Christi sedata, & de nauigatione Christi ad Gerasenos. Lucas verò eadem illa descripturus, sic auspicatur: *Et factum est in vna dierum, & ipse sedebat docens:* Quæ narratio non requirit vllam, nedum immediatam ad superiora sequelam. Etsi ergo videantur Marcus & Lucas tradere Iairum accessisse ad Christum statim post transfretationem: intelligendum tamē quibusdam in medio gestis,

Historiæ series & ordo iuxta Marcum & Lucam quinam sit.

Luc. 8.

Alium esse secundum Matthæum, ostenditur.

Matth. 9.

Marc. 5.

Luc. 8.

Osiander hæreticus.

Marc. 2.

De tribus Christū sequi volentibus, hoc loco, quæ narrantur, quando acciderint.

Luc. 5.

Quæ Marcus, Lucasque iis diuersa commemorant.

quomodo accipienda sint. tum primùm accessisse. Quæ quoniam ab his duobus Euangelistis prius narrata fuerunt, ita Iairi accessum cum superioribus contexuerunt, quasi nullo intermedio hoc gestum fuisset. Adhæc videri potest, & ideo post transfretationem eos descripsisse Iairi accessum, eo quòd Iairus accesserit ad Christum circa mare existentem: non quidem eo die, quo post reditum à Gerasenis circa mare erat, sed alio quodam. Nam & Marcus iam dicturus est Dominum, cùm Matthæum inter eundem vocat rursus accessisse ad mare. Iairum enim ad Christum circa mare existentem accessisse, Marcus docet his verbis: *Et erat circa mare. Et ecce vir quidam de Archisynagogis.* Frustrà enim videtur illud positum, à Iairo circa mare inuentum. Quoniam ergo post reditum à Gerasenis Iairus Christum circa mare adijt, etsi non eadem die, qua venerat à Gerasenis: historiam quæ est de Iairo, duo Euangelistæ post reditum describunt, omissis his quæ in medio sunt gesta, quòd prius illa descripsissent.

Marc. 5.

His præmissis quæ ad ordinem historiæ spectant, & Euangelistas in speciem dissidentes conciliant, litera primum explicanda est; deinde etiam mysterium in illa inclusum pro tenuitate nostra explicandum. Ait igitur Matthæus: *Et ascendens Iesus in nauiculam, transfretauit.* Quia lacus ille enauigandus paruus erat, & non patitur naues magnas, ideò dicitur nauiculam ascendisse: & in Ioanne, vbi mētio fit nauis, semper Græcè dicitur nauicula. Quoniã enim in Christo erant duæ naturæ, diuina, & humana, opus erat vt non semper se proderet diuina: quia homo aliàs non crederetur, nec diuini incarnatio Verbi. Ergo etsi interdum opus esset indicare diuinam naturam, vt fecit frequentiùs, tamē debuit ostendere humanam: vnde vel post resurrectionem comedit, & bibit, non egens, vt veritatem corporis ostenderet.

Matth. 9. Quare Christus dicitur nauiculam ascendisse. *Ioan. 6.*

Quam naturam Christus frequentiùs indicauerit.

Luc. 24.

Quòd autem aliàs ambulauit super mare, ratione nō caret. Quia Dominus nauim non habebat, & ob discipulos in periculo laborantes signum edidit, & Petrum fecit ambulare super aquas, ne alij timerent, & ne impotens Iesus videretur. Hîc autē cùm haberet nauiculam, non erat caussa, vt discipuli sine naui traijcerent: & ne neophyti imperfecti, vt ait Paulus, glorientur, sicut illi qui dicebant: *Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo.*

Ioan. 21. Matth. 14. Cur interdum Christus supra mare ambulauerit.

1. Tim. 3. Luc. 10.

Transfretauit. Id est, de ripa in ripam transiuit, Græcè διεπέρασεν, id est, ad literam, transnauigauit, siue traiecit: ¶ *Et venit in ciuitatem suam.* Id est, Nazareth, vt exponit Hieronymus: quia ibi incarnatus, nutritus, & ibi habitauit post reditum de Ægypto vsque ad Baptismum. Sed falsum videtur hoc quibusdam: quia Marcus hoc miraculum in Capharnaum factum esse narrat. Neque dici potest, quòd primò venerit in Nazareth, & edito hoc signo accesserit Capharnaum: nam hoc violentum est, cùm in Marco dicatur quòd ingressus est Capharnaum: & cùm audissent, venerunt, & obtulerunt ei paralyticum. Ideo dicendum est cum Augustino, & Chrysostomo, quod hoc factum est in ciuitate Capharnaum. Quanquàm Augustinus putet Galilæam vniuersam fuisse ciuitatem Domini, & ita singulas Galilææ ciuitates: quod non recipitur. Nec est simile, quod affert de ciuitate Romana, eo quòd sit in Imperio Romano. Nam populus propterea dicitur Romanus, quia gaudet iure, & priuilegijs Romanæ vrbis: quod hic locum non habet.

Transfretare quid. *Hieronym. in Matt. tom. 9. Luc. 2.* *Infra 14. Marc. 2.* *Ibidem.*

Altera probabilior opinio. *Aug. lib. 2. de cōsen. Euang. cap. 25. tom 4. Chrysost. ho. 30. in Matth. tom. 2. August. loco prædicto.*

Dicitur autem Capharnaum ciuitas Christi: quia eam accepit Christus in habitationem suam firmam, quando cœpit publicè prædicare, aut signa edere: vnde Matthæus: *Et relicta*, inquit, *ciuitate Nazareth, venit, & habitauit in ciuitate Capharnaum maritima*: vbi multa signa edidit, adeò vt dicerent Nazareni: *Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* Christus ergo homo tres habuit patrias: Nazareth quidem cōceptionis, & educationis; Bethlehem, natiuitatis; Capharnaum verò, habitationis à tempore quo cœpit prædicare, & edere signa.

Capharnaum Christi ciuitas cur dicta. *Matth. 4.* *Luc 4.* Triplicem patriam habuit Christus. *Supra 1. Infra 4. Supra 2. Matth. 4.*

Antequàm autem intraret in ciuitatem, excepit eum turba, & erant omnes expectentes illum, vt docet Lucas. Et felices qui iusto desiderio expectant Christum, tùm propter eius doctrinam, tum propter eius virtutem, qua potuit dæmones effugare, & omnem morbum sanare. Et nos omnes Christiani expectare deberemus Christum venientem à dextera Patris ad iudicandum viuos, & mortuos, & reddendum singulis iuxta opera sua: de qua expectatione ait Paulus: *Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, et Saluatoris nostri Iesu Christi.* Et quoniã turba auidè expectauerat Christum, statim se obtulit occasio declarandi, cuius esset virtutis ille quem expectauerant, nimirùm qui vitæ & mortis haberet imperium. ¶ *Et ecce, offerebant ei paralyticum iacentem in lecto.* Ante hæc verba refert Marcus: *Et auditum est quòd in domo esset, & conuenerunt multi, ita vt non caperent neque ad ianuam. & loquebatur eis verbum.* Lucas autem ait: *Et ipse sedebat docens. Et erant Pharisæi sedentes,*

Luc. 8. Felices qui. *Matth. 16.* *Tit. 2.* *Hebr. 2. Marc. 2.* *Luc 5.*

dentes, & legis Doctores, qui venerant ex omni Castello Galilææ, & Iudææ, & Hierusalem: & virtus Domini erat ad sanandum eos. Quia Capharnaitæ plerunque reprehenduntur à Domino de ingrati animi vitio ad signa eius, & beneficia; propterea hic tantus concursus ad eum non tam erat ex amore Christi, aut fide verborum ipsius, sed magis ex eo quòd nouitati studebant, aut huc respiciebant, vt minus haberent infirmorum, animarum salutem negligentes. Sunt enim in Euangelio qui Christum videre desiderant, vt aliquid noui ab eo fieri videant, vt Herodes; alij vt ab infirmitate corporis tantùm liberentur; quo animo accesserunt illi nouem leprosi, qui non sunt reuersi, vt gratias agerent; alij sequebantur Christum, vt pane satiarentur: quos Dominus reprehẽdit. Hinc offerẽtem se Christo ad sequelam, respuit: volentem verò ire ad sepeliendum patrem vocauit: vt Lucas testatur. Et cùm turba multa quam pauerat, esset cum eo, ait illis: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidiè, & sequatur me.* Eodem teste Luca: *Ibant turbæ multæ cum eo: & conuersus dixit ad illos: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, &c. adhuc autem & animam suam; non potest meus esse discipulus.* Quasi diceret; Non omnis, qui me sequitur pedibus corporeis, verè meus est discipulus, nisi ille, qui renuntiatis omnibus humanis affectibus, ad eadẽ properet, ad quæ ego propero. Lucas hoc loco addit, Dominũ auditores non tantùm plebeios, sed Pharisæos omnium doctissimos habuisse: quanquàm parùm apud eos ipsorum vitio proficeret. Et Dominus voluit illos cum tãta multitudine adesse miraculo, quo minùs calumnijs expositũ esse posset.

Et subdit Marcus: *Et loquebatur eis verbum.* Nam etsi maior pars potissimùm propter miracula ad eum conflueret; prius tamen doctrinæ Dominus incumbebat. Deinde ægrotos sanabat, docens prius habendam rationem animorum, posterius corporum: & insinuans se præcipuè venisse ad docendum, deinde ad signis doctrinam confirmandam. ¶ *Et virtus Domini erat ad sanandum eos.* Semper virtus Domini erat ad sanandum, sed tunc profusè illam exercebat, omnes cum fide accedentes sanãdo: & multò maior virtus Domini erat ad sanandas animas. Subdit Matthæus, quòd offerebant illi paralyticum iacentem in lecto. Marcus addit quòd portabatur à quatuor: quia erat vniuersalis paralysis serpens per totius corporis membra. Paralyticus iste, secundùm Chrysosto. alius est ab illo, cuius meminit Ioannes sanato ad probaticã piscinam: quia ille in Hierusalẽ sanatus est, hic in Capharnaũ: ille hominem non habebat, hic à quatuor portabatur. Ille nõ credebat vt iste, cui dictũ est: *Confide fili.* Paralysis est dissolutio membrorum, per quam impeditur trãsitus spirituum ad sensum instrumenta. Quæ alio nomine dicitur hemiplexia, quia hominem non totum corripit, sed in alteram tantum hominis partem malũ incumbit: cùm verò totum corpus apprehẽdit, dicitur applexia, quæ hominem statim extinguit, illa verò diutiùs torquet. Vnde paralyticus, de quo Ioannes, triginta & octo annos habebat in infirmitate. *Nũc vtrumq;* (inquit Cornel. Cels.) *paralysim vocari video.* Ait autem: *Ecce*, quasi inopinatum quid, & repẽtinum, non quidem Christo, qui eò venerat, vt faceret quod petitum est, sed respectu astantium nil tale cogitantium. Et baiuli vidẽtur benè de Christo sensisse, & fidem erga eum habuisse, & dilectionem erga proximũ. Et istorum est aliorum infirmitates portare, vt docet Apostolus: quemadmodum & in Sodomis decem viri inuenti seruassent ciuitatem. Subdit Lucas: *Et quærebant eum inferre, et ponere ante eum. Et nõ inuenientes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, & per tegulas submiserunt eum* (intellige cum funibus) *cum lecto in medium ante Iesum.* Considera prudentiam, & fidem baiulorũ, & ardens iuuandi studium. Nam in tectum scalis ascendentes, & infirmum cum grabato erigentes, tectum denudarunt, & perfoderunt: neque fieri potuit, si humanitùs rem pensemus, quin & denudatione, perfossioneve tecti, aut lapides, aut ligna, aut quid simile in auditores caderent. Dices; Cur non expectabant finẽ concionis? Quia sciebant Dominum vndique à multis appellari, nec quoquam procedere nisi densissima stipatũ turba; se verò pro sua sarcina parùm expeditos ad consequendum, aut per turbam penetrãdum ad Iesum. Demisso ergo cum suo grabato ad pedes Iesu pẽsili paralytico, nõ indignabatur sermonem suum tam funesto interrũpi spectaculo. Non exprobrat impudentiam, & importunitatem baiulorum: nõ exprobrat imperfectam fidem erga se, quasi absentem absens sanare nõ posset, vt fecit cum alijs interdum. Sed audi quid dicat Euangelista: *Videns Iesus fidem illorum.* Non tãtùm baiulorum, vt Hieronymus exponit, sed etiam ipsius paralytici, & baiulorum, vt rectè enarrat Chrysostomus: Nec enim illi dictum fuisset: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua,* vt ille ait, nisi credidisset. Adhęc etsi corporalis sanitas conferri alicui possit à Deo, & collata sit quãdoq; à Christo alienæ fidei intuitu; tamen spiritualis

Capharnaitæ quo fere animo ad Christũ accurrerent.

Eorum imitatores qui. *Luc 23. Supra 17.*

Ioan. 6.

Luc. 9. Ibidem.

Ibidem.

Infra 14.

Verus Christi discipulus quinam sit.

Qui parum, aut nihil proficerent ex doctrina Christi.

Quare Christus doceret prius, quàm ægrotos curaret.

Virtus Domini quos potissimum erat ad sanandum.

Hunc paralyticum ab illo Ioan. 5. alium esse ac diuersum.

Chrysost. hom. 30 in Matth. tom. 2.

Paralysis quid. *Ioan. 5.*

Hemiplexia paralysis quæ sit, & item applexia.

Cornel. Cels.

Quorum sit alienas infirmitates portare.

Rom. 15. Genes. 18.

Baiulorum portantium paralyticum fides charitas, & prudentia singularis.

Cur illi paralyticum Christo sanandum ante finem concionis obtulerint.

Quid in eis Christus dissimulauerit.

Ioan. 4. Hieronym. in Matt. tom 9. Chrysost. loco supradicto.

Fides aliena quam alicui impetrare valeat.

sanitatem tantummodò.

ritualis sanitas, quæ in peccatorum remissione consistit, sine propria fide in adultis, accipi nō potest. Quod ergo à quibusdam dicitur, fidem alienam saluare aliquem: si de sanitate corporea intelligatur, scrupulum non habet, quia fides aliena impetrat à Deo sanitatem alicui sine eius qui sanatur fide. Secùs si de sanitate mētis in adultis loquamur, nisi vel quia impetrat à Deo fidem qua saluatur: quomodo quidam docent cum Augustino, Stephanum Paulo fidem impetrasse, vt ex lupo fieret ouis, & ex persecutore Apostolus: vel quia alienæ fidei intuitu Deus alicui eam confert gratiā, quam eidem aliàs non erat collaturus ob fidem imperfectam, vel vitæ demeritum. Et ita intellige illud Ambrosij super hunc locum: *Magnus Dominus, qui aliorum merito ignoscit alijs: & dum alios probat, alijs relaxat errata. Cur apud te homo collega non valeat; cùm apud Deum seruus & interueniendi meritum, & ius habeat impetrandi?* Nam hæc verba, & similes Patrum sententiæ sunt intelligendæ de fide aliena peccatorum remissionem impetrante, non exclusa eius pro quo supplicatur fide, vt verba sequētia apud Ambrosium indicant: *Disce, qui æger es, impetrare. Si gratiam peccatorum diffidis veniam; adhibe peccatores, adhibe Ecclesiam, quæ pro te precatur, cuius contemplatione quod tibi Dominus negare posset, ignoscit.* Hæc ille.

Quomodo verum sit, fidē alienam saluare aliquem velut quidam opinantur.

Aug. ser. 74. De tēpo. to. 10.

Ambro. lib. 5. in Lucā to. 5.

Idem.

Nihil autem rogant baiuli, nihil ipse paralyticus, cui morbus linguæ etiam vsum ademerat: sed hoc magis loquebatur medico, quia alloqui eum non poterat, imò ipsa miseria pro misero loquebatur. Perspecta illorum admirabili fide plus præstitit, quàm expectabant: illi enim desiderabant vt paralyticus à corporis morbo liberaretur; at Iesus ostēdit esse diuinius, ac magis expetēdū liberari à morbis animi, quàm corporis.

Quid pro paralytico tantùm Christo loqueretur.

Sanitas homini quę à Christo expetenda, & petenda magis.

Dixit paralytico, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Vbi aduerte, quòd cùm Christus se permiserit à Gerasenis expelli, docuit nos inuitis nō esse gratiam Euangelij obtrudēdam: vnde Apostolis præcepit, vt si persequerentur eos in vna ciuitate, fugerent in aliam. Hîc verò fide compellitur Dominus ad signum edendum, vt intelligas verum illud esse: *Regnum cœlorum vim patitur, & violēti rapiunt illud.* Vidit autem nō tantùm fidem baiulorum, sed etiam ipsius infirmi, sine cuius consensu, & votis ac fiducia se ad Christum adduci non permisisset, vt est rationi consentaneum, & illum Dominus vocauit filium: confidebat enim Christi potestate, & bonitate; quòd se sanaret.

Matth. 8. In eo quod Dominus se à Gerasenis expelli permisit, quid docuerit nos.

Infra 10.
Infra 11.

Dubitari posset, cur potius dicitur vidisse fidem illorum, quàm aut infirmi patientiam, & miseriam, aut baiulorum in proximum charitatem? Dicēdum est, gratissima fuisse offerentium officia, & charitatem, & ægri patientiam, cuius etiam miseria Dominum ad misericordiam inflexit: fidei tamen tribuitur sanitas corporis & animæ ægro isti collata, non tantùm ad fidei commendationem erga Christum, sed quòd fidei sit proprium id impetrare, & consequi quod credit, & sperat. Hinc frequens illa vox in Euangelio: *Fides tua te saluam fecit;* &, *Vade, & sicut credidisti fiat tibi:* & similia: vbi fides nō tantùm pro firmo assensu, & credulitate potentiæ Dei per Christū signa edentis accipitur, sed pro spe, siue fiducia illi credulitati coniuncta. Qua de bonitate Dei, vel Christi benè animati omnia nos adipisci posse nobis persuademus. Ideo cùm laudatur à Domino fides Centurionis; non tam laudatur fiducia in Christum collocata, quàm firma existimatio quòd absens posset sanare seruum suum. Alibi etiam Dominus duobus cæcis dixit: *Creditis quia hoc possum facere vobis?* Et illis dicentibus; Vtique, Domine: respondit; *Secundùm fidem vestram* (id est, credulitatem, & firmam persuasionem potentiæ Christi) *fiat vobis.* Nec enim ad fiduciam propriè spectat credere quod Christus possit cęcos illuminare. Cùm ergo fidei in Euangelio salus, aut donorum quæ volumus tribuitur adeptio; pro assensu illo firmo in credendis de Deo, & Christo, & pro fiducia simul in omnipotenti Dei bonitate concepta fides capitur: etsi in quibusdam locis magis ad credulitatem illam firmam, in alijs verò magis ad fiduciam haberi videatur respectus. Nec tamen fiducia aliquid impetrat à Deo sine credulitate, nec credulitas sine fiducia. Hi ergo magnam de Christi potentia simul, & de bonitate cōceperant opinionem, ob quam tantum laboris & molestię subierant in adferēdo infirmo, & ante oculos Christi proponendo.

Cur potiùs Dominus dicatur illorum fidem vidisse, quàm aut ægri patiētiam, aut baiulorū charitatem.

Proprium fidei quid.

Luc 7.
Matth. 8.
Infra 9.
Infra 15.
Cùm dicitur Fides tua te saluam fecit, quid fidei appellatione veniat.
Matth. 8.

Infra 9.

Fiducia & credulitas ad impetrandum aliquid à Deo necessariò sequiruntur.

Quòd si rursus vrgeas, cur fidei illorum remissio peccatorum tribuitur; cùm sit verisimile eos de illa impetranda nihil solicitos fuisse, nihilque cogitasse? Dicendum est, vel Euangelistas voluisse significare remisisse huic peccata propter fidem illorum; sed cùm conferret optatam sanitatem corporis, pro auctario addidisse etiam peccatorum remissionem; vel tam in ægro isto, quàm in offerentibus fuisse implicitam fidem de remissione peccatorū consequenda, etiamsi nil de ea actu cogitarent: eo quòd crederent, Dominum posse cuncta sanitatis corporalis impedimenta tollere, inter quæ erant peccata, & crederent

Cur fidei illorum remissio peccatorum tribuitur; de qua tamen illos verisimile est nil fuisse solicitos.

Vt viderit Christus fidē portantiū paralyticum.

rent in eum vt Messiam, & Saluatorem hominum à peccatis eorum.

Matth. 1. & 1. Tim. 4.

Sed redeo ad textum. Vidit Christus, nō tantùm oculis Deitatis corda nostra penetrantibus? nam scrutans corda, & renes Deus; Et, *Omnia sunt nuda, & aperta oculis eius*: sed etiam oculis animæ sanctissimæ. Quia si Prophetæ ornati erant à Deo illo munere, vt viderent aliorum corda, vt Helisæus vidit Giezi: quantò magis Christus, ad cuius Sacrosanctum conspectum, siue ad cuius sacrificium, quod in Missa celebratur, cauendum est, ne spurcis & impuris cogitationibus accedamus, quibus non solùm Dei, sed etiam animæ Christi oculos ex parte nostra offendamus? Non tantùm ergo oculis Deitatis, & animę beatæ vidit fidem illorũ, sed etiam oculis corporis: non quòd illis oculis fides possit in seipsa cerni, sed in operibus se prodentem videbat. Nam non valentes ingredi per ostium, ascenderunt in tectum, & per illud denudatum tegulis, cum funibus paralyticum submiserunt: tam certa, & magna erat eorum fides, Christum posse, & velle sanare. Si quis vellet obtinere audientiam à Principe, & cùm non posset, ingrederetur per tectum ablatis tegulis, iudicaretur hic actus stultus, & arrogantiæ plenus, merereturque grauem repulsam à Principe. Secùs est apud Deum, qui non habet pro superbo, quod mundus iudicat superbum: quia significant vim & efficaciam fidei desiderantis sanitatem, quam vlla res impedire non valuit. Vidit ergo illorum fidem viuam, plenamque charitate, & paralytici commiseratione refertam in effectis suis: & visu suo Christus acceptauit hāc fidem, vt rem gratā, quemadmodum olim respexit ad Abel, & ad munera eius, & respexit ad humilitatem ancillæ suæ. Instruimur etiam hoc loco magnificare merita, & suffragia, siue preces aliorum pro nobis, quæ tùm ad animæ, tùm corporis incolumitatem impetrandam iuuant; vt & tu confidenter pro alijs orare non cesses. Non enim tantùm possumus sanitatem, & vitam peccanti peccatum non ad mortem, precibus nostris obtinere, atque alios nostro exemplo iuuare, sed etiam pro alijs satisfacere, iuxta illud; *Alter alterius onera portate; & sic adimplebitis legem Christi*: & alibi, *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore eius quod est Ecclesia*. Nec tantùm his modis iuuamus viuentes, sed etiam defunctis in Christo, & in purgatorio detentis suffragamur. Prodest etiam alijs fides nostra: ait enim in hūc locum Petrus Chrysologus: *Quantum valet apud Deum fides propria, apud quem sic valet aliena? Audit veniam, & tacet paralyticus, nec vllam respondet gratiam, quia plus corporis, quàm animæ tendebat ad curam*. Et infrà. *Meritò Christus offerentium fidem respicit, & vecordiam respicit sic iacentis; vt fidei alienæ suffragio paralytici anima antè curaretur, quàm corpus. Neque id mirum: nam Archisynagogo, cui nunciata est mors filiæ, dixit; Noli timere, tantummodo crede: & patri dæmoniaci ait; Si potes credere; omnia possibilia sunt credenti: ita hic videt fidem baiulorum, & subuenit paralytico. Et quia articulum Fidei nostræ considerauit, qui est de communione Sanctorum, dubitare quisquam non potest, quin aliena fides non omninò sit infrugifera*. Sic ille. Fides non potest miraculo obtinere sanitatem animæ; disponit tamen, quia Deus sine ea non saluat: sanitas tamen corporis, quæ est extrinsecum bonum, potest sine fide infirmi per aliorum fidem concedi. Remissio peccati in paruulo, quia non fit per actum proprium fidei, nec habet infidelitatem positiuam, ob fidem Ecclesiæ fieri potest: in adulto non potest, nisi credat articulos Fidei, qui proponuntur: tum quia habet interdum infidelitatem inductam actu proprio, ideo debet consentire Deo eam sibi tollenti; tum quia si aliàs inuitùs crederet, tolleretur libertas arbitrij. Non potest ergo remissio fieri in eo sine fide Theologica, id est, credente, nec sine certa fiducia de remissione sibi facienda. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur, vt ait frater Domini; & indignus qui obtineat quicquam. Aliàs infideles sic manentes, quia Ecclesia pro eis orat, saluarentur. Fides autem aliena disponit, vt Deus largiatur propriam: & contritio peccati aliena, vt donet contritionem propriam.

Confide fili. Verba blandi medici: id est, habe fidem, & bono animo esto, sperans te consecuturum quod optas: & remittetur tibi peccatum, ob quod in morbum hunc incidisti. Et habuit fidem viuam: quia verba Christi erant in arguenda fide efficacia. Confide ergo: quia alij pro te orant, & ego tum te, tum alios excito ad fidem: quemadmodum medicus ablatis malis humoribus ait, Tu es sanatus. Dominus ergo, qui perspiciebat intima cordium, vidit hominem magis ægrotare animo, quàm corpore: primùm itaque interiorem hominem à peccatis liberat. Filium vocat; non tantùm creatione, sed gratia: nam & peccatoribus præcipitur dicere, *Pater noster*. Lucas ait, *Homo*, confide scilicet: & vtrumque Dominus dixit, vt sciret quid esset ex Dei gratia, hoc est, filius, & quid ex natura sua, nempè homo. Et hominem vocauit, vt desi-

Marginal notes:

Psalm. 7. & Ierem. 11.
Hebr. 4.
4. Reg. 5.
Fides oculis cernatur quibus.
Mira Christi humanitas, & patientia erga homines.
Qualis illorū fides paralytici baiulorum, & quanta, & quid doceat nos
Genes. 4.
Luc. 1.
Aliorum pro nobis preces & satisfagia quid conferant.
1. Ioan. 5.
Gal. 6.
Coloss. 1.
Quemadmodum & alijs fides nostra sit vtilis, teste Chrysologo.
Petrus Chrysolog. ser. 50.
Luc. 8.
Marc. 9.
Aliena fides cur paruulo remissionem peccati obtinere possit, nō autem adulto sine propria.
Iacob. 1.
Aliena fides non credenti quid conferat
Quid significet Dominus hoc verbo: Confide fili.
Paralyticum Dominus cur vocet filium, ac deinde hominem.
Matth. 6.

vt designaret peccatorem: sed quia tendentem ad sanitatem; propterea Matthęus vocat filium. Et fides, & gratia, natura praecedunt peccati remissionem. In sanandis autem corporum infirmitatibus, vel arreptitijs secundùm Chrysostomum, non indigebat actu fidei, quem habere non poterant infirmi, & obsessi prae dolore morbi, aut vexationis daemonum: secùs in remissione peccati. Et sicut exteriùs loquebatur: Confide fili; ita interiùs operabatur confidentiam. Quasi diceret; Si es filius, & ego do tibi maiora, id est, gratiam, & gloriam; quomodo negabo minora, id est, corporis sanitatem.

Quare ab infirmis, & arreptitijs actum fidei non exigeret.
Chrysost. ho. 30 in Matth.

Remittuntur tibi peccata tua. Graecè imperatiuè dicitur, remittantur, vt quidam cum Erasmo docent, ἀφίωνται, id est, remissa sunto, vel remittantur. Et non est verbum humilitatis gratia in tertia persona dictum, vt quidam volunt, & Abulensis docet, quia volebat de se intelligi; sed verbum maiestatis, quia reuerà loquebatur cum imperio, vt, *Lazare, veni foras*: & infrà huic paralytico ait: *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam*: Et sicut Papa dicit, *Fiat*, ad ostensionem potestatis sibi à Christo datae. Sed certè, vt alij probabilius docent, ἀφίωνται Graecis est Atticum *praeteritum perfectum pro ἀφεῖνται: ideo magis vertendum erat, Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua.

Huius dicti: Remittuntur tibi peccata tua, varia interpretatio.
Erasmus.
Incongruus sensus reijcitur.
Abulens. in Matth q 24 in c 9. Matt.
Ioan. 11.
Aptior interpretatio proponitur.

Maior etiam congruentia verborum inuicem inuenitur, si legamus, *Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua*, quàm si dicatur: *Confide, remittantur, &c.* cùm videatur reddi ratio quare confidere debeat: sicut cùm infrà dicitur haemorrhoyssae: *Confide filia, fides tua te saluam fecit*: & de peccatricis remissione apud Lucam dicitur: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Non enim aptus esset sensus post tot enumerata mulieris erga Dominum officia dicere, Remittantur, sed remittuntur, vel remissa sunt: & probabile est Euangelistas in hoc & illo loco verbo praeteriti temporis abusos pro praesenti, vt accepit interpres noster. Vnde postquàm dixit, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum,* subditur de praesenti: *Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Remisit ergo Christus peccata paralytico: quia Christus dedit ei dolorem de peccatis, & propositum emendandi vitam. Nam etsi peccatum originale pueri contractum aliena voluntate Dominus propter aliorum fidem condonet: adulto tamen praeter originale crimẽ, habenti etiam peccatum personale nõ parcit, nisi propria fide credat, & de peccatis

Marc. 9.
Luc. 7.
Quare Christus remiserit peccata paralytico.
Qua lege idẽ adulto remittat peccata.

doleat, & Baptismi Sacramentum suscipiat: adulto autem iam baptizato non remittitur peccatum, nisi illud confiteatur, ac de illo satisfacere proponat. Atque hoc secundùm communem ordinem, & legem: nam aliquando in caussa remittit sine satisfactione, & confessione: nam Dei virtus Sacramentis non est alligata, vt cum isto fecit, & alijs quibusdam. Aliter est de nobis cogitandum. Nec enim par est, aut rationi consonum, vt ministri ipsi Regi in potestate, & legum dispensatione aequiparentur: quare priuilegia paucorum non sunt in consequentiam trahenda. Remisit ergo peccata sine confessione, quae nondum instituta erat, ac proinde minimè obligabat; & quia Dominus non egebat confessione, qui nouerat corda. Minister autem, siue Sacerdos, ignorat quid sit in corde hominis: quare etsi videat contritum, & dolentem de peccato; quod confessio ipsa indicat; non deberet tamen absoluere nisi confitentem. Satisfactio etiam, quae iuris naturalis est, potest per actum alterius suppleri; sed non dolor ipse pro delictis, aut propositum vitandi peccata: Ideo dicebat: *Noli amplius peccare.* Dolor autem, & satisfaciendi propositum, de iure diuino sunt & naturali, ipsa vera confessio, sicut & impositio satisfactionis de iure diuino positiuo sunt, cùm sint partes Sacramenti Pęnitentiae: tempus autem confessionis, de iure humano positiuo est: ideo Christus non imponebat poenitentiam. Christus autem hoc verbum pronuntiauit; in primis, vt haberet occasionem ostendendi se Deum, & Saluatorem, non ad innuendum tantùm quòd ille peccasset: quia alijs interdum non dicebat de peccatis quicquam: nec quòd sanabat totum hominem. Quia illud Ioannis cap. 7. quando hominem totum sanum fecit in Sabbato; de varijs aegritudinibus debet accipi, vt Euthymius interpretatur: & quibusdam remittit peccata, quos non curat, & è conuerso. Deinde vt admoneret ex peccatis oriri morbos, vt Paulus ait, cùm inquit per vnum hominem peccatum intrasse in hunc mundum, & per peccatum mortem: & Ecclesia admonet in oratione, cùm ait: *Quia nulla ei nocebit aduersitas, si nulla ei dominetur iniquitas.*

Dei virtus in remittendo eius solius propria.
Priuilegia paucorum non sunt in consequentiam trahenda.
Sacerdos Dei minister quẽ debet tantùm poenitentem absoluere.
Ioan. 5.
Infra 8.
In Sacramento Poenitentię quid de iure Diuino sit, quid verò de humano.
Quare Dominus paralytico dixerit: Remittuntur tibi peccata tua.
Euthym. c. 9. in Ioan.
Secunda ratio & morbi vnde oriantur.
Rom. 5.

Errant ergo, qui semper caussas morborum nostrorum ad naturalia referunt, cùm maximè à peccatis oriantur. Ideo ait Christus, *Remittantur*; id est, Volo priùs auferre causam infirmitatis, & posteà sanare. Ideo etiam medici debent priùs animae salutem, quàm corporis curare, quemadmodum

De eorum origine, quorundam falsa opinio.
Christianorũ medicorum officium, & cura praecipua.

modum lege Ecclesiastica tenentur, capite *Cùm infirmitas corporalis*. De pœnitentijs, & remissionibus. Tertiò, priùs dedit sanitatem animę, ne illa corporis, manens in peccato abuteretur. Quartò, vt doceat liberalitatem Domini, qui præstat superabundantiùs quàm petimus, aut intelligimus. Nam vt liberalis esset, qui petenti denarium, exhiberet aureum; ita largus est, qui petenti sanitatem corporis, illam etiam animæ præstat. Postremò, vt doceat quanto plus referat curare animam, quàm corpus, & quàm peius sit peccatum omni infirmitate: etsi modò ad leuandum corporis morbum multa peccata admittantur, & fides ipsa interdum abijciatur confugiendo ad dæmones, & ad maleficos, qui soluant maleficium, aut morbum propellent.

Tertia ratio.

Quarta ratio. *Ephes. 3.*

Quinta & postrema.

Et ecce, quidam de Scribis dixerunt intra se, Hic blasphemat. Marcus, & Lucas addunt: *Erant autem illic quidam de Scribis sedentes, & cogitantes in cordibus suis, Quid hic sic loquitur? blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Quemadmodum ex petra, & ex ferro excutitur scintilla ignis; ita lux veritatis ex dictis & factis Christi in calumniam ab hostibus suis vocatur. Et Scriba, sapiens est, sapientia autem Iudæis data, lex erat, vt est in libro Deuteronomij: ideo Scribæ, sunt legis Doctores, quos nominat Matthæus, licèt etiam similiter adessent Pharisæi, vt ait Lucas: nam dubium hoc, scilicet an solus Deus possit remittere peccata, pertinet ad solos sapientes: quia hoc tantùm per legem, & rationem naturalem sciri potest. Ideo si insipientes id dicerent, non erat caussa signi, quia contemnerentur, vt ignorãtes: secùs sapientes, quibus populus credebat.

Marc. 5. *Luc. 5.*

Quomodo Scribę Christi verba ad malũ traherent.

Deut. 4. Scribæ qui apud Iudæos olim.

Dixerunt autem intra se, non extra: vel ob plebis timorem, vel quia locus erat interpretandi verba Christi, & agebatur de capite, si esset blasphemia, id est, si vsurpasset quod Dei est. Est enim blasphemia in genere, omnis maledicentia, & non solùm in Deum, sed etiam in homines. Vnde Apostolus: *Blasphemamur, & obsecramus.* Et rursus, *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia.* Propriè autem est, vel tollere Deo quod eius est; vel attribuere illi quod non habet; vel quod eius est proprium, communicare creaturæ. Ideo Christus eos præuenit, tùm vt se Deum ostenderet, tùm vt se posse remittere peccata indicaret, tùm vt populi scandalum compesceret. Et si isti non vidissent alia Christi signa, & animo bono venissent ad audiendum verbum

Cur Scribę intra se dicerẽt, non extra, Hic blasphemat. Blasphemia, in genere quid sit.

1. Corinth. 4. *Ephes. 4.* Blasphemia propriè quid.

Quare Christus præuenit Scribas illos, dicendo: Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris, &c.

Dei, poterant sine peccato pro zelo legis hæc cogitare: & si falsa essent, & instructi posteà cùm essent, cessasset eorum admiratio. Dixerunt ergo, *Quis potest remittere peccata, nisi solus Deus?* Et, *Hic blasphemat*, vsurpando sibi quod proprium est Dei. Vbi vnum verum, & alterum falsum dicebant: verum enim erat, quod remittere peccata, ex autoritate ad solum Deum spectabat, atq; illa potestate, & imperio vsus est Christus, cùm dixit: *Remittuntur tibi peccata tua*: Non dicebat, vt Propheta: *Ego rogaui vt dimittatur peccatum tuum*: quia si ita dixisset, non se ostendisset Deum, cùm per Esaiam dicat: *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me.* Et Iudæi occasionem habebant hoc dicendi, quia nulli homini eiusmodi potestatem remittendi peccata aliquando concessam in Scripturis legerant. Et hoc est proprium Noui Testamenti vbi dicitur: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Falsum verò alterũ erat, quòd Christus non esset Deus, sed fabri filius, aut peccator. Verùm quemadmodum edere miracula, soli Deo tribuitur, de quo Propheta; *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus*: & tamen hanc potestatem videbant Christo esse communicatam; ita etiam de potestate remittendi peccata debebant cogitare, non obstantibus Scripturis, quę soli Deo illam tribuunt. Accedit, quòd in Scripturis Veteris Testamẽti passim per Christum peccatorum remissio promittitur, & Ioannes Baptista prædicauerat: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: Ergo malitia Pharisaica ex Scripturis captabat occasionem calumniandi: cùm tamen vulgus simplex nihil sinistrum de Domino cogitauerit. Quia simplicitas impedire solet, quominùs quis sit ad calumniandum propensus; Sapientia verò cum superbia coniuncta, facilem ad hoc vitium reddit.

Cur Dominus non ait? Rogo vt dimittatur peccatũ tuum, sed, Remittũtur tibi peccata tua.

Esa. 43.

Proprium Noui Testamenti quid. *Matth. 18.* *& Ioan. 20.* *Matth. 13.* *Ioan. 9.* *Psalm. 71.*

Ioan. 1. Scribæ, & Pharisæi duplices animo & mente maligna.

Et cùm vidisset Iesus cogitationes eorum: Marcus addit, *Spiritu suo*, non spiritu alieno, vt Prophetæ sæpè non suo spiritu, sed Diuino, quorundam cogitationes cognoscunt; Christus autem non alio, quàm suo spiritu, id est, anima non alligata, vt intelligeret omnia per sensus, nempè conuertendo se ad phantasmata (quemadmodum nec anima separata) & cogitatus præsentes videbat. Quum ergo vidisset cogitationes illorum, ac si diceret: Verè nullus potest remittere peccata, nisi vnus, qui intuetur cogitationes omnium. Eadem enim maiestate & virtute, qua vestras intueor cogitationes, possum remittere peccata. Vnde de Deo scribitur: *Tu solus nosti corda filiorum hominum*: Et, *Scrutans corda, & renes Deus*; rursus: *Homo*

Quo Spiritu Christus viderit cogitationes eorum.

Proprium solius Dei quid.

2. Paral. 6. *Psalm. 7. &*

videt

...rem.11. ...Reg.16.

videt ea quæ patent: Dominus autem intuetur cor. Et maius est videre cogitationes illorum, vt ait Matthæus, quàm cognoscere, vt aiũt Marcus, & Lucas. Quia cognoscere possumus aliorum cogitationes, ipsis nobis eas detegentibus: at videre, proprium diuinitatis est intima cordium penetrantis.

Videre, quàm cognoscere aliorum cogitationes est ...u stantius. Scribæ, & Pharisæi, quid de Christo cogitare debuerint: eorum inuidia, & nequitia.

Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? Cogebantur enim ex signis credere, illum esse Deum, vel saltem oppositum non definire. Offendebantur præ inuidia, & malitia, nam frequenter eum viderant etiam cum autoritate morbos fugantem, dæmones eijcientem, vento, mariq́ue imperantem, & hæc omnia modo humanas vires superante factitantem.

Quid est facilius dicere, Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, Surge & ambula? Primum quædam circa literam statuenda, deinde triplex quæstio hoc ioco examinanda occurrit. Perpēde igitur illa aduerbia, vtrum est facilius, vel, Quid est facilius, Græcè haberi, τὶ γάρ ἐςιν εὐκοπώτερον. id est, cur, vel quare est facilius dicere: Græcæ enim linguæ periti fatentur, aduerbium τὶ cum accentu graui significare non vtrùm, sed cur, quare, quamobrem, & aliquid indefinitum: & idem seruatur in τὶς communis generis, pro o quod est quidam, vel aliquis indefinitus homo: Tί verò, & τίς cum accentu acuto significare quid & quis interrogatiuè, & hęc est certa differentia apud eruditos, licèt interdum hæc cōfundi soleant, vel lapsu, vel inscitia scriptorum. Cæterùm in his omnibus locis Matth.8. *Quid timidi estis,* & cap. 16. *Quid cogitatis inter vos modicæ fidei, quia panes non habetis?* Et Marci 5. *Quid vltra vexas Magistrum?* Et rursus eodem loco, *Quid turbamini, & ploratis?* Er cap.10. *Quid me dicis bonum?* Et Luc.6. *Quid facitis quod non licet in Sabbatis?* Ibidem: *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui?* & paulò post: *Quid autem vocatis me Domine, Domine, &c.* Et cap.12. *Si ergo neque quod minimum est potestis? quid de cæteris soliciti estis?* Ioan.12. *Quid autem & à vobis ipsis non iudicatis quod iustum est?* quid exponendum est pro quare, vel cur, & τὶ legendum Græcè, non τί, sicut etiam Ioan. 20. *Mulier quid ploras?* id est, Cur ploras? & Paulus Roman.14. *Tu autem quid iudicas fratrem tuum?* & 1. ad Corinth. 10. *Quid blasphemor, pro eo quod gratias ago?* Id est, cur blasphemus habeor? Ita hoc loco congruebat verti, Quid est facilius dicere (vt Marcus, & Lucas habent) vel, cur enim est facilius dicere, vt expresse Matthæus loquitur, reddit enim rationem cur cogitarent mala in cordibus suis: Cur, inquit, me vt blasphemum habetis in cordibus vestris, eo quod dixi, Fili, remittuntur tibi peccata tua? Malè ergò cogitabant Scribę, nec se verum Deum, sed purum, & vilem homuncionem, & filium fabri, etsi spiritu prophetiæ insignitũ, existimabant. Idcircò cupiens se ab eis verum & naturalem Dei Filium haberi, & intelligi, bis interrogando dixit, vt eorũ corda ad accipiendam veritatem illustraret, & excitaret: *Vt quid vos cogitatis mala,* id est, Quamobrem malum cogitatis, vbi bonũ cogitandum erat? Et deinde: Quare enim est faciliùs dicere, Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, Surge, & ambula, vt vobis videtur, nisi ne me Filium Dei confiteri cogamini, & detis gloriam Deo, & seruemini? Sed nec cùm sic intelligerēt, insequentia addidit verba: *Vt autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata:* id est, Vt agnoscatis me non vti cæteros puros homines iactare potestatem quā non habeo, sed vera remittendi peccata facultate præditum esse (tunc ait paralytico) *Surge, tolle lectum tuum, & ambula.* Hæc est apta, & certa verborum Christi consequentia, & contextura.

Ioan.12.

Ibidem.

Matth.13. & Ioan.6.

Cur Dominus hoc loco bis Scribas interrogauerit.

Iam ad quæstiones huius loci resoluendas, est vendendum, quas inter prima sit, cur non per Scripturas, se posse remittere peccata comprobauerit, vel testimonio Ioannes qui dixit: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Respondemus, potuisse quidem Dominum Scripturę testimonia producere, at noluisse, quia nihil proprerea apud illos profecisset; dixissent enim: Quid ad te de Scripturis illis pertinet? ad nostrũ Messiam, non ad te fabri filium, & peccatorem illæ pertinent: etiamsi Ioanni non ausi fuerint se opponere ob autoritatem eius. Ideò opus erat miraculo probare quòd ad se pertinerent, & ita breuius iter fuit hoc probare miraculo.

Quare potestatem se habere remittendi peccata, ex Scripturis nō Christus, cùm posset, demonstrauerit. Ioan.1.

Altera quæstio est, Cur non apertè, & disertis verbis dixit se esse Deum? ad quod plures, & optimæ suppetunt rationes. In primis sanè Iudæi eum lapidare tentassent id dicentem: quia minus erat dicere, *Eamus & seruiamus dijs alienis.* quòd qui dixisset, Deuteronomij lege damnatus perire lapidibus debebat. Minus etiā erat dicere: *Antequàm Abraham fieret, ego sum:* & tamen poterat esse Henoch, qui fuit ante Abraham: & nihilominus huius rei gratia illum lapidassent, nisi clàm se subduxisset. Item quādo dixit: *Oues meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me meæ, & ego vitam æternam do eis, &c.* Sustulerunt lapides Iudæi vt lapidarent eum. Minus etiam erat quod dixit apud Matthæum: *Amodò videbitis Filiũ hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem*

Cur idem nō apertè Deum se esse dixerit. Ratio prima.

Deut.13.

Ioan.8.

Gen.5.

Ioan.8.

Infra 10.

Matth.26.

vt occaſionem haberent petendi, vt permitteretur ingreſſus in porcos.

Extra quam regionem dæmones petierint vt non mitterentur. Marc. 5.

Quibus rebus dæmones delectentur.

Petierunt præterea, vt habetur in Marco, ne irent extra regionem, ſcilicet illam, non mundum inhabitatum, vt quidam interpretantur. Nam vt varij dæmones varijs delectantur peccatis, & ad tentandum de diuerſis vitijs deſtinantur: ita ſanè hinc apparet affectus dæmonũ eſſe ad diuerſas regiones. Nam ſicut diuerſis ſunt patrijs tutelares genij, & Angeli, quos ſpeciatim iuuat ſuæ regioni beneficos eſſe: ita etiam dæmonibus certæ regiones vexandæ permittuntur, in quibus aut mores hominum magis habẽt perſpectos, aut vbi maior eſt nocendi ſpes, & occaſio, aut vbi ad tentãdum peculiariter ſunt deſtinati: tùm vt illud euitarent, ne retruderentur in abyſſum; tùm ne mitterentur in porcos; tùm ne mitterentur in deſertum, vbi nõ poſſent nocere: quemadmodum Aſmodeus, qui tẽtabat de luxuria, & occidebat viros, dicitur ab Angelo Raphaële relegatus in deſerto ſuperioris Ægypti; vt ibi alligatus non poſſet nocere Tobiæ iuniori in die nuptiarum. Et quia Deus ob peccata hominum dabat dæmonibus poteſtatem magnam in regione illa, & fortè in ea colebantur, quia erant in ea Gentiles, & Samaritani; ſecùs in alia regione Iudæorum: & vt commodè poſſent petere ingreſſum in porcos. Et ita videtur quod dæmones petiuerint ex odio iſta tria. Primò, ne mitterentur extra regionem, vt ait Marcus: atque hoc obtento tandem poſtulârunt ingreſſum in porcos: & omnia vel ſub vnica clauſula petierunt, vel ſub diuerſis, quod eſt probabilius.

Iidem in quas regiones magis affecti ſint.

Tob. 8. Aſmodeus in deſerto ſuperioris Ægypti ab Angelo Raphaële cur fuerit relegatus.

Marc. 5.

Nonnulli tamen exiſtimant, dæmones, qui in hoc aëre caliginoſo detinentur vſque ad diem iudicij certis ſic à Deo addici locis, vt inde non ſint exituri, niſi cum præcipites deturbandi ſunt in abyſſum inferni: & ideò precatos fuiſſe ne expellerentur extra regionem. Et ita in eundem ſenſum cõcurrerent iſtæ duæ petitiones, ne expellantur extra regionem, & ne mittantur in abyſſum.

De eo quod dæmones à Domino precati ſunt ne mitterentur extra regionem, quid ſenſerint nonnulli.

Porrò illud aduerte, Chriſtum Dominum ad has dæmonũ preces nihil reſpondiſſe verbo, aut concedendo, aut negando: eo quod ad homines ſaluandos, & à poteſtate dæmonum liberandos venit, nõ autem ad dæmones cõdemnandos poſtrema ſua cõdemnatione, qua etiam neque vexare amplius, neque tentare homines poterunt; quod faciet in ſecundo ſuo ad iudicandum aduentu. Voluit autem Dominus ſpiritus illos ea à ſe poſtulare, metu perculſos, vt præſentes intelligerent tantam eſſe Domini Ieſu poteſtatem, vt eos non tantum de hominum corporibus pellere, ſed etiam de tota regione poſſet, & præcipitare in abyſſum ſolo ſuo iuſſu: quod arguit magnam iudiciariam, ac diuinam eius poteſtatem.

Dæmonibus mitti in porcos poſtulantibus, cur Dominus nil verbo reſpõderit.

Quo Domini inſtinctu hoc ab illo dæmones flagitauerint.

Videtur autem Dominus, qui ſe Saluatorem in omnibus oſtendebat, hoc in facto nominis ſui oblitus, qui permiſit dæmones porcos inuadere, & perdere: ſed id magna ſapientia factũ eſt. Interfecit enim porcos, quia ſui erant; & ob peccata dominorum, ſed præcipuè ob gloriam ſuam, ſicut de ficulnea, & cæco nato ad Dei gloriam dicitur: quia ſi eſſet abſens grex, non occiſus eſſet, ſicut & aliorum pecorum: & tota legio, à qua liberatus eſt vnus, teſte Luca, poſteà videtur miſſa in duo millia porcorum, & ita multi vnum porcum vexarent. Spiritus autem nõ eſt per eſſentiam in loco circumſcriptè, quia non eſt quantus, ſed per virtutem ſiue operationem; ideò modo operationes non confundantur, poſſunt plures eſſe intra vnum; vt in Magdalena erant ſeptem dæmonia. Poſſunt autem non confundi, ſi vnus torqueat vnam partem, alius aliam, vel eandem diuerſo tormento: ſicut idem eſt album, & frigidum ſecundum diuerſas partes, & ſicut vnicus motus, vt compreſſio, eſt à pluribus. Nõ autem dæmones ſubitò occiderunt porcos, vt occidere poterant: quia poſſet imputari peſti, vel vni dæmoni, vt vnus Angelus occidit exercitum Sennacherib: nec iidem dæmones viderentur, qui furioſè agebant arreptitios. Satis autem nõ fuit arripere porcos ſine occiſione: quia non ita videretur dæmon occidere, quia non loqueretur: nec detrimentum dæmonis, nec prouidẽtia Dei ſeruans à morte arreptitios. Occiſio ergo in mari facta eſt; vt dolor extra illatus ad id cogens videretur. Non autem mors ab intra compreſſis præcordijs, quia videretur peſtis: nec à vulnere extrinſecus illato, quia non viderentur intraſſe in gregem.

Cur Dominus permiſerit dæmones ingredi porcos, & illos perdere.

Matth. 21. Ioan. 9.

Luc. 8.

Spiritus vt ſit in loco. Ibidem.

Quemadmodum plures in vno corpore maneant inconfuſi.

Quam ob cauſam dæmones, cum poſſent, porcos non vno momẽto perdiderint. 4. Reg. 19.

Totus ergo grex præcipitatus eſt, ad oſtendendam miraculi magnitudinem in multitudine dæmonum de homine expulſorum, quæ non potuit declarari niſi dæmonibus in aliqua animalia ingreſſis: quia cum morerẽtur ſinguli porci à ſingulis dæmonibus, apparebat ſaltem tot eſſe dæmones, quot porcos.

Quare totus grex porcorũ in mare præcipitatus ſit.

Notandum eſt, Matthæum & Marcum dixiſſe gregem præcipitatum in mare; at Lucam, in ſtagnum: videtur ergo quod cum non longe ab egreſſu de naui hoc miraculum acciderit, quod præcipitatio facta ſit in ſtagnum Geneſaret. Licet alij, vt

Matthæus, & Marcus in mare dicentes, cum Luca in ſtagnum gregem porcorũ præcipitatum fuiſſe quomodò cõueniant.

Zuin-

Zuinglius. Vadianus. Beza.

Zuinglius, & Vadianus, quos ſequitur Beza, aliter aſſerant, nempè propè ciuitatem Gadaræ fuiſſe ſtagnum aquarũ noxiarum, in quẽ ſit grex præcipitatus. Et hoc dicunt docere Strabonem, qui libro Geographiæ ita ſcribit: *Eſt etiam in Gadaride regione ſtagnum aquæ peſſimæ, qua deguſtatâ, pecora pilos, vngulas, & cornua amittunt.* Sic ille. In hoc ergo ſtagnum præcipitati ſunt porci: vt ſicut Chriſtus porcos delegit animal immundũ, & lege Moſaica vetitum, ita ſtagnum elegit; quod ſua natura humanis vſibus erat inutile. Non enim conueniebat vt in ſtagnum Geneſareth, quod teſte Ioſepho, aquæ erat ſaluberrimæ, & laudatiſſimæ, porci immundi ſimul cum dæmonib[9] mitterentur: quòd hinc aquas polluendas putaret, & hominibus eis vtentibus inutiles, & incommodas. Ideò illi ſuſpicantur, lacum hunc non longè poſt hoc ſignum à vicinis terra obſtructum, ne fœtore cadauerum peſtis aliqua oriretur, & idem ob præſentiam dæmonum magis abominabile redditum; vt propterea hiſtoriographi poſt Strabonem, & Chriſtum, eius nequaquam meminerint, vt Ioſephus, Plinius, Ptolemæus, Euſebius.

Strabo lib. 16. Leuit. 11. Ioſeph. lib. 18. Antiq. cap. 3.

Improbatur hæc opinio.

Verùm nihil ſolidi cõtinet hæc ſententia: nam pugnat cum ipſo Euangelio. Nam quod Lucas ſtagnum dicit, Matthæus, & Marcus vocãt mare, qui lacum Geneſareth mare appellare ſolet. Ad hæc Lucas ipſe tum alibi, quando ait: *Et ipſe ſtabat iuxta ſtagnũ Geneſareth,* tum in hoc ſigno ſtagnum vocat Mare Galilææ, ait enim: *Transfretemus trans ſtagnum.* Et infra: *Et nauigauerunt ad regionem Geraſenorum, quæ eſt contra Galilæam.* Cùm ergo dicitur præcipitatos porcos in ſtagnum, intellige Geneſareth, de quo præfatus fuerat. Adde quod Hieronymus in libro de Hebraicis quæſtionibus poſt deſcriptionem ciuitatis Gadaræ ſcribit: *Hodie ſupra montem viculus demonſtratur iuxta ſtagnum Genezareth, in quod porci præcipitati ſunt.* Hæc ibi. Prætereà confictum videtur, & nullo ſolido teſtimonio confirmatum, ſtagnũ illud ob fœtorem, & peſtis metum à vicinis terra fuiſſe obſtructum; ſed hunc errorem in Syriæ deſcriptione confutatum reliquimus.

Luc. 5. In quod ſtagnũ grex porcorum præcipitatus ſit. Hieron. to. 3. prope finem. Lib. 1. prolego.

Quare fugerint paſtores præcipitatis porcis in ſtagnum.

Sequitur Matthæus: *Paſtores autem fugerunt, & venientes in ciuitatem, nuntiauerunt hæc omnia, &c.* Paſtores timore perculſi fugerunt, ne perirent, & ne peterentur porci ab eis: ideo antequam Chriſtus recederet, voluerunt eum Dominis oſtendere. ¶ *Et ecce tota ciuitas exijt obuiam Ieſu.* Apud Lucam legitur tota regio exiuiſſe vt Chriſtum videret, & certior redderetur de re tanta.

Luc. 8.

¶ *Et viſo eo, rogabant eum vt tranſiret à finibus eorum.* Non ex contemptu, vel ex ſuperbia hoc fecerunt: quia intulit damna, vt ait Hieronymus, ſed ex timore, quod veriſimilius videtur: quia, vt ait Lucas, rogauerunt illum, vt diſcederet ab ipſis: quia magno timore tenebantur, ne ſcilicet alia damna inferret. Vel putabant eo remanente, dæmones irritatos ſæuiores futuros, ideo pacem cum eis ſine Ieſu volebant. Illis nõ abſimiles, qui relinquunt hæreſes minimè confutatas, aut punitas, tantum vt ſit pax in diebus eorum. Vel ſe reputantes indignos, & grauius puniendos præſente Chriſto: ſicut vidua Helia præſente petijt, & præſente arca Philiſthæi dixerunt: *Quis poterit ſtare in conſpectu Domini Dei ſancti huius? & ad quem aſcendet à nobis?* Et quanquam ex humilitate illum abieciſſent, imprudentes & rudes fecerunt, vt eum qui nocere viſus fuerat antequam cognoſcerent, expellerent; cùm alibi ſequerentur eum, & rogarent, vt maneret apud eos. Nam (referente Luca) ſi vellet prædicare, libentiſſimè eum detinerent: ſed quia ibat in Ieruſalem, non admiſerunt eum.

Cur iſti Geraſeni Dominũ rogauerint, vt exiret de finibus eorum. Hieron. in Matth. to 9. In Gadarenis iſtis qui adumbrati. 1. Reg. 17. 1. Reg. 6. Geraſenorum imprudens humilitas. Ioan. 4. Luc. 9.

Chriſtus autem non puniuit expellentes ſe: tum ob manſuetudinem ſuam indicandam; tum quia priuare voluit eos ſua præſentia, qua digni non erant; & ne ſanctũ daret canibus, & margaritas ſuas proijceret ante porcos; tum denique quia manebant paſtores, & ab eo curati ipſum prædicantes. Videtur ergo, vt obſeſſos illos curaret, & ſe per miraculum, & paſtores, & à ſe curatos proderet, ad eos veniſſe. Et minus fuit horũ peccatum, quàm Nazarenorum: quia hi etſi damno affecti humiliter Chriſtum rogant, vt diſcedat; Nazareni verò nullum damnum paſſi, imò & benefacientem eis (quia paruos infirmos impoſitis manib[9] curauit) expulerunt de ciuitate, & præcipitare voluerunt. In eo tamen videntur Gadareni peccaſſe grauiter, quòd potentiam Domini in expulſione dæmonum, & perditione tot porcorum declaratam magis timuerunt, quã amauerint eius bonitatem ſatis oſtenſam in obſeſſis liberatis. Et magis ſeſe prodebant ſolicitos de perditione animalium, quam de animarũ ſuarum ſalute: nam vidẽtes Dominum eos curaſſe dæmoniacos, qui toti regioni erant infeſti, magis debebant credere eum veniſſe ad ſaluandum, quam ad perdendum. Quare cum illo malo timore indignos ſe reddiderunt Chriſti præſentia, & doctrina; ac idcirco eorum votis annuendo ille diſceſſit.

Cur Geraſenos Dominus ſe expellentes è ſuis finibus nõ punierit. Matth. 7. Vtri grauius deliquerint Nazareni, an Geraſeni, ob expulſum Dominum. Luc. 4. Marc. 6.

Marcus addit: *Et egreſſi ſunt videre quid* Marc. 5.

esset facti: & venerunt ad Iesum, & vident illum qui à dæmonio vexabatur, sedentem, vestitum, & sana mentis: & timuerunt. Et narrauerunt illis qui viderant, qualiter esset factum ei qui dæmonium habuerat, & de porcis. Et rogare cœperunt eum vt discederet de finibus eorum. Cumq; ascenderet nauim, cœpit illum deprecari, qui à dæmonio vexatus fuerat, vt esset cum illo: & non admisit eum, sed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, & misertus sit tui. Et abijt, & cœpit prædicare in Decapoli quanta sibi fecisset Iesus, & omnes mirabantur. Non recepit Dominus in contubernium suum à dæmone liberatum, corpore, & mente iam sanum, non tanquam indignum, sed mallens eum manere ad instruendos suos, Deique beneficia annuntianda: sicut facere debent liberati à periculis, morbis, & peccatis: quod in præsentia Christi ille non fecisset, nec miraculum alijs euulgasset. Deinde, vt indicaret, quòd licet non sit secum, gratia tamen eius protectus liber erat à dæmonis insultibus. Timebat enim, vt Theophylactus exponit, ne elongatus à Iesu, iterum à Satana inuaderetur. Et Dominus hoc loco Dei gloriam iubet prædicare, se tacens Deum: leproso autem non Dei gloriam, quia iussit ostendere se sacerdotibus, sed tantùm quod ipse sanasset. Hic autem à dæmonio liberatus abijt per totam ciuitatem prædicando quæcunque sibi fecisset Iesus, sed non discessit à præcepto Christi, nam ipse Iesus erat etiam Deus: cùm ergo prædicabat Iesum, gloriam quoque Dei pariter prædicabat. Est Decapolis regio decem ciuitatum trans Iordanem ad Orientem Iudææ, cuius meminit Plinius, & Hieronymus de locis Hebraicis: circa Hippum, & Pellam; & Gadaram. Debemus igitur non imitari ingratos Gerasenos, qui plus tristantur de porcorum interitu, quàm de hominis sanitate lætantur. Et certè ille homo dæmoniacus plus poterat omnibus Gerasenis incommodare, qui nō poterant tuti exire de ciuitate, quam vniuersi porci incommodarent. Habet & præsens seculum quosdam, qui mallent habere porcum, quàm Iesum cum discipulis. Sic impij semper piorum conspectum deprecantur, ne aliquantisper cogantur ab impietate cessare. Exemplo verò à dæmonio liberati, Dei beneficia publicè annuntiemus, & confiteamur, nihil diuinæ gloriæ nobis vendicantes, sed totum Iesu Christo tribuentes, cui cum Patre, & Spiritu sancto debetur omnis honor, gloria, laus, & gratiarum actio in secula, seculorum, Amen.

* * *

Quare Christus hunc hominem à se iam dæmonio liberatum, ad sui sequelam nō admiserit.

Theophyl. in Marcum.

Cur hic olim dæmoniacus Christum sequi voluerit.

Matth. 8.

Decapolis quid.

Plin. lib. 5. cap. 18.

Hieron. to. 3.

Gerasenorum in Christum ingratus animus, & insipiens.

Eorum qui similes.

TRACTATVS XIV.

De signo paralytici per tegulas demissi, & à Christo sanati: quod habetur Matth. 9. Marc. 2. & Luc. 5.

QVOD attinet ad ordinem historiæ, aduerte, post reditum Christi à regione Gerasenorum, Marcum similiter, & Lucam commemorare miraculum de filia Archisynagogi resuscitata, & curata Hæmorrhoyssa: & ita narrant, vt videantur hæc gesta statim à reditu, priusquam adhuc in domum, aut in ciuitatē descenderet. Nam Lucas sic habet: *Factum est autem cum redijsset Iesus, excepit illum turba: erant autem omnes expectantes eum. Et ecce venit vir cui nomen Iairus.* Et eadē propemodum habet Marcus: vbi etiam in Græca litera habetur aduerbium, Ecce, quo videtur significari miraculū hoc contigisse in egressu Domini de naui.

Historiæ series & ordo iuxta Marcum & Lucam quinam sit.

Luc. 8.

Non posse tamē intelligi hunc esse historiæ ordinem, ex Matthæo manifestum fit: non quidem quod post transfretationem commemorat eum venisse in suam ciuitatem, ac sanasse paralyticum (intelligi enim possent hæc facta post transfretationē, sed quibusdam in medio prius gestis) verum quia Matthæus principem illum, qui pro sua precabatur filia (qui idem est cum eo, cuius meminit Marcus, & Lucas, etsi solus Osiander hæreticus id pernegeт) dicit Christum accessisse, cùm loqueretur & disputaret de ieiunio cū discipulis Ioannis, & Pharisæorum. Quam disputationem habitam post vocationem Matthæi, & hanc factam esse post curationem paralytici, & vocationem Matthæi, & disputationē de ieiunio, eodem cum Matthæo, ordine describunt, etsi alio loco: sed ita, vt eorū narratio rerum narratarū immediatum cum eis quæ præcedunt, ordinem non requirat. Siquidem Marcus tria illa enarraturus, sic incipit: *Et iterum intrauit Capharnaum,* post dies scilicet aliquot; non enim legendum est post dies octo, vt quidā codices habent. Diebus ergo illis intermedijs, post quos venit iterum Capharnaum ab illo discessu, facta sunt hæc quæ narrata sunt de trib⁹ volentibus sequi Christum; & tempestate maris iussu Christi sedata, & de nauigatione Christi ad Gerasenos. Lucas verò eadem illa descripturus, sic auspicatur: *Et factum est in vna dierum, & ipse sedebat docens:* Quæ narratio non requirit vllam, nedum immediatam ad superiora sequelam. Etsi ergo videantur Marcus & Lucas tradere Iairum accessisse ad Christum statim post transfretationem: intelligendum tamē quibusdam in medio gestis,

Alium esse secundum Matthæum, ostenditur.

Matth. 9.

Marc. 5.

Luc. 8.

Osiander hæreticus.

Marc. 2.

De tribus Christū sequi volentibus, hoc loco, quæ narrantur, quando acciderint.

Luc. 5.

Quæ Marcus, Lucasque in diuersa commemorant.

rum primùm accessisse. Quæ quoniam ab his duobus Euangelistis prius narrata fuerunt, ita Iairi accessum cum superioribus contexuerunt, quasi nullo intermedio hoc gestum fuisset. Adhæc videri potest, & ideo post transfretationem eos descripsisse Iairi accessum, eo quòd Iairus accesserit ad Christum circa mare existentem: non quidem eo die, quo post reditum à Gerasenis circa mare erat, sed alio quodam. Nam & Marcus iam dicturus est Dominum, cùm Matthæum inter eundem vocat rursus accessisse ad mare. Iairum enim ad Christum circa mare existentem accessisse, Marcus docet his verbis: *Et erat circa mare. Et ecce vir quidam de Archisynagogis.* Frustrà enim videtur illud positum, à Iairo circa mare inuentum. Quoniam ergo post reditum à Gerasenis Iairus Christum circa mare adijt, etsi non eadem die, qua venerat à Gerasenis: historiam quæ est de Iairo, duo Euangelistæ post reditum describunt, omissis his quæ in medio sunt gesta, quòd prius illa descripsissent.

quomodo accipienda sint. *Marc. 5.*

His præmissis quæ ad ordinem historiæ spectant, & Euangelistas in speciem dissidentes conciliant, litera primum explicanda est; deinde etiam mysterium in illa inclusum pro tenuitate nostra explicandum. Ait igitur Matthæus: *Et ascendens Iesus in nauiculam, transfretauit.* Quia lacus ille enauigandus paruus erat, & non patitur naues magnas, ideò dicitur nauiculam ascendisse: & in Ioanne, vbi mētio fit nauis, semper Græcè dicitur nauicula. Quoniā enim in Christo erant duæ naturę, diuina, & humana, opus erat vt non semper se proderet diuina: quia homo aliàs non crederetur, nec diuini incarnatio Verbi. Ergo etsi interdum opus esset indicare diuinam naturam, vt fecit frequentiùs, tamē debuit ostendere humanam: vnde vel post resurrectionem comedit, & bibit, non egens, vt veritatem corporis ostenderet.

Matth 9. *Quare Christus dicitur nauiculam ascendisse.* *Ioan. 6.* *Quam naturam Christus frequentius indicauerit.* *Luc. 24.*

Quòd autem aliàs ambulauit super mare, ratione nō caret. Quia Dominus nauim non habebat, & ob discipulos in periculo laborantes signum edidit, & Petrum fecit ambulare super aquas, ne alij timerent, & ne impotens Iesus videretur. Hîc autē cùm haberet nauiculam, non erat caussa, vt discipuli sine naui traijcerent: & ne neophyti imperfecti, vt ait Paulus, glorientur, sicut illi qui dicebant: *Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo.*

Ioan 21. *Matth. 14.* *Cur interdum Christus supra mare ambulauerit.* *1. Tim. 3.* *Luc. 10.*

Transfretauit. Id est, de ripa in ripam transiuit, Græcè διεπέρασε, id est, ad literam, transnauigauit, siue traiecit: ¶ *Et venit in ciuitatem suam.* Id est, Nazareth, vt exponit Hieronymus: quia ibi incarnatus, nutritus, & ibi habitauit post reditum de Ægypto vsque ad Baptismum. Sed falsum videtur hoc quibusdam: quia Marcus hoc miraculum in Capharnaum factum esse narrat. Neque dici potest, quòd primò venerit in Nazareth, & edito hoc signo accesserit Capharnaum: nam hoc violentum est, cùm in Marco dicatur quòd ingressus est Capharnaum: & cùm audissent, venerunt, & obtulerunt ei paralyticum. Ideo dicendum est cum Augustino, & Chrysostomo, quod hoc factum est in ciuitate Caphernaum. Quanquàm Augustinus putet Galilæam vniuersam fuisse ciuitatem Domini, & ita singulas Galilææ ciuitates: quod non recipitur. Nec est simile, quod affert de ciuitate Romana, eo quòd sit in Imperio Romano. Nam populus propterea dicitur Romanus, quia gaudet iure, & priuilegijs Romanæ vrbis: quod hic locum non habet.

Transfretare quid. *Hieronym in Matt. tom. 9.* *Luc. 2.* *Infra 14.* *Marc. 2.* *Ibidem.* *Altera probabilior opinio.* *Aug. lib. 2. de cōsen. Euang. cap. 25. tom 4.* *Chrysost. ho. 30. in Matth. tom. 2.* *August. loco prædicto.*

Dicitur autem Capharnaum ciuitas Christi: quia eam accepit Christus in habitationem suam firmam, quando cœpit publicè prædicare, aut signa edere: vnde Matthæus: *Et relicta*, inquit, *ciuitate Nazareth, venit, & habitauit in ciuitate Capharnaum maritima*: vbi multa signa edidit, adeò vt dicerent Nazareni: *Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* Christus ergo homo tres habuit patrias: Nazareth quidem cōceptionis, & educationis; Bethlehem, natiuitatis; Capharnaum verò, habitationis à tempore quo cœpit prædicare, & edere signa.

Capharnaum Christi ciuitas cur dicta. *Matth. 4.* *Luc 4.* *Triplicem patriam habuit Christus.* *Supra 1.* *Infra 4.* *Supra 2.* *Matth. 4.*

Antequàm autem intraret in ciuitatem, excepit eum turba, & erant omnes expectantes illum, vt docet Lucas. Et felices qui iusto desiderio expectant Christum, tùm propter eius doctrinam, tum propter eius virtutem, qua potuit dæmones effugare, & omnem morbum sanare. Et nos omnes Christiani expectare deberemus Christum venientem à dextera Patris ad iudicandum viuos, & mortuos, & reddendum singulis iuxta opera sua: de qua expectatione ait Paulus: *Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, et Saluatoris nostri Iesu Christi.* Et quoniā turba auidè expectauerat Christum, statim se obtulit occasio declarandi, cuius esset virtutis ille quem expectauerant, nimirùm qui vitæ & mortis haberet imperium. ¶ *Et ecce, offerebant ei paralyticum iacentem in lecto.* Ante hæc verba refert Marcus: *Et auditum est quòd in domo esset, & conuenerunt multi, ita vt non caperent neque ad ianuam. & loquebatur eis verbum.* Lucas autem ait: *Et ipse sedebat docens. Et erant Pharisæi se-*

Luc. 8. *Felices qui.* *Matth. 16.* *Tit. 2.* *Hebr. 2.* *Marc. 2.* *Luc 5.*

dentes,& legis Doctores, qui venerant ex omni Castello Galilææ, & Iudææ, & Hierusalem: & virtus Domini erat ad sanandum eos. Quia Capharnaitæ plerunque reprehenduntur à Domino de ingrati animi vitio ad signa eius, & beneficia; propterea hic tantus concursus ad eum non tam erat ex amore Christi, aut fide verborum ipsius, sed magis ex eo quòd nouitati studebant, aut huc respiciebant, vt minus haberent infirmorum, animarum salutem negligentes. Sunt enim in Euangelio qui Christum videre desiderant, vt aliquid noui ab eo fieri videant, vt Herodes; alij vt ab infirmitate corporis tantùm liberentur; quo animo accesserunt illi nouem leprosi, qui non sunt reuersi, vt gratias agerent; alij sequebantur Christum, vt pane satiarentur: quos Dominus reprehēdit. Hinc offerētem se Christo ad sequelam, respuit: volentem verò ire ad sepeliendum patrem vocauit: vt Lucas testatur. Et cùm turba multa quam pauerat, esset cum eo, ait illis: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidiè, & sequatur me.* Eodem teste Luca: *Ibant turbæ multæ cum eo: & conuersus dixit ad illos: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, &c. adhuc autem & animam suam; non potest meus esse discipulus.* Quasi diceret; Non omnis, qui me sequitur pedibus corporeis, verè meus est discipulus, nisi ille, qui renuntiatis omnibus humanis affectibus, ad eadē properet, ad quæ ego propero. Lucas hoc loco addit, Dominū auditores non tantùm plebeios, sed Pharisæos omnium doctissimos habuisse: quanquàm parùm apud eos ipsorum vitio proficeret. Et Dominus voluit illos cum tāta multitudine adesse miraculo, quo minùs calumnijs expositū esse posset.

Capharnaitæ quo fere animo ad Christū accurrerent.

Eorum imitatores qui.
Luc 23.
Supra 17.
Ioan. 6.
Luc. 9.
Ibidem.
Ibidem.
Infra 14.

Verus Christi discipulus quinam sit.

Qui parum, aut nihil proficerent ex doctrina Christi.

Et subdit Marcus: *Et loquebatur eis verbum.* Nam etsi maior pars potissimùm propter miracula ad eum confluerent; prius tamen doctrinæ Dominus incumbebat. Deinde ægrotos sanabat, docens prius habendam rationem animorum, posterius corporum: & insinuans se præcipuè venisse ad docendum, deinde ad signis doctrinam confirmandam. ¶ *Et virtus Domini erat ad sanandum eos.* Semper virtus Domini erat ad sanandum, sed tunc profusè illam exercebat, omnes cum fide accedentes sanādo: & multò maior virtus Domini erat ad sanandas animas. Subdit Matthæus, quòd offerebant illi paralyticum iacentem in lecto. Marcus addit quòd portabatur à quatuor: quia erat vniuersalis paralysis serpens per totius corporis membra. Paralyticus iste, secundùm Chrysosto. alius est ab illo, cuius meminit Ioannes sanato ad probaticā piscinam: quia ille in Hierusalē sanatus est, hic in Capharnaū: ille hominem non habebat, hic à quatuor portabatur. Ille nō credebat vt iste, cui dictū est: *Confide fili.* Paralysis est dissolutio membrorum, per quam impeditur trāsitus spirituum ad sensum instrumenta. Quæ alio nomine dicitur hemiplexia, quia hominem non totum corripit, sed in alteram tantum hominis partem malū incumbit: cùm verò totum corpus apprehēdit, dicitur apoplexia, quæ hominem statim extinguit, illa verò diutiùs torquet. Vnde paralyticus, de quo Ioannes, triginta & octo annos habebat in infirmitate. *Nūc vtrumq;* (inquit Cornel. Cels.) *paralysim vocari video.* Ait autem: *Ecce*; quasi inopinatum quid, & repētinum, non quidem Christo, qui eò venerat, vt faceret quod petitum est, sed respectu astantium nil tale cogitantium. Et baiuli vidētur benè de Christo sensisse, & fidem erga eum habuisse, & dilectionem erga proximū. Et istorum est aliorum infirmitates portare, vt docet Apostolus: quemadmodum & in Sodomis decem viri inuenti seruassent ciuitatem. Subdit Lucas: *Et quærebant eum inferre, et ponere ante eum. Et nō inuenientes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, & per tegulas submiserunt eum* (intellige cum funibus) *cum lecto in medium ante Iesum.* Considera prudentiam, & fidem baiulorū, & ardens iuuandi studium. Nam in tectum scalis ascendentes, & infirmum cum grabato erigentes, tectum denudarunt, & perfoderunt: neque fieri potuit, si humanitùs rem pensemus, quin & denudatione, perfossione ve tecti, aut lapides, aut ligna, aut quid simile in auditores caderent. Dices; Cur non expectabant finē concionis? Quia sciebant Dominum vndique à multis appellari, nec quoquam procedere nisi densissima stipatū turba; se verò pro sua sarcina parùm expeditos ad consequendum, aut per turbam penetrādum ad Iesum. Demisso ergo cum suo grabato ad pedes Iesu pēsili paralytico, nō indignabatur sermonem suum tam funesto interrūpi spectaculo. Non exprobrat impudentiam, & importunitatem baiulorum: nō exprobrat imperfectam fidem erga se, quasi absentem absens sanare nō posset, vt fecit cum alijs interdum. Sed audi quid dicat Euangelista: *Videns Iesus fidem illorum.* Non tātùm baiulorum, vt Hieronymus exponit, sed etiam ipsius paralytici, & baiulorum, vt rectè enarrat Chrysostomus: Nec enim illi dictum fuisset: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, vt ille ait, nisi credidisset. Adhæc etsi corporalis sanitas conferri alicui possit à Deo, & collata sit quādoq; à Christo alienæ fidei intuitu; tamen spiritualis

Quare Christus doceret prius, quàm ægrotos curaret.

Virtus Domini quos potissimum erat ad sanandum.

Hunc paralyticum ab illo Ioan. 5. alium esse ac diuersum.

Chrysost. hom. 30 in Matth. tom. 2.
Paralysis quid.
Ioan. 5.

Hemiplexia paralysis quæ sit, & item apoplexia.

Cornel. Cels.

Quorum sit alienas infirmitates portare
Rom. 15.
Genes. 18.

Baiulorum portantium paralyticum fides charitas, & prudentia singularis.

Cur illi paralyticum Christo sanandum ante finem concionis obtulerint.

Quid in eis Christus dissimulauerit.

Ioan. 4.
Hieronym. in Matt. tom 9.
Chrysost. loco supradicto.
Fides aliena quam alicui impetrare valeat.

sanitatem tantummodò.

ritualis sanitas, quæ in peccatorum remissione consistit, sine propria fide in adultis, accipi nō potest. Quod ergo à quibusdam dicitur, fidem alienam saluare aliquem: si de sanitate corporea intelligatur, scrupulum non habet, quia fides aliena impetrat à Deo sanitatem alicui sine eius qui sanatur fide. Secùs si de sanitate mētis in adultis loquamur, nisi vel quia impetrat à Deo fidem qua saluatur: quomodo quidam docent cum Augustino, Stephanum Paulo fidem impetrasse, vt ex lupo fieret ouis, & ex persecutore Apostolus: vel quia alienæ fidei intuitu Deus alicui eam confert gratiā, quam eidem aliàs non erat collaturus ob fidem imperfectam, vel vitæ demeritum. Et ita intellige illud Ambrosij super hunc locum: *Magnus Dominus, qui aliorum merito ignoscit alijs: & dum alios probat, alijs relaxat errata. Cur apud te homo collega non valeat; cùm apud Deum seruus & interueniendi meritum, & ius habeat impetrandi?* Nam hæc verba, & similes Patrum sententiæ sunt intelligendæ de fide aliena peccatorum remissionem impetrante, non exclusa eius pro quo supplicatur fide, vt verba sequētia apud Ambrosium indicant: *Disce, qui æger es, impetrare. Si grauium peccatorum diffidis veniam; adhibe peccatores, adhibe Ecclesiam, quæ pro te precatur, cuius contemplatione quod tibi Dominus negare posset, ignoscit.* Hæc ille.

Quomodo verum sit, fidē alienam saluare aliquem velut quidam opinantur.

Aug. ser. 74. De temp. to. 10.

Ambro. lib. 5. in Lucā to. 5.

Idem.

Quid pro paralytico tantùm Christo loqueretur.

Nihil autem rogant baiuli, nihil ipse paralyticus, cui morbus linguæ etiam vsum ademerat: sed hoc magis loquebatur medico, quia alloqui eum non poterat, imò ipsa miseria pro misero loquebatur. Perspecta illorum admirabili fide plus præstitit, quàm expectabant: illi enim desiderabant vt paralyticus à corporis morbo liberaretur; at Iesus ostēdit esse diuinius, ac magis expetēdū liberari à morbis animi, quàm corporis.

Sanitas homini quę à Christo expetenda, & petenda magis.

Dixit paralytico, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Vbi aduerte, quòd cùm Christus se permiserit à Gerasenis expelli; docuit nos inuitis nō esse gratiam Euangelij obtrudēdam: vnde Apostolis præcepit, vt si persequerentur eos in vna ciuitate, fugerent in aliam. Hîc verò fide compellitur Dominus ad signum edendum; vt intelligas verum illud esse: *Regnum cœlorum vim patitur, & violēti rapiunt illud.* Vidit autem nō tantùm fidem baiulorum, sed etiam ipsius infirmi, sine cuius consensu, & votis ac fiducia se ad Christum adduci non permisisset, vt est rationi consentaneum, & illum Dominus vocauit filium: confidebat enim Christi potestate, & bonitate; quòd se sanaret.

Matth. 8. In eo quod Dominus se à Gerasenis expelli permisit, quid docuerit nos.

Infra 10. *Infra 11.*

Dubitari posset, cur potius dicitur vidisse fidem illorum, quàm aut infirmi patientiam, & miseriam, aut baiulorum in proximum charitatem? Dicēdum est, gratissima fuisse offerentium officia, & charitatem, & ægri patientiam, cuius etiam miseria Dominum ad misericordiam inflexit: fidei tamen tribuitur sanitas corporis & animæ ægro isti collata, non tantùm ad fidei commendationem erga Christum, sed quòd fidei sit proprium id impetrare, & consequi quod credit, & sperat. Hinc frequens illa vox in Euangelio: *Fides tua te saluam fecit*; &, *Vade, & sicut credidisti fiat tibi*: & similia: vbi fides nō tantùm pro firmo assensu, & credulitate potentiæ Dei per Christū signa edentis accipitur, sed pro spe, siue fiducia illi credulitati coniuncta. Qua de bonitate Dei, vel Christi benè animati omnia nos adipisci posse nobis persuademus. Ideo cùm laudatur à Domino fides Centurionis; non tam laudatur fiducia in Christum collocata, quàm firma existimatio quòd absens posset sanare seruum suum. Alibi etiam Dominus duobus cæcis dixit: *Creditis quia hoc possum facere vobis?* Et illis dicentibus; Vtique, Domine: respondit; *Secundùm fidem vestram* (id est, credulitatem, & firmam persuasionem potentiæ Christi) *fiat vobis.* Nec enim ad fiduciam propriè spectat credere quod Christus possit cęcos illuminare. Cùm ergo fidei in Euangelio salus, aut donorum quæ volumus tribuitur adeptio; pro assensu illo firmo in credendis de Deo, & Christo, & pro fiducia simul in omnipotenti Dei bonitate concepta fides capitur: etsi in quibusdam locis magis ad credulitatem illam firmam, in alijs verò magis ad fiduciam haberi videatur respectus. Nec tamen fiducia aliquid impetrat à Deo sine credulitate, nec credulitas sine fiducia. Hi ergo magnam de Christi potentia simul, & de bonitate cōceperant opinionem, ob quam tantum laboris & molestię subierant in adferēdo infirmo, & ante oculos Christi proponendo.

Cur potiùs Dominus dicatur illorum fidem vidisse quàm aut ægri patiētiam aut baiulorū charitatem.

Proprium fidei quid.

Luc 7. *Matth. 8.* *Infra 9.* *Infra 15.* Cùm dicitur Fides tua te saluam fecit, quid fidei appellatione veniat.

Matth. 8.

Infra 9.

Fiducia & credulitas ad impetrandum aliquid à Deo necessariò sequiruntur.

Quòd si rursus vrgeas, cur fidei illorum remissio peccatorum tribuitur; cùm sit verisimile eos de illa impetranda nihil solicitos fuisse, nihilque cogitasse? Dicendum est, vel Euangelistas voluisse significare remisisse huic peccata propter fidem illorum; sed cùm conferret optatam sanitatem corporis, pro auctario addidisse etiam peccatorum remissionem; vel tam in ægro isto, quàm in offerentibus fuisse implicitam fidem de remissione peccatorū consequenda, etiamsi nil de ea actu cogitarent: eo quòd crederent, Dominum posse cuncta sanitatis corporalis impedimenta tollere, inter quæ erant peccata, & crederent

Cur fidei illorum remissio peccatorum tribuitur; de qua tamen illos verisimile est nil fuisse solicitos.

Vt viderit Christus fidē portantium paralyticum.

rent in eum vt Messiam,&Saluatorem hominum à peccatis eorum.

Matth.1.& 1.Tim 4.

Sed redeo ad textum. Vidit Christus, nō tantùm oculis Deitatis corda nostra penetrantibus? nam scrutans corda, & renes Deus;Et,*Omnia sunt nuda;&aperta oculis eius*: sed etiam oculis animæ sanctissimæ. Quia si Prophetæ ornati erant à Deo illo munere,vt viderent aliorum corda, vt Helisæus vidit Giezi: quantò magis Christus,ad cuius Sacrosanctum conspectum, siue ad cuius sacrificium, quod in Missa celebratur, cauendum est, ne spurcis & impuris cogitationibus accedamus, quibus non solùm Dei,sed etiam animæ Christi oculos ex parte nostra offendamus? Non tantùm ergo oculis Deitatis,& animę beatæ vidit fidem illorū,sed etiam oculis corporis:non quòd illis oculis fides possit in seipsa cerni,sed in operibus se prodentem videbat. Nam non valentes ingredi per ostium, ascenderunt in tectum, & per illud denudatum tegulis, cum funibus paralyticum submiserunt: tam certa, & magna erat eorum fides,Christum posse, & velle sanare. Si quis vellet obtinere audientiam à Principe, & cùm non posset, ingrederetur per tectum ablatis tegulis, iudicaretur hic actus stultus, & arrogantiæ plenus, mereretur que grauem repulsam à Principe.Secùs est apud Deum, qui non habet pro superbo, quod mundus iudicat superbum:quia significant vim & efficaciam fidei desiderantis sanitatem, quam vlla res impedire non valuit. Vidit ergo illorum fidem viuam, plenamque charitate, & paralytici commiseratione refertam in effectis suis: & visu suo Christus acceptauit hāc fidem, vt rem gratā, quemadmodum olim respexit ad Abel,& ad munera eius,& respexit ad humilitatem ancillæ suæ. Instruimur etiam hoc loco magnificare merita, & suffragia, siue preces aliorum pro nobis,quæ tùm ad animæ,tùm corporis incolumitatem impetrandam iuuant; vt & tu confidenter pro alijs orare non cesses.Non enim tantùm possumus sanitatem, & vitam peccanti peccatum non ad mortem, precibus nostris obtinere, atque alios nostro exemplo iuuare,sed etiam pro alijs satisfacere, iuxta illud; *Alter alterius onera portate,&sic adimplebitis legem Christi*: & alibi, *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore eius quod est Ecclesia*.Nec tantùm his modis iuuamus viuentes, sed etiam defunctis in Christo, & in purgatorio detentis suffragamur. Prodest etiam alijs fides nostra: ait enim in hūc locum Petrus Chrysologus: *Quantum valet apud Deum fides propria, apud quem sic valet aliena? Audit veniam,& tacet paralyticus,nec vllam respondet gratiam, quia plus corporis, quàm animæ tendebat ad curam*.Et infrà.*Meritò Christus offerentium fidem respicit,& vecordiam respicit sic iacentis; vt fidei alienæ suffragio paralytici anima antè curaretur.quàm corpus.Neque id mirum: nam Archisynagogo, cui nuntiata est mors filiæ,dixit; Noli timere,tantummodò crede: & patri dæmoniaci ait; Si potes credere; omnia possibilia sunt credenti:ita hic videt fidem baiulorum, & subuenit paralytico. Et quia articulum Fidei nostræ considerauit, qui est de communione Sanctorum,dubitare quisquam non potest,quin aliena fides non omninò sit infrugifera*. Sic ille. Fides non potest miraculo obtinere sanitatem animæ; disponit tamen, quia Deus sine ea non saluat: sanitas tamen corporis,quæ est extrinsecum bonum, potest sine fide infirmi per aliorum fidem concedi. Remissio peccati in paruulo, quia non fit per actum proprium fidei, nec habet infidelitatem positiuam, ob fidem Ecclesiæ fieri potest: in adulto non potest, nisi credat articulos Fidei,qui proponuntur:tum quia habet interdum infidelitatem inductam actu proprio, ideo debet consentire Deo eam sibi tollenti; tum quia si aliàs inuitùs crederet, tolleretur libertas arbitrij. Non potest ergo remissio fieri in eo sine fide Theologica,id est,credente,nec sine certa fiducia de remissione sibi facienda.Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur, vt ait frater Domini; & indignus qui obtineat quicquam. Aliàs infideles sic manentes,quia Ecclesia pro eis orat,saluarentur.Fides autem aliena disponit,vt Deus largiatur propriam: & contritio peccati aliena, vt donet contritionem propriam.

Confide fili.Verba blandi medici: id est, habe fidem,& bono animo esto,sperans te consecuturum quod optas: & remittetur tibi peccatum, ob quod in morbum hunc incidisti. Et habuit fidem viuam: quia verba Christi erant in arguenda fide efficacia.Confide ergo: quia alij pro te orant, & ego tum te, tum alios excito ad fidem: quemadmodum medicus ablatis malis humoribus ait, Tu es sanatus. Dominus ergo,qui perspiciebat intima cordium, vidit hominem magis ægrotare animo, quàm corpore:primùm itaque interiorem hominem à peccatis liberat. Filium vocat; non tantùm creatione,sed gratia:nam & peccatoribus præcipitur dicere, *Pater noster*. Lucas ait, *Homo*, confide scilicet: & vtrumque Dominus dixit, vt sciret quid esset ex Dei gratia,hoc est, filius, & quid ex natura sua, nempè homo. Et hominem vocauit, vt desi-

Psalm 7. & Ierem 11.
Hebr.4.
4.Reg 5.
Fides oculis cernatur quibus.
Mira Christi humanitas, & patientia erga homines.
Qualis illorū fides paralytici baiulorum, & quanta, & quid doceat nos
Genes 4.
Luc.1.
Aliorum pro nobis preces & suffragia quid conferant.
1.Ioan 5.
Gal 6.
Coloss.1.
Quemadmodum & alijs fides nostra sit vtilis,teste Chrysologo.
Petrus Chrysolog.ser.50.
Luc 8.
Marc 9.
Aliena fides cur paruulo remissionem peccati obtinere possit,nō autem adulto sine propria
Iacob 1.
Aliena fides non credenti quid conferat
Quid significet hoc verbo: Confide fili.
Paralyticum Dominus cur vocet filium, & deinde hominem.
Matth 6.

vt designaret peccatorem: sed quia tendentem ad sanitatem; propterea Matthęus vocat filium. Et fides, & gratia, natura praecedunt peccati remissionem. In sanandis autem corporum infirmitatibus, vel arreptitijs secundùm Chrysostomum, non indigebat actu fidei, quem habere non poterant infirmi, & obsessi prae dolore morbi, aut vexationis daemonum: secùs in remissione peccati. Et sicut exteriùs loquebatur: Confide fili; ita interiùs operabatur confidentiam. Quasi diceret; Si es filius, & ego do tibi maiora, id est, gratiam, & gloriam; quomodo negabo minora, id est, corporis sanitatem.

Quare ab infirmis, & arreptitijs actum fidei non exigeret. Chrysost. ho. 30 in Matth.

Remittuntur tibi peccata tua. Graecè imperatiuè dicitur, remittantur, vt quidam cum Erasmo docent, ἀφίωνται, id est, remissa sunto, vel remittantur. Et non est verbum humilitatis gratia in tertia persona dictum, vt quidam volunt, & Abulensis docet, quia volebat de se intelligi; sed verbum maiestatis, quia reuerà loquebatur cum imperio; vt, *Lazare, veni foras*: & infrà huic paralytico ait: *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Et sicut Papa dicit, *Fiat*, ad ostensionem potestatis sibi à Christo datae. Sed certè, vt alij probabilius docent, ἀφέωνται Graecis est Atticum *praeteritum perfectum pro ἀφεῖνται: ideo magis vertendum erat, Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua.

Huius dicti: Remittuntur tibi peccata tua, varia interpretatio. Erasmus. Incongruus sensus reijcitur. Abulens. in Matth. q. 24 in c. 9. Matt. Ioan. 11.

Aptior interpretatio proponitur.

Maior etiam congruentia verborum inuicem inuenitur, si legamus, *Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua*, quàm si dicatur: *Confide, remittantur, &c.* cùm videatur reddi ratio quare confidere debeat: sicut cùm infrà dicitur haemorrhoyssae: *Confide filia, fides tua te saluam fecit:* & de peccatricis remissione apud Lucam dicitur: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Non enim aptus esset sensus post tot enumerata mulieris erga Dominum officia dicere, Remittantur, sed remittuntur, vel remissa sunt: & probabile est Euangelistas in hoc & illo loco verbo praeteriti temporis abusos pro praesenti, vt accepit interpres noster. Vnde postquàm dixit, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, subditur de praesenti: *Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Remisit ergo Christus peccata paralytico: quia Christus dedit ei dolorem de peccatis, & propositum emendandi vitam. Nam etsi peccatum originale pueri contractum aliena voluntate Dominus propter aliorum fidem condonet: adulto tamen praeter originale crimē, habenti etiam peccatum personale nō parcit, nisi propria fide credat, & de peccatis

Marc. 9.

Luc. 7.

Quare Christus remiserit peccata paralytico. Qua lege idē adulto remittat peccata.

doleat, & Baptismi Sacramentum suscipiat: adulto autem iam baptizato non remittitur peccatum, nisi illud confiteatur, ac de illo satisfacere proponat. Atque hoc secundùm communęm ordinem, & legem: nam aliquando in caussa remittit sine satisfactione, & confessione: nam Dei virtus Sacramentis non est alligata, vt cum isto fecit, & alijs quibusdam. Aliter est de nobis cogitandum. Nec enim par est, aut rationi consonum, vt ministri ipsi Regi in potestate, & legum dispensatione aequiparentur: quare priuilegia paucorum non sunt in consequentiam trahenda. Remisit ergo peccata sine confessione, quae nondum instituta erat, ac proinde minimè obligabat; & quia Dominus non egebat confessione, qui nouerat corda. Minister autem, siue Sacerdos, ignorat quid sit in corde hominis: quare etsi videat contritum, & dolentem de peccato; quod confessio ipsa indicat; non deberet tamen absoluere nisi confitentem. Satisfactio etiam, quae iuris naturalis est, potest per actum alterius suppleri; sed non dolor ipse pro delictis, aut propositum vitandi peccata: Ideo dicebat: *Noli ampliùs peccare.* Dolor autem, & satisfaciendi propositum, de iure diuino sunt & naturali, ipsa vera confessio, sicut & impositio satisfactionis de iure diuino positiuo sunt, cùm sint partes Sacramenti Pęnitentiae: tempus autem confessionis, de iure humano positiuo est: ideo Christus non imponebat poenitentiam. Christus autem hoc verbum pronuntiauit; in primis, vt haberet occasionem ostendendi se Deum, & Saluatorem, non ad innuendum tantùm quòd ille peccasset: quia alijs interdum non dicebat de peccatis quicquam: nec quòd sanabat totum hominem. Quia illud Ioannis cap. 7. quando hominem totum sanum fecit in Sabbato; de varijs aegritudinibus debet accipi, vt Euthymius interpretatur: & quibusdam remittit peccata, quos non curat, & è conuerso. Deinde vt admoneret ex peccatis oriri morbos, vt Paulus ait, cùm inquit per vnum hominem peccatum intrasse in hunc mundum, & per peccatum mortem: & Ecclesia admonet in oratione, cùm ait: *Quia nulla ei nocebit aduersitas, si nulla ei dominetur iniquitas.*

Dei virtus in remittendo eius solius propria. Priuilegia paucorum non sunt in consequentiam trahenda.

Sacerdos Dei minister quē debet tantùm poenitentem absoluere.

Ioan. 5. Infra 8. In Sacramento Poenitentię quid de iure Diuino sit, quid verò de humano.

Quare Dominus paralytico dixerit: Remittuntur tibi peccata tua.

Euthym. c. 9. in Ioan. Secunda ratio & morbi vnde oriantur. Rom. 5.

Errant ergo, qui semper caussas morborum nostrorum ad naturalia referunt, cùm maximè à peccatis oriantur. Ideo ait Christus, *Remittantur*; id est, Volo priùs auferre causam infirmitatis, & posteà sanare. Ideo etiam medici debent priùs animae salutem, quàm corporis curare, quemadmodum

De eorum origine, quorundam falsa opinio. Christianorū medicorum officium, & cura praecipua.

Ierem. 11. *1. Reg. 16.*

videt ea quæ patent: Dominus autem intuetur cor. Et maius est videre cogitationes illorum, vt ait Matthæus, quàm cognoscere, vt aiũt Marcus, & Lucas. Quia cognoscere possumus aliorum cogitationes, ipsis nobis eas detegentibus: at videre, proprium diuinitatis est intima cordium penetrantis.

Videre, quàm cognoscere aliorum cogitationes est præstantius. Scribæ, & Pharisæi, quid de Christo cogitare debuerint: eorum inuidia, & nequitia.

Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? Cogebantur enim ex signis credere, illum esse Deum, vel saltem oppositum non definire. Offendebantur præ inuidia, & malitia, nam frequenter eum viderant etiam cum autoritate morbos fugantem, dæmones eijcientem, vento, marique imperantem, & hæc omnia modo humanas vires superante factitantem.

Quid est facilius dicere, Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, Surge & ambula? Primum quædam circa literam statuenda, deinde triplex quæstio hoc loco examinanda occurrit. Perpẽde igitur illa aduerbia, vtrum est facilius, vel, Quid est facilius, Græcè haberi, τί γάρ ἐστιν εὐκοπώτερον, id est, cur, vel quare est facilius dicere: Græcæ enim linguæ periti fatentur, aduerbium τὶ cum accentu graui significare non vtrùm, sed cur, quare, quamobrem, & aliquid indefinitum: & idem seruatur in τὶς communis generis, pro o quod est quidam, vel aliquis indefinitus homo: Τί verò, & τίς cum accentu acuto significare quid & quis interrogatiuè, & hęc est certa differentia apud eruditos, licèt interdum hæc cõfundi soleant, vel lapsu, vel inscitia scriptorum. Cæterùm in his omnibus locis Matth. 8. *Quid timidi estis*, & cap. 16. *Quid cogitatis inter vos modicæ fidei, quia panes non habetis?* Et Marci 5. *Quid vltra vexas Magistrum?* Et rursus eodem loco, *Quid turbamini, & ploratis?* Et cap. 10. *Quid me dicis bonum?* Et Luc. 6. *Quid facitis quod non licet in Sabbatis?*: Ibidem: *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui?* & paulò post: *Quid autem vocatis me Domine, Domine, &c.* Et cap. 12. *Si ergo neque quod minimum est potestis? quid de cæteris solliciti estis?* Ioan. 12. *Quid autem & à vobis ipsis non iudicatis quod iustum est?* quid exponendum est pro quare, vel cur, & τὶ legendum Græcè, non τί, sicut etiam Ioan. 20. *Mulier quid ploras?* id est, Cur ploras? & Paulus Roman. 14. *Tu autem quid iudicas fratrem tuum?* & 1. ad Corinth. 10. *Quid blasphemor, pro eo quod gratias ago?* Id est, cur blasphemus habeor? Ita hoc loco congruebat verti, Quid est facilius dicere (vt Marcus, & Lucas habent) vel, cur enim est facilius dicere, vt expresè Matthæus loquitur, reddit enim rationem cur cogitarent mala in cordibus suis: Cur, inquit, me vt blasphemum habetis in cordibus vestris, eo quod dixi,

Ioan. 12. *Ibidem.*

Fili, remittuntur tibi peccata tua? Malè ergò cogitabant Scribę, nec se verum Deum, sed purum, & vilem homuncionem, & filium fabri, etsi spiritu prophetiæ insignitũ, existimabant. Idcircò cupiens se ab eis verum & naturalem Dei Filium haberi, & intelligi, bis interrogando dixit, vt eorũ corda ad accipiendam veritatem illustraret, & excitaret: *Vt quid vos cogitatis mala*, id est, Quamobrem malum cogitatis, vbi bonũ cogitandum erat? Et deinde: Quare enim est faciliùs dicere, Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, Surge, & ambula, vt vobis videtur, nisi ne me Filium Dei confiteri cogamini, & detis gloriam Deo, & seruemini? Sed nec cùm sic intelligerẽt, insequentia addidit verba: *Vt autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata:* id est, Vt agnoscatis me non vti cæteros puros homines iactare potestatem quã non habeo, sed vera remittendi peccata facultate præditum esse (tunc ait paralytico) *Surge, tolle lectum tuum, & ambula.* Hæc est apta, & certa verborum Christi consequentia, & contextura.

Matth. 13. & Ioan. 6.

Cur Dominus hoc loco bis Scribas interrogauerit.

Iam ad quæstiones huius loci resoluendas, est vendendum, quas inter prima sit, cur non per Scripturas, se posse remittere peccata comprobauerit, vel testimonio Ioannes qui dixit: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Respondemus, potuisse quidem Dominum Scripturę testimonia producere, at noluisse, quia nihil propterea apud illos profecisset; dixissent enim: Quid ad te de Scripturis illis pertinet? ad nostrũ Messiam, non ad te fabri filium, & peccatorem illæ pertinent: etiamsi Ioanni non ausi fuerint se opponere ob autoritatem eius. Ideò opus erat miraculo probare quòd ad se pertinerent, & ita breuius iter fuit hoc probare miraculo.

Quare potestatem se habere remittendi peccata, ex Scripturis nõ Christus, cùm posset, demonstrauerit. *Ioan. 1.*

Altera quæstio est, Cur non apertè, & disertis verbis dixit se esse Deum? ad quod plures, & optimæ suppetunt rationes. In primis sanè Iudæi eum lapidare tentassent id dicentem: quia minus erat dicere, *Eamus & seruiamus dijs alienis.* quod qui dixisset, Deuteronomij lege damnatus perire lapidibus debebat. Minus etiã erat dicere: *Antequàm Abraham fieret, ego sum:* & tamen poterat esse Henoch, qui fuit ante Abraham: & nihilominus huius rei gratia illum lapidassent, nisi clàm se subduxisset. Item quãdo dixit: *Oues meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me meæ, & ego vitam æternam do eis, &c.* Sustulerunt lapides Iudæi vt lapidarent eum. Minus etiam erat quod dixit apud Matthæum: *Amodò videbitis Filiũ hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & ve-*

Cur idem nõ apertè Deum se esse dixerit. Ratio prima.

Deut. 13. *Ioan. 8.* *Gen. 5.* *Ioan. 8.* *Infra 10.* *Matth. 26.*

nientem in nubibus cœli: & tamen vt reũ mortis illum condemnarunt: quemadmodum & Stephanum dicentem: *Video cœlos apertos, & Filium hominis stantem à dextris virtutis Dei,* lapidibus obruerunt. Ideò res tanta nõ debuit clarè ab initio proponi: sed signis, & virtutibus disponẽdus fuit populus, donec post Pẽtecosten proposita fide acciperetur.

Act.7.

II. Ratio. Ioan.8.

Deinde, quia manifestando se remittere peccata, idem sine scandalo dicebat: sed quia poterat vitare scandalum vel cedẽdo, vt cessit aliàs, vel placando corda, vt interdum fecit, vel ostendendo potestatem suã, vt quãdo vno verbo totam cohortem prostrauit, propterea meritò abstinuit ab aperta, & clara suæ diuinitatis professione.

Infra 18.

III. Ratio.

Tertiò dicendum est, præcipuam causam, quare non se prodiderit Deum, vel Messiam fuisse, quia populus non dissimularet, sed rem exactè persequi vellet, donec vel ante completa mysteria occiderent, vel signis se defendentem crederent Deum: & ita à morte eius abstinuissent, imò eum ab inuadentibus defendissent. Hinc in passione sua tantùm dixit, quando videbat eos contra se furentes, & concitatos, vt neque crederent, neq; dimitterent. Cæco autem nato, & Samaritanæ dicebat se Filium Dei, ac Messiam, quia sciebat inde nullum oriturum scandalum. Si ergò palàm dixisset se Deum esse, vel impediretur passio: si nullo modo Iudęi occiderent, vel excusabiles Iudæi redderentur: quia mutabat Dominus aliquo modo legem, & putarent Iudæi ab Apostolis confictum, quòd Christus Deus esset, vt Porphyrius, secundùm Augustinum De consensu Euangelistarum, blasphemabat. Debuit ergo Dominus medio modo procedere, sicut fecit. Nam aliàs dixit se principium quod loquitur, & Patrem suum dicebat Deum: *quem vos,* Inquit, *dicitis, quia Deus vester est.* Et alibi aiebat Dominus: *Ego & Pater vnum sumus.* Item increpabat non credentes signis, quæ eum Deum ostendebant, se etiam Messiam apertè testabatur, cùm dicebat: *Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones: & non audierunt eos oues.* Et iterum: *Loquor vobis, & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me. Sed vos non creditis: quia non estis ex ouibus meis:* Id est, Estis praui, nolentes credere signis, nedum verbis; quę ita clara sunt, vt à non malè dispositis, facilè possent intelligi.

Matth.26. & Luc.22. Ioan 9. Supra 4. Cæco nato, & Samaritanę se Messiam cur Christus manifestauerit. August li. 2. de consen. Euang.c.25. tom.4. Porphyrij de Christo blasphemia. Ioan.8. Infra 10. Supra 5. Infra 10. Ibidem.

Tertia quæstio est: Quomodo ait, *Quid est facilius dicere*; cum verbo dicere, vnum, vel alterum, perinde sit ęquale? Et quomodo per id quod minus est, probat quod maius est, id est, per sanitatem corporis, remissionem peccatorum? Respondendum est, hic dicere, esse intelligẽdum non nudum, sed cum vi & efficacia operis ipsius, quia dicere Diuinum, est facere: *Ipse enim dixit, & facta sunt*; &, *Verbo Domini cœli firmati sunt*: Et sic problematis Christi sensus est: Quid est facilius, vno verbo curare corporis paralysin, an verò verbo remittere peccata? Qua distinguendi ratione dicere non est construendum cum verbo facilius, cùm æquè facilè sit vtrumque, sed cum sequentibus, vt sic distinguamus: Quid est facilius dicere, Surge, & ambula, an dicere, Remittantur tibi peccata tua?

Cùm perinde facilè dictu sit: Fili, remittuntur tibi peccata tua, ac dicere, Surge, & ambula: alterũ illorum cur facilius esse Dominus insinuarit. Psal.148. Psal.32.

Quòd si quæras, quomodo probet per minus id quod maius est? Respõdeo: multis modis signa Domini ad se inuicem conferri posse: vno modo, respectu Diuinæ potentiæ, alio modo, in se ipsis, tertiò, respectu Diuinæ liberalitatis. Postremò, respectu Iudæorum, apud quos vnum signum erat maius altero. Si ergo conferantur ad se inuicem primo modo respectu Diuinæ potentiæ, quæstioni nullus locus est relictus, quia omnia sunt Deo æqualia, & nihil eius potentiæ difficile, & æquali facilitate sanat infirmũ, remittit peccata, creat mundum, & cõseruat. Omne enim miraculum, id est, admiratio rei excedentis naturã creatam, dicitur respectu nostri, non Dei, quia Deo nihil est miraculum, sed perinde est illi edere miracula, ac nobis comedere, vel loqui, vel ratiocinari.

Quomodo per id quod minus est, Dominus probat quod maius est. Quatuor modis inter se signa comparari valent. Primus modus. Miraculũ respectu cuius dicatur, nostri an Dei.

Secundò, comparari possunt signa inuicem in seipsis: & sic tantò maius est remittere peccata, quàm corpus sanare, quãtò anima maior est corpore. Et in hoc ordine in primo gradu sunt, quæ à natura fieri nequeunt: vt penetratio dimensionum, firmatio Solis, conceptio Filij Dei, inductio formæ gloriosæ in corpus humanum, remissio peccati. In secundo gradu sunt quæ possunt fieri in alio subiecto; vt, dare vitam, & visum embryoni, sed non cadaueri, vel cæco nato: quoniam à priuatione ad habitum, regressum natura non nouit. In tertio gradu sunt, quæ possunt quidem fieri à natura, sed non illo modo, aut ordine: vt, puellam virginem parere: quia potest quidem natura facere, vt puella pariat, sed non virgo. Subitò fieri sapientem, vt contigit Salomoni vna nocte, & Apostolis in aduentu Spiritus sancti; Subitò è Iudæam in Chaldæam deportari, vt contigit Habacuc: In momento curari à morbo, vel febri, vel à lepra; quæ natura quidem posset, sed cum labore, & mora temporis. Maius ergo dicitur miraculum, quo natura est magis elongata ab illo opere, & dispo-

Secundus modus. 3.Reg.3. Act.2. Dan.14.

dispositionibus ad id, quàm ad aliud relatis, vel institutis: quemadmodum habere omnem scientiam in momento, plus est, quàm habere Dialecticam; & in momento curati à decem morbis, plus est, quàm ab vno.

Remittere peccata, quàm corpora sanare, maioris excellentiæ sit, licet, cur tamē non maioris potestatis, & virtutis.

Maioris ergò excellentiæ, ac dignitatis est remittere peccata, quia est operari circa animam, sed non maioris potestatis, quàm sanare in momento corpus. Quia remittere reatum peccati tantùm dicit velle nō exigere ab illo quod debet; sicut homo remittit proponendo in se non exigere. Id tamen velle in Deo, vt perfectè remittat omnibus peccantibus, infinitam potestatem ponit, qua omnium Dominus est. Potest ergò homo docere animam, per quod perficit animam eius, quod est excellentius: sed nō facere album capillum eius, vel nigrum. Angelus etiam bonus confirmare potest lumen intellectus nostri, sed non sanare paralyticum, quod esset miraculum. Sed de hoc, quomodo sit vnum signum maius altero, non videtur in præsenti loco esse quæstio.

Quid Angelus non possit.

Tertius modus
Deus ad quid propensior sit.

Tertiò fieri potest hæc comparatio ad Dei liberalitatem. Et quia Deus pronior est, atque propensior suapte natura ad magna quàm ad parua, quemadmodum Princeps magnifica præstare, quàm parua prōprior est: ideò rectè probat per hoc quod facit id quod minus sibi conuenit, id quod magis ei quadraret, quod eius magnificentiæ, liberalitatique est accommodatius, & magis consonum, & per corporis salutem animæ sanitatem.

Dei solius proprium, non cuiusquam Sanctorum.

Quòd si obijcias, multos sanctos habuisse potestatem sanandi, non autem potestatem peccata remittēdi. Dicemus Dominum rectè propositum suum confirmare, ex eo quòd nullius nomine inuocato solo iussu, & cum autoritate præcipiendo curaret: quam alij Sancti nec habuerunt, nec habere potuerunt, cùm sit solius Dei. Adhæc cùm sanitatem reddiderit paralytico in cōfirmationem eius dicti, quòd posset peccata remittere; efficaciter illo signo est illa potestas comprobata.

Quartus modus.

Theophyl. in Matth.

Quartò possunt comparari hæc, quod ad Iudæos attinet, quibus difficilius videbatur solo verbo curare corpus, quàm remittere peccata, vt ait Theophylactus: quia illud sub aspectum cadit, hoc nō cernitur: illud fingi non potest, hoc verò potest. Et quia nos per corporea apprehēdimus spiritualia, & per sensibilia ea quæ intellectu percipiuntur tantùm; proinde per id quod difficilius videbatur, probat quod facilius apud eos erat, id est, per sanationem corporis, remissionem peccatorum. Atque ita miraculo liberationis à paralysi, & penetrationis cordium, vbi erant peccata, probat Scribis ipsis qui sciebant illa soli Deo cōpetere, se Deum esse: sicut Simoni probauit se Deum, detegendo eius cogitationes. Quanquam aliqui negent, talem infuisse Pharisæis cogitationem, vt remittere peccata leuius putarent, quàm corpora sanare: sed iuxta D. Hieronymi sententiam, vtrumque horum æquè esse difficile, & eiusdem virtutis. Et ita verbum Dicere capiendum est pro eo quod est seriò & efficaciter dicere, eo quòd de blasphemia argueretur Christus, quæ in dicendo consistit, non in faciendo. Magnitudo autem miraculi, vel modus faciendi cum imperio, & in momento, simpliciter non probant Christum esse Deum, quia potest dici quòd homo sic operans Deo sit magis acceptus, iuxta illud: *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Operari tamen illa ad cōfirmationem huius assertionis: Ego Deus sum, & habeo potestatem remittendi peccata, maximè probat Christum esse Deum: quia Deus etiam minimo signo non attestatur mendacio. Hinc id prædicens, erat propheta, sicut Helias qui dixit: *Si homo Dei ego sum: descendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos:* & Samuel, *Inuocabo Dominum, & dabit voces, & pluuias: & scietis, & videbitis quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos Regem:* & Dominus, *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit* (scilicet ad ostendendam deitatem, seu, quod idem est secundùm Iudæos, ad potestatem indicandam in remittendis peccatis) *peccatum non haberent.* Posse ergò peccata remittere, non est inductum vt miraculum, sed vt miraculo confirmandum: quia etsi excedat potestatem naturalem creatam, non est tamē rarum: licèt posset probari testimonio Ioannis, qui dixit: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*

Luc. 9.

Hieronym. in Matt. tom. 9.

Blasphemia quonam modo fiat.

Ioan. 14.

Circunstantiæ miraculi quæ non necessariò arguant diuinitatem Christi, quæ verò sic.

4. Reg. 1.

1. Reg. 12.

Ioan. 15.

Ioan. 1.

Vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (tunc ait paralytico,) Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Id est, vt intelligatis aliquem hominem esse in terra, qui tamen est Deus, & non tantùm est in cœlo, vt vos putatis. Et se vocat Filium hominis, siue, vt Hieronymus ait, filium Adam: quòd si filius, ergò hæres. Quia posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm, vt alibi declarauimus. Nec dixit: Vt sciatis, quòd ego scilicet habeo potestatem remittendi, sed, Filius hominis ob humilitatem, & exaltationem Humilitatis, & veritatem eius:

Cur Christus se vocet Filiū hominis, aut Adæ filium.

Hieronym. in Matt. tom. 9.

Rom. 8.

Esa. 53.

vel ne Iudæi Deum tantùm putarent, vel illum hominem secundùm deitatem non remittere peccata:& vt iudicare, & sedere ad dexteram Dei, ob honorem tribuit suæ Humanitati,ita hic remittere peccata. Habebat autem Christus potestatem remittendi peccata,quatenus Deus est, à seipso, & ex autoritate; quatenus verò homo est, potestatem excellentiæ à Deo communicatam,qua poterat remissionem, siue gratiam cum Sacramento,& sine Sacramento conferre.

Potestatem remittendi peccata Christus vnde habuerit,& qualem.

Quod verò dicitur: *Tunc ait paralytico:* non potest esse vox Christi, sed Euangelistæ est verbum per modum parenthesis interiectæ. Et illud, *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam*; prosecutio est orationis Christi diuertentis sermonem à Pharisæis ad paralyticum, per quem vult illos confutare. Et ne phantasticum signum videretur non tantùm sanitatem, sed etiam robustas vires tribuit ad portandum lectum, vt plus cerneret populus miraculi magnitudinē, & vt Sedulius ait:

Quare Christus dixerit paralytico, Tolle grabatum tuū & vade in domum tuam.

Vectorem ipse suum grata mercede reuexit.

Sedulius in carmine heroico super histor. Euāg.

Et subdit: *Vade in domum tuam.* Vt ita magis clareret signum, & fieret probatio perfectæ sanitatis, & omnes obuij euidentiam miraculi probarent, & sanitate sua domesticos exhilarans, fidei fieret occasio. Et Christus nullum quem sanauit, vel à dæmone, vel morbo, vel morte eripuit, in discipulum assumpsit: tum vt adimat à signo omnem suspicionem, ne fortè verum non sit, tum ne propter se, vel ministrū suum suscitasse vel sanasse existimari possit; tum denique vt innuatur libertas, quam sanati in spiritu à Christo habent, vt possint pro arbitrio suo illa vti; vel abuti. Tolle ergo lectum tuum; vt quod fuit testimoniū infirmitatis, sit testimonium sanitatis. ¶ *Et vade in domū tuam.* Vt non tantùm videaris sanus in præsentia mea, sed etiam in absentia.

Cur Christus neminem à se sanatum, vel à dæmone, vel morbo, vel morte ereptū in discipulum assumpserit.

¶ *Videntes autem turbæ, timuerunt, & glorificauerunt Deum.* Timuerunt quidem, valentem nocere; glorificauerunt verò, valētem benefacere. *Qui dedit potestatem talem hominibus.* Etsi Christus se Deum comprobasset, non cognoscebant tamen Iudæi, imò nec Messiam quidem, vt ex Matthæo constat: ideò dignè non laudauerunt. Non tamen peccabant, quia rudes erant, & quia se vocauerat Filium hominis, & quia Iudæi non facilè similitudini alicuius creaturæ deitatem tribuebant, vt in Deuteronomio dicitur, quemadmodum Gentiles. Fuerunt tamē imperfecti Iudæi: quia plus de Christo poterāt credere ex probatis. Data est autem hæc potestas hominibus, non quidem formaliter: quia licèt reuelet homini quid alius cogitet, non videt tamen cor, neque quomodo cogitat, nec habet potestatem infinitam edēdi signa, nec remittit peccata autoritate, sed ministerio. Et hoc dictū sit, si verba ista Euangelistæ sint: nam si sint turbæ, non oportet vera esse.

Quid quod turbæ viso signo paralytici timuerunt & glorificauerūt Deum.

Matth. 16.

In Iudæis quid laude dignum quid vituperatione.

Deut. 4.

Potestas peccata remittēdi à Deo hominibus vt data sit.

Ex hoc igitur pulchro signo disce in primis testimonia vtriusque naturæ in Christo: humanæ quidem, in nauigatione; Diuinæ verò, in peccatorū remissione, & intuitu cordium & signo sanationis. Secūdò disce, Christum posse, & velle sanare corpus, & animam: sed prius quidem animam, postremò veniet in resurrectione sanaturus corpus. Tertiò, exemplo baiulorum disce, quanto studio debes inseruire proximo tuo, & fide, & precibus eum iuuare. Quartò, exemplo Pharisæorū disce (si paralyticus es in spiritu) quid sit tibi agendū, vt à paralysi spiritus libereris. Est enim paralyticus, homo lapsus sine fræno iustitiæ originalis, quo animæ membra reguntur: quo homo redditur homo insensibilis ad Diuinam suauitatem, immobilis ad bona opera, habet continuum illum tremorem, de quo Propheta ait: *Trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Baiuli, sunt docentes ægritudinem, & medicum. Ascensus super tectum, contemplatio est æternorum bonorum: vnde spes nouæ vitæ. Funes tenentes eum, precationes sunt. Debet denique confidere in Domino: quia potest omnia sua imperfecta supplere. Debet surgere à somno peccati, & à prauæ lecto consuetudinis, cōsiderando vbi prostratus fuerat: q̄ fit per confessionem. Vt enim qui surgit, ita & qui confitetur, se prodit. Debet tollere lectum, quod pertinet ad satisfactionem: quæ cùm iniūgitur, quasi onus quoddam portatur. Caro etiam, quæ vt lectus delectabat, & portabat spiritum mortuū, post remissionem & satisfactionem debet esse homini instar oneris, vt illi erat, qui dicebat. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Postremò debet ire in domum suam, nempe conscientię, vt in ea habitet, extra quam erat peccator. Qui enim à Christo sanantur, ad se redeunt, vt prodigus, & apud se habitant. Debet etiam paralyticus dirigere pedes suos in viam pacis, id est, cælestis Ierusalem, ad quam Dei gratia possidendam & creati, & regenerati sumus, ita vt dicere valeamus: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domū Domini ibimus:* Quę etsi domus Dei sit, nostra tamen reddita est iure gratiæ Christi, & obedientię in exequendis mandatis. Et dixit in plurali, *In domum Domini ibimus:* quia non tantū pro nobis,

Paralytici à Domino curatio, quatuor nobis documenta subministrat.

Paralysis spiritus quomodo curetur, & quænā illa sit.

Psalm. 13.

Paralytici hominis à Domino sanati secundùm spiritum officia.

Rom. 7.

Luc. 15.

Iusti dirigere pedes suos debent in quam viam pacis.

Supra c.

Psal. 121.

Expenditur illud Prophetæ: In domum Domini ibimus.

nobis, vt in illam ingrediamur, sed etiam pro alijs precādum est. Ibimus etiam: quia non solùm anima, sed etiam corpus cum illa coniunctum, illam cœlestem gloriam possidere debet. Dicet enim in resurrectione Dominus: *Surge* (scilicet à morte) *tolle lectum tuum* (id est, corpus gloriosis dotibus ornatum assume) *Et vade in domum tuam*, id est, in æternam, & cœlestem mansionem, præstante Domino nostro Iesu Christo, cum Patre, atque Spiritu sancto in cœlo gloriosè regnante, in secula seculorum. Amen.

TRACTATVS XV.

In quo agitur de suscitata filia Archisynagogi, & curata Hæmorrhoyssa: & habetur Matt. 9. Marc. 5. & Luc. 8.

Ratio ordinis historiæ.

SIGNVM superius consecuta est vocatio Matthæi, & disputatio de ieiunio cum discipulis Ioannis, & Pharisæorum: his autem coniuncta sunt duo hæc miracula, quę Matthęus breuitati ferè in recensendis miraculis studens, Christi verò verba, & sermones accuratiùs describens, paucis est complexus, Marcus verò, & Lucas latiùs sunt prosecuti, vt sunt ferè in narrādis miraculis Christi prolixiores, & diligentiores. Quæ ergo à Matthæo breuitatis caussa omissa sunt, ab eis diligentiæ studio sunt explicata. Hinc facilè erit, soluere difficultatem, quomodo Marcus & Lucas scribāt, filiā Archisynāgogi esse in extremis, Matthæus verò, *Domine, filia mea modò defuncta est*. Dicendum enim, Matthæum breuitati studentem, posuisse non tam eam petitionem, qua primo aggressu Dominū est precatus, quàm eam, quæ postea nuntiata filiæ morte Dominum orabat: idque non verbis, sed fide potius, & animi desideriū verbis Domini salutem filiæ pollicentis, credendo, eumque deducendo, & sequendo in domum: quod quidem Matthæus facit sine falsitatis, & mendacij nota. Quia ergò paucis narrare voluit, rogasse Dominum vt faceret quod fecit, secundam Principis huius petitionem signo magis quàm verbis expressam, cum prima eius petitione coniunxit. Potest & aliter cōtrouersia hæc componi, vt intelligatur Princeps dixisse vtrumq; sub disiunctione, hoc modo: Domine, filia mea in extremis est, aut etiam verè modò defuncta est.

Archisynagogi filia quomodo erat in extremis, vt Marcus & Lucas docent, si, vt Matthæus refert, defuncta iam erat?

Altera solutio illius difficultatis.

Sed iam ad textū accedamus, Matthæi literam exponentes, & ex alijs quæ defuerint, supplentes, & mysteria horum signorū postremò aperientes. Ait ergò: *Hæc illo loquente ad turbas.* Etsi enim loqueretur discipulus Ioannis, aderat tamen turba quę cōprimebat. Et illi locutus est Dominus, ne scandalū acciperet de interrogatione Pharisæorum: *Quare nos, & Pharisæi ieiunamus frequenter, &c.* forte ad idē malitiosè inducta, ne etiā animo diuertatur ab historia ad cogitandū quid, & quare discipuli Ioannis, & Pharisæi loquebātur. Iesus autem, qui tam sapiens est, vt à Patre, & Spiritu sancto intelligatur, & qui ab Angelis nō capitur, dignatus est se turbæ accommodare, vt illam doceret, vt hac ratione confundat eos qui operantur, linum plectentes, & texentes subtilia, & non loquentes de his quę ad salutem spectant, nec se capacitati, tarditatique populorum accōmodant. Debet enim Doctor Ecclesiasticus, & prudens, imitari bonum illum pastorem Iacob, qui dixit fratri suo Esau: *Nosti, Domine mi, quòd paruulos habeam teneros, & oues, & boues fœtas mecū: quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges. Præcedat dominus meus ante seruum suum, & ego sequar paullatim vestigia eius, sicut videro paruulos meos posse.*

Cur ad turbas Dominus locutus sit.

Christo dissimiles qui. Esai. 29.

In Iacob ouiū pastore Euangelicus Doctor quàm pulchrè describitur. Gen. 33.

Ecce Princeps vnus accessit. Alij Euangelistæ declarāt eius principatum. Erat enim Princeps Synagogæ, cuius autoritate congregabantur, vel ad orandum, vel ad tractandum de Republica. Vt enim tenderent ad verum cultum spiritualem, voluit esse plura loca orationis, vel doctrinæ, & vnū tantùm sacrificiorū. Et quia multi erāt, dicitur vnus de Archisynagogis. Et nomē eius ponitur ab alijs: dicitur enim Iairus, id est, illuminans, vel illuminatus: quia erat notus, quando Euangelistæ scripserunt. Et quia pauci ex illis crediderunt, dicitur apud Ioannem: *Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis?* Vnde ob maiorē partem malorum, boni non sunt despiciendi, neq; eorum bonus status contemnendus.

Principes Synagogæ quid curarent.

Iairus quid sonet.

Ioan. 7.

Adorabat eum. Non cultu latriæ, quia dixit: *Veni, impone manū tuam super eam, sed procidens ad pedes eius*, vt Marcus ait. In quo honor Christi videtur quòd procidit, & confusio Pharisæorum. Et huiusmodi principes melius afflictione humiliantur, etsi saperent, illud deberent facere, quando beneficijs Dei obruuntur, maximè timentes, ne hic tantùm benedicātur cum Esau: & quia iam Deus Emmanuel pauperum est factus, neque amplius opus est lacte beneficiorum temporalium.

Archisynagogus vt Christum adorauerit. Marc. 5.

Quæ se maximè principes Deo humilientur. Gen. 27. Esai 7. &

Dicens, Domine, filia mea modò defuncta est: sed veni, impone manū tuam super eam, & viuet. Dominum vocat ex afflictione reddente eum humilem ad donū facilius impetrandum.

Matth. 1. Christum, Dominum cur vocet Archisynagogus.

Quia in re melius Deus agnoscitur à nobis.

dum. Et nos etiam in tribulatione melius agnoscimus Dominum: quia in prosperitate quasi nobis parem, & sine reuerentia tractamus, & quasi nobis obligatum iudicamus. Ait, filia mea, non prænarrans se habere filiam: qui enim amat, omnes existimat cognoscere rem à se amatam. Et vt Lucas ait, hæc puella erat nata annos ferè duodecim. Et ait: *Modò defuncta est.* Marcus verò, *in extremis est*, at Lucas, *Hæc moriebatur.* Ergo, vel mortua est, dixit per hyperbolē, vt solent exaggerare qui amāt, teste Chrysostomo. Vel secùdùm Euthym. primò dixit in extremis relictam, vt ait Marcus, deinde verò aduenientibus nuntijs, renuntiauit eam esse iam mortuam: propterea dixit: *Mortua est*, sed de huius dubij dissolutione satis est in principio huius Tractatus dictum. Est autē acerba & luctuosa mors filiæ puellæ, quæ iam nubilis esse incipit, vnde Satyricus quidam dixit:

Luc. 8.

Amantium ingenium.
Chrysost. ho. 32 in Matth. tom. 2
Euthym. c. 15. in Matth.

Natura imperio gemimus, cùm funus adultæ
Virginis occurrit.

Iuuen. sat. 15.

Illius Archisynagogi rudis, & indocta simplicitas.

Dixit autem: *Veni, impone manum tuam super eam*: quia rudis & crassus erat, putabat Dominum per contactum agere, quemadmodum omnia agentia naturalia operantur: vel saltem contueretur illum Prophetam sanctum, quia olim Prophetæ tangebant locum plagæ, vt existimabat Naaman Syrus; non autem credebat Deum esse, & vbique existentem: qui vbique præsens est, & ad omnem operatur distantiam. Et licèt hoc esset in Capharnaum ciuitate Matthæi, in qua paulò post curatus fuit absens seruus Centurionis: non tamen tanta fide. vt ille præstabat. Et tametsi præcessisset signum curationis serui Centurionis, putasset minus esse sanare paralyticum absentē, quàm suscitare mortuum: existimasset etiā Christum Prophetam, cui non semper adesset gratia signorum. Hoc itaque vt incredulus dixit, quemadmodum & Regulus, qui petebat vt descenderet antequàm moreretur filius eius, & vt ille qui dixit: *Si quid potes, adiuua nos, misertus nostri*: qui tamen viderat in alijs dæmonia expulsa. Quod vltimò dixit: *Et viuet*, id est, sana erit: plus credidit secundùm August. quam Regulus, qui eius descensu ad puerum credidit mortem præueniendam, non autem à morte quam incurrerat, subleuandum.

4. Reg. 5.

Eiusdem fides quam exigua.
Matt. 8.

Qualis illa.
Ioan. 4.

Marc. 9.

Cui anteponenda
Aug. lib. 2. de consen. Euāg. ca. 28. tom. 4.
Ioan. 4.

Et surgens Iesus, sequebatur eum, & discipuli eius. Non diligit Dominus verbo & lingua, sed opere & veritate, & promptum se exhibet ad benefaciendum etiam his, qui se oderūt. Nam apud Lucam dicitur de quodam simile Principe: *Respondens autem Archisynagogus, indignans quia Sabbatis curasset Iesus.*

Christi erga nos dilectio qualis.
1. Ioan. 3.
Luc. 13.

Marc. 5.

Marcus addit, quòd abijt cū illo, & sequebatur eum turba multa, & comprimebant eum: *Abijt cum illo*, inquit, docens nos suo exēplo non frustra preces nos ad eum fundere, qui tam exorabilem omnibus se præbebat, ac decere nos maximè, qui ei[9] discipulatum profitemur, vt omnibus nos exorabiles reddamus. Volebat Dominus multos habere testes, & spectatores signorum suorum, vt eorum salutē promoueret spiritualem: & Dominus sæpè varia, & contraria, & faciebat, & præcipiebat, sed non sine caussa. Præcipiebat occultari signa aliquādo, interdum etiam propalari illa volebat; nunc absentes, nūc præsentes curabat, nūc solo verbo, nunc solo tactu, nunc vtroque, interdum sine fide, interdum verò fidem exigebat. Noluit descendere cum Regulo in domum eius, sed increpauit, vt crederet; hic autem pergit cum incredulo, vt māsuetudinem suā ostēderet, & vt curaret in via Homorthoyssam, & ederet signum suscitationis, quod magnū erat apud Iudæos.

Exorabiles nos omnibus exhibere quo Christi exemplo doceamur.

Cur Christus in domum huius principis descenderit.
Ioan. 4.
Matth. 9.

Et ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur. Quænam fuerit hæc mulier, dubiū est. Quidā ex Ambros. existimant fuisse Martham: ait enim Ambros. lib. de Salomone: *Dum largum in sanguine fluxū siccat in Martha, dum dæmones pellit ex Maria, dum corpus re diuinus spiritus calore cōstringit, &c.* Hæc ille. Ex cuius verbis non elicitur, nisi quòd Marthā à profluuio sanguinis liberauerit: non autem quòd fuerit hæc, de qua in Euangelio hoc est sermo. Ad hæc Nicodemus refert, quòd hæc fuerit nominata Veronica (nam & in libro apocrypho potest aliqua veritas delitescere.) Item Martha diues erat, domui sui Dominum excipiens, ista autem expenderat omnes facultates suas in Medicos, vt sanitatē recuperaret. Præterea illa habitabat in ciuitate aliqua Galilææ, ista in Bethania prope Ierusalem. Quod verò dicitur: *Quæ sanguinis fluxum patiebatur.* Græcè vna tantū voce αἱμοῤῥοοῦσα, & interpres periphrasticè vertit illis quatuor verbis. Et intellige hoc profluuium extra tempora menstrui, & per partem anteriorem, vt explicatur in libro Leuitici. Hæmorrhoydes autē, capita sunt venarum, vel extrema turgentia, & sanguinem quandoq; fluentia, sed in parte posteriori. Hic ergo fluxus, à quo curata est hæc mulier, non est ille hæmorrhoydarum, etsi Doctores vocēt eam Hæmorrhoyssam: sed vt diximus, qui per partes anteriores fluit, & de illo expressa fit mentio in libro dicto Leuitici. c. 15. Et interposuit Dominus miraculum mulieris istius, vt fides principis corroboraretur, & doceat, ne occasionem benè operādi, si occurrat, amittamus: quia

Quænam fuerit hæc mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur.
Prima opinio.
Ambros. lib. de Salomo. c. 5. tom. 4.
Luc. 8.

II. opinio.
Euangelium Nicodemi.
Luc. 10.

Ioan. 11.
A quo sanguinis profluuio Christus mulierem illam liberauit.

Leuit. 15.
Hæmorrhoydes quid.

Cur interposuerit Dominus curationem mulieris istius.

hæc

hæc est merces prioris boni operis, vt solet esset eleëmosyna eleëmosynę prioris. Subdit: *Duodecim annis.* Hoc additur, vt magnitudo morbi & signi ostendatur, & occasio misericordię exhibendę: quia extra vrbem erat, vt præcipitur in Leuitico, & illac transiturus erat Dominus è domo Matthæi in domum principis. Differt autem Dominus beneficia propter bonum nostrum, proinde non statim desperandum est, nec Deus iudicãdus. Quia poterat ab initio per medicos curare, & expensas excusare, sed voluit eam fiduciam collocare in Deo solo, & nouerat Dominus expedire, & sic purgari, & ad cœlum pergere, & esse materiam alijs vt conuertantur. Nec reijcienda propterea ars Medicinę, vt Anabaptistę ex hoc loco colligunt, & ex eo ꝙ Scriptura reprehendit Asa Regem propter vsum Medicinę, sed certe stulte colligunt: Nam eadem ratione cib. magni morbi est medicina, id est, fami, cui per cibum occurritur. Nec Asa reprehenditur, quod vsus sit Medicina, verum ob id tantum, quod Dominum non quæsierit, sed Medicos, præferendo Deo Medicos. Adhæc Salomõ Medicinam donum Dei esse demonstrat, & Medicos honorandos: *Honora*, inquit, *medicum propter necessitatem. Etenim illum creauit altissimus. A Deo est enim omnis Medela.* Et rursus: *Altissimus creauit de terra Medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam*: & alibi: *Ante languorem adhibe Medicinam.* Ne ergo quisquam erret cum Asa, agnoscat pius morbo correptus se à Domino corripi, ne cũ impijs damnetur: & ideo ad corripientem patrem se primo debet conuertere per fidem, & pœnitentiam, deinde etiam ad Medicos. Euangelistæ autem non voluerunt hoc loco Medicinæ vsum improbare, sed indicare morbi grauitatem incurabilis, & consequenter miraculi magnitudinem, & ostendere quod omnis Medicina sit ex se inefficax, nisi Deus tribuat illi virtutem.

Quare a nnis duodecim pro fluuio sanguinis dicitur laborasse. — *Leu. 15.* — *Differat cur Dominus beneficia.* — *Quam stultè ex hoc loco Anabaptistæ Medicinæ vsũ damnas b. lem arguentur.* — *2. Paral. 16.* — *Eccle. 38.* — *Medicinæ laudes ex lib. Sap.* — *Ibidem.* — *Sup. 18.* — *1. Cor. 11.* — *Medicina quatenus vtilis & efficax sit.*

Marcus latius de hac infirmitate sic locutus est: *Et mulier quæ erat in profluuio sanguinis annis duodecim, & fuerat multa perpessa à compluribus Medicis, & erogauerat omnia sua, nec quicquam profecerat, sed magis deterius habebat: quum audisset de Iesu, venit in turba retro & tetigit vestimentum eius, Dicebat enim: Quia si vel vestimentum eius tetigero, salua ero. Et confestim siccatus est fons sanguinis eius, & sensit corpore quia sanata esset plaga.* Hæc ille. In quib. vides exemplum maximæ fidei. Morb. enim grauis, & abominabilis erat per se: diuturnus, quia durauerat per duodecim annos: fuerat molestus, quia Medici magis illam cruciabant intẽpestiuis suis medicinis: fuerat morbus acerbus, quia omnia eius bona medici deuorauerant, & iam non tantum sanitate, sed etiam facultatib. erat destituta. Sexus pudor, ac morbi fœditas obstabat quominus faceret quod fecerat Archisynagogus. Audita ergo potentia, & benignitate Christi in tot morbis curandis, admirabilem concepit fidem ex auditu, nec dubitat quin solo attactu vestium Christi, etiã inscio Christo, sanitatem recipere posset. Vbi ergo cessat omnis humana industria, & spes in Medicis, vel facultatibus, tunc tandem incipit se prodere diuina potẽtia, & vicinior esse salus.

Marc. 5. — *Hæmorrhoysſæ in Christũ insignis fides.* — *Vbi se exerat diuina potentia.*

Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius. Ex humilitate retro accessit, & vt lateret, & quia oportebat alias perrũpere turbam præcedentẽ, & Christum sistere. Habebant autẽ Iudæi in quatuor angulis palliorum fimbrias hyacinthinas, vt recordarentur diuinorum præceptorum, & cœli ipsius, vt habes in lib. Num. & Deut. Voluit enim Dominus populum suum distingui à cæteris gentibus, nõ tantum secreto signaculo circumcisionis indelebili in carne, sed etiam habitu externo in vestimento. Quẽadmodum etiam hodie Religiosi certum & signatum vestitus genus gestant, vt ita illi præ alijs nationib. se religiosos agnoscerẽt. Et ex humilitate, & fide hæc mulier tetigit fimbriam, cũ posset faciliùs multo, vel carnem, vel partẽ superioris vestis quã fimbriam tangere, quasi indignam se agnosceret quæ carnem, vel vestẽ eius contingeret, sed id ꝙ in vestimento minimum erat. Aliqui tñ contactum potius fimbrię, quã alterius partis referũt ad id, quod esset insigne sanctitatis, & distinctionis illi⁹ populi à reliquis gentibus: vnde Pharisęi quo sanctiores apparerent, fimbrias has magnificabãt, & Zacharias ait de dieb. Messiæ: Apprehẽdent decẽ homines ex omnib. languis gentium, & apprehẽdent fimbriam viri Iudæi, dicentes: *Ibimus vobiscũ, audiuimus enim, quoniam Deus vobiscum est.* Vbi per virum Iudæum, teste Hieron. intelligitur Christus, cum quo Deus erat mirabili modo. Hinc plerique offerentes ægros suos Domino, precabantur vt liceret eis vel fimbriã vestimenti eius tãgere: ita modo ex deuotione & fide hominum Religiosũm alicuius sancti osculantur, expectantes ex tali cõtactu aliquod beneficium. Et maior hæc humilitas, quæ vix se dignam putat vestem cõtingere, humilitate peccatricis, quæ se ad pedes Christi prostrauit, illosque lacrymis rigauit, vnguento vnxit, & osculata est.

Matth. 9. — *Cur retro accesserit hæc mulier, vt Iesum tangeret.* — *Quare fimbrias hyacinthinas in vestib. gestarent Iudæi.* — *Num. 15.* — *Deut. 22.* — *Gen. 17. & Leu. 12.* — *Humilitas Hæmorrhoysſæ quam profunda.* — *Alia ratio quorundam de vsu fimbriarum in vestibus apud Iudæos.* — *Matt. 23.* — *Zach. 8.* — *Decem homines cuius fimbriam viri Iudæi apprehendere debebant vt dixit Zach.* — *Hiero. in Zachar. c. 8. 10. 6.* — *Matt. 14.* — *Verè magna humilitas quæ* — *Luc. 7.*

Dicebat enim intra se, si tetigero tantum vestimentum, &c. id est, ex fide ita concipiebat,

Ad signa obtinenda quid sit necessarium.

quod ad tactum vestis Christi sanaretur. Atque ita exprimitur virtus Christi, & fides eius. Qui enim sine fide tangebant, non curabantur: vt enim obtineamus signa, opus est fide. Vnde non est casu curata: sensit enim virtutem quæ exierat à se, & illa senserat quod fons sanguinis eius desiccatus esset, vt Marc. testatur. Et quia immunda erat, & illam tangens polluebatur, ideo tangens accessit, quia immunda timebat repulsam, saltem à turba, & quia verecunda erat ægritudo, vt eam exprimeret. Et nō verbo aliquo, sed corde, & fide petijt: & Christus concessit, quia non petiuisset præ verecūdia, vt cōmendaretur fides, & Christi tot modis morbos sanandi potestas exerceretur, & vt Iudæi rudiore ratione intelligerent eum plenū salutari virtute, & princeps præsens in fide magis firmaretur. Et Christus nō erat subiectus legi, vt tangens prohibita, vel tactus à prohibitis (vt dicitur in Leu.) inde coinquinaretur, sed mundabat potius. Et autor naturæ vt magneti dedit naturam attrahēdi ferrum, ita vesti dabat vim sanandi ex fide tangentem: vt hoc loco docet Hilarius. Hunc locum Marcus, & Luc. supplent: aiunt enim quod vbi tetigit, statim siccatꝰ est fons sanguinis, & sensit quia sanata esset plaga. Christus quia vi infinita præditus, in instanti poterat inducere formā, & disponere subiectum: ideo nulla requirebatur in corpore infirmi dispositio, sed fides tantum in mente.

Hæmorrhoyssa cur tangens ad Christum accedere voluerit, eadem quomodo sanitatem petierit.

Christi priuilegium.

Hilar. can 9. in Matt.

Diuina Christi virtus & potentia vnde colligitur.

At Iesus conuersus, & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te saluam fecit. Hunc locum fusiori sermone explicāt alij, ait enim Marcus: *Et statim Iesus in semetipso cognoscens virtutem quæ exierat de illo, conuersus ad turbam aiebat: Quis tetigit vestimenta mea? Et dicebant ei discipuli sui: Vides turbam comprimentem te, & dicis, Quis me tetigit? Et circumspiciebat videre eam quæ hoc fecerat. Mulier vero timens, & tremens, sciens quod factum esset in se, venit, & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem. Ille autem dixit ei: Filia, fides tua te saluam fecit: vade in pace, & esto sana à plaga tua.* Vides quanta breuitate Matth. perstrinxerit, quæ Marc. tam latè disseruit? Circa illud, quod Christus sensit virtutem de se exisse, aduerte diuinam virtutem, quæ nihil aliud quā Deus est, exire non posse, quia vbiq; est, & nō est corpus, creata vero virtus signum edere nō potest. Ergo nihil exiuit, sed rudes & idiotas instruere voluit, se habere potestatem sanandi homines, quasi vas quoddā virtute plenum vndiq; effluens. Egreditur ergo virtus à Christo, nō à loco in locū migrans, sed ratione effectus, quoniam manens in Christo, extra ipsum operabatur in muliere.

Marc 5.

Per id quod Christus sensit virtutem ex se exiuisse quid insinuauerit.

Quomodo hæc virtus à Christo exierit.

Sicut cōmunicatur doctrina alijs discētibus, quæ tamen in doctorib. ipsis manet: vt pulchre ait Theophyl. Humanitas vero Christi, vel corpus non ita sanabat, quasi in se ipso vim quandam sanandi haberet: nam oporteret illam esse infinitam, cuius humanitas finita non est capax: essetque tantum principale agēs ipsum corpus vim operandi in se habens. Sanabat autē vt proprium organum deitatis, seu vt instrumentum artificiale, quod non solum dicitur agere, vt quidam sentiunt, quod eo posito solus Deus agat, sed quia verè instrumentū agit non per aliquam formam, quæ ipsi insit, sed per virtutē, quæ est motus ipsius instrumenti à principali agente Deo. Et hæc videtur sententia probabilior, & Christi gloriam illustrare magis. Sanabat autē tangens, vt ipse sanans videretur, Humanitas honoraretur, fieret manifestū non credentibus, quod in absentia posset sanare secūdum suā fidem. Quod si dicas, corpꝰ Christi esse vnitum verbo diuino: Respōdemus cum Episc. Abulensi in hunc locum, vnionem terminatam ad esse, id est, vt homo sit Deus, nō autem ad operari: quia ille homo principia humanarum operationū habebat sufficientia, cum haberet animā, & non erat Deitas sibi principium alicuius operationis in eo, sicut nec in nobis: quia ad omnia opera æquè tota natura diuina, & personę cōcurrunt. Ideo nō solus Filius homini vniendus erat, vt in incarnatione, sed etiam tota Trinitas. Dicitur cognouisse Christus in semetipso virtutem quæ exierat, & Euangelista idem asserit, nō quod hoc cognouerit ex corporis sui sensibili aliqua mutatione, sed cognouit spiritu suo diuino, quē nihil latere potest. Ad hęc Christꝰ, qui alias edita à se miracula abscōdi quærebat, & nulla ratione prædicari, tamen voluit vt pateret hoc miraculum, vt vtile esset omnibus, & quia nouum erat, scilicet non rogatum sanare, & occulta cernere, & vt fides mulieris manifesta redderetur, & cresceret, & per eā alij ad credendū excitarentur. Et quia crediderat mulier se posse latere, voluit eius imperfectā fidem perficere, declarādo hoc ipso quod detexit nihil ipsum latere posse. Item, vt pater puellæ defunctæ animaretur, & fides Archisynagogi à fide Hemorrhoyssæ, tanquam lampas ab igne accenderetur, & Hæmorrhoyssa de furtim habito miraculo timorē iræ Dei, vel scrupulum non haberet, vt Theophylactus annotauit. Dixit ergo: *Quis me tetigit?* nolens ipse explicare modum miraculi, vel indicare eam quæ tetigerat, vt mulier spontè confiteretur signum, vt attentam redderet

Theophyl. in Marc.

Christi humanitas vt sanaret, ac signa ederet.

Cur Christus tangendo sanaret.

Episc. Abul. quæst. 102. in Matt.

Vnio humanitatis cum verbo diuino ad quid fuerit terminata, vt dixit Abulensis.

Qua ratione Christus dicatur cognouisse in semetipso virtutem quæ ex se processerat.

Quare notum esse voluerit hoc signum Dominus.

Theophy. ibi.

Quare Christus dixerit: Quis me tetigit, cum rem probè nosset.

turbam, & vim suam perciperẽt, & tactum per fidem. Nec dixit: Tu me tetigisti, vt mulier mereretur confitendo, ne videretur extorta confessio, sed rei series narraretur, & Christus eius fidem conuenienter laudaret. Non debuit tamen ipsa signum confiteri Christo tacente: quia turba non attenderet mulieri, vt Christo attendebat, nec ita crederet, videretur etiam Christus signi sui nescius. Quamobrem, vt ait Marcus, circumspiciebat vt videret mulierem, quia recesserat volens latere, & vt serio de se exisse virtutẽ monstraret, & ne eam tantum aspiciendo, videretur illusio, & vt mulier cõfiteretur ore suo signum, & vt dum in his immoratur Dominus, veniant nuntij, & omnes intelligãt puellam mortuam. Volebat autem latere, quia morbus turpis erat, & quia timebat Christi indignationẽ ob sanitatem furtim ablatam, & timorem turbę, quę tactu contaminabatur. Putabat autem posse latere, quia tantũ Prophetam, licet maximum, Christum putabat, & turba contraheret immunditiam, vt habetur in Leuitico, à qua contrahenda non excusabatur per ignorantiam, vt traditur Num. 5. aut per inuoluntarium simpliciter, vt ibidem dicitur, vbi agitur de mortuo coram Nazarço, nec secundum quid, vt c. 11. & 15. Leuit. præscribitur, Christus autem tactus à muliere immunda, nõ polluebatur, quia non subiacebat legi, nã Deus erat. Et etiam quia lex data erat à Deo, & non poterat obligare illum, cum lex solum sit ad subditos, quib. datur. Quanquam etiam dicatur ab Apostolo factus ex muliere, factus sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret: tñ quia spõte factus est, poterat in illã dispensare, tanquam autor eius, & ideo ad illam nõ adstringebatur. Deinde quia etsi fuisset purus homo, dum tñ signa ederet, & ægritudines sanaret, non indicaret se incurrere immunditiam, cum ipse immunditias tolleret. Vnde vel leprosum sanauit tangẽdo, & tamen lepra principatum habet inter omnes immunditias, vt constat ex lib. Num. vbi primum leprosi iubentur eijci de castris. Alij autem non iudicarunt se incurrisse immunditiam, tangendo illam, quæ à Deo curabatur; vnde nec curarunt lauare vestimenta sua tanquam immundi homines, sicut in lege præcipitur.

An si Christus signum tacuisset, Hæmorrhoyssa illud debuerit confiteri, nec ne.

Quare Christus circumspexit vt videret mulierem, teste Marco.

Cur latuerit hæc mulier.

Eadem qui putauerit se latere Christum posse.

Leu. 15.

Iudæi quas cõtraherent im munditias legales.

Ab ijs cur immunis Christus.

Exod. 19.

Gal. 4.

Quatenus legi subiacuerit, secundum Apostolum.

Matth. 8.

Præcipua legis immunditia.

Num. 5.

Leu. 15.

At Iesus conuersus, & videns eam, dixit: confide filia, fides tua te saluam fecit. Id est, bono esto animo, nec timeas sanitatem à me tibi eripiendam: adeo enim hæc tua fides mihi nõ displicuit, vt etiam ipsa fuerit tuę salutis causa, illam impetrando, & promerendo: quomodo & non efficienter fides saluum facere sæpe dicitur. Noli ergo timere: quia, vt testatur Mar. & Luc. videns mulier quia non latuit, procidit ante pedes eius. Vel confide, id est, cresce in fide: quia credebat prius posse latere. Vel deniq; confide, perseuerando in fide quam habere cœpisti: quia multi sunt qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.

Quid est: Confide filia, fides tua te saluam fecit.

Luc 8.

Dicitur salua facta seu sanata mulier ex illa hora. At quomodo hoc verum esse potest? nam confestim vt tetigit, siccatus est fons sanguinis, & sanata est mulier à plaga illa, & Dominus dixit, antequam loqueretur mulieri: *Ego noui virtutem de me exijsse*: per quod verbum significat effectum curationis mulieris. Ad hæc si nõ fuisset sanata, nullam causam habuisset Christus dicẽdi: *Quis me tetigit?* cum per tactum adhuc nihil esset factum. Dicẽdũ igitur, quod cum dicitur, ex illa hora, intelligendum est de hora, qua Christum mulier tetigit, & nõ de illa, qua Christus hæc locutus est: vt recte exponit glossa. Quod vero ait Marcus: *Vade in pace, & esto sana à plaga tua*, non significat, ante sanam nõ fuisse, cum apertè Marcus dicat, in tactu vestimenti siccatum fontem sanguinis, sed sensus est: esto sana à plaga, id est, placet mihi quod sana permaneas à plaga tua, nec displicet furtum, vt interpretatur Orig. qui ait: *Eandem sanitatem quã assecuta est mulier ex contactu, verbis confirmauit Saluator.* Quia sæpe Dominus dona quæ contulit, surripit, quia non constanter confitemur ei, & ingrati sumus: ideo firmat factum. Et quod dicitur, à plaga tua, Græcè est, à flagello, vt sciamus morbos flagella esse Dei: & cum infirmitas est à Deo volente, non prosunt Medici. Ideo suadendi essent infirmi, vt ad Deum primo, & ad Sacramenta confugerent, vt sic tacta fimbria sanentur.

Quomodo salua dicitur facta fuisse mulier ex illa hora.

Mar. 5.

Luc 8.

Ibidem.

Glossa.

Qui accipiendum illud: Vade in pace, & esto sana à plaga tua.

Origen.

Expenditur hæc lectio Græca: Esto sana à flagello tuo.

Quod vero dixit: *Fides tua te saluam fecit*: dubium est, quomodo fides imperfecta per quam ista putabat se posse Dominum latere, eam saluam reddere potuerit? Dicendum est, hanc mulierẽ habuisse fidem Theologicam, credẽdo illum Prophetam, sanctum Dei, & Messiam: etsi non crederet Deum, quia articulus Trinitatis nondum erat expressè prædicatus. Vel habuit fidem, id est, confidentiam, quæ necessaria est ad impetranda, vel edenda signa, & de hac ait, fides tua, id est, à me tibi donata, & qua bene vsa es, ista non efficienter, neque formaliter, sed per viam impetrationis signi te saluam fecit. Vel fides tua, id est, virtus mea à te credita, iuxta illud: *Fides autem Catholica hæc est, &c.* Quod ergo Dominus fidei sanitatem tribuat cum ipse esset eius

Quomodo fides imperfecta, per quam mulier ista latere se Dominum posse credidit, eam saluam reddere potuerit.

Aliæ solutiones nec falsæ, nec incongruæ.

Symbolum Athanas.

Cur Dominus fidei sanitatẽ

tribuat, cùm ait: Fides tua te saluam fecit, cùm fidem plenam non haberet.

eius principalis autor, id ad commendandam in se fidem factum est, & in humilitatis exemplum, & vt doceret fimbriam contactam ex se non sanasse, sed sanitatis beneficium potiùs ex contactu consecutam propter simplicem tangentis fidem.

Hæc historia iuxta spiritum quo tendat.

Instruimur autem ex hac historia, inprimis modum consequendi dona Dei, si nó violentia, vt raptores, Martyres, Doctores, & Virgines, de quibus: Regnum cœlorum vim patitur, & violēti rapiunt illud, saltem occulto furto, vt Nicodemi instar noctu ad Iesum veniētis furtim illa obtineamus, dum videlicet quis sub habitu seculari viuens in mundo, occultè sequitur Christi vestigia, & ex humilitate non audens petere, magis petit, & ita furatur. Nam quid oremus sicut oportet, nescimus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus: quia secúdùm Deum postulat pro sanctis. Hinc Zachæus ascendens in arborem sycomorū, occultè obtinuit habere Christum hospitem domi suæ, & latro petens à Christo memoriam in regno, obtinuit paradisum. Hinc Ecclesia docēs nos hoc sanctum furtum, ait: *Vt dimittas, quod conscientia metuit, & adijcias, quod oratio non præsumit.* Secundò instruimur, quòd Deus miraculis subscribit virtuti corporum sanctorum, vel reliquiarum, teste Bernardo super his verbis. Neque mirum est: Nam si Dei bonitas per quamuis creaturam se effundit ad dona sua communicanda, quantò magis per reliquias & corpora sanctorū, quibus Deus singulares virtutes, quib. nostram excitaret fidem, & erigeret imbecillitatem, videtur contulisse? Quod si quis dicat sanitatē tribuisse Christū non tactui, sed fidei. Respondemus, ita signum datum fidei, vt non excludatur tactus: quia fides, cui nó potest subesse falsum, & quę ad mēdacium, vel superstitionē non inclinat, mouebat ad tactum. Vnde dicebat hęc mulier intra se: *Si tetigero tantùm fimbriam vestimenti eius, salua ero:* prius enim mēte tetigerat, deinde corpore, vt exponit Theophylactus. Non sunt ergò despiciendi actus exteriores, vel osculorū, & contactuum præ reuerētia, & deuotione facti. Et quemadmodū ait Iacobus, orationē fidei alleuiaturā infirmum, per hoc tamen nō despicitur oleum quasi superfluum, quo inungitur infirmus: ad hunc modū Christus ita laudat fidē, vt non excludat tactum fimbriæ, sed indicat radicem, qua tactus vtilis est, id est, fidem.

Matth. 11.
Ioan. 3.

Qui furentur regnum cœlorum.

Rom 8.

Luc. 19.

Infra 23.

II. documentum.

B Bernard.

Si fides saluā fecit Hæmorrhoyssam à plaga sua, cur tetigit fimbriā vestimenti Christi.

Theophylact.

Sed obiciunt hæretici: Quorsum ista mortuorū ossa, & cineres? Quibus respondendum est: quorsum sudaria, & semicinctia Pauli? & quare vmbra Petri sanabat infirmos? Quorsum Helisæi Prophetæ cadauere tacto ab alio corpore Prophetæ, quia iussit se iuxta illud sepeliri, ad vitam reuocatum est? Lege Hieronymū aduersus Vigilant. & Augustini librū 22. de ciui. Dei, vt agnoscas varias reliquiarum sanctarū virtutes. Qui ergò irrident vel tollunt reliquias, discipuli sunt Vigilantij, & Iuliani Apostatæ. Scribit enim Euseb. quòd hæc mulier, postquàm sanata fuit, in Cæsarea Philippi, vnde erat oriunda, venerit, ac fecerit æreā statuam in domo sua in beneficij accepti monimētum; quæ Christum cum fimbrijs vt viderat, repræsentabat, & effigiē sui ipsi' velut genibus prouolutæ, palmaq́; suppliciter tendentis ad Christū. Huius ad pedes statuæ, è basi herba quædā noua specie nascitur. Quæ cùm exorta fuerit, excrescere vsq; ad stolæ illius ærei indumenti fimbriā solet. Quā cùm summo vertice crescēs herba contigerit, vires inde ad depellendos omnes morbos, languoresque conquirit: ita vt quæcunq; illa fuerit infirmitas corporis, hausto exiguo madefacti salutaris graminis depellatur, nihil omninò virium gerēs, si antequā æreæ fimbriæ summitatē crescēdo contigerit, decerpatur. Hæc ibi. Hæc cū à fidelibus frequentaretur, vt dicitur in lib. historiæ Tripartitæ, à Iuliano Imperatore Apostata ablata est imago Christi, & sua supposita: quæ nō multo pòst fulminis ictu est in puluerem reuersa. Ad hunc modum nostræ tempestatis hæretici sustulerunt omnem vsum imaginum, & reliquiarum, & suas nouas vanasque cœperunt obtrudere. Vnde Zuinglij combusti cor inter cineres à deuotis suis inuentum, magna cum religione cultuque asseruatum est: vt Capito homo hæreticus in vita Zuinglij refert.

In hæreticos sacrarum reliquiarum contemptores.
Act. 19.
Supra 3.
4 Reg. 13.

Qui sanctorū reliquias vel irrident, vel è medio tollūt, quoniam disciplinam profitentur.

Euseb lib. 7. Eccle. hist c. 14. tom. 1.

Hæmorrhoyssa vnde oriunda: eius in Christum medicum grati animi monimentum, mirabilium curationum signis ab eo confirmatum.

Lib 6. histor. Trip. cap 14.

Impius Apostata Iulianus Christi imaginem eo de monimento aufer ens, suáque substituēs quid asse cutus infelix.

Zuinglianorū in Zuinglij combusti cor inter cineres repertum pietas impia, & sacrilega.

Capito homo hæreticus.

* Tertiò erudimur eos qui fide & contritione in occulto cordis consecuti sunt peccatorum suorum remissionem, debere tamen sese prodere in cōspectu Ecclesiæ coram Christo, & eius vicarijs administris, & humili confessione morborum, expectare adeptæ salutis, & remissionis confirmationem.

III. documentum.

Quartò edocemur de re valdè vtili, id est, de tangenda fimbria vestimenti, id est, Humanitatis Christi, cuius fimbria sacrosancta Eucharistia est: cuius accidentia, vt vestes, corpus Christi tegunt. Hæc enim est fimbria posita in extremo corporis Christi: quia hic fuit vltimus actus Domini in cœna. Estque fimbria hyacinthina coloris cœlestis, vt agnoscamus Panem esse viuum, qui de cœlo descendit, & vitam cęlestem efficere. Fimbria etiam erat ad memoriam præceptorum Dei cōseruandam: ita

IV. documentum.

Fimbria Christi vestimenti quàm pulchee atq; elegans Eucharistiæ typus.

Matth. 26.

Ioan. 6.

Eucharistia ad quid instituta. *Heb. 5.*

ita hæc fimbria retinet memoriam Legis Dei, hoc est, amoris, quo se obtulit in victimam pro nobis in Cruce. Et hæc est tota lex nostra, & stimulus ad omnia benefacta vrgens, ideò Dominus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Sed hęc fimbria tãgenda est non tantùm oculo corporis, vel ore, & dentibus manducanda, quia in hoc mundo etiam magni peccatores comprimunt manibus, & dentibus Christum: sed fide accedendum est, credẽdo in eum, qui pro nobis mortuus est, & in cibum, & sustentationem animarũ ex charitate, & magna cum sapientia se nobis reliquit. Quòd si tactus fimbriæ cum fide tam salutaris extitit, salutare magis erit contactum, & cum fide perceptum totum corpus Domini in Eucharistia. Et hoc est quod Dominus dixit: *Spiritus est qui viuificat: caro non prodest quicquam.* Id est, quemadmodum Christus à turba tactus, & compressus ad sanitates conferendas non iuuabat, quia sine fide tangebatur: ita caro Christi, ore ac dẽtibus manducata sine fide, non tantũm non iuuat, sed etiam qui sic accipit, iudicium sibi manducat, & bibit; fide tamen & charitate manducata, vitam præstat æternam. Vt autem fimbria Eucharistiæ cum fide tangatur, templa ornata, imagines, Sacerdotes, hymni, deprecationes, cæteræque cęremoniæ, quæ ad excitandam fidem excogitata sunt, mirificè valẽt: & ad talem fidelem tactum, vel fidem tangentem sistitur omnis fluxus sanguinis, id est, peccati, & curiositatis, & vanitatis, & otiositatis, & omnis immunditiæ, & obscœnæ cogitationis, actionisque. Et vt nos fluxum habemus sanguinis, ita Christus fluxum suum habet, sed virtutis & gratiæ, de quo dixit: *Ego noui virtutem de me exijsse.* Hic etiam fluxus dici potest sanguinis, quia in virtute sanguinis pro nobis ex charitate in Cruce fusi, omnem in nobis operatur peccatorum extinctionem & virtutum generationem, & ab omni periculo liberationem, & incolumitatis ęternæ adeptionem, vt ita homo, qui priùs patiebatur fluxum sanguinis, iam in eo fiat fons aquæ viuæ salientis in vitam æternam, alia ratione fluens quàm prius. Hoc autem rectè intelligere possunt omnes, qui ad mensam Domini frequenter accedunt, fideq; contingunt tremenda, & sacrosancta Eucharistię mysteria, quæ fimbria dici possunt Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre, & Spiritu sancto detur omnis honos, gloria, & imperium per infinita secula seculorum.

Amen.

Luc. 22. Fimbria Eucharistica quomodo tangenda.

Ioan. 6. Illud: Spiritus est qui viuificat: caro non prodest quicquam: quem intellectum habeat.

1. Cor. 11.

Ad fimbriam Eucharistiæ cum fide tangendam quid conducat & valeat.

Luc. 8. Quemadmodum Eucharistia fluxus sanguinis appellari queat.

Ioan. 4.

TRACTATVS XVI.

In quo peculiariter agitur de resuscitatione puellæ filiæ Archisynagogi: & habetur Matt. 9. Mar. 5. & Luc. 8.

NE superior Tractatus prolixitate sua Lectorem grauaret, placuit nobis illum interrumpere, & diuidere in duos: quemadmodum etiam duo sunt ac distincta signa, sanatio Hæmorrhoyssæ, & suscitatio mortuæ puellæ. Dum igitur Christus studiosè morã traheret in via curando Hęmorrhoyssam, & signum occultum sermonibus detegeret, accidit vt interim perfectè moreretur puella, & constaret omnibus magnifica, & gloriosa puellæ suscitatio per Christum edenda. Idem videtur fecisse de Lazaro, ad quem infirmum sanandum, Christus per biduum moratus est: neque venit, nisi postquam Lazarus quatuor dies haberet iam in monumẽto, vt ita illustior redderetur, & gloriosior Christi potestas in suscitando. Et sicut alij duo Euangelistæ dicunt, Christo existente in via, à nuncijs renunciata est patri mors puellæ: *Filia,* inquit, *tua mortua est: quid vltra vexas Magistrũ?* Marcus & Lucas habent cõstanter in Græco codice: *Adhuc illo loquente, veniunt nuncij ab Archisynagogo.* Hoc est, ab Archisynagogi domo, sicut Terentius dixit: *Exit à nobis,* id est, à nostris ædibus. Et Ioannes: *Adducunt ergo Iesum à Caipha in prætorium,* id est, à domo Caiphæ. Idcircò, sicut Interpres in Marco vertit: *Veniunt nuncij ab Archisynagogo,* quomodo Antiqui Latini codices habent, ita vertit in Luca. Quod quidam vt absurdum apprehendentes, cùm Archisynagogus Christo iam adesset, mutarunt in ad Archisynagogum. Certè codex Syriacus mirificè nobis suffragatur, ait enim: *Artha enoschmen deboeth rab.* Id est: Venit quidam ex ædibus Principis Synagogæ: Filia tua mortua est. Tentatur fides Archisynagogi à seruis, qui non maiorem de Christo conceperant opinionem, quàm dominus illorum: qui putabanr nulla re alia opus esse, nisi sepulchro quo cõdatur puella. Admonent ergo famuli dominum, ne diutiùs vexent Magistrum, id est, ne pergat frustra illi esse molestus, quem nõ credebant posse à mortuis reuocare puellam: nondum enim Iesus (vt est probabile) quẽquam aliũ suscitauerat, & putabãt eum minorẽ Helia. Fuit autem hoc seruorum nũtium ad detectionem miraculi, & potentiæ Christi; & diuinitùs factum est, vt nuntij filiæ mortem nõ renũtiarent ante sanationẽ Hæmorrhoyssæ, quo ex recenti signo, & fide illius ipse Archi-

Filiæ Archisynagogi suscitationem per interpositam Hemorrhoyssæ curationem differendi causæ. *Ioan. 11. & seq.*

Terent. *Ioan. 18.*

Mar. 5.

Archisynagogi famulorumq; etus de Christo fides exigua.

Quo Dei consilio mors puellæ Archisynagogi ante curationẽ Hęmorrhoyssæ Christo non fuerit narrata.

Archisynagogus posset confirmari. Iesus autem audiens tam triste nuntium, consolabatur eum;& vt in fide persisteret, cohortabatur, dicens: *Noli timere: tantummodo crede, & salua erit.* Id est, parùm refert, siue viua sit puella, siue mortua: tantummodò crede, & viuam recipies. Vidisti quàm efficax fuerit huius mulieris fides? audisti illi dictum: Fides tua te saluam fecit. Et tu ergo etiam tãtùm crede, & saluam eam propter tuam fidem recipies. Non enim difficiliùs mortuam suscitare, quàm insanabili morbo laborantem curare.

Marc. 5. Luc. 8.

Vbi notandum est, quòd etsi fides non iuuet Deum vt faciat miracula; iuuat tamẽ nos vt illa recipiamus, exigitque hanc dispositionem, quo credamus eum posse, & confidamus velle facere. Etsi autem Christus verbo & facto conferat; hortatur tamẽ nos vt idem faciamus, eique cooperemur: quia non facit Deus quicquid potest: imò quæcunque humanitùs vt plurimum facere poterat, non faciebat diuinitùs.

Cur Deus fidẽ à nobis exigat in faciendo signo.

Et cùm venisset Iesus in domum Principis, & vidisset tibicines, & turbam tumultuantem. Alij Euangelistæ præmittunt post aduentum eius in domum: *Non permisit intrare secũ quenquam, nisi Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & patrem, & matrem puellæ.* Sic enim habet Lucas. Dominus consultò noluit multos testes adesse huic signo, vnde omnẽ turbam cum discipulis dimisit, & ingressus domum eiecit omnem turbam tumultuantem, & plangentem, nõ solùm vt humilitatis præberet exemplum, & omnem ostentationis notam euaderet, sed multò magis vt Pharisæorum declinaret inuidiam, à quibus nondum tempus aduenerat vt pateretur, atque in se turbæ fauorẽ accenderet, dum eum mortis dominum agnoscerent. Ideò resurrectionis illustrius signum noluit multis simul à principio reuelari, quòd tempore suo, cùm vicinior esset morti, præsentibus omnibus, ad vitam reuocaturus erat filium viduæ, & Lazarum ex sepulchro. Paucos tamen qui interessent, delegit: ex parte quidem puellæ parentes eius, qui fide digni testes esse possent editi signi; ex parte verò sua tres discipulos. Nam hos tres præcipuos Apostolos voluit testes habere Transfigurationis, Passionis, mortis, & resurrectionis suæ Christus. Hos etiam admisit ad præcipua miracula, vt sic in fide erga Christum firmati, & videntes eum habere vitæ & mortis imperium, tanto minùs à Christo deficerent. Et tamen in illius morte scandalizati sunt. Quid igitur fecissent, si huiusmodi miraculorũ prorsus fuissent ignari.

Quę ferè Christus opera nõ faciebat diuinitus, cùm poterat, sed humanitùs.

Quare Christus eiecerit totam turbam de domo, ita vt solos tres discipulos, & matrem, & patrem puellæ intrare permitteret.

Luc. 7. Ioan. 11. Quare Christus istos tres solos secum assumpserit ad suscitationem puellæ. Matth 71. Infra 26.

Ibidem.

Quod ad tibicines attinet, notandũm nos varia musica vti, & ad gaudium, & fletum, vt augeatur, & solenniter celebretur. Milites verò ad prælium musica vtuntur; ergò Ecclesia poterit vti ad pietatem & deuotionem magis excitandam, & ad magis in spiritu orandum. Hinc Boëtius in Proœmio Musicæ: *Vt cum cantico,* inquit, *dulcior fiat causa flendi.* Verum est tamen, quòd dæmon omnibus se immiscet: quia non curatur de musica bonæ vitæ. Bonum est ergò in Ecclesia benè canere. August. tamen lib. Confessionum præfert vtilitatem musicæ Ecclesiasticæ, damno, quod euenire posset. Notant hoc loco eruditi quidam, vsum fuisse tubæ sonorioris; in funere virorum; tibiæ verò exilioris, in funere puerorum. De tuba sic ait Poëta:

Musicæ vsus varius.

Boetius. Musica quæ necessaria ad salutem, ac minime negligenda. Aug lib. 10 c. 33. Confess.

Hinc tuba candelæ, tandemq; beatulus alto
Compositus lecto;

Persius.

De tibia verò ait Martialis:

Parui tibia condily sonabit:

Martial.

& Statius libro Thebaidæ in funere pueri Archemori:

Stat. lib. 6. Thebaid.

Tibia cui teneros suetum deducere manes.

In quem locum Lactantius Placidius: *Iubet religio vt maioribus tuba, minoribus tibia caneretur.* Hæc ille. Tibicines etiam conduci mos erat, vt suis modis luctum excitarent in vicinis, & amicis, ad quorum modos, vt Lucianus testatur in Dialogo de luctu, Gentes, à quibus Iudęi hunc ritũ mutuati sunt, solebant eiulatus emittere, & pectus pulsare. In quibusdam etiam prouincijs in funetandis paruulis, cymbalis paruis vtuntur homines, in viris verò magnis. Testatur verò Theophylactus, tibicines nuptiales adhiberi solitos in funeribus virginum innuptarum, in signum virginitatis. ¶ *Et turbam tumultuantem.* Id est, eiulantem, & vt moris est, deplorantem præmaturam filiæ mortem, siue vt Marcus ait, tumultum.

Lactant. Placid.

Lucianus.

Theophylact. Matth. Tibicines nuptiales in funeribus virginum innuptarum cur olim adhiberi soliti.

Marcus hic ait: *Et ingressus ait illis, Quid turbamini, & ploratis? puella non est mortua, sed dormit. Et irridebant eum.* Matthæus ait: *Recedite: non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum.* Verbum, *Recedite,* intellige, scilicet à fletu: & quia nolebat vt adessent suscitationi, & quia vbi ipse erat, causa fletus non erat. Dixit, *Non est mortua:* quia non omnes partes hominis corrumpuntur, vt fit in brutis animantibus; nec potior, id est, anima immortalis, nec perpetuò, sed ad tẽpus dissoluitur vinculum animæ cum corpore, vt Paulus ait ad Thessal. *Nolumus,* inquit, *vos ignorare, fratres, de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent, &c.* Dixit ergo: *Non est mortua puella:* quia diu in morte nõ debebat manere. Vel non

Marc. 5.

Matth. 9.

Quomodo verum esset puellam nõ esse mortuam, quæ tamen vere mortua erat.

1. Thess. 4.

est mor-

est mortua mihi: quia illam multò facilius à morte, quàm homo hominem à somno excites, reuocabo: & sum ille Rex, cui omnia viuūt. Scriptura ergo solet mortis horridiorem vocem, somni, & dormitionis meliori vocabulo commutare, & etiam ob certam resurrectionis spem, & non minus dormire dicuntur mali & improbi, quàm pij & iusti. Vnde apud Danielem dicitur: *Multi de his, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt, alij in vitam æternam: alij in opprobrium vt videant semper.*

Mortem, somnum Scriptura cur soleat appellare.

Dan. 12.

Et deridebunt eum. Non increpuit, ob mansuetudinis exemplum, & quia non erat tempus contentionis: & quia ex hoc postea apparebat illustrior suscitatio. Et vt somnus diuturnus esset mors, ita mors breuis quidam esse videtur somnus. ¶ *Et cùm eiecta esset turba, intrauit, & tenuit manum eius.* In via reliquit turbam, & discipulos præter tres, ne euntes viderent mortuam, & ne molestius postea se arceri ferrent post impensum Christi comitatus honorem. Lucas tradit, quod non permisit intrare secum quenquam, scilicet de his qui in domo erant. Tres verò discipulos admisit, vt res postea publicanda testes haberet vertices, siue coriphæos Ecclesiæ futuros, & magnas prærogatiuas habituros: quos honorando alios ad imitationem excitabat. Erāt etiam ad celanda mysteria aptiores. Alios Apostolos dimisit cum turba, ne se dimissam à Domino quereretur. Et cùm omnes scirent eam mortuam, paucos habere voluit in suscitando, vt supra diximus, ne occasionē daret Iudæis cogitandi, quòd quæreret gloriam, vel ne nos eam alijs demus. Isti etiam fleuerant, & irriserant: & ideò indigni erant qui admitterentur ad suscitationem. Christus primum miraculum hæmorrhoyssæ potuisset silētio præterire, voluit tamen euulgari ad Dei gloriam, cùm tamen in illo minus Deus appareret carnalibus, quia fides mulieris in illum fuit magna, quam turbæ non poterant impedire ab accessu. Ibi tetigit, & non est tacta. Contrà in isto maior apparet laus Christi, quia nulla fides adfuit in puella, & non impedita fuit vt mulier hæmorrhoyssa. Parua etiam fuit fides in patre, quia dixit: Veni, impone manum tuam super eam, & viuet. Puellam tetigit, & non est ab ea tactus, eamque suscitauit, quòd est magis quàm sanare. Vt tamen ostenderet se non quærere gloriam propriam contra Deum, voluit illam non in via, sed domi sanare, exclusis omnibus, etiam Apostolis, præter tres, & patrem, & matrem. Ait enim Marcus: *Ipse verò, eiectis omnibus, assumit patrem, & matrem puellæ, & qui cum eo erant, & ingrediuntur vbi puella erat iacens.* Lucas adiungit: *Ipse autem tenens manum eius* (id est, puellæ) *clamauit, dicens, Puella, surge.* Ne videretur Dominus ipse non suscitasse, sed alius ex Apostolis, si illi non adfuissent, vel ne iudicaretur magica superstitione aliqua vsus, pater, & mater potius, quia ipsi potius curabant, & non mentirentur suscitatam, huic signo interfuêre: alij domestici adesse non merebantur. Vltra hos astiterunt discipuli, vt crederent verè mortuam esse, & mortem non timerent: quemadmodum Iosue fecit calcare colla Regum Chanaan, ne timerent Chananæos; & vt alijs prædicarent non emendicando visa à Iudæis, atque his tribus alij discipuli fidem haberent. Admisit & patrem, & matrem, vt institueret ministros Euangelicos, ne ad fœminas, præsertim adolescentes, intrent, nisi adsint earum propinqui, ne vlla scandali occasio cuipiam data esse videatur. Helias verò, & Helisæus non habuerunt testes, dum suscitarunt mortuos, quia cæremoniæ, & orationes quas faciebant, non requirebant multitudinem. Et ex commiseratione ad matres, & filios earum, non ad ostensionem quòd essent ipsi Messias, signa ediderunt. Quod dicitur: *Tenuit manum eius,* iuxta patris fidem id fecit, qui dixit: *Veni, impone manum tuam super eam, & viuet.* Imò tenuit, quod plus est, quàm imponere manum: quia semper donat plusquàm petimus. Tetigit ergo, vt se primò suscitantem ostenderet, & animaret præsentes, quasi suscitaturus. Clamauit, vt ipse signum ostenderetur edere, & vt prouulgaretur potestas Christi magna. Et signum in oratione designabat exauditionis, & virtutis magnitudinem, vt cùm dixit: *Lazare, veni foras.* Ideo scriptum est: *Cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Clamore præterea designabat, animam quam vocabat, nō esse præsentem, sed absentem, & se mortis potentia, quæ omnia vincit, esse superiorem; & vt declaret verè se dixisse, quòd dormiret, sibi scilicet: ideò vt dormientem clamore, & manus contactu eam à morte, vt somno excitauit.

Quare Christus non increpuit derisores suos.

Idem cur turbam reliquit in via cum discipulis.

Luc. 8.

Christi Domini modestia.

Ioan. 8. & alibi.

Marc. 5.

Luc. 8.

Cur clamauerit Dominus in suscitatione puellæ.

Quare in eius suscitatione potius eius parentes adfuerint, quàm alij extranei.

Iosue 10.

Hoc etiam exemplo quid Dominus docuerit Euāgelij ministros.

3. Reg. 17.

4. Reg. 4.

Quid est quod Helias, & Helisæus coram nullis testibus mortuos suscitarunt.

Ephes. 3.

Cur Christus tetigerit manum puellæ, quando eam suscitauit.

Idem in puella suscitanda quare clamauerit.

Ioan. 11.

Heb. 5.

Christi potentia.

Ait illi, Talitha cumi, quod est interpretatum, (Puella, tibi dico) surge. Ita habet Marcus. Vox prima Talitha Syra est, siue Chaldæa, non Hebræa, apud quos Behora dicitur puella. Et falsò quidam codices legunt Tabitha, quod acceptum videtur ex cap. octauo Actuum, vbi Petrus suscitaturus puellam nomine Tabitham, fertur illi dixisse: *Tabitha, surge.* Et Tabitha, vt ibidem expri-

Marc. 5.

Talitha quæ vox sit: & quid Behora Hebræis.

Tabitha quid significet.

exprimitur, Dorcadem, non puellam significat. Et Marcus gaudet exprimere voces Syras, quibus Christus vtebatur: vnde capit. septimo dicitur Dominus sanaturus surdum & mutum, protulisse: *Ephpheta, quod est, adaperire*: nam Syra lingua eius seculi vernacula vtebatur Dominus. Secunda vox, Cumi scilicet, Hebræa est, & etiam Syriaca. Quod verò ait, *Tibi dico*, vt docet Hieronymus libro de optimo genere interpretandi, ab Interprete claritatis gratia adiunctū est. Quemadmodum in sentētia illa: *Eli, eli, lamma sabacthani, hoc est, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Septuaginta Interpretes maioris claritatis, & lucis gratia addiderunt, *Respice in me.* Et Actor. 1. *Quam audistis, inquit, per os meum*, verbum (*inquit*) additum est.

Qua lingua vtebatur Dominus. *Matth. 28.* *Psal. 21.*

Et surrexit puella, Lucas ait: *Et reuersus est spiritus eius: & surrexit continuò.* Non alius spiritus, vel alia anima surrexit, vt docet Beatus Chrysostomus, quia alia esset puella, sed illa eadem anima, siue spiritus. Nam res vnitatem habet per materiam, & formam, & maximè à forma. Aliud etiam animā esse naturale haberet, corpus autem aliam animam. Sicut enim singuli homines sua receptura sunt corpora, non aliena: ita singula corpora suos receptura sunt, non alienos spiritus. Anima autem eius erat in Limbo, vel in Purgatorio.

Quomodo anima huius puellæ redijt in corpus. *Chrys. ho. 32. in Matth.* *Rei vnitas vnde sit.*

Et confestim surrexit puella, & ambulabat, vt testatur Marcus. Lucas adiungit: *Et iussit illi dare manducare. Et obstupuerunt parentes eius: quibus præcepit ne alicui dicerent, quod factum erat.* Duo ergo signa veræ resurrectionis exhibuit: alterum, quòd ambulabat, alterum, quòd præcepit illi dari cibum: non quia esset debilis, quia ambulabat; & ne videretur excitata ex raptu, vel syncopi, vel apoplexia, saltem alio miraculo, quàm resurrectione, quemadmodum cæco primò data est vis videndi homines velut arbores ambulantes, deinde imposuit manum ei, & restitutus est perfectus visus: sed huic puellæ integrum robur restitutum est à Christo, non virtute illius cibi, quem suscitata comedit. Et nulla dispositio præteritæ infirmitatis in ea manebat, quia nouam vitam cōparauerat. Iussit ergo plenè robustæ dari cibum, vt probaretur vera resurrectio, quæ non est tantum signum, quia à dæmone poterat fieri, qui non potest informare corpus. Christus autem per se ipsum non dedit cibum, quia alij id poterant præstare: quemadmodum Lazarum ipse non soluit, sed Apostolis iussit vt soluerent. Et ne præstigium videretur post manducationem ambulare, iudicat robur illi priùs infuisse. Neque opus fuit probare per contactum, quemadmodum Christus se palpandum discipulis præbuit: quia non erat dubium de corpore puellę an esset aëreum, sicut de corpore Christi. Quia Christi corpus absentibus discipulis est suscitatum, ideò dubium esse poterat: corpus verò puellæ in præsentia trium Apostolorū, & parentum ipsius puellæ ad vitam reuocatum fuit.

Marc. 5. *Cur Dominus cibū dari iussit huic puellæ.* *Marc. 8.* *Quid est quod Christus ipse per seipsum puellæ cibum non præbuit.* *Ioan. 11.* *Luc. 24.* *Cur idè puellę suscitationem huius per contactum non cōprobauerit, sicut Christus se palpandum obtulit.*

Et exijt fama in vniuersam terram. Marcus habet: *Et obstupuerunt stupore magno. Et præcepit illis vehementer, vt nemo id sciret.* Stupor, & admiratio cum ratione coniunctа fuit, quia nunquam tale quid viderant, neque tale quicquam parentes eius expectabant ab ipso. Et miraculum per se magnum erat, quia suscitatio erat initio prædicationis suæ, scilicet primo anno, vt excitatio filij viduæ in secundo, & Lazari suscitatio in fine tertij. Voluit non quidem semper (quia fiebat ad Dei laudem) sed ad tempus occultari: non quidem prodigiosam curationem, quia puella, & turba eam testabantur, sed suscitationem, quia poterat putari rapta. Et hoc, ne maior inuidia in Christum excitaretur, quia ob Lazarum à morte reuocatum concilium fecerunt contra eum; & sic persequerentur Iairum; & sic oporteret ante tempus vel occidi, vel latere, vel se tueri miraculo. Et ideò illis edixit, ne cui dicerent, ne gloriam captare voluisse videretur. Etsi autem Dominus, quantum in se erat, signum occultum esse voluerit: exijt tamen fama in vniuersam regionem illam: quia gloria, & laus fugientes sequitur. Interrogati autem parentes, non debebant mentiri, sed dissimulare. Et quia non poterant parentes tacere sine discipulis illis, quos secretarios adduxit; ideò etiam illis silentium indixit. Sed non semper, quia esset inutile signum, & testes frustrà adfuissent, sed quoad simile signum publicè fecit, nempè ad portam ciuitatis Naim: quemadmodum obligatus ad secretum seruandum, soluitur ab obligatione, quando ipse qui obligauit, rem secretam publicam facit. Nam tunc Apostoli potiùs debebant tristari. Exijt ergo fama huius signi post suscitatum adolescentem in ciuitate Naim: vel si fortè ante illud tempus exijt fama, turba, vel parentes diuulgarunt, vt cæci prohibiti tacere, prædicabant Christi gloriam. Atque ita profuit prohibitio, ne ita citò fieret diuulgatio. Tu ergo exemplo Christi disce benè operari sine testibus, & luce hominum: quia etsi

Cur parentes filiæ suscitatæ obstupuerunt stupore magno, vt ait Euangelista. *Luc. 7.* *Ioan. 11.* *Ad quid parētibus puellæ Christus præcepit, eius ne suscitationem euulgarent.* *Infra 12.* *Quid exijt fama in vniuersam regionem illam de puella suscitata, cū Christus id iusserit occultari.* *Luc. 7.* *Hoc signum suscitationis puellæ quādo fuerit euulgatum.* *Matth. 9.*

maximè affectes latere, Deus tamē te non permitteret diu delitescere, sed publicabit beneficia tua coram toto mundo. Et prius mulier suscitata est, quàm adolescens, vel Lazarus: & prima mulier vidit Christum suscitatum. Quia primæ deberent esse fœminæ in regno Christi, vt conuertant ad fidem maritos, sicut primæ in Heua quoq; illos corruperunt. Ad hæc Lazarus suscitatus est precibus sororum Marthę & Marię, & adolescens lacrymis viduæ matris eius, & puella hæc precibus parentis, & Tabitha orationibus & lacrymis circumstantium per Petrum à morte est reuocata. Falsum est ergo, viuentes non posse opitulari mortuis, vel suffragia illis impēdere. Quòd si viuentes resurrectionem ad hanc vitam mortalem impetrare valent: cur non magis ingressum animæ in vitam gloriæ cœlestis? Quod Deus libentiùs præstat, quia maius & magnificentius est opus: & quia maior est charitas succurrere animæ, quàm corpori.

Filiæ Archisynagogi ante filium viduæ, & Lazarum suscitatæ mysterium. *Gen 9.* *Ioan. 11.* *Luc. 7.* *Act 9.* *Viuentium preces pro mortuis salutares existere.*

ALLEGORIA horum duorum signorum consideranda iam est. In Iairo intelligimus Patriarchas, & Prophetas. Puella mortua, & in extremis laborans, Iudæa est: iuncta per duodecim Prophetas Sponso Christo. Et mortua: quia ei non credidit, licèt venerit ad eam, annum Domini acceptum prædicando. Sed primò sanata est Hæmorrhoyssa, id est Gentilitas, impotens fluxum cupiditatum suarum sistere per medicos, id est, per deos suos, quos colebat, pel per sapientes & Philosophos, legumque latores, per quos gubernabatur, nisi auditu tantùm, & tactu fimbriæ Iesu, id est, per Fidem, & Sacramenta, quę virtutem sortiuntur ab ipso Domino Iesu. Qui vt prouocet Iudæum ad fidem, & confessione, eius tacit enarrari sanitates, & signa, & prodigia, quæ apud Gētes edidit, coram Iudęo comprimente, id est, blasphemante, & gloriam Christi tollente.

In his duobus signis, Hæmorrhoyssæ scilicet curatæ, & filiæ Archisynagogi suscitatæ, quid fuerit adumbratum. *Luc. 4.* *Esa 61.* *Hæmorrhoyssa quid denotet.* *Sacramenta virtutem suā vnde sortiantur.* *Iudæus comprimens quid.*

Quod ad institutionem verò morum nostrorum attinet, mysterium est, quod tàm hæmorrhoyssa, id est, peccator publicus, quàm puella domi mortua, id est, peccator secretus, egent Christi gratia, & curatione. In primis igitur criminosus peccator significatur in Hæmorrhoyssa, quia omne peccatum cruentum est, & seminarium, quia animam peccantis occidit, & plerunq; animas aliorum, quibus scandalum præbet. Hinc dicitur: *Libera me de sanguinibus*, & Oseas: *Sanguis sanguinum tetigit*, id est, Peccatum peccatum trahit. Etsi verò omne peccatum tale sit, maximè tamē obscœnum & sordidum carnis delictum. Et

Ex hac eadem historia mores ædificātur. *Peccati proprium quid.* *Psalm 50.* *Ose. 4.* *Illud: Sanguis sanguinē tetigit, secundùm Oseam, quid significet.*

quia numerus duodenarius est abundans: designat superabundantet, & longo tempore deliquisse. Hæc mulier multa erat perpessa: quia multa sustinent peccatores, maximè verò adulteri & cōcubinarij: perferūt enim amara verba, duriora facta, corporis molestias, cæcitatem mentis, damna rerum suarum, odia hominū, famæ dispendium. Item erogauerat omnia sua pro voluptate carnis captāda, nempe ætatem, decorem, vigorē, se ipsos, & sua: quemadmodum Sichem filius Hemor, qui se ipsum, & omnia sua, & vitam suam cum toto regno morti exposuit propter Dinā: & filius prodigus omnia bona sua expēderat cum meretricibus viuendo luxuriosè. Hinc Hieronym. super Oseam ait: *Luxuria insatiabilis est voluptas, & quanto magis capitur, tanto magis vtentibus se famem creat. Vires in fornicatione deficiunt; & fornicandi desiderium non quiescit.* Sic ille. Ad sistendum huius sanguinis fluxum ad vnum Christum est confugiendum, qui est fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris, & menstruatæ. Atque ita peccator instar Hæmorrhoyssæ, stet retrò per verecūdiam contritionis; sequatur Christi vestigia per propositum imitādi Christum; tangat fimbriam vestis Christi, id est, fide, ac Sacramento contingat Christi Humanitatem; confiteatur coram Christo peccatum suū, & beneficium obtentum. Nam sic iustificatus agnoscetur ab omnib. Ad hunc modum peccatrix stetit retrò, & osculata est pedes Iesu. Est autem Christi vestis, Humanitas eius, quia habitu inuentus est vt homo: quæ est tunica polymita, & talaris Ioseph tincta hœdi sanguine: est vt pallium Iudæ lotū in sanguine vuæ, de quo Esaias: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Est velut tunica hyacinthina summi Pontificis, ex qua pendent mala aurea operum charitatis, & tintinnabula prædicationis. Fimbria verò, est Christi passio in carne eius cruenta: quæ tangitur credendo, meditando, & amando Iesum pro nobis mortuum: qua nihil fortius contra omnia peccata, & maximè contra vitium carnis. Vnde Bernardus sermone de quatuor modis orandi, in principio: *Non credo*, inquit, *quòd sit inter nos quispiam, sed fortè nonnulli in seculari habitu, vel conuersatione potuerunt aliquando experiri quid loquor, vt inuiti fluxum sanguinis paterentur, eius inquam sanguinis, qui regnum Dei non possidebit. Etenim qui facit peccatum, seruus est peccati: nec sua se poterit continere virtute, etiam cùm volet. Huic ergo minimè expedit per se ipsum ad Christum accedere, sed tangere, si quam*

Quibus malis subiaceāt peccatores adulteri præsertim & concubinarij. *Gen 34.* *Luc. 15.* *Hieron. lib. 1. in Ose. c. 4. to. 6.* *Libido insatiabilis, teste Hieronymo.* *Zacha. 13.* *Tangat fimbriam vestimenti Christi quis.* *Luc. 7.* *Vestis Christi quæ, & vbi olim delineata.* *Phil 2.* *Gen. 37.* *Infra 49.* *Esai. 63.* *Exod. 39.* *Fimbria Christi quanā sit.* *Bernard.* *1. Cor. 15.* *Ioan. 8.*

inuenerit eius fimbriam, hoc est, eum considerare hominem, quem humiliorem viderit, & extremum in Ecclesia, quæ est vestis Christi: eum inquã qui elegit abiectus esse in domo Dei, oportet considerare? quoniam is verè est fimbria posita in ora vestimenti, ad quam vtique spiritualis vnguenti descendens à capite copia tota decurrit. Hunc si beneficijs aliquibus, seu prece humili, aut confessione pura tetigerit, vt affectum eius erga se moueat ad compatiendum sibi, habeat fidem, & sine dubitatione sanabitur. Illud tamen nouerit fimbriam, non à se, sed à Christo exijsse virtutem, qui & tangi se protestatur in fimbria. Hæc ille, vocans fimbriam Sacerdotem, cuius sacrificijs & orationibus quis sit sanandus: quãquam magis placeat per tactum fimbriæ intelligere accessum ad Eucharistiam, vt suprà diximus. Secundus peccator, & secretus, significatus in puella mortua, est Religiosus, vel Clericus occultè mortuus, etiamsi exterius videatur viuere. Moritur autem, primò suggestione malæ cogitationis, quasi à serpente immissæ. Secundò, delectatione carnis, quasi Heuæ. Tertiò, consensu spiritus quasi Adæ. Non accedit ad Lazarum quatriduanum, id est, defensionis audaciam, vt ille qui dixit: *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Ideò secundùm Lucam moriebatur hæc puella, veneno suggestionis accepto: laborabat in extremis, secundùm Marcum, delectationis resolutione: mortua est consensu quasi veneno ad cor pertingente. Quia verò occulta crimina non sunt aperienda, proinde ad eius suscitationem admissi sunt pauci, & mandatum est ne iret in publicum, sicut mors adolescentis filij viduæ, significat peccatum manifestum. Ideò est publicè suscitatus: & Lazarus coram multa turba, id est, is, qui ex consuetudine peccat. Expellendi sunt tibicines, id est, maligni spiritus, tristi eam carmine demulcentes, cùm suggerunt culpam grauem non esse, aut ætati parcendum, vel ex improuiso contigisse, aut alios similia agere, aut Dei pietatem ad miserandum propensam, aut tempus subesse pœnitentiæ. Hæc sunt mœsta carmina dæmonum. Sed cùm concipitur spes veniæ, ait Christus: *Non est mortua puella, sed dormit:* & per suos excitat nos: *Hora est iam nos de somno surgere. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Tres Apostolos admisit, quia ad absoluendum illum opus est autoritate Apostolica. Aderant etiam pater & mater: quia sacerdos debet præstare officium patris, dum corripit; & matris, dum consolatur. Intrat Christus, & tenet manum eius, ne vlteriùs peccet, iuxta illud Dauidis: *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me,* &c. Loquitur verbo: *Puella (tibi dico) surge:* & ita surgit qui iacebat in peccato, & Spiritus sanctus reuertitur in eam, quem per peccatum expulerat contristando. Ambulabat puella: quia peccator ligatus operum bonorum fructus edere non poterat. Datur illi cibus verbi, & Sacramenti: quia priùs terrena tantùm sapiebat, & de siliquis porcorum cupiebat implere ventrem suum, vt Prodigus ille, nec poterat. Et ita in primo miraculo sanitas confertur per tactum fimbriæ, id est, Eucharistiæ. In secundo, suscitatio à morte per pœnitentiam. Et ita exijt fama in vniuersam terram, quia maximum signum, quo Deus gloriam apud homines terrenos consequitur, est iustificatio peccatoris, qui ad tantum bonum euehitur gratia & meritis Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto detur omnis gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Psal. 83. — Psal. 132. — Christi fimbriam, quem appellet Bernardus. — In filia mortua quid adũbratum sit. — Religiosus vir qui moriatur secundùm spiritum. — Ioan. 11. — Gen. 3. — Luc. 8. — Marc. 5. — Quæ crimina non sunt detegenda. — Luc. 7. — Ioan. 11. — Lazarus quatriduanus quid signet. — Tibicines nostri spirituales qui. — Rom. 13. — Ephes. 5. — Apostoli tres ad puellæ suscitationem admissi, quid denotent. — Psal. 72. — Mar. 5. — Peccatoris in puella per Christo suscitata descriptio. — Luc. 15. — Quo maximo signo Deus gloriã quærat apud homines.

TRACTATVS XVII.

De duobus cæcis curatis, & vno dæmoniaco liberato. Et habetur tantùm Matthæi 9.

DVBIVM non est, hanc historiam cõsecutam præcedens miraculum, & Matthæi verba illud euincunt. Nam dicitur: *Et transeunte inde Iesu, secuti sunt eum duo cæci:* accidítque hoc, dum proficisceretur in patriam suam. Nam descripto signo suscitationis puellæ apud Marcum dicitur: *Egressus inde, abijt in patriam suam, & sequebantur eum discipuli sui.*

Secuti sunt eum duo cæci. Alij sunt hi duo cæci ab illis duobus, Matth. 20. qui sunt ijdem illi, qui Marc. 10. & Luc. 18. Isti secuti sunt Iesum, audita fama de suscitatione puellæ, vel aliorum signorum; & alij hæc videntes non credebant: & agnoscentes eius benignitatem omnibus expositam, eum secuti sunt. Quia Christus recesserat, vt solebat, factis signis, & sanato paralytico, vt Matthæus testatur. ¶ *Clamantes, & dicentes.* Cùm enim cæci essent, atque adeò neque cernere, neq; audire Iesum possent, tamen ingenti clamore, quem sanitatis amor, & ardor fiduciæ in Christũ exprimebat, procul appellant, & inuocant. Ideò sequela cæcorum, clamor, & inuocatio, tanquam effectus, testantur fiduciam cæcorũ in Christum, vt causam. Erant enim hi cæci

Historiæ series. — Huius signi tempus. Mar. 5. — Illi duo cæci, à quibus distinguantur. — Matth. 9. Cur clamabãt.

non videntes, propter quos Christus venit, de quibus Ioannes: *In iudicium ego in hūc mundum veni, vt qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant.*

Ioan. 9.

Miserere nostri, Fili Dauid. Principio miseriam suam confitentur: qua confessione nihil gratius Deo offerre poterant. Credebant præterea sola Dei misericordia opus esse, vt à CHRISTO visum reciperent. Vocando autem filium Dauid, non volebant significare tantùm, quòd esset de illius genere, & familia, quia multi alij de illa erant: sed hoc verbo significabant illum esse Messiam promissum à Deo ex familia Dauid. Vnde Pharisæos interrogauit: *Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei, Dauid?* & Ioannes inquit, *Nunquid à Galilæa venit Christus? Nonne Scriptura dicit, quia ex semine Dauid, & de Bethleem Castello, vbi erat Dauid, venit Christus.* Chananæa insuper (teste Matthæo) Filium Dauid vocauit. Erat ergo omnibus compertum, & exploratum, Messiam esse filium Dauid.

Iidem quare dixerint: Miserere nostri, fili Dauid.

Iesum vocādo filium Dauid, quid insinuauerint.

Esai. 11. & seq. Ierem. 23. Matth. 22. Ioan. 7. Mich. 5. 1. Reg. 16. Matth. 15.

Quum autem venisset in domum, accesserunt ad eum cæci. Passus est Dominus istos cæcos post se clamare, donec ingressus est domū: non quam habitabat Capharnaum, vt quidam putant, sed in domum alicuius fidelis, in quam se noctu recepit, vt ait Euthymius. Nam proficiscebatur tūc in patriam suam Nazareth. Distulit autem Dominus sanare hos cęcos vsque ad domum, vt probaretur eorum fides, & constantia, & obtentum sanitatis donum maiori pretio æstimarent; & doceret fugiendam inanem gloriam ab operibus nostris, & ne miracula nimis vilescerent, si subitò desiderata conferrentur; & vt doceat instanter orandum, nec ab ea si non statim exaudimur, cessādum esse. Interrogauit autem eos: *Creditis quia hoc possum facere vobis?* vt commendaret eorum fidem astantibus. Sciebat enim illos credere quòd posset: neque enim aliter insecuti fuissent eum tam constanter: sed tum vt per eorum manifestam fidem alij attraherentur, & de fide erudirentur, tum propter eos potissimum, qui videbant, & audiebant, vt ait Euthymius. Interrogauit etiam non dicendo: Creditis quia hoc possum impetrare, sed quia hoc possum facere: significans penes se esse certam, & solidam faciendo potestatem. Nec interrogauit, Creditis, quia hoc faciam vobis, sed, quia hoc possum facere? Fides enim & verbum credendi non significant semper in Euangelijs simpliciter fiduciam, sed assensum intellectus: quo firmiter alicui, vt vero, assentimur. Vnde

Euthy. c. 7. in Matthaeum.

Quare hi duo cæci non in via, sed in domo à Christo curati sint.

Quid exigit ab eis fidem, quā minimè ignorabat.

Euthy. ibid. Marc. 7.

Fides & credendi verbū in Euangelijs quid significēt

& fide iustificatus non cogitur credere se consecuturum peccatorum remissionem, etsi illam sperare à Dei bonitate debeat, sed credere se posse eam consequi; ex qua fide Catholica, & eius consequendæ spes gignitur. Ita etiam interrogauit, vt mererentur confitēdo: & quia ex articulo Messiæ volebat inducere ad fidem Deitatis, quam illis infudit. Ideò responderunt: Vtique Domine, quia scilicet potes facere, & non tātùm precibus obtinere. Idcircò iam non filium Dauid, sed Dominum eum appellabant, ab eius interrogatione in fidei celsitudinem subleuati.

Tunc tetigit oculos eorum. Audita fidei cæcorum confessione, tetigit sine alijs cæremonijs eorum oculos. Nam alias quosdam, nempe surdum, & mutum, & cæcum à natiuitate, nouis, & insolitis cæremonijs tetigit, quia minori fide præditi erāt, quàm isti: nam cæremonijs fidem eorum excitabat, & adiuuabat. Tactu autem ostendebat se esse eorum illuminatorem, & carnē suam tanta virtute præditam esse ob assistentem Deitatem, etiamsi sine vllo contactu, sed solo verbo potuerit mortuos ad vitam reuocare. Contactui verò Christus verbum adiunxit: *Dicens, Secundùm fidem vestram fiat vobis.* In hoc docens, & aperiens vsum Sacramentorum, quibus Ecclesiam adornauit. Accedit, inquit Augustinus, verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Et ita applicatur Christi signum ad monstrandam Christi potentiam, & cæcorum fidem, qua si carerent, nihil fieret. Et quo plus nos ad se traheret, non sibi videtur vendicare redditi luminis officium, sed cæcorum fidei adscribere, cùm tamen fides illa viua sit donum Dei, & quæ Deo debetur, & cuius autor est. Sed pro sua immensa bonitate hoc pro more habet, vt etiam bona opera, & meritoria vocet nostra, vt quibus mercedem velit reddere, cùm tamen quicquid illud est, reuera sit ipsius. Ita & hic ait: *Secundùm fidem vestram fiat vobis.* Hæc etiam nos docent, tantùm aquæ Diuinæ misericordiæ haurire nos è fonte salutis, id est, à Iesu; quantam habemus situlam, hoc est, fiduciam, & fidem in Christum. Atque ita aperti sunt oculi eorum, ita vt excellenter, & perspicaciter viderent. Magna verò Iudæorum hinc oritur accusatio, vt pulchrè docet Euthymius, quòd cæcis solo auditu credentibus, ipsi miracula videntes increduli permanebant.

Mar. 7.

Ioan. 9.

Cur Christus tetigerit oculos eorum cū solo verbo sanare posset.

His verbis: Secundùm fidē vestram fiat vobis, quid Christus doceat nos.

Aug. in Ioan. tract. 80. à med. tom. 9.

Proprium Diuinę bonitatis quid.

Alterum documentum.

Iudæorum cęcitas insignis.

Euthym.

Et comminatus est illis Iesus, dicens; Videte ne quis sciat. Verbum comminatus est, Græcè est ἐνεβριμήσατο, id est, interminatus est;

austerè videlicet intuens, & contractis superciliis, & commoto capite, veluti facere solent, qui aliquos de continendo secreto admonent: nam vox illa à fremitu dicta est.

Cæcis cur dictum à Christo, ne signũ euulgarent.

Luc. 8.

Hilar. can. 12. in Matth.

An hi cæci contra Christi præceptum, cum diuulgantes peccauerint.

Vetuit autem publicare miraculum, tùm ad docendam humilitatem, tùm quia fortè volebant laudare Christum tãquam hominem: vnde sanato à dæmonio dixit; *Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecit Deus.* Non autem quia hoc erat Apostolorum munus, vt dicit Hilarius: nam interdum id ipse præcepit. Verè ergo volebat ob humilitatem, & exemplum nostrũ taceri signa sua, & hoc verbo expressò docuit. Verè etiam ob Dei laudem prædicari illa volebat, & hoc vultu, gestuque indicabat. Et ita cæci non peccauerunt, quia non fecerunt contra Christi præceptum, cùm ipse ostenderit aliquo modo, nempe vultu suo, velle vt publicaretur. Ideò hi duo cæci sanati elegerunt id quod simpliciter melius erat, scilicet diuulgari ad Dei gloriam, & tantum sibi collatum beneficium non tacere. Ideò Hieronymus scribit: *Dominus propter humilitatem, fugiens iactantiæ gloriam, hoc præceperat, & illi propter memoriam gratiæ non possunt tacere beneficium.* B. Gregorius lib. Moralium: *Quærendum,* inquit, *nobis est, quid sit hoc quod ipse omnipotens, cui hoc est velle, quod posse, & taceri virtutes suas voluit, & tamen ab his qui illuminati sunt, quasi inuitus indicatur, nisi quod seruis suis se sequentibus exemplum dedit, vt ipsi quidem virtutes suas occultare desiderent, & tamen, vt alij eorum exemplo proficiant, prodantur inuiti, & facta quidem sua occultando se ipsos custodiant, sed dum produntur inuiti, bona ad proximos suos exempla transmittant.* Hæc ille sanè eleganter. Et Theophylactus: *Vides, inquit, quomodo fastum fugerit: illi verò non vt inobedientes, sed vt grati diuulgauerunt.* Sic ille. Quod in textu dicitur: *Illi autem exeuntes, diffamauerunt eum in tota terra illa*: in bonam partem hic accipitur, præter communem vsum verbi illius. Respondet enim ad literam verbo Græco διεφήμισαν, id est, famam sparserunt.

Hierony. in Matth. to. 9.

B. Greg. li. 19. in Moral. ca. 18. tom. 1.

Quid nos eo facto cæci docuerint, teste Gregorio.

Theophylact. in Matth.

Diffamare hoc loco quid.

Quomodo muto Domino oblato hæc de præcedentibus cohæreant.

Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem. Ordo historiæ continuus est: vix enim egressis domo cæcis, in qua beneficentiam Christi acceperunt, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem. Nam verbum, Ecce indicat coniunctam huius liberationem dæmoniaci cum illuminatione prædicta cæcorum. Quanquam autem Græca vox κωφὸς propriè dicatur, teste Hieronymo, surdus: hic nihilominus capitur pro muto, & pro surdo, sicut etiam alibi. Quæ autem habentur de alio cæco & muto Christo oblato, Marci tertio, & Lucæ vndecimo, eadem quidem sunt cum his quæ habentur Matthæi duodecimo. Hæc autem ab illis omnibus dicta sunt, vt ratio temporis, & aliæ circunstantiæ indicant.

Hieronym. in Matthæum.

Hunc mutum cur Christo obtulerint.

Obtulerunt autem Christo mutũ, quia cùm non esset mentis compos, salutem optare non poterat: & cùm mutus esset, per se non valebat postulare, nec dæmon ad Christum ire permittebat. Secus de cæcis, quos illi qui offerebant, audiebant curatos, vel potiùs alia signa, mutum obtulerunt. Ab hoc autem, quia mutus, & mentis compos non erat, non petijt fidem, sicut à cæcis. A portantibus autem, fidem exigere non solet, nisi infidelitatis signum manifestum appareat: vt ab illo, cui dixit: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti*; & altero cui dictum est: *Noli timere, tantummodò crede.* Posset etiam sustineri quòd esset aliàs mutus, non naturaliter, sed arte dæmonis; qui si potest mouere ad loquendum, ergo etiam poterat impedire instrumẽta formandæ vocis: quia hoc fit tantùm virtute motiua, loqui verò fit arte. Et hoc probatur, quia dicitur in litera: *Et eiecto dæmonio, locutus est mutus,* quasi sit quidam actus consequentiæ mutum loqui ad dæmonem eiectum. Vnde Hilarius hoc ponderans, ait: *In eo rerum ordo seruatus est. Nam dæmon prius eijcitur, & tùm reliqua corporis officia succedunt.* Et B. Chrysost. de mutitate ait: *Non enim naturali cursu ægrotatio, sed dæmonis insidijs illi accidit.*

Cur Dominus non petierit fidem à muto, sicut à cæcis.

Mar. 9.

Supra 5.

Vnde mutus ille fuerit, secundum aliquos, nec sine ratione.

Hilar. supra dicto cano 12 in Matth.

B. Chrysost. hom. 33. in Matth. to. 9.

Et eiecto dæmonio, locutus est mutus, & miratæ sunt turbæ, dicentes, Nunquam apparuit sic in Israel. Pharisæi autem dicebant, In principe dæmoniorum eijcit dæmones. In vno & eodem signo scandalizantur reprobi, & ædificantur boni, & ad laudes Deo concinendas excitantur, dicẽtes, nunquam apparuit sic in Israël. Id est, nullus vnquam Propheta tam sanctus apparuit in Israël, tot & talia & tali modo signa facta edentem vel vidimus, vel legimus aliquando neminem. Quod dictum est, non tantùm ob hoc signum, sed ob alia. Vnde dicebant quidam: *Christus cùm venerit, nunquid plura signa faciet, quàm quæ hic facit?* Et Saul quidem à maligno spiritu inuasus alleuiabatur cithara Dauidica à vexatione; non tamen sanabatur. Imò de nullo legitur in Veteri Testamento, quòd fuerit à dæmonio liberatus: quanquam maiora facta legamus. Helias namque & Heliseus mortuos ad vitam reuocarunt, quod maius est. Eodem

Quare dixerint turbæ: Nunquam apparuit sic in Israel, cum mutum Christus sanauit.

Ioan. 7.

1. Reg. 16.

In Veteri Testamento à dæmone liberatum legimus neminem.

3. Reg. 17.

etiam

4. Reg. 4. & 13. Pharisæi de quib. Christû ausi fuerint calumniari. Matth. 9. Ibidem. Ibidem.

etiam signo Pharisęi calumniandi occasionem acceperunt, tribuentes miraculum Principi dæmoniorum: nec verebantur nugari in his, quæ facile redargui poterant.

Primo calumniati sunt quod peccata dimitteret, deinde quod cum peccatorib. ederet, postea quod ieiunia non indiceret discipulis suis. Postremo ex malitia & inuidia, opera Dei dæmoni adscribunt. Nam qui dæmoniorum Principem habet vnitum, quæ illi sunt grata, perficit: dæmoni autem gratum est semper nocere hominibus, & ad peccatum pellicere, & à Deo abstrahere. Christus vero contraria his operabatur: nam beneficia in homines semper cōferebat, omnem docebat virtutem, & homines ad Deum adducebat. Sed non respondit tantæ calumniæ: tum vt doceat magno animo iniurias sustinere, cum benefacimus. Deinde, quod cum aliquo colore à principio Christo id obiectari posset, cum nondum cognitus esset: vbi vero multitudine signorum inclaruit, & virtutem & potentiam suam edidit, tunc huic calumniæ respondit: vt cum eiecit dæmonium cæcum & mutum ab alio obsesso, vt tradunt Matthæus, & Lucas.

Dæmoni gratum officium quod.

Christi erga nos insignis beneficentia.

Calumniæ Pharisęorum signa eius dæmoni tribuentium cur Christus non responderit.

Matt. 12. Luc. 11.

Et circuibat Iesus omnes ciuitates, & castella, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem. Non fuit offensis læsus Iesus, quominus more boni pastoris, ac prudentis Medici visitaret ciuitates, & castella, in quibus & prædicabat regnum Dei, & prædicationem signis sanitatum editis cōfirmabat, vt omnes eum agnoscerēt. Nam etsi humani generis vna die sit peracta redemptio, prædicatio tamen Euangelij multis non tantum diebus, sed etiam annis erat præstanda. Ad hoc enim, vt ipse ait, venit, & vt ipse ait, *Ideo missus sum.* Prædicabat autem in Synagogis, vbi populus conueniebat: eratque consuetudo prædicandi, & legendi sacras Scripturas Christum continentes. Libenterque in eis prædicabat Dominus, ne videretur eius doctrina suspecta. Prædicabat autem Christus Euangelium. Christus quidem Legem seruabat, quia alioqui neque haberetur, neque crederetur Messias: quia tamen Apostoli, & Spiritus sanctus eduxerunt eam amplius non obseruandam, proinde eam non obseruamus. Christus autem Legem non prædicauit, ne nos ad eam obseruandam obligaret, nec Apostoli ausi fuissent eam abrogare. Venit autem Dominus, vt ei finem imponeret, ac ob id non debuit eam prædicare: neque rursus prædicare contra eam.

Christus boni pastoris, ac prudentis medici vt munus expleuerit.

Mar. 1. Luc. 4. Cur Christus prædicaret in Synagogis. Act. 13. Infra 17.

Quare Christus Euangelium prædicaret, nō autem veterem Legem, cum ipse esset Iudæus.

Sed prædicabat Euangelium regni, id est, Ecclesiæ Dei militantis, ex qua homines credētes ad regnum vitæ æternæ iam transeunt: nec Iudæi illa prædicatione scandalizabantur. Vel Euangelium regni, potest dici annuntiatio æternę beatitudinis in futura vita: nam de vita illa futura nihil definitum habebant Iudæi. Ideo hæresis Sadducæorum negantium resurrectionē mortuorum nondum damnata erat apud Iudæos, cum illos impunitos dimitterent. Quia ergo Christus annuntiabat illam vitam, non erat cur Pharisæi impedirent: alia autem quia ordinantur ad hæc, dicuntur Euangelium. Post prædicationem autem curabat vbique omnem languorem, qui ex praua humorum affectione consurgit.

Euangelium regni quid.

Altera acceptio.

Matt. 22. Act. 23.

Languor vnde proficiscatur.

¶ *Et omnem infirmitatem.* Quæ sine illa erat, vt esse claudum, vel mutum. Curabat autem, vt confirmaret dicta de gloriosa: & ex misericordia multa signa edebat, vt Deus, & Christus, neq; impotens, vt alij Prophetæ, haberetur. Imo omnes sanauit, teste B. Matthæo. Nam credentes, quasi ex æquitate quadam, incredulos autem, ex misericordia iuuabat, vt cum apud Marcum dicitur: *Adiuua incredulitatem meam.* Quia vero ita prædicare, non est actus particularis, non est hoc continuum cum alijs, vel discretum sed sparsim prædicare per omne tempus historiæ vitæ Christi.

Christus post prædicationē cur languores curaret.

Matt. 4. & 18.

Mar. 9.

Discamus igitur à Christo vniuersalem quandam beneficentiam ad omnes promptam, & paratam: tum vt ea, quæ salutis æternæ sunt, illis suggeramus, & impedimenta, si qua fuerint, & in nostra sita sint potestate, de medio tollamus, tum etiam, vt in infirmitatib. fratrum nostrorum, quæ permultæ, & magnæ in progressu vitæ humanæ contingunt, operam charitatis impendamus. Nam ita digna inueniemur membra, & conformia tanto capiti IESV Christo Domino nostro, qui cum Patre, & Spiritu sancto sempiternis honoribus, gloria, & gratiarum actione celebratur ab vniuersa creatura, Angelica, & humana, in seculis seculorum, Amen.

Christus hoc loco qualem nos doceat beneficentiam.

TRACTAT. XVIII.

De signo Paralytici sanati ad probaticam Piscinam à Domino nostro Iesu Christo, de quo tantum Ioannes loquitur cap. 5.

ncipiunt miracula secundi anni prædicationis Christi ab hoc langui[do] sanato ad piscinam in secundo Paschate, vsque ad tertiũ Pascha Ioan. 6. Huius cum præcedenti narratione connexio. *Matt. 10.* Quando Apostolos miserit Dominus ad prędicandum. *Mar. 3. Luc. 6.*

QVod ad ordinem historiæ attinet, vt constet qua ratione hęc historia consequatur prędicta miracula, ignorandum non est, non posse præcedentibus coniungi quæ sequuntur apud Matthæum, nempe de missione duodecim Apostolorum ad prædicandum facta à Domino: nam certum est, missionem hanc post sermonem illum solemnem quem in monte habuit, factam esse, quandoquidem ante illum sermonem Domini ex omnibus discipulis illos elegit, & ordinauit Apostolos, vt patet ex Marco, & ex Luca: quos postea misit ad prædicandum. Necesse est ergo ante Apostolorum missionem, & promotionem, præmittere sermonem illum: sed hanc promotionem Apostolorum constat ex Marco & Luca secutam duas illas reprehensiones, quibus Pharisæi primum quidem discipulos Christi carpebant quod vellerent spicas, deinde vero ipsum Christum, quod in Sabbatho sanasset cuiusdam hominis manum aridam. Igitur & hæc duo, licet postea à Matthæo describantur, necessario præmittenda sunt, vt priora sermoni illi. Vt enim ex Matthæi narratione didicimus Marcum & Lucam in eodem loco narrare traiectionem in regionem Gerasenorum, curationem Hæmorrhoyssæ, & resuscitationem filiæ Archisynagogi, ita ex illis duob. Euangelistis iam intelligimus Matth. duo illa, quæ narrat in principio cap. 12. de vellendis spicis, & de manu arida, non suo loco posuisse, sed etiam illa intelligenda esse facta ante sermonem in principio positum à Matthæo: sicut ex eisdem duob. Euangelistis didicimus, ea quæ hactenus ex Matthæo sunt desumpta, contigisse ante sermonem, etiam si ab ipso post sermonem describantur, per figuram recapitulationis.

Matt. 12. *Mar. 5. & seq. Luc. 8. & seq.*

Hanc historiam Paralytici à Domino curati Ioan. 5. illa Apostolorum spicas vellentium anteriorem esse.

Porro ante factum discipulorum vellentium spicas die Sabbathi, inferendum esse totum caput Ioan. 5. ex eo aperte comprobari potest. Nam quod discipuli Sabbatho vellebant spicas, necesse est contigisse post Pascha: ante Pascha enim nullo modo licuit Iudæis vellere spicas, aut quicquam edere ex noua segete. Quia antequam id liceret, manipulis spicarum, antequam veniret messis, offerendus erat Domino, quod fiebat altera die Paschæ, vt scribitur in Leuitico. Post Pentecosten autem non inueniebantur amplius in agro vellendæ spicæ, cum iam messis esset perfecta, & panes primitiui Deo in die Pentecostes oblati: ergo statim à Paschate, vel paulo post, accidit illud Sabbatum secundo primum. Ex quibus admodum est verisimile, ne dicam certum, festum Iudæorum, cuius 5. cap. meminit Ioannes, qui non exprimit quale fuerit, fuisse iam alterum Paschæ festum, quod proxime scilicet secutum est illud Pascha, cuius meminit capit. 2. Cyrillus tamen Alexandrinus & Chrysostomus fuisse putant hoc festum Pentecostes, moti hac ratione: quod hoc festum proxime sequitur festum Paschæ. Ac proinde cum capit. secundo Ioannes meminerit Paschæ, & subiunxerit: *Et prope erat Pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam*, contendunt debere intelligi de festo proxime sequenti paschalem solennitatem, id est, de festo Pentecostes: sed hæc ratio infringitur verbis Christi apud Ioannem dicentis discipulis: *Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit?* vt etiam colligit Rupertus Tuitiens. Cum è Iudæa per Samariam pergeret in Galilæam, erat mensis December tunc, aut circiter, cum messis apud Iudæos inciperet iuxta Pentecostem, in nostro Maio, aut circiter: quemadmodum ex eo constat, quod in Pentecoste panes primitiui offerendi erant Deo.

Leu. 23. Altera opinio, quæ refellitur. *Cyrill. Alex lib. 5 in Ioan. c. 122. to. 1. Chrys. ho 35. in Ioan. to. 3.* *Ioan. 4.* *Rupert. Tuitien. lib. 5 in Ioan.* Messis apud Iudæos de more quando fiebat.

Festum ergo Pentecostes, imo & festum Tabernaculorum illius anni, quo Dominus è Iudæa perrexit in Galilæam, iam erat transactum, priusquam in Galilæam rediret: proximum autem à reditu erat festum Paschæ, inter ea saltem festa, quæ iuxta legem celebranda erant, & in templum veniendum. De eo ergo verisimile est locutum hoc capite Ioannem, quemadmodum asserere nõ dubitauit Rupertus Tuitiensis, cuius hæc sunt verba: *Hic Euangelista Paschale festum non apertè exprimit, dum dicit indiffinite: Erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam: sed ex superioribus festum paschale fuisse colligitur. Nam aliam ob causam superius, vbi mulieri Samaritanæ est locutus, dixit discipulis suis: Nonne vos dicitis quia adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Constat vero quia vbi non plus quam quatuor menses ante messem intersunt, paschalis festiuitas non plus quam duobus mensibus longe abest: quo vtique spatio temporis alia festiuitas nulla occurrit, quæ secundum præceptum legis omne masculum deberet apparere ante conspectum*

Leu. 23. *Rupert. Tuitiens. ibid.* *Ioan. 4.* *Exod. 23. Deut. 16. & 23.*

Domi-

Domini. Igitur & hoc paschale festum est, quo nostrorum (vt praedictum est, & posterius liquebit) Sacramentorum principium repetitur. Hæc ille, & ante eum intellexit. Diuus Irenæus, qui libro Aduersus Hæreses, sic scribit: *Post hæc iterum secunda vice, ascendit in diem festum Pascha in Ierusalem, quando Paralyticum, qui iuxta natatoriam iacebat triginta octo annos, curauit iubens vt surgeret, & auferret grabatum suum, & iret.* Huius sententiam sequitur Abulensis in suo Defensorio, & Paulus Episcopus Forosemproniensis in sua Paulina, & Ioannes Ferus in capite quinto Ioannis, & Petrus Irurozquus Nauarro, Dominicanæ familiæ, in libro quem inscripsit. Series historiæ totius sacri Euangelij, hoc mordicus tenet, & inter alios Cornelius Iansenius vir profecto eruditus, & in Concordia Euangelica concinnanda diligentissimus. Hi omnes vno consensu tradunt hoc festum fuisse diem Paschæ. Quod etiam rationibus probabilibus, & validis non destituitur.

Iren. lib. 2. ca. 39. initio. — *Abul. Episc. in Defensor.* — *Paulus Episc. Forosempron.* — *Ioan. Ferus.* — *Petr. Irurozquus Nauarro.* — *Corn. Iansen.*

Per diem festũ Iudæorũ, esse Pascha intelligendum ostenditur.

Prima est: quia dies festus simpliciter & antonomastice debet accipi pro præcipuo, & principali festo Iudæorum, quale erat Pascha: & ita accipitur in Scripturis. Dicitur enim apud Lucam: *Cum factus esset* (scilicet IESVS) *annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi, &c.* Vbi loquitur de die Paschatis. Ait etiam Ioannes: *In crastinum turba multa quæ conuenerat ad diem festum.* Et infra: *Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus, Eme ea quæ opus sunt nobis ad Diem festum*, in quibus locis per excellentiam nomine diei festi intelligimus festum Paschæ. Ad hæc nisi hoc festum Paschæ fuisset, non possemus ex Euangelijs probare CHRISTVM tres annos cum aliquot mensibus prædicasse. Quod tamen à Daniele fuerat prędictum: *Confirmabit*, inquit, *pactum multis hebdomada vna: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium*: nam morte Christi antiquata sunt omnia legis sacrificia, & saltem inutilia, & mortua reddita. Cum tamen ad designandum tempus, & annos prædicationis Christi (quod ab alijs sanè fuerat prætermissum) Ioannes tam accurate Paschata, quæ, dum durauit prædicatio Domini primo anno inciderunt, annumerasse videatur. Quæ vero hactenus contigerunt, vno integro anno, & aliquot paucis mensibus, scilicet à die baptismi, quo tinctus est à Ioanne, vsque ad primum illud Pascha Iudæorum, de quo Ioannes capite 2. peracta sint. Plures alias rationes ad hanc veritatem confirmandam produximus in Prolegomeno trigesimo secundo vbi & rationes in contrarium fieri possent, & solent, dissoluimus, ad eum locum destinamus lectorem huius rei auidum.

Luc. 2. — *Ioan. 12.* — *Infra 13.* — II. Ratio. — *Dan. 9.* — Antiquæ legis sacrificia cum ceremonijs quando inutilia esse cœperint. — *Matt. 3.* — *Lib. 1.*

Iam ad literam accedamus: *Post hæc erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam.* Locus Ierusalem editus erat, & sublimis, & complectebatur montem Sion: ideo eo venire, ascendere erat. Et cum ascensu mentis nostræ, & eleuatione celebranda sunt festa, si Deo grata esse volumus. Est etiam dies festus, quando Christus iustificat peccatorem: quia gaudium est coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente: Cuius iustificationis vmbra, & figura erat illius infirmi sanatio, qui prior descendisset in Piscinam. Crebro autem aderat Iesus festiuitatibus Iudęorum, ad ostendendam virtutem suam, & ad communicandam doctrinam, & sanitates conferendas. Venerat enim pro male habentibus, quibus opus est Medico, & non pro bene habentibus.

Ioan. 5. — Ierosolymæ situs qualis. — Qua ratione festa sint nostra celebranda. — *Luc. 15.* — *Ioan. 5.* — Iudæorum festis cur Iesus frequenter adesset. — *Matth. 9.*

Est autem Ierosolymis probatica, piscina quæ cognominatur Hebraico Bethsaida, quinque porticus habens, &c. Varia est lectio huius loci. Interpres noster in recto legisse videtur, probatica, id est, pecualis, siue ouina, à nomine πρόβατον, quod pecus, siue ouem significat: quod in ea Nathinæi lauarent animalia offerenda, vel intestina ouium ad sacrificium immolandum. Et ita Chrysostomus cum Theophylacto legunt in textu suo Græco. Codices vero Græci modo habent: *Est autem Ierosolymis ad probaticam*, vel, super Probaticam, id est, iuxta, vel apud, vel in Probatica (& ita se inuenisse in quibusdam Latinis codicibus antiquis testatur Erasmus) piscina dicta Hebraice Bethsaida, nempe ἐπὶ τῇ προβατικῇ, id est ad locũ, in quo congregabantur pecora, siue ad forum pecuarium, in quo veniebant pecora pro sacrificijs: cuius loci pars erat piscina hæc. Atque ita legit Euthymius, vel, quod est probabilius, significat portam ciuitatis dictam portam gregis, iuxta templum, quæ apud Nehemiam dicitur à Septuaginta Interpretibus πύλη προβατική, id est, porta gregis. Et sic legendo sensus esset, ἐπὶ τῇ προβατικῇ, hoc est, apud portam gregis erat quædam piscina. Et hæc lectio comprobatur ex eo quod Euangelistæ sæpe alludunt ad sensum, & verba Septuaginta Interpretum. Et in eo loco sæpe ostenduntur vestigia illius olim cognominatæ Piscinæ probaticæ. De hoc Brocardus in descriptione terræ Sanctæ ita loquitur:

Varia lectio huius loci. — Probatica Piscina cur dicta. — *1. Esdr. 8.* — *Chrys. in Ioan. ho. 35. to. 3.* — *Theophylact. ibid.* — *Erasm. paraphrasi in Euang.* — *Euthy. cap. 6. in Ioan.* — *Nehem. 3.* — Ad sensum, & ad verba 70. Interpretum frequens in Euangelistis allusio. — *Brocardus.*

Ab area

Eadem piscina cur porta gregis, seu vallis nominetur.

Ab area templi contra Aquilonem, quantus scilicet est iactus lapidis, est porta Vallis, quæ ducit in Vallem Iosaphat: & hæc etiam dicitur porta gregis, quod per eam introducebantur greges immolandi in templo. Proinde intrantibus portam Vallis, siue gregis, ad sinistram occurrit Piscina probatica, in qua Nathinæi immolabant hostias, quas tradebant in templo offerendas sacerdotibus. Et hæc porticus habuisse ostenditur, in quibus secundum Ioannem iacebant infirmi aquæ motum expectantes. Ad dexteram vero ostenditur alia Piscina inferior, facta ab Ezechia, vt dicitur 4. Regum 20. & de qua fit mentio Esaiæ vigesimo secundo. Hæc autem Piscina Bethesda constructa creditur à Salomone pro ministerio templi: quæ fortè à Iosepho in descriptione Ierusalem stagnum Salomonis vocatur. Hæc ille, & alia de alijs adiungit piscinis ibidem. Sed ad rem ipsam parui refert quomodocunque legas. Licet minime contemnenda videatur prior lectio: quia Doctores Græci & antiqui illam sequuntur, & Codex Syriacus illam tantum nouit lectionem, alterius autem ne meminerunt quidem. Certe Hieronymus libro de locis Hebraicis nostræ subscribit his verbis: *Bethesda, Piscina in Ierusalem, quæ vocabatur* προβατικὴ (ergo in casu recto legit Hieronymus, & non in Datiuo, nempe ἐπὶ τῇ προβατικῇ) *& à nobis interpretari potest pecualis. Hæc quinque quondam porticus habuit, ostendunturque gemini lacus, quorum vnus hybernis pluuijs adimpleri solet, alter mirum in modum rubens, quasi cruentis aquis, antiqui in se operis signa testatur. Nam hostias in eo lauari à Sacerdotibus solitas ferunt, vnde & nomen accepit.* Hæc ille. Ita etiam se legisse testatur Theophylactus in Commentario.

Ioan. 5.

A quo eadem Piscina constructa, & quæ ad finem.

Ioseph li. 6 de bell. Iud ca. 6.

B. Hieron. to. 3. non procul à fine.

Theophylact.

Piscina vnde dicta.

Piscina per antiphrasin à piscibus dicitur, quod eis careat: sicut lucus, eo quod minime luceat. Græce autem dicitur κολυμβήθρα, à natando, quasi dicas natatoriam, vel natabulum: ita ab Ioanne dicitur natatoria Siloe: & in balneis Piscinæ dictæ, quod homines piscibus natando similes fiant. Cicero ait: *Latiorem Piscinam voluissem, vbi iactata brachia offenderentur.* Erat ergo receptaculum aquarum ad abluendas carnes animalium immolandorum. Hebraice dicitur appellata Beth-saida: Græci Codices Βηθεσδὰ, habent, hoc est, Domus effusionis, siue defluxus aquarum, Hebraicè ביהעדא quæ, vel à templo post immolatorum ablutionem, vel quod à tectis templi distillarent, atque ibi colligerentur, vel, vt ait Hieronymus, quod ex vno lacu aquæ in alterum influerent, sic est dicta Bethsaida. Sed profecto præstat lectio Syriaci Codicis quæ habet Bethesda, Beth & chesed, vt sit domus benignitatis, siue misericordiæ, quasi domus hospitalis, in qua signum benigne fiebat pauperibus, & infirmis à Deo non sine insigni miraculo. Et nominis rationem videtur explicare Ioannes, cum ait: *In his iacebat multitudo magna languentium, &c.* Quanquam non sit contemnenda lectio nostra, quæ habet, Beth-saida, quæ vox, domus frugum, vel cibariorum interpretatur, siue domus piscationis. Estque vox Chaldæa, & Hebræa: sicut phrasi Hebraica dicunt domum seminis, agrum, domum iumenti, stabulum. Ciuitas etiam Galilææ, ex qua erant Petrus, & Andreas, & Philippus Apostoli, dicta est Beth-saida, quod fortassis eius ciuitatis homines piscationi vacarent. Habebat hæc piscina quinque porticus, qui constructi forte fuerant ex eleemosynis, in pauperum commoditatem. Porticus autem, est tectum sine aliqua conclusione: & quia ibi tantum sacrificanda abluebantur, opus erat loco capaci. Erat etiam locus pro languentibus, qui expectabant aquæ motum, & pro pauperibus petentibus eleemosynam à populo inde transeunte ad templum.

Κολυμβήθρα quid.

Ioan. 6.

Cic. ad Attic.

Bethsaida, seu Be-thesda cur sic appellata.

Hieron. vbi supra productus est.

Beth-chesda Syriacè quid.

Beth-saida quid sonet.

Hebraismus.

Ioan. 1.

Piscina hæc cui dicta Bethsaida: eius quinque porticus ad quid erant.

Porticus quid.

Mirabile est Christi documentum, qui in templum prius ingressus est ad orationem, & adorationem, deinde in locũ pauperum, vt exhiberet misericordiam, & suo nos exemplo ad similia prouocaret fidei, & charitatis opera.

Singulare Christi religionis, & beneficentiæ documentum.

Infelices autem Anabaptistæ detrahunt veritati huius Piscinæ: quia de ea nihil in Veteri Testamento dicitur, cum templum describitur, nec Iosephus diligentissimus author, qui scripsit templi Salomone, & sub Esdra, & sub Herode constructionem. Sed nihil mirum est, si CHRISTI miracula non scribantur à Iosepho. Nam & historia Iudith, quæ propria est Veteris Testamenti, ignota fuit Iosepho, cum eius facit mentionem nullam. Vetus Scriptura etiam tametsi non aperte dicat, insinuat tamen piscinam hanc libro secundo Paralippo. quando meminit maris Ænei, in quo sacerdotes lauabantur: ter & mille metretas, siue batos continentis, & decem concharum quinque ad dexteram, & quinque ad sinistram positarum, in quibus lauabantur omnia sacrificia offerenda. Ideo opus erat conceptaculis aquarum, quæ per subterranea effunderentur loca, & apertè Aristeas lib. de 70. Interpretib. ad Philocratem horum conceptaculorum meminit, his verbis:

Anabaptistæ hanc de Piscina historiam è medio cur tollant infelices.

Quibus verbis Piscinam dictam Scriptura vetus insinuet.

2. Paral. 4.

Aristeas.

Aqua-

Aquarum vero receptacula, quæ plurima ad diluendum iugulatarum hoſtiarum ſanguinem ſunduntur, commodis locis occuluntur: nam feſtis diebus multa victimarum in illa caduntur. Etenim tantus eſt eductarum aquarum aſſiduus fluxus, vt perennem fontem inundare putes, ſed mirabilius eſt, & ferè inenarrabile, ſubterraneorum conceptaculorum magnitudo: quæ ad quinque vſque ſtadia per circuitum templi cuncta penetrat: plumbeæ ad eas fiſtulæ quæcunque per muros, ac templi ſolum, quibus omnia abluantur, mundenturq;, deſcendunt. Sunt & apud aræ baſim frequentes aperturæ, omnibus, niſi his, qui miniſtrant incognitæ, quarum influxu, ac impetu omnis ex hoſtiarum multitudine cruor purgetur. Receptarum autem aquarum multitudinem per hunc modum coniectauimus. Nam cum nos ſtadia quatuor vltra vrbem duxiſſent ad quendam locum, iubent nos ſubterfluentium vndarum ſonitum audire: qui mihi quidem magnorum vaſorum confluxus viſus eſt. Hæc Ariſteas. Ex cuius verbis conijcitur, facile accidere potuiſſe, vt aquæ illæ per occultas fiſtulas in hanc Piſcinam influerent, atque iterum ex ea per alios meatus extra vrbem effunderentur.

In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. ¶ *Angelus autem Domini, &c.* Aridos vocat, ξηρούς, id eſt, mancos, qui manum habẽt eneruatam: dicitur enim mancus, quaſi manu carens. Explicanda ſunt quatuor. Primo, vnde piſcina hæc talem virtutem haberet. Deinde, quis Angelus hic eſſet, & quæ ſpecies motus, qua mouebatur aqua. Tertiò quare ſanaret vnum, & illum non ſine ſua induſtria, & labore. Poſtremo quid ſignificaret, aut quod haberet myſterium hæc piſcina. Ad primum quidam non ſatis certa & explorata tradentes, hanc virtutem ligno Dominicæ crucis tribuunt, quod ibi deliteſcebat, & tempore paſſionis enatauit, vt in eo Filius Dei crucifigeretur. Alij vero, vt Theophylactus, ſanguini victimarum eo confluentium, & ablutioni animalium immolandorum adſcribunt. Alij vero alijs cauſis non ſatis probabilibus. Verum illud mihi rationi magis conſonum, certiuſque videtur, eiuſmodi aquas ex natura ſua, vel ex aliquo creato adiuncto, vt ſanguine, vel ligno Crucis, talem vim ſanandi, & efficaciam, minime habuiſſe: tum quia ſi eſſet talis virtus naturalis ſemper, & non certo tempore tantum ſanaret: neque quoſuis, ſed certos tantummodo homines, & aliqua tantũm ægritudine affectos, & non vnum, ſed omnes intrantes, & non ſubito, ſed cum ſucceſſione, & temporis mora. Nec erat virtus miraculo ſecundum tempus creata, & ad tempus aquis adiuncta: quia etiam eſſet naturale agens, & determinatum ad vnum genus infirmitatis: neque ſanetet vnum tantum, neque ſubito, & in inſtanti. Sed tribuenda eſt hæc ſanatio Diuinæ virtuti aſſiſtenti. Nam vt aqua zelotypiæ epota, computreſcere faciebat femur, & ventrem mulieris adulteræ, & vt Pauli ſudaria, & ſemicinctia tangentes, à morbis ſanabant, & vmbra Petri obumbrans aliquem infirmum, ab infirmitate ſanitati reddebat, non ex aliqua virtute naturali miraculo illis indita, ſed ex Dei virtute aſſiſtente, & tanta, & talia operari dignante ad finem excitandam. Ita ob ſimilem rationem, hæc aqua Piſcinæ in eam ingredientes ab omni morbo curabat, vt rudes, & incredulos Iudæos in fide, vel cultu Dei, ſpecie temporalium bonorum contineret. Hinc continua fuerunt in populo illo ſigna, vt mannæ, & columnæ ignis, & nubis per quadraginta annos, virgæ Moyſi tot ſigna edentis, aquæ zelotypiæ, & Piſcinæ iſtius. Erant etiam ſigna in oraculis, & in lapidibus Rationalis, & in applicatione Ephod coram arca, & Prophetis, & alijs modis conſulendi Deum in occultis, & futuris euentis, quibus Deus ſeipſum in illa congregatione populi manere oſtendebat: ſicut nũc illis ſublatis oſtẽdit ſe illis abeſſe, ſicut & Hæreticis noſtris. Populus namq; ille Iudæorum ſignis eductus erat ex Ægypto, ſignis educatus, & innutritus, donec venit CHRISTVS. Hinc Beatus Chryſoſtomus hoc loco ait: *Huius aquæ natura per ſe non ſanabat, ſiquidem ſemper ſanaſſet, ſed duntaxat cum ab Angelo mouebatur.* Et Hieronymus aduerſus Luciferanos: *Betheſſa lacus*, inquit, *Iudææ, niſi per aduentum Angeli, debilitata corporaliter membra ſanare non poterat.* Sic illi Patres, ſanandi vim Angelo, vt Dei miniſtro tribuentes.

Quantum ad ſecundum, parui refert ſcire quis fuerit Angelus: quemadmodum etiã nihil mea refert noſſe qua penna ſcripta ſit à te epiſtola ad me miſſa. Probabile tamen eſt fuiſſe Raphaelẽ, qui ſanauit Tobiam, & qui interpretatur Medicina Dei. Vel aliquis alius fuit Angelus ab eo miſſus: nam ſolent magni alios ſuo nomine mittere, vt magnus docet Dionyſius in libro de cœleſti Hierarchia. Deſcendebat autem Angelus de cœlo, non viſus à quoquam: nam ſi videretur, terrerentur Iudæi, & morte morerentur. Hinc dicebat mater Samſonis: morte moriemur, quia vidimus

Margin notes: tidus hoc lo- / qui dicatur / Euangeli- / : Mancus / ais. — nde Piſcina / ec talem vir- / tem habe- / et — . Opinio. / heophyl. — . Opinio. / ontra primã / pinionem. — Contra ſecundam opinionem. — Quarta opinio veritati congruentior. *Num. 5.* — *Act. 19.* — *Supra 5.* — Perpetua Dei Opt. Max. in populum Iudæorum beneficia. — *Exod. 16.* — *Supra 23.* — *Infra 28.* — *Supra 25.* — *Exod. 14.* — *Chryſ. ho. 35. in Ioan. to 3.* — *Hieron. to. 2.* — Quis fuerit hic Angelus in Piſcinam deſcendens. — Raphael quid ſonet. *Tob. 12.* — *B. Dionyſ.* Quomodo hic Angelus deſcenderet in Piſcinam.

Gen. 32.

Dominum, & Iacob, vidi Deum facie ad faciem,& salua facta est anima mea, id est, etiamsi viderim Angelum viuus tamen, & saluus sum. Deinde Iudæi infirmi non expectarent aquæ motum ad se proijciẽdum in piscinam, sed cognito Angelo statim descenderent.

Qualis fuerit hic motus Piscinæ.

Quis etiam fuerit motus, haud satis cõstat. Videtur tamen fuisse motus circularis, quasi aqua à se mouetur: & motus etiam transmutationis,qua aqua clara conturbaretur:vt Albula, qui conturbatus flauescit, de quo Lyricus.

Horat. lib. 1. Ode 2.

Vidimus flauum Tiberim retortis, &c.

Quid opus fuerit aqua turbida,cum clara ad sanandum sit magis idonea. 4. Reg. 20. 4. Reg. 5. Supra 2.

Dices, quid opus erat aqua turbida, cum clara sanitati restituendæ sit aptior? Nempe vt nos proprio sensu exutos, ad fidei obsequium assuefaciat. Nam vt ficus vlceri Ezechiæ sanando adhibita est, & sicut Naaman Syro præceptum adire aquas Iordanis, quas ille contemnebat vt sanaretur à lepra,& Helisæus sanauit aquas Ierichuntinas, in quibus erat mors & sterilitas,iniecto sale, quod suapte natura sterilitatem, non fertilitatem inducit: ita Dominus per mortem operatur vitam,per tristitiam gaudium,libertatem per captiuitatem. Quia ergo prosperis, & claris abutimur,ideo Deus mouet, & conturbat aquam,aduersa immittendo. Et hæc tribulatio quæ nos perdere videtur, vere tamen seruat.

Salis propriũ quid.

His Angelus in Piscinam quando descenderet.

Quando autem descenderet Angelus, non præscribitur: tamen dicitur: *Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in Piscinam*,id est,certo quodam, & opportuno tempore Deus enim cuncta in tempore suo pro sua sapientia operatus: & Cyrill. aperte asserit contigisse hanc motionem solo die Pentecostes. Alij vero etiam alijs diebus festis,vel etiam in die Sabbati. Mihi probabilius videtur certum, & definitum tempus fuisse,nempe in die Paschatis: in signum quod illo die Dominus esset omnes omnium hominum infirmitates spirituales sanaturus. Et propterea ante diem illum confluebant omnes infirmi sub vesperam, vt locum opportunum, & commodum nanciscerentur, vnde facile ab homine proijci possent: sed postea cessauit virtus Piscinæ, vt legis, & sacrificiorum. Hinc Tertull. libro aduersus Iudæos, capit. de claritate Gentium in Christo Iesu, ait: *Exinde destitit apud illos Dei gratia: & mandatum est nubibus ne pluerent imbrem super vineam Sorech, id est, cœlestibus beneficijs, ne prouenirent domui Israel. Fecerat enim spinas,ex quibus Christum coronauerat: & non iustitiam, sed clamorem, quo in crucem eum extorserat. Et ita subtractis chrismatum roribus, lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem fuerunt: & piscina Bethsaida vsque ad aduentum Christi curando inualitudines ab Israel, desijt à beneficijs deinde, cum perseuerantia furoris sui nomen Domini per ipsos blasphemaretur.* Idem quoque tradit in libro de Baptismo.

I. Opinio. Cyrill. lib. 2. in Ioan. c. 122 tom. 1 inst. II. Opin. probabilior.

Tertull. Isai. 5. Deum præcepisse nubibus ne pluant super vineam Sorech, quid secundum Tertull.

Ioann. 19. Matth. 11. Piscina illa quando ... ss esse corpus, eodem ... Idem.

Cur sanaret vnum tantum hæc Piscina. I. ratio. Exod. 7. vsque ad 15. cap. Infra 10. & seq. Secunda.

Ad tertium vnus tantum ex his qui se proijciebant in aquam,ex pacto Dei sanabatur. Tum vt paulatim ablactarentur à signis Iudæi, qui illis educti erant de Ægypto,educati in deserto, & conseruati in terra Chanaan. Tum deinde,vt ostenderetur sanitas corporis non esse adeo magnum donum. Sæpe enim nocet,& condemnat hominem, cui sæpe vtilior est, & salutarior infirmitas. Petrus rogatus cur non filiam ægrotantem liberaret, *Ne dubitetis*, inquit, *de potestate, ecce* (ait) *surge filia Petronilla, & ministra nobis*: & surrexit,& ministrauit. Et postea dixit, *Redi filia ad lectum tuum*. Nam sanitas communis est bonis, ac malis, & sæpe nobis magis expedit infirmitas, neque potest nisi cum metu eius amittendæ possideri. Hinc Augustinus in homilia quadam ait: *Etiam ipsa sanitas infirmitas quadam est: quia si non edis, morieris. Ideo ponis tibi quotidie medicinam contra famem, & potum contra sitim, & quietem somni contra lassitudinem.* Hæc ille in sensu. Tum tertio, ob mysterium: quia, vt Augustinus ait, *Nonnisi qui vnus est cum Christo, & in vno corpore eius, quod est Ecclesia, seruatur.* Et cum tot mortui essent tempore Helisæi, vnus tantum puer est suscitatus. Et cum tot viduæ siccitatis tempore essent, vnius tãtum Sarepthanæ mulieris inopiæ est per Heliam subuentum. Ita Dominus vnum tantum voluit sanari per piscinam, & vnum ipse inter tot infirmos paralyticum sanitati restituit, vt virtutis suæ specimen ederet,& significaret se omnes omnium hominum,& omnium seculorum infirmitates,tum corporis, tum animi virtute sua sanaturum. Præterea,vt doceret, ita esse in cœlestem gloriam currẽdum, & festinandum,ac si vnus tantum ingredi posset, iuxta illud Apostoli: *Nescitis quod ij qui in stadio currunt,omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? Sic currite vt comprehendatis.* Tum denique, vt crederetur baptismi aqua cor abluere,& esset hæc piscina pædagogia quædam virtutis Sacramenti regenerationis à quocunque peccati morbo sanantis. Nam vt nemo admirari posset de Christo nato de virgine, voluit prius aridam virgam Aaron reflorescere. Et vt de prædicatione Christi crucifixi mundum ab interitu, captiuitateque peccati liberantis

Petri Apostoli filia Petronilla cur semper langueret.

Aug. in Psal. 37 tom. 8. & verò ... serm. 24 de temp. circa fin. to. 10. III. Ratio. Idem tract. 17. in Ioan. tom. 9. Coloss. 1. 4. Reg. 4. 3. Reg. 17. & Luc. 4.

IV. ratio. 1. Cor. 9. V. ratio. Ioan 3. Num. 17.

rantis nemo stuperet, voluit prius serpentem æneum in deserto exaltari, qui conspectus à populo Dei Israelitas à morsibus ignitorum serpentium curaret: ita, cum esset prędicanda virtus Baptismi mundans ab omni peccato, & Pœnitentiæ, quæ velut alter lacrymarum baptismus omnia diluit crimina, voluit hanc aquæ piscinam omnem sanantem infirmitatem præcedere: quemadmodum Ioannes Baptista suo baptismo pręlusit ad Christi baptismum. Addunt alij etiam aliam rationem. Futurum enim erat, & prædicandum inter Christianos, quod Deus per sanctos suos in certis locis, ac anni temporib. gratias sanitatum, & dona spiritualia nobis esset distributurus, nempe in die anniuersaria Martyrum, quando ad illorum corpora, reliquiasque concurritur. Ita voluit præcessisse symbolum, & typum piscinæ sanantis, quæ in certo loco, certoque anni tempore ad Angeli motionem similia præstaret. Etsi enim Deus præcipuè sit qui sanat: vtitur tamen opera, vel manu Angelorum: qui proinde dicuntur virtutes, & potentes virtute à regio Propheta, & ab Apostolo Paulo administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis.

Quantum ad quartum, piscina hæc per allegoriam legem significat, quæ in quinque in porticibus, quasi in quinque libris Moysi, posita neminem ad iustitiam adducebat, neminemque sanabat: donec Angelus Domini, id est, Christus, magni consilij Angelus aquam huius piscinæ permouit, vt possent Iudæi languentes infirmitate peccati, cæci fide, claudi ad bene agendum, aridi pietate, & deuotione, per literam in spiritum commutatam sanari. Prior autem in piscinam descendens, est Iudæus: hominem habens, id est, Moysen: sicut æger non habens hominem, Gentilis est. Cui duo, id est, Lex, & Prophetæ, vel duo præcepta amoris desunt, vt perueniat ad quadraginta: cognoscit tamen ægritudinem, & vult sanari. Et hic secundus est, qui cogebatur à Iudæo ad Sabbatum seruandum.

Possumus etiam aptè per hanc piscinam à Christo turbatam, baptismum intelligere, cuius aquam Christus turbauit sanguine suo: in quam non vnus, sed quotquot fide in eam se projciunt, salutem æternam consequuntur. De quo apte Tertullianus libro de Baptismo, sub initium: *Piscinam*, inquit, *Bethsaida Angelus interueniens commouebat, obseruabant, qui valetudinem querebantur. Nam si quis preuenerat descendere illuc, quæri post lauacrum desinebat. Figura ista medicinæ corporalis, spiritalem medicinam canebat, ea forma, qua semper carnalia in figura spiritalium antecedunt. Proficiente itaque in hominibus gratia Dei, plus aquis, & Angelo accessit: qui vitia corporis remediabant, nunc spiritui medentur: qui temporalem operabantur salutem, nunc æternam reformant: qui vnum semel anno liberabant, nunc quotidie populos conseruant, deleta morte per ablutionem delictorum. Exempto scilicet reatu, eximitur, & pœna. Ita restituetur homo Deo ad similitudinem eius, qui retro ad imaginem Dei fuerat. Imago in effigie, similitudo in æternitate censetur. Recipit enim illum Dei spiritum, quem tunc de afflatu eius acceperat, sed post amiserat per delictum: Non quod in aquis Spiritum sanctum consequamur, sed in aqua emundati sub Angelo Spiritui sancto preparamur. Hic quoque figura præcessit. Sicut enim Ioannes ante præcursor Domini fuit, preparans vias eius: ita & Angelus Baptismi arbiter superuenturo Spiritui sancto vias dirigit ablutione delictorum, quam fides impetrat obsignata in Patre, & Filio, & Spiritu sancto.* Hæc ille peracutè, & appositè admodum.

Ad mores autem instituendos: in Ierosolymis, id est, Ecclesia Catholica, quæ vocata est ad pacem, & vidit Christum pacificantem per sanguinem crucis suæ, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt: est piscina ad probaticam, id est, anima capax aquæ sapientię, gratię Dei, & bonorum operum. Rectè dicitur ad probaticam portam posita, quia in illa mores, & ingenium lupi rapacis exuimus, & simplicitatem ouis dantis lanam, & lac, induimus, vt simus aptum sacrificium, & de numero ouium audientium pastorem. Et in tali animæ piscina lauanda sunt omnia nostra sacrificia quæ Deo offerrimus: quia respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Est etiam Bethesda, siue domus effusionis: quia in eam debent influere aquæ gratiarum de cœlo cadentes: quia terra Chanaan non irrigatur Nilo, sed expectat de cœlo pluuias. Siue Syriacè Beth-chesda, id est domus misericordiæ: quia beati (proximo scilicet) misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur à Deo.

Hæc anima quinque habet porticus quinque sensuum: qui gemini sunt, & quasi binis columnis sustentantur. Bini enim sunt oculi, binæ aures, geminæ nares, geminæ manus, quæ sunt præcipua tangendi instrumenta, lingua etiam, & palatum, quę gustatui deseruiunt. In his iacent, qui sensibus, & genio indulgent: languentes, qui ab affectibus suis superãtur, cæci, qui ignorantia

Margin notes (left): ...smi. & ...tentię ...mento. efficacia. — ...ib. 3. — ...na ratio. — ...geli cur ...cotes vir. ...e, teste ...phe a. ...l 102. ...dem. ...ib. 1. — ...scina quid ...ysticè, & An... ...lus aquam ...rbans. ...eb. 7. ...sa 9. — ...rior in pisci... ...nam descen... ...dens quis ille. — Piscinæ altera allegoria. — Tertullian.

Margin notes (right): Gen. 1. Imaginis, & similitudinis discrimen ex Tertulliano. — Luc. 1. — Moralis sensus. — Col. 1. — Ioan. 10. & seqq. — Gen. 4. — Terra Chanaan quib. tantum fit aquis irrigua. — Matt. 5. — Animæ porticus quinque quænam sint. — In his porticibus qui iaceãt.

rantia fidei laborant, & per ignorantiam peccare consueuerunt: claudi, qui hæsitant, claudicantque in duas partes, volentes inseruire Deo simul & mammonæ, siue qui ex infirmitate, & naturæ imbecillitate delinquunt: Aridi, qui affectu charitatis Dei, & proximi vacant, & ex habitu malitiæ peccant. Oportet hanc piscinam turbari ab Angelo in duplici statu. Primo quidem, cum peccator pacem habet, & quietem in malo. Turbatio fit aquæ spargendo terram, id est considerando peccata, quæ cum videntur, turbatur, & conteritur piscina animæ. Turbat autem Angelus Domini, id est Spiritus sanctus, vel Angelus ad pœnitentiam de peccatis excitans, vel prædicator, ostendens quam pretiosa sit confessio, & absolutio Sacerdotum Christi sanguine empta, & attemperando se nostræ infirmitati. Et hoc secundum tempus, id est, modo: quia ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Siue secundum tempus: quando Deo, & Angelo aures accommodamus: siue cũ libenter audimus verbũ Dei, & instruimur de ira Dei de cœlo, quæ imminet, de morte instanti, de gehenna ignis, de grauitate peccatorum. De hac sancta turbatione ita loquitur Sapiens Ecclesiastici 31. *Si coactus fueris in edendo multum, surge è medio, & vome: & refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem.* Si pro salute corporis vtilis est vomitus, quanto magis animæ erit salutaris peccata confitendo, & quasi extra piscinam euomendo? Et ait Sapiens: *Si coactus fueris in edendo multum*: quia vt in conuiuijs importune inuitamur ad edendum: ita sunt quædam peccata, quæ interdum ab alijs sollicitati, & inuitati operamur.

Piscina animæ quo in duplici statu turbanda est.

Qui turbent hanc piscinam.

Quomodo turbent.

2.Cor.6.

Rom.2.

Vomitus peccatorum per confessionem salutaris.

Christo autem magno constitit turbare aquam nostræ piscinæ: nam turbatus est spiritu, & turbauit seipsum, & luctatus est cum morte in horto orans, & agonizans, & sanguineum emittens sudorem, & denique in cruce factus est piscina quædam sanguinis, & aquæ. Et quinque vulneribus quasi porticibus, corpus suum voluit configi, vt morbis animarum nostrarum curandis medicinam conficeret, & aditum nobis ad Devm Patrem præpararet. Et qui prior ingreditur in hanc piscinam, debet alios suo exemplo trahere. Non enim Christi piscina est, vt illa Iudæorum, quæ vnum tantum sanat, sed omnes, qui sub porticibus quinque vulnerum Christi proteguntur, vt ex iacentibus erigantur, ex languidis sani fiant, ex cæcis oculati ad spiritualia, & æterna, ex claudis fortes, vt solidos gressus in via percurrenda perficere valeant, ex aridis virides, ac charitate floridi reddantur. Atque ita qui audit, dicat, venit, & cum Dauid dicat: *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.* Potest etiam dici quod qui prior ingreditur, est voluntas, quæ prior ad Deum accurrit, & quæ prima humilitate curatur: sed vetus homo noster ob prauos, & inueteratos habitus, & reliquias peccati oportet vt prælatetur per annum: id est, non repentè, sed paullatim abigendi inimici, ne terra nostra bestijs impleatur. Effectus autem huius in piscinam ingressus, est sanitas à quacunque infirmitate peccati, & quies, siue serenitas conscientiæ, de qua Apostolus: *Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum.* Descensum vero nostrum in piscinam præuenit Angelus, quia diuina gratia in omni bono opere, maxime vero in iustificatio nos præuenit. Cauendum autem à Satana, qui propterea nunc claram reddere nostram piscinam contendit, vel tanquam serpens comedendo terram, id est, nostra peccata nihili faciendo, vel diminuendo cum musica mundi, & laborando vt aures stimulis conscientiæ claudamus, vt ipsemet postea horribiliter perturbet instante morte, & adigat ad desperationem. De quibus ait Spiritus sanctus: *Videntes turbabuntur timore horribili, & mouebuntur in subitatione insperatæ salutis, &c.* Non erat turbata aqua in illo Rege Nabuchodonosor, qui dicebat: *Nonne hæc est Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* (vide iam turbatam piscinam) *Cumque sermo adhuc esset in ore Regis, vox de cœlo ruit. Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex, Regnum tuum transibit à te, & ab hominibus eijcient te, & cum bestijs, & feris erit habitatio tua: fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te: donec scias quod dominetur. Excelsus in regno hominum, & cuicunque voluerit, det illud.* Non erat etiam perturbata piscina in illo diuite, qui dicebat: *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare* (audi iam illam conturbatam.) *Dixit aũt illi Deus, stulte hac nocte animã tuam repetunt à te, quæ autem parasti, cuius erunt?* Præter hunc statum peccati, est status iusti, sed tepidi, & ad tepore expellendum. Cum quiuis etiam iustus quotidie peccet, & sentiat debilitatem ad bonum, pronitatem ad malum, in precib. fundendis somnolentiam, debet quotidie rogare Angelum, vt conscientiam turbet, immittendo veram contritionem, & dolorem de offensis Dei, vt ita descendens humilietur, & sane-

Animæ piscinam quis Angelus turbauerit.

Ioan.13.

Supra 11.

Luc. 22.

Ioan 19.

Ibidem.

Christi piscina longe Iudæorum illa præstantior.

Psal.50.

Quis ille prior qui ingreditur in piscinam animæ, vt sanetur.

Quomodo sanetur.

Rom.5.

A dæmone cauendum nobis diligenter.

Gen.3.

Sap.5.

Nabuchodonosori Regis in Deum superbia & eius humiliatio.

Dan.4.

Luc.12.

Piscina animæ iusti qui turbanda.

Gen. 8.

sanetur, & saltem quando turbatur aqua, vel per infirmitatem à Deo immissam, vel per prædicationem viuum tangentem, in seipsum descédat. Nemo enim est tam paruo, qui non habeat deformes pedes suos, vnde humilietur, & deponat supercilium, & tumorem de varietate & pulchritudine pennarum sumptum. *Miserere mei Domine,* dicebat Dauid, *quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. Et anima mea turbata est valde: sed tu Domine vsquequo?* Id est, postquam conturbata est piscina, ne differas pro tua bonitate sanitatem, & serenitatem conscientiæ, quæ illam consequi solet, largiri, secundum illud, *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinū lætitia:* & Apostolus, *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur,* propter merita Domini nostri Iesu Christi, qui cum Patre, & Spiritu S. beata vita ac æterna perfruitur. Amen.

Psal. 6. Qualis Dauidis, vt ipse innuat, animæ piscina.

Psal. 29. 2. Cor. 7.

TRACTAT. XIX.

In illa verba: *Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cū vidisset Iesus iacentem, & cognouisset quia iam multum tempus haberet, dicit ei, vis sanus fieri: Respondit ei languidus, Domine, hominem nō habeo, &c.* Ioan. 5.

HActenus signum illud ordinarium & frequens ad probaticam piscinam fieri solitum explicuimus, & quid mysterij in illo inuolueretur, simul declarauimus: iam miraculum, quod cum paralytico edidit Dominus (quod singulare fuit, non solum quia paralyticus, qui triginta octo annos ea infirmitate laborauerat, sed etiam quia in Sabbato patratum est: vnde Iudæi maxime scandalizati sunt, & magnum odium in Christum conceperunt, & de inferenda illi morte cogitarunt) nobis edisserendum, & enarrandum est. Ait ergo Euangelista: *Erat autem quidam homo ibi,* Qui morbo immedicabili, diuturno, & inueterato premebatur, & qui maxime egebat aliorum subsidio, vt ex morbi diuturnitate concipere possis miraculi magnitudinem, quodque tanto tempore, neq; casu ægrotauit, nec casu ægritudinem dilatam sustinuit, nec temere ab alijs in aquam descendentibus fuisse præuentum, nec sine causa hominem non habuisse: sed hæc omnia Dei nutu, & voluntate dispensata, vt clarificaretur Christus. Corpus siquidem patibile, & multis doloribus expositum, multorum bonorum est causa: nam sanum cōsequitur otium, carnis tentatio, aliorum contemptus, & conculcatio: Debile, & infirmum consequitur humilitas, precum studium, recursus ad Deum. Ita Iob corpus habuit plagis subiectum, & amicus Dei euasit: Christus quo nobis ampliora gratiæ, & gloriæ dona compararet, corpus passionibus, & laboribus obnoxium suscepit: Stephanus, & Laurentius corpore tormentis subiecto tanta præmia consecuti sunt apud Deum.

Sanati paralytici ad piscinam, signum illi quæ duplicitet.

Illius miseri hominis, & miseriæ descriptio.

Bonæ valetudinis incommoda.

Aduersæ valetudinis bona.

Iob. 2.

Esa. 53. & seq.

Act. 7.

Non exprimitur ab Euangelista quod morbi genus extiterit, quo ille affligeretur: verisimile tamen est fuisse paralysin. Nam & Irenęus pręced. tract. allegatus, paralyticum vocat, & alij S. Patres. Et idem videtur indicare grabatus, in quo iacebat: nam tales, qui mēbrorum suorum functionib. destituuntur, vt nō possint stare, ambulareve, vt plurimū sunt paralytici. Quod si paraliticus fuit, nōn putes esse illum eundem, qui demissus fuit per tectum ante Dominum docentem. Quia ille multos habebat homines, qui ipsum summa cura baiulabant, hic ait, Domine, hominē non habeo: Ille nihil locutus est: hic suam narrat miseriam: Ille, domi curatus nullo signato die, hic iuxta piscinam: illius priùs animam sanauit, deinde corpus, huius vero priùs corpus, deinde animam: illi dixit, *Fili, remittuntur tibi peccata tua:* huic *iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Ibi Scribæ Christum accusant blasphemiæ, hic autem non vt blasphemum, sed vt præuaricatorem Sabbati calumniantur.

Quo morbi genere hic languidus teneretur.

Iren. lib. 2. ca. 29. initio.

Qui ferè paralytici.

Quod hic paralyticus alius sit ab eo, qui per tegulas est demissus.

Matt. 9.

Triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Admirabilis & stupenda paralytici tolerantia, qui tot annos patienter infirmitatem tolerauerat, quorum multos fortassis obstinato animo expectarat ad piscinam, nunquam ab ea discedens. Voluit Dominus eos maxime infirmos curare, quorum infirmitas fuisset diuturna, & exploratissima, ne vllus calumniando signo locus esset relictus: vt constat de cæco à natiuitate, & de Lazaro fœtente, & quatriduano, & muliere hæmorrhoyssa, quæ per duodecim annos fluxum sanguinis perpessa erat, & altera, quæ habebat spiritum infirmitatis annis 10. & 8. vt Lucas refert.

Insignis documentum tolerantiæ, curatus ille languidus ad piscinam.

Quos maximè Christus infirmos curauerit.

Ioan. 9.

Infra 11.

Matt. 9.

Luc. 13.

Hunc cum vidisset Iesus iacentem, & cognouisset quia iam multum tempus haberet. Etsi mille anni ante Dominum, tanquam dies hesterna quæ præterijt: tamen ex quo Dominus per incarnationem subdi voluit tēpori, alijs oculis cōsiderat interualla temporum, vt nostri commiseratione tangatur. Et multū certè & infirmitatis, & ætatis

Psal. 98.

Quibusnam oculis Christus homo respiciat tempus.

tempus habebat: nam vltra dimidium vitæ humanæ in infirmitate permanserat. Constat enim dictum à Propheta, annos vitæ nostræ esse septuaginta, cuius media pars sunt trigintaquinque: hic autem per triginta octo in infirmitate fuerat detentus. Et in reb⁹ deploratis solet Deus nobis adesse, vt nos ad se magis alliciat: & doceat nos erga eos qui magis indigent, & hominum auxilio destituuntur, magis esse beneficos, & liberales. Et quãquam scriptum sit: *Languor prolixior grauat medicum*: (quod nimirum illi sit luctandum cum morbo, qui altas radices egit.) *Breuem languorem præcidit medicus*: Christum tamen medicũ nullus languor, quantumuis diuturnus, grauare potest, qui vel vno verbo omnes defunctos ad vitam reuocare potest.

Ibidem.

Desperatis in rebus nobis præsertim adest diuina vis.

Eccles. 10.

Languor prolixior cur grauet medicum, vt dictum est à sapiente.

Dicit ei, Vis sanus fieri? Præuenit Dominus ægroti preces, vt eius clementiam agnoscamus. Et interrogat, non quod quicquam ignoret: neque superflue interrogat, quod nimirum generatim omnis languens cupiat sanari, & hic præcipue, qui tot annis ad piscinam exspectabat pertinaci spe salutis: sed interrogauit vt desiderium excitaret in languido, & erudiremur in eius responsione de fide sua, de tolerantia, & quare posthabitis cæteris ad hunc potius venerit Iesus. Certè quod attinet ad sanitatem corporis, omnes etsi illam velint, nolunt tamen salutis adiumenta à medico præscripta apprehendere. Et in vita B. Martini testatur Seuerus Sulpicius, cæcos, claudos, & alios infirmos, qui ad mendicitatem alendam infirmitatem fouebant, B. Martinum illis occurrentem, & sanitatem conferre eis volentem fugisse, & se magno impetu ab eius præsentia subduxisse. Quod vero ad animæ salutem spectat, omnes illius desiderio in genere tenemur, cæterum modos eius consequendæ obstinate fugimus, vt meritò dictum sit: *Vis sanus fieri?* Neque dixit, vis vt sanem? vel, Credis me posse te morbo liberare? Quia Dominus ab omni erat arrogantia alienus. Nondum etiam tantam de ipso opinionem conceperat, cum esset illi ignotus. Interrogauit etiam, vt testes, qui aderant, magis attenti fierent, ne aliud cogitantes miraculum fugeret, vt sæpe in rebus subitis accidit. Et tacite his verbis innuebat Dominus se velle illum sanare, vt cum dicimus, vis hoc vendere? quasi indicemus nos velle emere: ita hic: *Vis sanus fieri? Respondit ei languidus, Domine, hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam.* Ad illam Christi interrogationem non respondit languidus, accusando, vel maledicendo eos qui se præueniebant, nec deuouit seipsum quod non haberet hominem, nec execratus est diem natiuitatis propriæ. Et videtur durities Sacerdotum, & Pharisæorum, & ciuium illius vrbis, in qua totus Dei cultus in sacrificijs pecudum consistebat, nec tamen erat qui huic infirmo deplorato inseruiret ad sanitatem acquirendam. Ideo merito illis dixit: *Misericordiam volo, & non sacrificium.* His ergo verbis, *hominem non habeo*, Laconicum responsum protulit: nam & causam cur sanitatis beneficium non adipisceretur, explicuit. Et verecundè, ac tecte togat Iesum, qui validus erat, qui tempore motus piscinæ sese in piscinam deferret. Et ita occulte donum furatur: nesciebat enim quid peteret, & Christus intellexit. Et quando homo sibi ipsi, & viribus suis diffidit, proximus est sanitati. Poteratque illi dicere IESVS, imo frater ob hanc ipsam causam quod hominem non habes, ego factus sum homo ad omnium salutem promouendam. Vnde Nazianzenus oratione in sanctum lauacrum: *Heri in lecto decumbebas, derelictus, & neglectus, nec habebas hominem, qui, cum aqua turbata esset, te in piscinam mitteret: hodie inuenisti hominem, eundem & Deum, seu potius Deum hominem.* Sic ille.

Christi clementia

Cur ex languido Dominus quæsierit si sanus fieri vellet, cum id ipse non ignoraret.

Illius languidi dirimates qui sint.

Seuer. Sulpic.

Quare Dominus non quæsierit, vis vt te sanem, sed vis sanus fieri?

Languidi paralytici quædam probitatis indicia.

Sacerdotum & Pharisæorũ inhumanitas.

Matt. 9 & Ose. 6.

Homo quando sanitati sit proximus.

Greg. Nazianz.

Dum venio enim ego, alius ante me descendit. Ergo sine homine poterat aliquo pacto venire: habebat fortè puerum, qui eum ferebat in grabato, sed in tam multa turba homine robusto erat opus. ¶ *Dicit ei Iesus, Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Voluit se Dominus ostendere illum esse, cui seruiunt Angeli, cuius vi conturbatur aqua, ægrotisque confertur salus, seque esse, qui omnium morbos, & animæ, & corporis vno nutu sanare poterat. Ait ergo, *Surge.* Naturæ ipsi verbo imperando, & vim surgendi conferendo, vt absque hominis auxilio sisteret in pedes, ferret grabatum, & ambularet. Putabat languidus se miserum, quod homine mittente se in piscinam careret, Christus autem ostendit non esse miserum, qui humana ope, sed qui virtute, auxilioque Dei destituitur. Et nisi certa fide verbum hoc accepisset languidus, & ex se non tentasset surgere, mansisset paralyticus in lecto suo. Ob id enim tot sunt hodie paralytici, quia non conantur à peccati lecto surgere, & operam in deferendo peccato non ponunt. Cum ergo per prædicatorem dicit, Surge, & inspirat ad viam virtutis amplectendam, nemo cunctetur, nemo moras nectat. Recte dicitur in hymno Virgini Deiparæ dicato:

Virtus Christi, & potestas quanta.

Miser proprie quis censendus.

Cur tot hodie paralytici.

Succurre cadenti
Surgere qui curat populo.

Cur Dominus paralytico iusserit grabatū portare. Matth 9. Ioan 11. Matt. 14.

Poterat dicere Dominus: esto sanus, & ab hoc morbo liberatus: sed maluit certa indubitatæ sanitatis indicia præcipere, quæ ad diuinam potentiam illustrandam apud omnium oculos faciebant. Sic filiæ Archisynagogi non dixit: Puella viue, sed, *Surge:* Non, Lazare, viue, sed, *Veni foras.* Sic isti dixit, *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula*, vt falsæ, & simulatæ sanitatis suspicionem tollat. Ad hunc modum in quinq; item, & in septem panum signis voluit, vt multæ fragmentorum reliquiæ superessent: & mundato leproso dixit: *Vade, ostende te Sacerdoti*, vt sententia Sacerdotis miraculum certam fidem faceret. Et in nuptijs aquam in vinum mutatam iussit adferri Architriclino, vt iudicium ferret de bonitate vini. Et puellæ suscitatæ iussit exhiberi cibum in signum veræ suscitationis. Ita paralytico iussit grabatum portare, diuturni morbi sui monimentum, vt non constaret tantum illū sanum esse, sed & robustas & validas vires accepisse. Nam hoc est in miraculis Domini diligenter ab Euangelistis annotatum, Dominum ita signa edidisse, vt nulli probabili calumniæ locus remanere posset. Grabatus lectus est exiguus pauperum, & mendicātium, dictus quasi carabatus, quod in eo capite tantum recumbamus, κεφαλὴν enim, caput, & βάτιον, paruū Græci dicunt. Etymologicon Græcum dictum putat, Παρὰ τὸ κρεμᾶν τὰς βάσεις, id est, à suspendendis pedibus: quod in lecticis, & grabatis portarentur, vt pedib. terram non contingerent. Et media producta est pronuntianda, vnde Poëta ait:

Infra 15. Sup. 8. Ioan. 2. Luc. 8.

Christus in edendis signis quid diligenter obseruaret.

Grabatus quid, vndeque dicatus.

Virgil in Moreto.

Membra leuat sensim vili demissa grabato.

Sanati in Sabbato paralytici mysterium. Gen. 1. & seq. Ambros. in Luc. li. 4. c. 13. tom 5.

Erat autem Sabbatum in die illo. Declarat Euangelista calumniæ Pharisaicæ seminarium fuisse, quod in Sabbato sanauerit paralyticum. Sed vt opera creationis facta sunt sex diebus, ita opus restaurationis, vt eleganter ait Ambrosius, vt vbi vetus creatura desijt fieri, inde noua incipiat. Erat autem vel dies festus Paschę, qui more Hebræorum dicitur Sabbatum, vel Sabbatum, quod in festo Paschali quotannis incidere solebat.

Proprium inuidiæ. Iudæi in Christum quanta laborarent inuidia.

Dicebant ergo Iudæi, illi qui sanatus fuerat, Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Inuidiæ excæcans vbi non potest opus carpere, modum ipsius operis reprehendit, id est, quod in Sabbato factum esset. Et miseri sunt, qui potius debuissent admirari factum, eiusque venerari factorem, ad calumnias tamen & inuidias se conuertunt, quasi in Sabbato licitum esset opera Dei calumniari, & sanato inuidere: cum tamen Samaritani ad mulierculæ testimonium Iesum honorifice exceperint, & Galilæi ignobiles, & imperiti in lege credidissent: soli Ierosolymitæ vrbis nobilitate, & templi religione turgidi, & de exacta legis peritia sese venditantes, Iesu calumniam struere non verentur.

Ioan. 4. Ierosolymitæ quales sese erga Christum exhibuerint amantem, ac benignum.

Respondit eis, qui me sanum fecit, ille mihi dixit, tolle grabatum tuum, & ambula. Prudenter respondit, quasi diceret: Dignus sum excusatione, & ex parte mei, quia parui præcipienti ei, qui mihi contulit sanitatem: & ex parte præcipientis, quia maior est homine, & Sabbato, & lege. Quia ergo supra legem me sanauit, etsi verbo eius solo obediuit infirmitas recedens: quid mirum si obediat sanatus? Curare non erat contra Sabbatum.

Languidi iam cur. & cur grabatum portaret, ad Iudæos commoda responsio.

Quod curare languidos nō esset contra Sabbatum.

Primò, quia Deus curabat: neque erat sub lege, qui legis erat autor. Deinde, quia non erat opus seruile: quoniam solo verbo curauit. Tertio, quia ad Dei laudem signa edebat: sicut in templo Sacerdotes excoriabant, & immolabant victimas. Quarto, ob necessitatem in Sabbato multa Dominus faciebat: & quia accedebat necessitas, & quia terminabatur tunc ęgritudo secundum Dei dispositionem, & quia plures ædificabantur, & vt innueret aliquando soluendum Sabbatum. Portare grabatum, seruile opus erat, sicut gestare onera. Hinc apud Ieremiam dicitur: *Custodite animas vestras, & nolite portare pondera in die Sabbati, nec inferatis per portas Ierusalem.* Et si colligere manna, & parare cibos, erat prohibitum in Sabbato, certè peccasset paralyticus portando grabatum sine Christi dispensatione. Sed Christus, Dominus Sabbati, dispensauit cum eo, vt videretur miraculum ad Dei gloriam, & paullatim à religione Sabbati Iudæi ablactarentur.

Ioan. 7. & alibi. 2. Paral. 35. Ierem. 17. Exod. 16. Marc. 2.

Interrogauerunt ergo eum, Quis est ille homo qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, & ambula? Contemptim dicunt, *Homo ille:* nec enim digni erant proferre nomen Iesu. Et malitiose dicunt quæ possunt parere calumniam. Neque dicunt, quis te sanum fecit? quod factum illud excusare poterant: sed, *Quis est ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, & ambula?* quod accusationi deseruiebat.

Iudæi de Christo cur dixerint: Quis est ille homo.

Is autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Nomen eius ignorabat, quia eum de facie tantum cognoscebat, vt ostenderetur

Quare languidus ignorabat de Iesu quis esset. 2. Cor. 5.

retur quod non fauore personæ, sed solo beneficio gratiæ collatæ perhibebat testimonium. Nec curandum est, si Christum secundum carnem nesciamus, dummodo eum secundum spiritum videamus: Beati enim qui non viderunt, & crediderunt.

Ioan. 20. Cur se hic Christus subduxerit.

¶ *Iesus autem declinauit à turba constituta in loco.* Christus se subduxerat, vt Iudæis liceret liberius de re ipsa iudicare sine personæ respectu, vt non videretur venari vulgarem populi applausum: sinebat rem ipsam diuinam prædicare virtutem, vt etiam sua præsentia magis non irritaret Iudæorum inuidiam. Nam vt in Prouerbijs dicitur: *Graue est saxum, & onerosa arena, sed ira stulti vtroque grauior.* Præbuit documentum, vt à contentiosis fugiamus, & quod ab illis se subtrahere velit. Vnde Apostolus ait: *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.*

Prou. 27. A quib fugiendum exemplo Christi. *1. Cor. 11.*

Postea inuenit eum Iesus in templo, Christus inuenit gratos, & sua dona in eis multiplicat: quemadmodum dæmon venit ad ingratos, vt eos donis spoliet. Et vt autor est Chrysostomus, bonus videtur extitisse hic paralyticus: tum quia inuenit illum in templo: quod magnæ reuerentiæ, & pietatis, & gratiarum actionis est signum: non enim iuit in forum, aut in plateas, sed in templum Domini etsi multorum ibi propter gestatum grabatum expectaret maledicta. Deinde, quia vbi agnouit Iesum, venit ad Pharisæos, & dixit illis, Iesum esse, qui sanum illum fecit: existimans illud interesse multorum, vt omnibus esset notus diuinus ille homo, & omnibus colendus Propheta, qui verbo solo posset mederi morbo deplorato: nec erat tam stupidus, vt tanti beneficij oblitus, maleuolo id animo loqueretur. Et vide pietatem hominis: non dicit Iesum præcepisse sibi tollere grabatum, sed se sanasse. Tertio, quia dixit illi Dominus: *Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat:* videtur ergo priora peccata remisisse, qui ad futurorum cautelam adhortatur: alias dixisset, *Age pœnitentiam de peccatis tuis.* Quartò, quia de illo dixit inferius: *Mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in Sabbato?* Ex his ergo satis probabiliter colligitur, paralyticum istum bonum virum extitisse, & fidem in Iesum habuisse.

Quosnã Christus quærens inuenit. *Chrys. hom. 8. in Ioan. to. 3.* Eum languidum Chrysost. vnde probet virum bonum fuisse. II. argum. III. argum. Quartum, & vltimum. *Ioan. 7.*

Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid cõtingat. In primis perspice Domini modestiam: non enim dixit, ecce sanum te feci, neque tibi quid deterius faciam, sed vtrumque in tertia persona. Deinde perspice, ex peccatis generari morbos, & nisi resipiscamus, seruari nobis maximum & perpetuum in gehenna suppliciũ. Tertio reducit in memoriam eius peccata, vt potius gratia, & benignitate quam meritis se sanatum agnoscat. Postremo aduerte, redeuntes ad vomitum, grauius puniri à Deo: Melius, inquit, erat illis non cognoscere viam iustitiæ quam post agnitionem retrorsum conuerti ab eo quod illis traditum est sancto mandato.

Quare Christus illi dixerit: Ecce sanus factus es: iam noli peccare, &c.

Ad vomitum redeuntes grauius à Deo puniuntur. *2. Pet. 2.*

Abijt ille homo: & nuntiauit Iudæis quia Iesus esset qui fecit eum sanum. Bono certè animo nuntiauit, non vt deferret eum, sed vt agnito tanto miraculo conuerterentur: vt recte colligit Chrysost.

Quo animo Iesum detulerit Iudæis hic paralyticus. *Chrys. ibid.*

Sed iam exposita litera, explicandum est mysterium. Iste enim homo triginta & octo annos habens in infirmitate sua, Iudæum, & quemuis alium peccatorem designat, & cui deest fides ad remissionem peccati, & ad annum iubilei. Nam à numero tricesimooctauo vsque ad quinquagesimum numerus duodecim deest, in quo exprimitur Fides, quæ duodecim articulis Symboli constat. Deest etiam charitas, quia ad quadragenarium numerum, qui significat pœnitentiam: ex eo quod populus Israelis in deserto quadraginta annis ambulauerit, & CHRISTVS quadraginta diebus, noctibusque ieiunauerit, binarius numerus, id est, charitatis, præceptum, deerat. Numerus etiam octauus & trigesimus ex duplici 19. conflatur: numerus autem nouem vitium designat, quia non attingit ad decem terminum numerum, sed est intra decem: quia vitium, malumve nititur bono.

Languidi à Domino sanati ad piscinam historia spiritualis intelligentia proponitur. Quid, quod ille triginta & octo annis languerat. Quadragenarij duodenarij & binarij Sacramenta numerorum. *Exod. 16.* *Matth. 4.* Numerus nouem cur defectum denotat.

Bis ergo decem & nouem sunt duo mala quæ facit peccator, de quibus Propheta: *Duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas: cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Deinde iacet hic infirmus in grabato carnis suæ, quia illi videns indulgere, quietus manebat in peccato, neque poterat stare, saltem sentiens aliquem scrupulum conscientiæ. Sed videtur oculo misericordiæ à Iesu, sicut respectus est Petrus. Nam Iesus non aliter considerat morbum, quam vt medicus, vt eum expellat. Atque ita visus qui iacebat in vna ex porticibus quinque, quæ sunt quinq; occasiones peccandi, vel cogitatione, vel verbo, vel opere, vel omissione, vel obstinatione, excitatur ad sanitatis desiderium. Tertio, Dominus illis verbis, *Vis sanus fieri,* allicit ad sanitatem: quia Iesus est saluator non inuitorum, sed volentium, & suæ saluti similiter ope-

Ierem. 2. *Matt. 26.* Qua ratione Iesus videat nostras infirmitates, & peccata. Quid porticus quinque significent. Quorum tantum sit saluator Dominus Iesus.

Aug ſerm.15. de verb Apoſt.c.11.10.10

operantium. Hinc Auguſtin. rectè inquit: *Qui fecit te ſine te, non te iuſtificat ſine te : ergo fecit neſcientem, iuſtificat volentem.* Hæc ille. Qui enim per tactum alienum, atque propriæ voluntatis motum lapſus eſt, alterius fide ſurgit, velut puer in baptiſmo: qui autem propria voluntate adductus prolabitur, ita & volens cum Diuinæ gratiæ praſidio ſurgit. Nec eſt ſuperflua interrogatio: *Vis ſanus fieri?* Nam etſi nullus infirmus ſit qui ſanitatem non expetat; pauci tamen ſunt qui ab infirmitate ſpirituali liberari velint. Nam ſi quæras ab aleatore, à fornicatore, à nolente remittere iniuriam proximo, à cupido, & fœneratore, an velint à peccato liberari, & reſipiſcere: aut procraſtinabunt, aut ore potiùs, quàm factis conſentient. Cumque omnia bona velint habere: ſolam vitam malam habere malunt, quàm ſolam, ſi velint bonam habere poſſunt. Quartò reſpondit paralyticus, *Domine, hominem non habeo.* Verè enim multi peccatores cùm à peccato abſtinere, & ſurgere proponunt, neque ſe ipſos habent, neque hominem, id eſt, adiutorem, vel conſiliarium. Et hoc maximè ad Prælatos & Sacerdotes, qui ab ouili ſuæ Eccleſiæ abſunt, ſpectat, qui tempore turbationis aquæ, id eſt, tribulationis imminentis, aut Spiritus ſancti mouentis exhortentur, & confirment ad bonum. Multæ ſanè ſunt hodie Eccleſiæ, quæ inſpirante Domino per ſe, vel per prædicatorem, & quaſi turbante piſcinam conſcientiæ: homines tamen non habent, hoc eſt paſtores & Epiſcopos, quia vel abſunt intenti aucupio venandi pinguiora Sacerdotia, vel ſi adſunt, perinde eſt, ac ſi abeſſent ob id quòd homines non ſint, quoniam literis & charitate, ac prudentia carent, & idcircò artem ſpiritualem medicandi morbis animorum non habent. Multi etiam ſunt, qui ad Religionem, in qua arctiùs Deo ſeruiant, ab eo inſpirantur; ſed impediuntur vel à parentibus, vel à fratribus, vel amicis. Sed vbi omnia humana præſidia defuerint, Chriſtus certè deeſſe non poteſt, qui propterea Euangelicum hunc infirmum curauit ab omnibus derelictum, vt intelligamus nihil nobis omninò defuturum Diuino beneficio. Quintò, Chriſtus voce virtutis clamat: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula: Surge, eleuando intellectum, & voluntatem ad ſuperiora. Quod ille præſtat, qui conſiderat vbi proſtratus erat, & in quam vilitatem deſcenderat. Erat enim per peccatum membrum dæmonis, & ſeruus peccati effectus, damnatus ad gehennæ ſupplicia, odioſus Deo, & Angelis, conculcator meritorum Chriſti, contemptor Diuinæ potentiæ, quam non timebat; bonitatis, quam non amabat; ſapientiæ, quam eludere tentabat. Nunc autem euectus eſt in adoptionem, & dignitatem filiorum Dei, in membrum Chriſti pretioſum, in templum Spiritus ſancti, in conſeruum Angelorum. Et hoc eſt ſurgere ab infimis, & viliſſimis ad tantam gratiam, & dignitatem euehi. Deinde ait: *Tolle grabatum tuum.* Id eſt, portet ſpiritus carnem, & maceret corpus ſuum, quod prius ſpiritum portabat, & regebat: adeò vt equus dominaretur ſeſſori, & ancilla imperaret dominæ ſuæ, tanquam Agar Saræ. Iam ratio dominetur ſenſui, & corpus moderetur. Deinde porta Chriſtum, qui te portauit hactenus tanquam paſtor ouem, & Samaritanus vulneratum, & ſemimortuum in via relictum, de quo ait Apoſtolus: *Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.* Et vt homo Chriſtus te in piſcinam Crucis adduxit; ita tu pro amore eius porta alios in piſcinam confeſſionis, & pœnitentiæ, iuxta illud: *Alter alterius onera portate.* Addit, *& ambula.* Perſeuerando in ſanitate adepta, & dando pedes fidei, & bonorum operum, vel geminæ charitatis, vt ambulemus, & curramus ad brauium: & ambulando de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion.

Ab infirmitate ſpirituali, & interna liberari qui renuant.

Peccatores quemadmodum lãguidus ille, quare hominem non habeant.

Eccleſiæ quænam dici etiã poſſint hominem non habere, qui eos mittant in piſcinam.

Chriſti in eas Diuina prouidentia.

Quæ & quanta mala homo infelix per peccatum incurrerit.

Rom 8. & Gal. 4.

Idem quæ & quanta bona per Chriſti gratiam ſit conſecutus.

1. Cor. 3. & 6.

Gen 16.

Vti nos Chriſtus portauerit.

Luc. 15.

Supra 10.

1 Cor. 6.

Idem in quã nos piſcinam adduxerit.

Nos quoque in quam piſcinam peccatores portare debeamus.

Gal. 6.

1. Cor. 9.

Pſal. 83.

Vel ſi mauis ita intelligere: Surge; peccati propoſitum, & actum relinquendo. Tole grabbatum, id eſt, ſuſtine pœnam peccatorum tam contractam ex prauis habitibus, quàm impoſitam à Sacerdote, & iniunctam pro pœnitentia. Quid enim aliud eſt ſanatum onerari, niſi quòd poſt remiſſionem peccati, & adeptam ſanitatẽ oportet ſatisfacere, & laborare? Et ſubdit: *Et ambula*: quod eſt bonum opus perficere in via Dei: nam grandis nobis reſtat via, & qui crediderit, nõ feſtinet. Ita etiam puellam à morte ſuſcitatam Chriſtus fecit ambulare: & de Lazaro dixit: *Soluite eum, & ſinite abire.* Sextò ſequitur: *Erat autem Sabbatum in die illo.* Nam vbi quis iuſtificatus eſt, tandem requieſcit ab omni opere ſeruili, id eſt, peccato, & ab omni opere vitæ præteritæ. Sequitur enim pax, tranquillitaſque conſcientiæ, ſicut ſerenitas piſcinæ; nec eſt alia digna triſtitia, quàm de peccatis, vel de paruo progreſſu ſpirituali, vel de abſentia gloriæ, vel de peccatis proximi, ſed & in omnibus his gaudet, & tanquam in Dei iuſtis iudicijs acquieſcit. Hinc per Eſaiam ait: *Si auerteris à Sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die ſancto meo, & vocaueris Sabbatum delicatum, & ſanctum*

Altera horum verborũ conſideratio: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.

Eſai. 28.

Luc. 8.

Ioan. 11.

Iuſtificatus quis à peccato à quo quieſcat opere ſeruili, pieque ſabbatizet.

Eſai. 58.

Sabbata Domini cuſtodientium, benedictiones.

Domino gloriosum, &c. tūc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. Et tunc insurgit Synagoga Satanæ, dicentis: *Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.* Id est, in hoc mundo requies est quærenda, neque opus est tot ieiunijs & macerationibus se ipsum conficere, sed bene sperare de Dei bonitate. Hoc est opus Samaritarum impedientium opus diuinum ædificandi Ierusalem. Synagoga etiam hæreticorum nostri seculi illud nobis occinit: Christum pro nobis satisfecisse, & Sabbatum esse nobis, id est, cessationem, & feriationem à laboribus, & cruce; & ideò non licere tollere grabatum: quia peccatum est, non credere, Christi satisfactionem placasse Patrem. Sed oportet respondere: *Qui me sanum fecit, ille mihi dixit, Tolle grabatum tuum, & ambula.* Magis enim est obediendum ei qui sanauit, quàm illi, qui vult occidere: & qui me sanum fecit Christus per Sacerdotis os, per quem iniunxit mihi pœnitentiam, dixit esse satisfatisfaciendum. Et quod in hoc Sabbato quietis cōscientiæ incumbendum est bonis operibus, donec perueniamus ad octauam, id est, & perfectam requiem gloriæ. Maximè autem placet Deo confessio Christi intrepida, & fons confidenter cōfitens Iesum coram Iudæis: *Nam qui negauerit me,* inquit, *coram hominibus* (id est, Pharisæis Christi inimicis) *negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Etsi sint fortè qui confiteantur coram Iudæis, & mundi dilectoribus: interdum tamen cùm diutius tentationibus interrogantur, nesciunt quòd sit Iesus, & obthurantur tentatione, quam Dominus declinat: sed recedente turba, & anima præparata, vt sit templum Dei, venit pius Iesus ad eum: *Ego,* inquit, *quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachijs meis: & nescierunt quòd curarem eos.* Nimium enim aduertere ad donum, & non ad donantem, in caussa est vt nesciatur Iesus cùm donat. Vbi ergò ad nos tanquam ad templum suum venerit, tunc ait: *Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Etsi hac monitione confirmatus fatetur coram Iudæis solum Iesum esse, qui sanata modo anima, pro sanando corpore nostro dicet: Surge, à sermone ad fructum, à bello ad pacem, à merito ad præmium, à gratia ad gloriam. Et tolle grabatum tuum in resurrectione, cùm corruptibile hoc induet incorruptionem. Et ambula, quando rapiemur cum Christo in aëra, & cùm sancti tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Et tunc erit verum Sabbatum, in quo erit requies ab omnibus peccatis, & laboribus, & ab omni paralysi, præstante Domino nostro Iesu Christo, Dei Patris virtute, & sapientia, in vnitate sancti Spiritus, per omne seculum. Amen.

Synagoga Satanæ illud nobis quādo obijciat cum Iudæis: Sabbatū est, non licet tibi tollere grabatum tuū

1. Esdr. 4. & 2. Esd. 6.

Quid ei, boni instar langui di à Christo sanati, respondendum.

Christo quænam gratissima confessio.

Matth. 10.

Vnde Paralyticus secundū spiritū à Christo sanatus, eū ignoret quia Iesus sit: Inueniaturq; quo modo iterum ab eo ad salutem.

Ose. 11.

Iesus qualis medicus animæ, & corporis.

1. Cor. 15.
1. Thess. 4.
Sap. 3.

Quale Sabbatum illud cœleste.

TRACTATVS XX.

De signo hominis manum aridam habentis, & curati in Sabbato à Domino: Et habetur Matth. 12. Mar. 3. & Luc. 6.

PLANE ex Luca manifestè colligitur, signum hoc editum fuisse in Sabbato, quod consequitur Sabbatum secundoprimum, de quo paulò antè propter confricatas spicas ab Apostolis, & Pharisæi obmurmurarunt, fit mentio. Nam ex Matthæo intelligi posset istud eadem die contigisse, qua factum illud præcedens confricandi spicas: quia illud sic narrat, quasi sine aliquo medio mox istud secutum sit. Non repugnat autem quòd legantur apud Matthæum rogasse Dominum, si licèt Sabbatis curare? apud Marcum verò & Lucam legitur Dominus idem eos interrogasse. Quia secundùm Augustin. lib. de consensu Euāgelistarum, intelligi potest illos priùs Dominum interrogasse, si liceret Sabbatis curare? Et quod deinde Dominus agnoscens cogitationes eorum, aditū accusandi quærentium, cōstituerit in medio illum quem erat sanaturus: & tunc illis tacentibus proposuerit similitudinem, quam habet Matthæus de oue: concludens licere Sabbatis benefacere. Nam cùm illi interrogassent, si liceret Sabbatis curare? Dominus quæstionem altera quæstione soluens, docuit quid ad ipsorum esset respondendum interrogationem.

Aut alio modo respondere possumus, Matthæum propterea tribuisse illam quæstionem Pharisæis, si liceret Sabbatis curare, quòd ipsi obseruarent Dominum, si sanaret in Sabbatis, huiusmodi quæstionem animo voluentes. Etsi autem hoc signum propter inuolutam disputationem cum Pharisæis potuissem ad librum Disputationum referre: tamen quia signum egregium cōtinet, magis placuit nobis in libro signorum enarrare. Explicabimus igitur literam B. Matthæi, supplentes ex Marco, & Luca quæ desunt.

Ait ergò Matthæus: *Et cùm inde transisset, venit in Synagogam eorum.* Circa historiam, Dominus transibat per sata, & discipuli eius esuriētes vellebāt spicas, & mādu-

Hoc miraculū quo tempore acciderit.

August. li. 2. De consen Euang. cap. 35. to. 4.

Altera solutio

Præsens historia hoc loco, non autē in l. Disput. libro enarrandæ caussa.

cabant:

Pharisæorum in Christum beneficentissimum, ingratissimum odiū.

cabant: quod gestum est in Sabbato secundoprimo. Et cùm Dominus calumniam Pharisæorum in discipulos suos de Sabbati destructione, probabili excusauisset exemplo: nunc ipsum obseruando, Magistrū calumniari volunt, vt si Sabbato curaret, transgressionis; si non curaret, exiguæ pietatis, aut imbecillitatis arguerēt. Vt videas quàm sit lethale venenum, odium aduersus pios conceptum. Transijt ergo inde, hoc est, ex agro, vbi sata cōfricabant, & venit in Synagogam, & transijt ab illo Sabbato secundoprimo in aliud Sabbatum, vt in eo doceret, vt dixit Lucas. Dominus autem libenter in Sabbatis, & in Synagoga docebat, non solùm vt à superstitiosa Sabbati religione eos auocaret, & doceret suo exemplo tali tempore bonis operibus non tantùm Deo, sed etiam proximo vtilibus esse vacādum, sed etiam propter celebriorem eo die populi conuentum. Nam sicut ij, quibus venandi est ars, vbi feras, pisces, volucres, plus abundare didicerint, ibi sua maximè retia tendūt: ita & Dominus semper docuit in Synagoga, & in templo quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus est nihil, vt omnes homines saluos faceret.

Cur Dominus in Sabbatis, & in Synagoga libenter diceret.
Luc. 6.

Qualis Christus.

Ioan. 18.

Et ecce homo erat manum habens aridam. Lucas declarat fuisse manum dexteram, quæ maioris virtutis est, & magis necessaria. Explicat Hieronymus hoc loco, quis fuerit iste homo manum habēs aridam, his verbis: *In Euangelio quo vtuntur Nazareni, & Hebionitæ, quod nuper in Græcum de Hebræo sermone transtulimus, & quod vocatur à plerisque Matthæi authenticum, homo iste, qui aridam habet manum, cæmentarius scribitur, istiusmodi vocibus auxilium precans: Cæmentarius eram, manibus victum quæritans: precor te Iesu, vt mihi restituas sanitatē, ne turpiter mendicem cibos.* Hæc ille. Ex quibus colligimus istū opem à Domino implorasse, ac proinde debuit Iesus magis hominis miseria permoueri, ac minus Pharisæi indignari Domino opem ferenti postulatam.

Hieronym. in Matt. tom. 9.
Quis fuerit iste homo manum habens aridam.

Et interrogabant eum dicentes, Si licet Sabbatis curare? vt accusarent eum. Pharisæi & Scribæ, quos oportebat pręcipuè salutem quęrere infirmorum, & interpellare Iesum pro sanatione hominis, taciti obseruabant si Sabbatis curaret, vt inde ansam accusandi, & calumniandi de Sabbato captarent. *Ipse autem dixit illis, Quis erit ex vobis homo qui habeat ouem vnam: & si ceciderit hæc Sabbatis in foueam, nonne tenebit, & leuabit eam?* Quæstio Christi includit argumentum, & speciem inductionis à comparatis, & à minori ad maius, cui respondere non potuerunt: arguens ipsos impietatis, & stultitiæ, imò & crudelitatis, & auaritiæ. *Quis*, inquit, *erit ex vobis.* Non dico, Quis mortalium, aut Iudæorum; sed, Quis ex vobis, tam rigidis censoribus, tam accuratè Sabbati religionem obseruantibus, quin, si casus ferat, vt in Sabbato decidant pecora, aut iumenta vestra in foueam, non statim inde extrahat? Quanto ergò magis licet homini benefacere, propter quem sunt pecora, & iumenta? Quod si quis responderet, exemplum à Domino productum ad rem non facere, eo quòd si quando ouis aliqua in foueam prolapsa esset, peritura foret, nisi ea die ei succurratur; qualis necessitas non erat in ægro, cuius curatio differri in alium diem sequentem poterat absque periculo.

Pharisæi, & Scribæ quorū salutem neglīgerent maximè.

Impietas eorundem, stultitia, inhumanitas, crudelitas à Christo detecta.
Quàm vanè colligerent infelices illi Sabbatum à Domino violatum, quod in eo manum hominis aridā sanasset.

Dicendum est, ob id exemplū hoc conuenienter allatum: quòd in ouis subleuatione non spectabatur à subleuantibus necessitas animalis morituri, sed necessitas damni secuturi. Iam maius damnū est, hominem vno aliquo die miserū esse, & malo aliquo affligi, quàm ouem aliquam perire. Quòd si illud licebat in Sabbato, ergo multo magis homini succurrere licet ad pellēdum ab eo maius malum. Interrogabāt ergo ipsum; vt si Christus negaret, putarent ipsum impotētem; & ne interrogatus, fortè nō curaret, sed Dominus propter eiusmodi calumnias à bene faciendo non destitit: imò ipse postea eos interrogauit, vt Marcus. & Lucas testantur. Et videns quòd nō possent respondere ad rationem à minori ad maius de oue ob cupiditatem à fouea extracta, & quòd non acquiescerent suo responso, sed potius displiceret conclusio; Christus interrogauit eos: *Si licet Sabbatis benefacere, an malè:* (Græcè Ἀγαθοποιῆσαι, ἢ κακοποιῆσαι) *animam saluam facere, an perdere? At illi tacebant.* Quod perinde est ac si dixisset. Scio cogitationes vestras: libens ergò à vobis didicerim; qui profitemini legis scientiam; vtrùm liceat Sabbatis beneficio iuuare proximum, & animam, hoc est, vitam hominis seruare, an deserere proximum in calamitate, & perdere? perdit enim, qui cùm possit seruare, non seruat. Illi non ignorantes quò tenderet hæc percunctatio, tacuerunt, sicut & ad illam de oue: Nam si dixissent, satius esse ob religionem Sabbati pati perire proximum, non tulisset populus tam absurdum responsum: nam diem Sabbati nulla re magis sanctificari, quàm misericordiæ & pietatis operibus, haud ignorabat. Sin verò respondissent licere, sibi ademissent ius calumniandi. Proinde visum est obmutescere. Dominus

Exemplum ouis à Christo productum quàm seruiat proposito.

Cur Pharisæi Dominum interrogauerint si liceret Sabbatis curare.

Marc 3.
Luc. 6.

Pharisæi ad Christi responsum, & percūctationem: Si licet Sabbatis benefacere? quare tacuerint.

autem

Marc. 3. Cur Christus Pharisæos circumspexerit cum ira, fueritque contristatus super cæcitate cordis eorum.

a utem cùm videret eos taciturnos: vt subiunxit Marcus: *Circumspiciens cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum, dicit homini, Extende manum tuam. Extendit: & restituta est manus illi.* Vide Dominum mansuetissimum in iram sancti zeli prorumpere, ob Dei gloriam asserendam, & proximi salutem procurandam. Nam circumspiciens eos, an quis videlicet vellet respondere ad id quod interrogauerat, contristatus est, siue condoluit, vt intelligas non tam iratum in homines, quàm in illorum vitia, & peccata, cùm videret animos obstinatos, & veritatis minimè capaces, & lumini veritatis ponentes obicem. Postquam ergò eos verbis, nunc facto huius miraculi conuincit, dicendo tantùm verbo, extende manum tuam, vt suis omnibus operibus fungeretur, sicut manus altera. Quod non admota manu, aut alia re, vt interdum solebat Dominus fecit, & homini sanato aliquid operis facere non præcipiens, vt præceperat Paralytico, vt Pharisæi minus in Dominum curantem insanirent. Fecit ergò signum, vt intelligas qui sint illi, quos Dominus habet pro deploratis, nempe illos, qui veritati non acquiescunt, & vt ait Apostolus, veritatem Dei in iniustitia detinent. Præstat ergò facere, ne homo Sabbato doleat potiùs, quàm ne ouis pereat. Et Christo licitum erat in Sabbato curare, quia Deus erat, & minimè legi subditus: & quia sine opere laborioso, & occupante, atque hoc ad Dei laudem, atque proximi salutem. Idque faciebat, vel ob periculum dilationis, ne latius serperet, vel quia præfixus terminus infirmitatis erat finitus, vt Lucas ostendit; vel vt plures videntes signum, crederent, & à lege ablactarentur. Alijs autem diebus curabat quidem Dominus: sed quia controuersiæ de Sabbato non oriebantur, non ita commemorantur. Et omni tempore sanabat, ne iudicaretur impotens, aut imbecillus. Deinde quod malum est manum extendere? nonne tantundem, ac surgere, ac sedere, quæ fiunt in Sabbato, in quo & manus porrigitur ad capiendum cibum, & admouetur ori? At hæc sunt necessaria: nonne magis necessarium est ea facere Sabbato quibus Deus glorificetur, ob quam caussam fuit Sabbatum imperatum? Addidit Lucas, ipsos fuisse repletos insipientia, siue potiùs amentia, quæ Græcè dicitur ἄνοια. Vbi aduerte quantum malum sit inuidia, quòd non potest beneficijs superari, vt alia mala: quemadmodum Basilius in egregio sermone contra inuidiam docuit.

Quid est quod Christus manum aridam habenti nihil operis præscripsit faciendū. *Matth. 9. Ioan. 5.* Cur Dominus hoc signum ediderit. *Rom. 1.*

Quare potius in Sabbato, quàm alijs diebus curaret.

Luc. 13.

Luc. 6.

Ανοια Græcè quid. Quantum malum sit inuidia. *Basil. to. 1.*

Exeuntes autem Pharisæi consilium faciebant aduersus eum quomodo eum perderent. Consilia Christi erant, vt omnes animo, & corpore ægrotantes seruaret; Iudæorum verò, vt Iesum perderēt. Consilium autem hoc, vt tradit Marcus, cum Herodianis initum fuit, qui & ipsi, vt testatur Euthymius, genere quidem Iudæi erant, vehementer autem Herodem colebant, & ipsum esse dicebant Christum à Prophetis promissum. Nam quia prophetatum erat tunc venturum esse Christum, quando deficeret qui ex Iudæis imperaret, defecerat autem diebus Herodis, qui infantes necauerat: primus siquidem hic alienigena Iudæis imperauit: ideò hunc esse suspicabantur, qui venturus expectabatur: & coniuncti inuicem propriam fecerunt sectam. Et quia Herodem plurimum amabant, Herodiani cognominati sunt. Idem docet Tertullianus libro de præscriptionibus Hæreticorum. Exierunt ergò Pharisæi cum Herodianis, vt occultè consultarent de occidendo Christo, quia publicè non poterant ob Romanos. Caussa autem erat, inuidia signi, zelus Sabbati, confusio responsionis, propalatio eorum ignorantiæ: *Euntes*, inquit, *discite quid est, misericordiam volo, & non sacrificium:* & apud Lucam dicitur: *Et cùm hæc diceret, erubescebant omnes aduersarij eius: & omnis populus gaudebat in vniuersis, quæ gloriosè fiebant ab eo.*

Matth. 12 Pharisæi cur cōsilium inierint cum Herodianis aduersus Iesum. *Marc. 3. Euthy. ca. 21. in Matth.*

Gen. 49.

Matth. 2.

Herodiani cur dicti. *Tertull.*

Cur Pharisæi cum Herodianis Christū perdere clam deliberauerint.

Matth. 9. Ose. 6. Luc. 13.

Iesus autem sciens, recessit inde. Fugit Dominus, siue cessit, ob exemplum nostrum, vt doceat cedere contentiosis; & ob ostensionem Humanitatis suæ. Et quia non erat locus, vel tempus; ideò insipienter quærebant eum occidere, vt Lucas refert, quia sine ratione, & caussa, & ante tempus non poterat: *Et secuti sunt eum multi: & curauit omnes.* Græcè dicitur: *Secuta sunt eum multæ turbæ.* Marcus autem ait: *Iesus autem cum discipulis suis secessit ad mare: & multa turba à Galilæa & Iudæa secuta est eum, & ab Ierosolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanem, & qui circa Tyrum, & Sidonem, &c.*

Luc. 6.

Marc. 3.

Multi ergò de varijs locis, vt curarentur, & viderent opera eius, ad Christum confluebant. Ipse autem sanauit ex misericordia, & quia sequebantur in tribulatione, & vt ostenderet beneuolo populo gratiam, qui cum Pharisæis, ac Herodianis ad se persequendum non coniungebatur.

Quare Christus curauit nunc omnes infirmos.

Et præcepit eis, ne manifestum eum facerent. Id est, ne curati euulgarēt sanitates acceptas. Dæmones autem prohibebat secundùm Marcum, ne se proderent: Tùm quia opera eius per se nota erant; tùm ob mode-

Ibidem.

Cur Dominus turbæ prohibuerit, ne eũ manifestum faceret. Ioan. 11.

modestiam,& exemplum humilitatis prę standum, tùm ne dicerent Pharisæis, qui magis accensi grauius peccarent, & obstinatiores redderentur deliberando necem: sicut suscitato Lazaro eos fugit. Ipse autem cùm tot turbas se affectantes videret, non poterat latere. ¶ *Vt adimpleretur quod dictum est per Esaiam Prophetam.* Allegat Esaiam, ne scandalizarentur ex persecutione, quia omnia ex Spiritu sancto faciebat: ideò Prophetata ostendit esse completa, quia non occidit, læsitve Pharisæos. Vitauit eos, ne manens contenderet cum eis: præcipiens etiam ne se propalarent, ex quo illi suo vitio magis ad iram prouocabantur. Et ita vndique consuetudinem Messiæ declarãt verba prophetiæ, & facta Christi. Neque quisquam miretur paulò aliter Hebraicam lectionem, aliter Septuaginta, aliter citationem Matthæi: nam in verbis tantùm est differentia, in ipsis rebus & sententijs mirificè conueniunt. Et hunc locum intelligi de Messia,& omnes Iudæi,& præsertim Paraphrastes Chaldæus fatetur, dicens: *Ecce seruus meus Messias, &c.* & Euangelistæ citatio magis accedit ad Hebræam veritatem, quam ad Septuaginta Interpretes; in fine verò magis ad Septuaginta, quàm ad Hebræum textum. Ait ergo: *Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus, in quo benè complacuit animæ meæ.* Nam 42. cap. Esaias primò continet glorificationem Christi per Patrem. Deinde statuit Christum, in quo Deus Pater sibi complacuit. Tertiò, agit de vocatione Gentium. Postremò proponit mansuetudinem Christi erga suos persecutores, & benignitatem erga omnes infirmos. Ait ergo: *Ecce.* Quæ particula rem inauditam,& admirabilem, & oculo fidei intuendam proponit. Et filium suum naturalem, puerum vocat, siue Græcè παῖδα, quæ voces Græcè & Latinè ambiguæ sunt ad filium,& ad seruum. Nam cùm in forma Dei esset, per incarnationem exinanitus est formam serui accipiens. Tamen ex Hebræa voce, quæ habet עבד, quæ semper seruum siue ministrum propriè significat, tollitur ambiguitas. Elegit autem sibi Christum in suum seruitium, vt mundi redemptionem in eius obedientia, & sanguinis profusione perageret, & in quo electi sumus ante mundi constitutionem, vt ait Apostolus. Dicitur dilectus meus, & cùm nomen sit, nempe ἀγαπητὸς, non autem participium, plus quiddam significat, id est, singulariter carum, vnicè pretiosum,& amicum, propter quem omnes alios homines, amicos constituere, & illos diligere voluit. ¶ *In quo benè complacuit animæ meæ.* Ita dixerat in Baptismo: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui,* nempe vt nos diligeret: nam de ijs quos non diligit, dicitur in alio loco: *Non est anima mea ad populum istum.*

Esai. 42.

Illud Esaiæ: Ecce puer meus quem elegi, & reli. Vnde constet intelligendũ de Messia.

Quadragesimi secundi Esaiæ argumentũ capitis.

παῖς Græcè duos significat.

Phil. 2.

Filium suum Deus cur puerum, siue seruum appellet.

Ephes. 1. Christus Deo Patri quàm dilectus.

Matt. 3. Ad quid sibi in eo complacuit Deus Pater.

Ponam spiritum meum super eum. Septuaginta de præterito habent, posui: de quo ipse alio loco: *Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, &c.* Et loquitur de Christo homine, in quem baptizatũ descendit Spiritus sanctus,& mansit super eum: nam secundùm diuinitatem ab ipso Christo, vt à Patre proficiscitur Spiritus. Quem ille posuit super Christi Humanitatem, vt verbum Dei annuntiaret, vt ait Esaias, peccata remitteret, spiritus nequam propelleret, conferret sanitates, lenitate, & mansuetudine insigni, quasi columba se ad hostes suos gereret, denique vt Spiritum sanctum cæteris impertiret.

Vt posuerit spiritum suũ super eum idẽ Deus Pater. Esai 11. Matth. 3. & Ioan. 1.

Infra 15. Quare posuerit spiritum suum in Christo. Esai 61.

Et iudicium Gentibus nunciabit. Id est, non solùm Israëlitico populo, verum etiam omnibus Gentibus (per Apostolos tamen) prædicabit Dei iudicium: quod suo recessu à Iudæis repellentibus Euangelium, & accessu ad populos à Gentibus habitatos, id est, Galilæam, Idumæam, Tyrum,& Sidonem indicauit. Et vocat iudicium, quo peccata nunc meritis eius extincta sunt, & nisi resipuerint iudicium futurum in impios,& iniustos: vt interim dent operam, vt se ipsos iudicent: nam si nosmetipsos dijudicauerimus, non vtique iudicabimur à Domino. ¶ *Non contendet, neque clamabit.* Id est, non aget contentionibus: honor est enim homini, qui separat se à contentionibus. Nam etsi Dominus plerunque cum Iudæis & Pharisæis disputauerit,& ora eorum obturauerit: nullo tamen contentionis studio, sed summa vi veritatis demonstratæ, atque exploratæ,& summa cum modestia & siti salutis animarum id fecit. Et ideò rectè sequitur: *Neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius.* Significat, non erit clamosus, neq; debacchabitur immodestius in peccatores, nec turbabit Respublicas, nec vindex erit illatæ iniuriæ. Etiãsi interdũ voce vehementiori, quo intensum desiderium nostræ salutis significaret, prædicando clamauerit, vt cum propositis, vt ait Euangelista parabolis, hæc dicens clamabat: *Qui habet aures audiendi, audiat:* & iterum: *In nouissimo die magno festiuitatis stabat Iesus, & clamabat dicens, Si quis sitit, veniat ad me, & bibat:* & Apostolus: *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesq; ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.*

Christus Messias ... iudicium Gentibus habebat nunciare.

1. Cor. 11.

Prou. 20.

Quemadmodum Christus neque clamauerit, neq; audierit aliquis in plateis vocem eius.

Luc 8. Ioan 7.

Hebr. 5.

Illis

Hæc verba Esai. de Christo: Non clamabit, neque audiet quis, &c. quomodo intelligant.

Illis autem verbis: *Neque clamabit, neque audiet, &c.* non intelligas illum publicè non prædicasse, & in templo, & in Synagogis, & plateis, nam vbique prædicauit Dominus: sed sermo est de voce, qua aliquid ad ostentationem, & vanam gloriam facimus, vel contentiosa, & tumultum excitante, siue de voce querula, & indignationis plena. Nam ipse sicut ouis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum.

Esai 53.

Per arundinē quassatam, & linum fumigans quid significet Propheta.

Arundinem quassatam non confringet. Duabus metaphoris ab arundine comminuta, & lino fumigante sumptis docet Propheta lenitatem, & mititatem Domini. Nam per arūdinem quassatam Iudæos, siue Scribas & Pharisæos intelligit, eo quòd deiecti essent sub potestatē Romanorum, & quasi confracti viribus: retinebant tamē aliquid in hoc quòd habebant templum, & sacerdotium. Comparat etiam eos lino fumiganti. Et legēdum non lignum, sed linum: & linum est capiendum pro ellychno fumiganti. Quod dictum est ad repræsentandas tenebras, & nocendi studium. Etsi ergò arundinem quassatam, cùm ad nullum vsum sit vtilis, frangamus, & ellychnum fumigans propter tetri odoris molestiam extinguamus: Christus tamen Iudæos nullis bonis vsibus aptos, imò propter crudelitatem, & sæuum animū molestos, cùm posset pro meritis eorum cōfringere, & extinguere, neque confregit, neque extinxit, sed longanimiter tolerauit, & expectauit ad pœnitentiam.

Alter sensus.

Possumus etiam in genere per arundinem quassatam, intelligere peccantem ex fragilitate, qui hinc atque illuc quauis tentatione impulsus frangitur: per linum fumigans, peccantes ex ignorātia. Nam cum istis solet Dominus benignè agere, & ad resipiscendum eos expectare. Vnde Hieronymus hoc loco ait: *Qui peccatori non porrigit manum, nec portat onus fratris sui, iste calamum quassatum confringit. Et qui modicam scintillam fidei contemnit in paruulis, hic linum extinguit fumigans.* Hæc ille.

Hieronym. in Matt. tom. 9. Calamum quassatum confringat quis. Linum fumigans quis extinguat. *Idem in Esai. c. 42. to. 5. & q. 2 ad Algasiam, to. 3.*

Christus in veritate vt educet iudicium: & non erit tristis, neque turbulentus, secundū Hieronymum.

Donec eyciat ad victoriam iudicium. Putat Hieronymus in verba Prophetæ scribens, vitio scriptoris apud Matthæum omissa esse quædam verba in medio huius vaticinij, nempe: *In veritate educet iudicium: non erit tristis, neque turbulentus.* Et est sensus: In veritate, id est, Euangelium verè, & legitimè, & vt decet, prædicabit. Non erit tristis, neque turbulentus, id est, obscurus in docendo, sed facilis, & expositus: neque inutiles subtilesque quæstiones proferet, sed vtilia, & salutaria docebit luculenta, & aperta oratione. Et statim sequitur: *Donec eyciat ad victoriam iudicium.* Id est, Non confringet temporalem statum Iudæorum, donec iudicium, quo iudicatus est à Iudæis, & Pilato, deducat ad victoriam resurgēdo à mortuis, & mittendo Spiritum sanctum, & publicando Euangelium, & manifestum illud reddēdo miraculis per discipulos suos se vicisse mundum, & mundi principem diabolum. Quo facto confregit arundinem quassatam, & linum fumigās per Romanos extinxit. Vel iuxta Hieronymum, & Hilarium; Tamdiu ex charitate fouebit infirmos, & ad pœnitentiam expectabit, donec sublata mortis tempestate redeat ad iudicandum: quo tempore eius iudicium deducetur ad victoriam: quod in idem redit. Sic etiam intelligi potest, peccatores, qui instar calami quassati sunt, & lini fumigantis, ita expectabit, donec prædicatione Euangelij victoriam obtineat in conscientijs, vt agnoscant veritatem. Verùm aduerbium illud Donec, de quo ait: Donec eijciat ad victoriam iudicium, indicare videtur non esse scriptoris vitio tribuendam illorum verborum omissionem, sed potiùs ab Euangelista cōsultò fuisse omissa, quòd suo proposito non seruirent: sicut & illud, Donec ponat in terra iudicium, mutauit, prout suo proposito magis conueniebat, à sensu tamen loci originalis non recedens. Non enim aliud est facere, vt iudicium in terra vincat, quàm ponere in terra iudicium.

Quid significet, Donec eijciat ad victoriam iudicium.

Matth 26. Infra 27. & seq.

Tertius sensus.

Hieronym. Hilar. can. 12 in Matth.

Quartus sensus.

Inter media testimonia alicuius Prophetici cur interdum Euāgelistæ soleant omittere.

Et in nomine eius Gentes sperabunt. Quod in Hebræo dicitur: Et legem eius insulæ expectabunt, rectè Septuaginta in insulis agnouerunt metaphoram, & dixerunt Gentes: quia omni ex parte incursionibus peccatorum patent, vt insulæ vndis maris, vt etiam exponit Hieronymus in epistola ad Algasiam. Et tacitè insinuat gentem Iudaicam à se repudiandam, & Gentes eius loco vocandas: quæ & legem eius amplexatæ sunt, & in nomen Messiæ crediderunt, & spem totam suæ salutis in eo collocarunt. Et in afflictionibus Christus inuocatus sperantes in se omnes liberat.

Insulæ in Scripturis cur gentes significent.

Hieron. ad Algas. q. 2. to. 3.

Iuxta mysterium: vsque ad aduentum Saluatoris arida manus, Synagoga fuit Iudæorum, & Dei opera non fiebant in ea: postquàm ille venit in terras, reddita est in Apostolis credentibus dextera, & operi pristino restituta. Ad mores verò instituendos, accipe ex Theophylacto, Aridam dexteram omnem hominem habere, qui non facit opera eorum, quæ pertinent

In hoc signo hominis manum aridā habentis, & sanati ad quid Dominus alluserit. Moralis intelligentia. *Theophyl. in Matth.*

nent ad dexteram, id eſt, opera virtutum. Sanari autem in Sabbato, quia prius declinandum eſt à malo, & poſtea faciendum bonum, iuxta illud: *Declina à malo, & fac bonum.* Itaque qui putat ſe manum habere extenſam, & ſanam, caueat ne auaritia, aut ſacrilegio contrahatur. Extende ſæpius eam ad pauperem, qui te obſecrat, ad proximum, qui opera tua indiget, ad Deum, puras manus leuando, vt ita pro peccatis tuis, & pro neceſſitatibus aliorum exaudiaris, gratia, & meritis Ieſu Chriſti Domini noſtri, cui cum Patre, & Spiritu ſancto ab vniuerſa creatura habeatur omnis gloria, honor, & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

[Ps]al. 33. & [1.] Pet. 3.

TRACTAT. XXI.

De ſigno Leproſi mundati ſtatim poſt ſermonem Domini in mõte: & habetur Matt. 8. Mar. 1. & Luc. 5.

ILlud in primis hoc loco præfandum eſt circa ordinem hiſtoriæ, quod cum ſermo habitus in monte, ſubſecutus ſit miraculum Paralytici ad piſcinam, ita quæ hactenus contigerunt à Chriſti baptiſmo, acta ſunt primo integro anno, & aliquot menſib. vitæ Domini: quæ vero enarrantur vſque ad ſignum, quo ex quinque panibus ſatiauit quinq; millia hominum geſta ſunt anno ſecundo prædicationis Chriſti. Sermonem autem Domini in monte confeſtim ſequitur ſignum Leproſi mundati, antequam introiret Capharnaum, vt docet B. Matth. Vnde quod ſcribit Lucas, Dominum, poſtquam impleſſet omnia verba ſua in aures plebis, id eſt, conſummaſſet Dominus ſermonem in monte habitum, intraſſe Capharnaum, vbi miraculum de ſeruo Centurionis accidiſſe commemorat: non ſic accipiendum eſt, quaſi ſtatim intrauerit, nulla alia re interim geſta, ſed ex Matthæo intelligendum, prius accidiſſe Leproſi curationem, quam Marcus, & Lucas narrãt, ſed alio loco. Marcus enim eam narrat poſt curationem ſocrus Simonis, ſubiungens ſecundo introitum in Capharnaum, & curationem Paralytici, Lucas vero ſimiliter poſt curationem ſocrus, & vocationem Petri, ſubiungens etiam curationem Paralytici. Verum neuter illorum ſic narrat hoc miraculum, vt aliquem ordinem cum præcedentibus, aut ſequentia cum ipſo habere ſignificent, ſed vterque ſimpliciter narrat contigiſſe hoc ſignum. Cum ergo Marcus & Lucas curationem ſui Leproſi iiſdẽ verbis & circunſtantijs deſcribant, quib. Matthæus ſuum Leproſum mundatum recenſet: dubium non eſt quin idem miraculum à tribus ſit enarratum. Et cum Matthæus ordinem, & locum ſignificaſſe hic videatur: neceſſario Lucæ, & Marci narratio cum hiſtoria Matthæi eſt connectenda, & ad eam accommodanda.

[O]rdo hiſtoriæ [e]xplicatur. [M]atth. 5. 6. 7. [I]oan. 5.

[In]fra 6.

[M]atth. 8. [L]uc. 7.

[Q]uomodo accipiendũ apud [L]ucam, Do[m]inum poſt [ſe]rmonem in [m]onte habi[tu]m, ingreſſũ [f]uiſſe Caphar[n]aum. [M]ar. 1. [L]uc 5.

Quod ergo apud Lucam dicitur, hoc in vna ciuitatum contigiſſe, intellige iuxta Epiſcopi Abulenſis interpretationem, id eſt, iuxta, vel prope vnam ciuitatem, ſicut cum in libro Ioſue dicitur: Cum eſſet Ioſue in agro vrbis Iericho, leuauit oculos, &c. vbi quia nondum Ioſue ceperat Iericho, & Hebraice dicitur: Cum eſſet Ioſue in Iericho, quod intelligendum eſt iuxta vrbem Iericho. Nam alias prohibitum erat Leproſis intrare in ciuitatem: & in obſidione Samariæ tempore Ioſaphat Leproſi erant extra ciuitatem: nunc etiam lex illa de excludendis ab vrbibus lepra infectis, conſuetudine potius, quam vlla conſcripta conſtitutione durat vt patet ex cap. 1. de coniugio Leproſorum, vbi habetur: *Cum hi qui lepræ morbum incurrunt, de conſuetudine generali à communione hominum ſeparentur, &c.* Quanquam dici poſſit, quod non tam arcte excludebantur Leproſi ab vrbibus, quin via publica per modum tranſitus incedere licuerit, ſicut apud nos permittitur, vt ita incedentes eleemoſynas colligant: & ita fieri potuiſſe, vt in tranſitu per aliquam ciuitatem hic Leproſus fuerit à Chriſto curatus. Tamen prior ſolutio propter Legem Veterem aſtringentem, ne Leproſi eſſent in ciuitatibus, & propter Matthæi verba, quæ ſanato Leproſo, habent illum ſtatim ingreſſum in Capharnaum, præſtantior videtur, & ſolidior.

Sanatio Leproſi quę dicitur in vna ciuitatum contigiſſe.
Epiſc. Abul. q. 1. in Matt. cap. 5.
Ioſu. 5.

Leu. 13.
Vnde factum ſit, Leproſi, vt habitent extra ciuitatem.

Quatenus prohibitum Leproſis, ne vrbi appropinquarent.

Sed iam ad literam accedamus: *Quum autem deſcendiſſet Ieſus de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ.* A principio Dominus Ieſus cacumen montis conſcenderat, vbi per noctem oratione præmiſſa, mane ex ſuis diſcipulis duodecim ad Apoſtolatum vocauit. Deinde cum deſcendiſſet in locum campeſtrem, & capacem turbarum ad audiendum, ſermonem habuit, vt teſtatur Lucas. Quo completo, nõ meminit amplius deſcenſus, ſed tantum ait: *Quum autem impleſſet omnia verba ſua in aures plebis, intrauit Capharnaum:* quia ex eo loco in Capharnaũ paruus erat deſcenſus. Matthæus vero, qui Dominum aſcendiſſe in mõtem ſcripſerat, & nullam de eius deſcenſu mentionem fecerat, recte hoc loco aſſerit Dominum deſcendiſſe de monte. Chriſtus in mon-

Luc. 6.

Ibid.
Infra 6.
Matth. 5.
Infra 8.

Verba Domini Iesu quantæ virtutis, & efficaciæ.

in monte aperuerat os suum, & ostenderat se Iesum vere esse, hoc est, Saluatorem animarum, quia eis verba sua tradebat: quæ partim sunt medicamenta morbos spirituales nostræ malæ voluntatis propulsantia (quemadmodum verba Medicorum corporibus male affectis medelam præstant) partim etiam sunt cibus, & panis sanitatem adeptam conseruantia, dum bonorum operum studio, & exercitio institiam comparatam perficere discimus, iuxta illud: *Qui iustus est, iustificetur adhuc: & sanctus, sanctificetur adhuc.* Sunt etiam certum vitæ æternæ pignus, vnde Petrus dixit: *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Hinc beatitudinem multis rebus, abiectis quidem illis, & contemptis, huius seculi sapientibus, comparari posse significauit, nempe paupertate, luctu, mititate, esurie, & siti iustitiæ, munditia cordis, pacificatione, & iniuriarum tolerantia. Vt ergo Dominus in monte fuit Iesus concionando, ita descendens de monte Iesus esse voluit operando, non tantum animorum, sed etiam corporum in ordine ad animos. Et si salus in monte data maior fuit, non minor tamen videtur in descensu. Imo maxime splendent eius humilitas, & charitas, quibus nostræ se infirmitati attemperans, minimos etiam nostros defectus tanquam chirurgus noster tollere, & supplere dignatus est.

Apoc. 22.
Ioan. 6.
Beatitudo quibus reb. comparetur.
Matth. 5.

Quare turbæ secutæ fuerint Christum de monte descendentem.
Luc. 4.

Secutæ sunt ergo turbæ multæ, & merito, quia audierunt admiranda verba gratiæ, quæ fluebant ex ore eius, & videbant oris & vultus eius dignitatem, & intus trahebantur ab spiritu, & Angelis, vt pro gratia, qua eum audiebant, & sequebantur, acciperent cōfirmationis gratiam à Deo doctrinam per miracula corroborante. Doctrina enim Christi in his quæ non superant naturam, ratione, & vitæ sanctę exemplo confirmatur, in his vero quæ superant rationem, signis comprobari indiget, vt instrumenta sint apta & accommodata ad finem. Nam vt ex propositionibus probabilibus sequitur conclusio probabilis, & ex demonstrantibus demonstratio, ita ex argumentis supra naturæ vires positis diuina Christi potentia atque doctrina, & quæ omne naturæ lumen superat, comprobata relinquitur.

In quibus doctrina Christi confirmetur.

Expenditur dictū à Iudæis: Quod ergo tu facis signum, vt videamus, & credamus tibi? Ioan. 6.

Deinde aduerte, Iudæos dixisse Domino apud Ioannem: *Quod ergo tu facis signum, vt videamus, & credamus tibi?* Quia miraculum præcedens saturationis turbarum, doctrinam non necessario probat. Nec confirmat verbum doctrinæ sequentis: quia potest hoc vel oppositum. Vnde in Deuteronomio præcipitur: *Si surrexerit*, inquit, *in medio tui Prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi. Eamus, & sequamur deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis, non audies verba Prophetæ illius, aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, &c.* Debet ergo doctrinam sequi signum, quemadmodum proprij subscriptio nominis ipsas literas confirmare solet. Hinc Dominus dicebat: *Vt autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (tunc ait Paralytico) Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Tertio aduerte, turbas post sermonem secutas Iesum. Nam hic est magnus prædicationis fructus, Iesu sequela, per quam vitantur tenebræ errorum per lumen fidei, & præcipitium inferni, & fatigatio ob diffidia effectus, & intellectus, quia omnibus ad se venientibus requiem promittit. Fames etiam, & sitis euaditur: quia creata omnia non satiant, & solus Iesvs nostram sitim sedare potest. Mortem etiam & vulnera à latronibus effugimus, id est, peccata ob dæmones insidias nobis tendentes. Christus descendens de monte, imperfectorum est exemplum, vt in monte, perfectorum. Sed non minus in hoc ipse perfectus est, quia fecit vt eum capere, & imitari possemus. Asperiorem quidem & sanctiorem in speciem vitam agebat Ioannes Baptista, Paulus laborabat manibus suis ne quem grauaret, Christvs inuitatus edebat, & bibebat, & vt minus perfectus accipiebat à mulieribus ministrantibus sibi de facultatib. suis. Andreas & alij Martyres magno animo & forti ad martyrium sustinendum profecti sunt, Christvs autem cœpit pauere, & tædere, tanquam imperfectus, vt nos infirmos consolaretur. Sed in hac infirmitate Christvs perfectior erat, quia ex maiori charitate hæc quæ oculis hominum imperfecta videri potuissent, præstabat propter nos. Quemadmodum qui ex maiori charitate humilia & vilia officia præstaret, magis mereretur apud Devm, quam qui ex minore prædicaret, vel sacrificaret, vel alia opera heroica, & ex suo genere præstantiora ederet. Ad hæc Christus turbas educit de monte in planum, & ex doctrina ad signum, & vt bonus pastor post pascua doctrinæ adducit oues suas veluti ad potum, miracula proponendo: quæ facilius & delectabilius cernuntur, quam discatur doctrina, eamque digerunt, id est, credibilem faciunt, vt potus iuuat ad cibi digestionem.

Deut. 13. Signum secundo proprie notæ à Domino tradita.
Quemadmodum signo doctrina confirmetur.
Matth. 9.
Magnus prædicationis fructus quis.
Matth. 11.
Quorū Christus in descendendo perfectorum, & de illo descendens, imago fuerat.
Matth. 3.
Infra 11.
2. Thess. 3.
Luc. 8.
Mar. 14.
Christi secundum hominem infirmitas quæ firma.
Simile.
Boni pastoris exemplum in Christo.

[margin: Hic descensus Christi de monte, iuxta spiritum quid. Philip. 2]

Postremo iuxta spiritum, postquam in monte cœli Empirei fuit Iesus Angelorum, quasi discipulorum doctor, descendit de monte per incarnationem exinanitus, & factus est imitabilis, & comprehensibilis in doctrina, & irreprehensa vita, & efficaci, cum alios omnes homines, siue peccatores, siue non ita virtutibus cumulatos, imitatione non ita secure consequi possemus. Vbi ergo descendit de monte per incorporationem, saluabit turbas, id est, homines: qui post tantum amorem ostensum cum fiducia eum sequuntur: & tutè, quia ducit eas ad montem, cuius ipse solus nouit iter, & qui solus potest à periculis viæ defendere. Et vt eum oues sequerentur ad vitam, ipse propter nimiam charitatem suam secutus est ouem errantem vsque ad mortem.

[margin: Quos saluet homines Christus, & quam tuto.]

[margin: Leprosi vbi degerent olim & habitarent.]

Et ecce leprosus veniens adorabat eum. Leprosi erant extra vrbes, & notati erant, afflictamq; vitam & infelicem agebant: nec poterant sequi Christum ad alia loca proficiscentem, ne inficerent illa: nec baiulari in grabatis, vt alij infirmi: ideo palam, vt turbæ cauerent, Christo non longe transeunte illi occurrebant. Et hi qui extra fastum omnem, ac pompam, lasciuiam & diuitias agunt, cito Iesum inueniunt. Præparata ergo turba ædificanda, accessit ad edendum signum: non enim effundebat Christus sermonem, vel miracula edebat, vbi non erat auditus. Turba autem, id est, crassi & infideles, plus egent signis, & Christus ignobiliori membro abundantiorem honorem circundedit: ideo coram discipulis perfectis non perinde edidit signa, atque coram turba. Lepra autem, morbus quidam est cutim & pilos albos reddens, & carnem, in qua est, humiliorem reliqua carne: adeo contagiosa, vt non solum tabida corpuscula à leproso corpore soluta inficere possint alios homines, sed etiam vestes ipsas, quas vel ex parte, vel omnino oportebat comburere: imo etiam ipsam domum à leproso inhabitatam, vel ex parte, vel omnino oportebat destrui, & saxa, lignave ad locum deferri inhabitabilem, ac desertum: vt habes in Leuitico. Et licet quandoque Iudæis lepra miraculo fuerit inflicta, vt manui Moysi, & faciei Mariæ, fronti Oziæ Regis, & corpori Giezi serui Helisei, vt habetur in 4. Regum libro, & Iob, qui opera dæmonis, & Dei permissu percussus fuit vlcere pessimo à planta pedis vsque ad verticem capitis: & licet alijs etiam esset Dei flagellũ quod ipse comminatur: tamen quandoque erat morbus naturalis. Hinc Naaman Gentilis leprosus erat, & à magnitudine morbi, & vario colore dicta est à Græcis ἐλεφαντία, aut mala scabies. Et lepra dicitur à decorticando carnem: quia Græcis λέπω est decortico. Quod ergo aliqui dicunt lepram esse supernaturalem, ex eo probantes, quod in nostris non vident vel vestem, vel domum leprosam. Dicendum est, quod illa proprie leprosa non erant, nec talis morbi capacia, sed per metonymiam dicebantur leprosa, id est, efficientia lepram: vt pallida mors apud Horatium, quæ pallidos facit, & frigus pigrum, quod pigros reddat, & segetes lætæ, quod lætos possessores efficiant: ita vestes induentes, & domos intrantes leprosos efficiebant. Vnde etiam nos rasione, & lotione, & igne in domo, vel veste pestifera vti solemus. Erat autem lepra, vt plurimum morbus incurabilis. Vnde Rex Israel acceptis literis Regis Syriæ, dixit: *Nunquid Deus ego sum, vt occidere possim, & viuificare, quia iste misit ad me vt curem hominem à lepra sua?*

[margin: Iesum cito qui inueniant.]

[margin: Eccli. 29. Signa magis necessaria quibus. 1. Cor. 12.]

[margin: Lepra morbus quis sit.]

[margin: Quam contagiosus.]

[margin: Leu. 13. infra 14. Quos Dominus lepra percusserit. Exod. 4. Num. 12. 2. Paral. 26. 4. Reg. 5. Iob. 2. Deut. 24. 4. Reg. 5.]

[margin: Lepra elephantia Græcis cur dicta.]

[margin: Horat. lib. 1. car. Ode. 4. Virg. 1. Georg.]

[margin: Lepra morbus quam grauis.]

[margin: 4. Reg. 4.]

Et adorabat. Genu flexo, vt dicitur apud Marcum, siue vt Græce habetur γονυπετῶν αὐτόν, id est, accedens ad eius genua, quod proprie est adorare: *Et procidens in faciem suam*, vt Lucas inquit. Id est, Genu flexo inclinauit primo caput in terram, quod erigens loquebatur Christo, rogans sanitatẽ: quia vires affectus & intellectus Deo curuandæ sunt, vt ab eo exaudiamur. Adorabat autem perseueranter, & fortè ex tractu, quo ausus est venire, & adoratione latriæ, vt actio testatur: nam vel Prophetam illum magnum, vel ex fide Deum cognoscebat. Non ausus ita forte fuisset venire ad Pharisæos, timens ignominiosam cum horrore repulsam: Iesus autem omnes ad se alliciebat, & securitatem ipso aspectu pollicebatur.

[margin: Leprosus vti Dominum adorauerit. Mar. 1. Luc. 5.]

Domine. Professio est vel magnitudinis sanctitatis eius, si Prophetam tantum illum esse agnouit, vel etiam deitatis, à cuius infinito dominio nihil eximi potest: dominus etiam morborum, & sanitatis, vitæ, & mortis. ¶ *Si vis, potes me mundare.* Non ait, si rogaueris, vel precatus fueris, vt Moses, sed, si vis. In quo apertè Deum fatetur, de quo dicitur: *Subest enim tibi cum volueris, posse:* & Dauid: *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.* Sancti enim non semper pro voto exaudiuntur, quemadmodum nec Dauid pro filio, nec Samuel pro Saule, nec Paulus pro stimulo carnis tollendo: imo vt dixit ille: *Si steterint Moses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Dei ergo voluntas eius est potestas:

[margin: Cur leprosus Christo dixerit: Domine, si vis, potes me mundare, rogo vt me mundes. Sap. 12. Psal. 134.]

[margin: Quos Deus Sanctos minime exaudierit orantes. 2. Reg. 18. 1. Reg. 15. 2. Cor. 12. Ierem. 15.]

Leprosi in eo, quod a Domino petit, indifferentia.

Peccata vnde sint.

si enim quid simpliciter in his quæ sunt eiusmodi, non vult, nec profecto potest, quia esset se ipsum negare. Deinde leprosus eius voluntati in medijs & indifferentibus se submittit. Sunt enim quædam absolute contraria saluti, vt peccata: & de his nobis constat quod ea Deus nolit. Nec potest facere Iesus: quia nihil sunt, & ex defectu prodeunt. Imo nec vult à vt nobis fiant: quia intentator malorum est, & ipse neminem tentat, & de quo ait Propheta: *Non Deus volens iniquitatem tu es*: ad differentiam Iouis adulteri, Martis homicidæ, & sanguinarij, Mercurij furis, & seductoris. Imo hoc ipso quod vellet fieri, non essent peccata. Sunt alia rursus saluti necessaria, & de his constat ex Scripturis & plagis quas adhibet, vt ea habeamus: & ex ipsa oratione pro his, qui Scripturas legere nesciunt, quod velit, & possit donare, vt videlicet perficiat creaturam quam condidit, licet nolit, quod attinet ad omnes, absolute, vel voluntate consequenti: quia ponunt obicem, ideo non petunt, quia lumen fugiunt, & salutem pellunt. Sunt alia rursus media sua natura, & indifferentia, & de his constat quod possit, ac per consequens sciat erogare: non autem quod velit illa donare, quia non constat an nobis expediant. Quia etsi constet ea bona esse, non constat ijs nos non abusuros: vt sanitate, & pecunia, & similibus. Ideo hic leprosus certus de potentia, & dubitans de voluntate, subijcit suam diuinæ voluntati: vt Christus deprecans mortem, dixit: *Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt: transfer calicem hunc à me: sed non quod ego volo, sed quod tu.*

Iacob. 1. Psal. 5.

Dei, Christive sanctitas: deorum Gentium immunditia.

Quæ cõcedat beneficia Deus iustis ea postulantibus, eadem deneget quibus.

Mar. 4.

Quo verbo leprosus sanitatem à Domino postulasse videatur.

Cum autem hæc verba: *Domine, si vis, potes me mundare*, nullius rei petitionem, sed tantum immensæ Christi, & liberæ potestatis agnitionem contineant: dicitur tamen à Luca leprosus Dominum rogasse, eo quod occulta quædã, & tacita tum verbis, tum humili prostrationi inesset postulatio sanitatis, quam fatetur esse in manu Domini, & tanto erat efficacior petitio, quanto maiorem præ se ferebat modestiam, & submissionem quandam totius negotij sub voluntate Christi explicabat. Non enim dixit, *Si vis*, quasi de eius bonitate & voluntate dubius esset, quam ex eisdem viderat quanta esset, sed quod eius voluntati modeste sanitatis suæ negotium submitteret.

Christus leproso cur manũ extenderit. Mar. 1.

Et extendens Iesus manum, tetigit eum: siue, *Misertus eius, extendit manum*. Quia non ad ostentationem sui, sed ex affectu misericordiæ ad subleuandam eius miseriam extendit. Tetigit ergo eum extensa manu, licet plenum lepra, vt ait Lucas, vt humilitas Iesu ostenderetur, & delicias nostras confunderet: nam tales vix aspectu nostro dignamur: vt Humanitatis veræ & plenæ omni virtute dignitas patefieret ad sanandam omnem lepram animæ, & corporis, vt in Eucharistia, & Cruce, præsertim in qua manus suas extendit, repræsentatur: quia virtus de illo exibat (vt de vase pleno) & sanabat omnes. Hinc precatur Ecclesia hoc Euangelium legens: *Atque ad protegendum nos, dexteram tuæ maiestatis extende.* Docemur prompto animo prius largiri eleemosynam, deinde etiam verbo consolari, cum multi vix verbo alloqui dignentur pauperes. Tetigit autem, quia tangens non incurrebat immunditiam legalem. In primis, quia non erat subiectus legi ipse legislator. Deinde quia immunditia legis non erat in reipsa, sed in opinione sita: quia præsumitur quod habet locum in contactu humano, non in diuino, vt hic miraculum ostendit. Vnde Helias & Helisæus mortuos tangebant, quæ tamen maior est immunditia Legis. Et per hoc ostendit, peccatum, quod inficit, & occidit animam, fugiendum. Quarto, quia immunditia Legis cum merito incurri poterat, vt in sepultura mortuorum, ad quam præstandam filij Lege tenebantur. vt in Leuitico dicitur. Et ita immunditiam contrahere non erat contra Legem quæ eam iubebat incurrere: quemadmodum contrahebat illam, vitulam rufam comburens, & cineres eius portans extra castra, & confitens peccata super id: sed pollutum accedere ad sacra prohibitum erat. Ideo & ob hoc miraculum quod edebat, non accusabant Christum de hac immunditia, & nondum inuidebant, vt quando accusabant illum de violatione Sabbati, quod peccatum putabant. Quod non est de tactu leprosi. Potest etiam dici cum Origene: *Non soluit Legem Christus tangendo leprosum, quia accedente Christi manu, lepra iam fugerat.* Sic ille in sensu. Docemur autem exemplo Christi, qui ab illa puritate ac luce ad has nostras tam execrabiles sordes sese dimisit, ne fratres nostros propter sordidas infirmitates, ac ægritudinum pestilentiam fastidiamus, vt beata illa Elisabeth Hungarorum Regis filia, & vxor Ludouici Turingiæ Principis, pauperes nõ tantum eleemosyna pauit, sed etiam vlcera eorum lauans osculabatur. Et B. Greg. Nazianzen. oratione de subleuandis pauperibus, hortatur omnes, vt liberè seruiant ægrotis etiam contagioso morbo laborantibus

Luc. 5. Q[illegible] te Christus leprosum tetigerit.

Luc. 6.

Quod Christus tangens leprosum non incurreret legalem immunditiam.

3. Reg. 17. 4. Reg. 4. Num. 19. Leu. 14.

Quænam legis immunditiæ [illegible] peccati [illegible]

Sap. 10. & [illegible] Num. 16.

Leu. 16. Prohibita quænam Legis immunditia. Ioan 5. & alibi passim.

Qua ratione Christus tangendo leprosum, non soluerit legem secundum Origenem. Orig. ho. [illegible] Matt. tom. 2.

Hoc facto [illegible] tangentis quid doceamur [illegible]

B. Elisabetha Hungarorum Regis filia.

pauperes beneficentia singularis.
Greg. Naz.

tibus, promittens de Domini bonitate, morbos in eos qui seruiunt, non peruenturos esse. Poterat autem sine tactu sanare, vt decem leprosos, & seruum Centurionis: sed noluit ob rationes dictas. Nec opponant nobis Rabbini Helisæum, qui non est dignatus tangere Naaman virum leprosum, sed mittit eum ad Iordanem, vbi & mundatus est, vt in eo propterea videatur maior autoritas, quam in Christo: imo minor profecto. Mittens enim eum ad Iordanem, innuit in se non habere virtutem mundandi lepram: alias quid opus fuit mittere eum ad Ioannem? Sed Deus reuelauit Helisæo virtutem mundandi aquis illis inesse: non ex se, quia nec ante, nec post à lepra sanabant, sed tunc tantum in signum aquarum baptismi à lepra peccati mundantium. At Christus tangens ostendit ex se virtutem habere ad sanandum. ¶ *Volo.* Adiunxit & verba extensioni manus, & innuit se DEVM, qui quod vult, potest: & loquitur, & tangit, vt ipse videatur sanare, non alius ab eo Deo. Nec orat vt Moyses, qui rogauit pro emundatione lepræ sororis Mariæ. CHRISTVS ergo supra Moysem est, & Helisæum, & Prophetas omnes. ¶ *Mundare.* Imperatiuus est passiuus καθαρίσθητι, & alij vt æquiuocationem tollant, vertunt, mundus esto. Et imperio sanat: *Dixit enim, & facta sunt:* vt sperauit in potentia Christi, ita eam re est expertus. Dixisti, *Si vis:* Volo. Dixisti, *Potes me mundare:* respondet imperatiua voce, mundus esto. Et ita duobus verbis bonitatem suam & potentiam simul indicauit.

Qui sine tactu à lepra sanati. *Luc. 17. Matth. 8. 4 Reg. 5.*
Aduersus Rabbinos Helisæū Christo superiorem sanandi vi constituentes.
Iordanis Naaman Syri lepra emundans, quas illo aquas pulchre lepræ lenitauit.
Christi erga leprosum diuinitatis indicia.
Num. 12.
Christi, & bonitas, & potentia.
Psal. 148.

Et confestim mundata est lepra eius. Vt virtus infinita ostenderetur, & differentia Christum inter & Patres cum difficultate obtinentes miracula. Quæ semper sunt, vt sic dicam, instantanea, ac momentanea, vel statim tota, vt hoc erat, vel post tota, vt cum decem leprosi mundati sunt, & cæcus missus ad Natatoria Siloe, vel nūc quidem pars, & postea alia pars, vt cæcus videns primo homines velut arbores, ambulantes, deinde videns perfecte, vt Marcus testatur. Et tunc ex speciali priuilegio fit ex duobus miraculis momentaneis, quod vno fieri poterat. Hic ergo confestim discessit ab eo lepra eius: quia lepra nostra est, sanitas vero Iesu. Et quod dicitur, mundata est lepra eius: locutio est reconuersa. Quia nullum malum quod substantia caret, purgatur à vitio, vel malo: non enim purgantur tenebræ, sed fugantur à luce, nec mundatur lepra, sed leprosus natura bonus mundatur à lepra.

An Christi miracula fierent in instanti, nec ne.
Luc. 17. Ioan. 9.
Marc. 8.
Quid est dicere: Et confestim mundata est lepra eius.

Et ita explicauit Marcus: *Et cum dixisset,* inquit, *statim discessit ab eo lepra, & mundatus est.*

Mar. 1.

Et ait illi Iesus, Vide nemini dixeris. Petitio est Christi hominis ab amico, non DEI præceptum exigens obedientiam sub delicto mortifero: & significat se ex humilitate nolle sua signa populo euulgari. Sed non bene siluisset Dei gloriam leprosus, & beneficium acceptum. Ideo sanctis parendum non est, cum ex humilitate volunt ea quæ ædificant, celari. Secus si vellent ad gloriam suam illa palam fieri, quia tunc celanda essent. Vnde in Marco de eo dicitur: *Et comminatus est ei* (ne scilicet peccaret, & deterius illi contingeret) *statimque eiecit illum* (noluit acceptare sequelam, quia licet esse saluus, non tamen perfecta) *& dixit ei, vide nemini dixeris*, scilicet antequam ostendas te Sacerdoti, ne ob annuntiationem id omitteret. Postea tamen poterat, & miraculum notum erat, quia factum coram turbis. Iussit autem hoc illi, ne putaret se non obligari ad ostendendum se Sacerdoti, eo quod miraculo curatus est: vel ne, si diceret se à CHRISTO curatum. Sacerdos ex inuidia eum mundum non iudicaret. Postea autem obstringebatur dicere. Liberato autem à legione dæmonum, cum non cogeretur adire Sacerdotes, iussit statim annuntiare, teste Luca. Et si animus Christi fuisset obligare ad simpliciter tacendum, ad silendum obstringeretur, quia cognosceret eum Deum esse. Sed videtur hæc non fuisse mens eius: tum quia de leprosis decem dixit: *Nonne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt? non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena,* tum quia alias inutile esset signum tum denique quia videmus, non obseruari silentium indictum, vt hic ostendit leprosus apud Marcum, & duo cæci apud Matthæum. Et probabile est quod sanati cognoscerent Christi mentem, & voluntatem, quia ad tempus ex causa simpliciter aliquid taceri iubebat, vt alias ex Matthæo & Luca manifestum est. Voluit etiam Dominus hoc præcepto insinuare, annuntiationem diuinorum per neophytos in fide, aut in virtute nouitios fieri solitam esse prohibendam, cum Paulus ab Episcopatu excludat neophytos. Et istum prius voluit ostendi Sacerdotibus, quam prædicandi officium acciperet, ne quis propter singularem & priuatam gratiam prædicare audeat, nisi quod in Ecclesia nouerit esse commune & Catholicum, nec vult priuatam gratiam vniuersali Ecclesiæ adferre præiudicium.

Hoc signum Christus cur iusserit occultari.
Sanctis vbi minime parendum.
Quandiu leprosus hoc signum occultare deberet.
Ad quid leproso Christus dixerit: Vide nemini dixeris.
Luc. 8.
Vnde constet Christum minime leprosū ad tacendum collatæ beneficium sanitatis adstringere voluisse.
Luc. 17.
Mar. 1.
Matt. 9.
Infra 16. 17.
Luc. 9.
Hoc præcepto quid Dominus insinuauerit.
1. Tim. 3.
Cur debuerit se hic leprosus ostendere Sacerdoti.

Leu.14. *Ostende te Sacerdoti.* Vt possis communicare cum alijs,& obedias Legi præcipienti, vt eis te sistas, & Sacerdotes audito signo credant,& conuertantur,vel inexcusabiles fiant,si credere nolint, & approbetur Vetus Testamentum, & humilitas & curatio per confessionem innuatur. Et summo Sacerdoti,vt dicitur in Marc. *Ostende te principi Sacerdotum.* Licet alij inferiores sufficerent,vt dicitur in lib.Leuitici(& Marc.1.iuxta Græcam veritatem,non dicitur,principi Sacerdotum, sed simpliciter Sacerdoti) vt iudicium de mundatione esset firmius, & miraculi denuntiatio magis publica.

Quam ob causam satis erat leproso se simplici ostenderet Sacerdoti. *Leu 13.* *Infra 17.* *Matth. 8.*

¶ *Offer munus tuum.* Vt lex ipsa seruetur, quam ego non veni soluere, sed adimplere,Sacerdos non defraudetur iure suo, vel sacrificio, & eleemosyna: iudicet te mundum esse: videntes munus tuum, propter signum Deum laudent. Et Deo exteriora non displicent, modo ex corde bono offerantur. Dixit autem, *Munus tuum*, id est, tibi accommodatum, à te debitum iuxta paupertatem,vel diuitias:de quo habes legem præcipientem Leuit. decimo quarto. Et in hac prima curatione leprosi, quia putari poteras prodigiosa, cum esset signo obtenta,explicat obstringi ad munus offerendum, in alia vero decem leprosorum intelligenda est, cum dicitur: *Ite, ostendite vos Sacerdotibus.* Nec enim suaderet Dominus aliquid seruari in Lege, non obseruando reliqua illi coniuncta: & Christus non partem, sed totam seruabat. Ostensio autem fiebat Sacerdoti venienti ad leprosum,extra vrbem: vt cautum est in Lege Leuitici.

Cur Christus iubeat leproso mundato offerre munus. Deo exteriora quæ non displiceant. Cur munus tuum, dixerit. *Luc.17.* Vbi leprosus se ostenderet Sacerdoti. *Leu.14.*

Quod præcepit Moyses. Non ego præcipio modo,quia illud præceptum plus duraret quam Lex.¶ *In testimonium illis.* Id est, Moyses præcepit offerri munus Sacerdotibus, vt testarentur mundatos, non vt mundarent,quia Lex ad hoc inefficax erat: non enim permittebatur offerre, nisi iam mundati essent: vel vt miraculum testetur eis, quærentibus modum curationis, meam potentiam,& quod ego sum agnus mundus,& passer expians omnem lepram, vel vt tua oblatio ab illis accepta redarguar eos,si postea velint signum calumniari, vel negando te fuisse leprosum, vel necdum curatum à lepra. Confirmat ergo Vetus Testamentum, etiamsi cęremonias eius mutauerit,nimirum quod post aduentum Messię falsæ redditæ sunt:quemadmodum circulus aut ramus viridis ante tabernam, in qua vinum amplius non venit,falsus est. Et naui tantum nobis vtendum, dum in mari sumus:sed illam, dum appellimus, in portu dimittimus. Et Christus Dominus vt liberum, & non naturale agens ostendatur: alios quidem præsens, alios autem absens,aliquos cum cęremonijs,& alios sine illis,& hos quidem verbo,alios vero tactu,&hos quidem impositione manus curabat,vt testatum & comprobatum nobis relinqueret, quod magus non erat,cuius est eodem modo,& certis signis, & characteribus curare, Christus autem multis & varijs modis verus Deus & Messias comprobaretur.

Quotsum illud: Quod pręcepit Moses in testimonium illis. *Exod 12.* *Leu.14.* Qua ratione Veteris Legis cęremonias Christus videatur abrogasse. Quot modis Christus sanaret. Magus quomodo curet infelix.

Porro Marcus & Lucas adiungunt: *Offer pro emundatione tua*, id est,in gratiarum actionem pro emundatione à me tibi impensa,vel pro emundatione tua legali, qua leprosi curati adhuc mundari debebant,& expiari certis sacrificijs, priusquam cum mundis habitare,& conuersari possent, & templum ingrederentur. Nam primo die purificabantur duorum passerum oblatione,vel duarum auium quarumcunque.Septuaginta vertunt ὀρνίθια, quæ gallinas interdum significant. Deinde loto corpore, & rasis pilis corporis post septem dies, quibus erat separatus, octauo die offerebat duos agnos, & ouem vnam, aut si pauper erat, agnum & duos turtures, siue pullos columbarum:& tunc ritè mundatus habitus erat, vt cum alijs cohabitaret, & templum ingredi posset.

Leprosi quid offerre debebant Sacerdoti pro emundatione sua. *Leu.14.& seq.*

Et dicendo,pro emundatione, videtur posteriori modo accipiendum: quia in loco Leuitici dicitur frequenter offerri sacrificia pro purificatione & emundatione leprosi. Et illud verbum, *Pro emundatione*, habetur ibidem (cum exprimitur sacrificium pauperum) iuxta Hebræum, vt intelligas etiam contritum & iam iustificatum indigere Ecclesiæ reconciliari per peccatorum confessionem, & Sacerdotis absoluentis iudicium & absolutionem,cui tradita est ligandi,atque soluendi potestas. Marcus subiungit: *At ille egressus cœpit prædicare, & diffamare sermonem, ita vt iam non posset manifestè introire in ciuitatem, sed foris in desertis locis esset, & conueniebant ad eum vndique.* Duo iussus est hic leprosus,vt & Sacerdoti se se offerret, in quo illi paruit: quia ad confirmandam miraculi veritatem spectabat, per consequens ad Dei gloriam. Alterum erat, vt factum hoc non euulgaret, vt nos admoneret ex benefactis, quæ Deus per nos operatur, non esse quærendam gloriam apud homines: quod ea speciosior sequatur fugientem. Magni animi est sic dare beneficium, vt ab eo cui das, nolis tibi gratias agi, cōtentus iuuasse proximum. Sed eo maiori studio prædicare

Illud: Offer pro emundatione tua, &c vt sit accipiendum. Peccator, secundum spiritum mundatus, ceu leprosus, quid præstare debeat. *Mar. 1.* Quid est quod leprosus contra præceptū Domini, se mundatum omnibus prædicauit.

debet apud omnes, qui beneficio adiutus est: gloria enim fugientem sequitur, ambientem fugit. Quòd non poterat Dominus intrare ciuitatem, intellige, quomodo voluit, & solutus erat, videlicet sine turbarum concursu & affluentia. Idcircò in deserta ad tempus orandi gratia se cum discipulis suis recipiebat.

Gloria quem sequitur, quẽ vero fugit.

MYSTERIVM autem huius miraculi, est, quòd primò curatus est leprosus, & pòst seruus Centurionis Romani: quia Euangelium, quæ virtus Dei est, in salutem est omni credenti, Iudæo primùm, & Græco. Primò ergo curatus est Iudæus post Pentecosten, in quem vt leprosum sæuit Lex, & Moyses habet manus graues, postea Gentilis. Vt enim dixit Paulus: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis vitæ æternæ; ecce conuertimur ad Gentes.* Et leprosus tactu manus, & præsentia curatur: quia Messias fuit minister circuncisionis apud eos prædicans, & edens signa. Seruum autem Centurionis absens sanauit verbo: quia ipse absens per verbum Apostolicum sanauit Gentilitatem. Cùm autem Lex vmbra quædam esset, & delineatio nouæ, & in Veteri Lege duplicis generis essent corporales immunditiæ: quædam leuiores, & quas frequenter effugere non licebat, etiam quandoque sine peccato, & quotidie, vt illæ erant, quæ ex contactu morticini, vel ex pollutione nocturna, & semine coitus contrahebantur, & quisque per se expiare poterat lotione, scilicet vestimenti, aut corporis, aut lustratione aquæ aspersionis; aliæ verò, quæ non expiabantur nisi sacrificijs per Sacerdotes oblatis, quales erant, quæ ex partu, aut lepra, aut diuturno seminis fluxu contrahebantur: ita non est ignorandum, in Nouo Testamento prioris generis immunditias, venialium & leuium peccatorum typum gestare: quæ vt nobis non planè licet effugere, ita facilè ab eo, qui ea admisit, expiantur, nimirum sola oratione, aut lacrymis, aut gemitibus. Posteriores verò immunditiæ vmbram grauiorum peccatorum præ se ferebant, nempe lethalium peccatorum, quæ sine Sacerdotali iudicio, & expiatione non expiantur, inter quæ lepra criminis grauis & manifesti typum gerebat. Deinde inter peccata grauiora, quia primus lapis est fides, ita hæresis illi opposita primò curanda est; per lepram, secundùm Patres, & præsertim Beatum Augustinum significata. Rectè ergo hæresis per lepram significatur: nam vt lepra eijciebat extra vrbem, & extra castra, ita hæresis ponit hæreticum in

Hoc signo inclusum mysterium aperitur.
Matt. 8.
Rom. 1.
Act 13
Rom. 15.
Quare leprosus manu, seruus autẽ Centurionis verbo Christi fuerit sanatus.
Matth. 8.
Heb 10.
Duplicis generis immunditiæ in Lege expiãdæ quæ & quid repræsentarent.
B. August. lib. 2. quæst. Euang. q. 40 init. tom 4.
Lepra mysticè hæresim quã aptè designet.

castris aduersariorum vt transfugam: alia enim peccata non eijciunt extra Ecclesiam, vt hæresis, quam qui habent, describuntur à Iuda his verbis: *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes*; & à dilecto Discipulo: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum.* Deinde, quia, vt lepra est contagiosa, ita sermo eorum, teste Apostolo, vt cancer serpit. Nam vt cancer pascitur carne, & illam deuorat, ita hæresis carnales homines. Tertiò, quia vt lepra est varij caloris, alibi, & rubri, ita & hæresis varia est, quædam superba, quædam carnalis, quædam contentiosa, quædam falso zelo nixa: Hæretici modò aiunt, modò negant: nunc asserunt, & nũc recantant. Et vt vulpes Samsonis caudis colligatis & vnitis varias facies habebant: ita colligati sunt hæretici vinculis dæmonis, vt areas Ecclesiæ, & segetes eius incendant, hoc est, Scripturas, & Traditiones: varij tamen sunt eorum animi, quos satiare volunt. Quarto, quia vt lepra morbus erat curatu difficilis, & à solo Deo sanabilis: ad eum modum hæresis difficillimè curatur, propterea quod hæretici plurimũ sibi tribuunt, & plus sapiunt, quam oportet sapere. Quintò, quia iudicium lepræ seruatum est Sacerdoti in Lege Veteri, & non Medico ordinario. Ita curatio hæresis non ad Principes, vel Iudices laicos, sed tantùm ad Sacerdotes spectat.

Ratio prima.
Iudas Apostolus in Catholica sua.
1. Ioan. 2.
II. Ratio.
2. Tim 2.
III. Ratio.
Iudic. 15.
Vulpes Samsonis colligatæ quorum typus
IV. Ratio.
Hæresis morbus quàm curatu difficilis.
Rom. 12.
V Ratio.
Leuit. 13.
Curatio hæresis ad quos spectet tantummodo.

Quomodo ergo curandus est hæreticus, & per consequens quiuis alius peccator, qui leprosus est, quia eius instar habet tumorem superbiæ, humidi consumptionem radicalis, id est, inuidiam, exustionem iracundiæ, pondus accidiæ, sitim auaritiæ, raucedinem vocis detrahẽtis, putredinem gulæ, & fœtentem habitum luxuriæ. Vt ergo hic curetur, opus fuit in primis descensu Christi de Monte, id est, vt Verbum homo fieret, & se medicum verbo & factis, & sanctissima morte testaretur: adeò vt eum secutæ sint turbæ multæ, id est, Iudæi, & Gentiles in eum credentes, & vestigia vitæ eius sectantes. Quod & factum est. Omnis enim curatio hæresis ex dono Incarnationis CHRISTI, vt radice oritur. Secundò opus fuit, vt homo cognosceret lepram peccati, siue hæresis: quia aduersatur Legi Dei. Opus est etiam, vt per scripturam ab Ecclesia intellectam agnoscat se contemnere definita, & Doctores, & maiores, quibus præfert nouos, & sensum suum sensui Ecclesiæ. Et stultum est nolle acceptare nisi Scripturas; cùm Scripturæ mittant nos ad Ecclesiam: quam qui nõ audit,

Qua ratione hæreticus, & quiuis peccator in lepra adumbratus curandus sit.
Prima cõditio.
Ioan. 1.
II. conditio.
Scripturæ sacræ quid conferat.

Matth.18. III. conditio. *Supra 8.*

ethnicus est & publicanus. Tertiò, opus est orare, Domine, si vis, potes me mundare. Si enim hæc humili corde, & genibus cordis flexis, & capite, id est, intellectu humiliato proponantur, facilè impetrabis misericordiam.

IV. conditio.

Quartò, Christus extendit manum misericordiæ suæ, per quam tangit lepram animæ nostro, quo tactu agnoscitur Christus intus animam tangens contritione: & agnoscitur Christus factus in Cruce pro nobis leprosus, qui tantum salutis suæ auidos sanat, & mundat. *Esai.53.* Et quanquam per contritionem cadat lepra peccati, secundùm illud, *Dixi, Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei*: *Psalm 31.* vt melius tamen applicetur passio Christi, & vis emundans à peccato,

V. conditio. Sacerdotum munus quod.

propterea Quinto loco mittit nos ad Sacerdotes, quorum est inspicere lepram hæresis, & peccati, & reconciliare hæreticos, & peccatores, Ecclesiæ per Sacramenta, oblationesque. In lege autem Leuitici præcipiebat Dominus in leprosi mūdationem adhiberi aquam viuam, sanguinem, passerculos, cedrum, hyssopum, coccum, vas fictile, lotionem corporis, rasionem capitis.

Leuit.14. Ad Leprosi emundatione olim in Lege quænam requirebantur, & quid adumbrarent.

Hoc est, lacrymas viuas, & veræ compunctionis, memoriam sanguinis Christi, qui duplex passer est, vnus mortuus, nempe corpus eius, & alter viuus, scilicet spiritus eius, qui euolauit ad deprædandum infernum: quia omnia penè in sanguine secundùm Legem mundantur; & sine sanguinis effusione non fit remissio, vt Apostolus inquit. *Hebr.9.* Cedrus est, Christi crux alta, & imputribilis: quia immortales reddit credentes in eum, qui in illa mortuus est. Hyssopus humilitatis pulmonem nostrum purgantis & hærentis petræ Christi: Coccus rubeus, gemina est charitas, Dei, & Proximi. Vas fictile, memoria nostræ fragilitatis: Lotio corporis, est confessio peccati: Rasio capillorum, id est, abstersio per satisfactionem malorum habituum, iniquorumq; studiorum.

VI. conditio. *Marc.1.*

Sextò, comminatus est Christus à se mundato, vt nemini diceret: quia deterioris est conditionis semel sanatus, nisi donum acceptum conseruet.

Qua ratione beneficia custodiri debeãt

Debet etiam beneficia in silentio & humilitate custodire, ne vento vanæ gloriæ nescienti, cui sit gloria danda, extinguãtur. Proinde in manibus bonorum operum abscondenda est lux gratiæ Dei, vel per laternam resplendentem bonis exemplis, vt alijs peccatoribus, qui noctem peccati, & lepram hæresis amant, lucem gerat: aliàs lepra redit, & peius inuadit. Quare, ne ingrati simus, debemus Dei gloriam, accepta à Domino confitendo beneficia, apud alios illustrare, & propagare, suffragante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre & Spiritu sancto immortales laudes, & gratiarum actiones occinit omnis creatura in perpetuis æternitatibus. Amen.

TRACTATVS XXII.

De signo sanati serui Centurionis à paralysi: habeturq; Matth.8. & Luc.7.

QVANQVAM in hoc signo enarrando, quædam sint diuersitates, propter quas quidam existimant alium esse seruum Centurionis, de quo Matthæus, & alium, de quo Lucas memorat: tamen rursum, propter multas similitudines incidentes, probabilius est existimare vnum & eundem esse, de quo ambo loquuntur. Vterque enim Centurionem introducit in Capharnaum commorantem: vterque eandem fidem verbis declaratam suo tribuit Centurioni: vterque illum à Domino commendatum eisdem verbis, ac sui voti compotem effectum post sermonem in monte habitum commemorat.

Vnum & eundem quo de Matthæus, & Lucas loquuntur, esse seruũ Centurionis, quæ comprobent atque confirment.

Nec obstat quòd Matthæus vocet puerum Centurionis, Lucas verò seruum: nam apud Matthæum nomen pueri non accipitur pro filio, sed pro seruo: sicut dictio Græca παῖς, quæ ibi ponitur, vtrumque significat, sicut Latinis nomen Puer.

De seruo seu puero Centurionis Matthæus & Lucas quomodo inter se conueniant.

¶ Rursus non obstat, quòd Matthæus videatur significare, Centurionem per se ipsum accessisse ad Christum, Lucas verò apertè testatur illum non per se accessisse, sed misisse Iudæos, qui suo nomine rogarent Dominum. Intelligendum est enim, Matthæum hic, & alibi sæpè, breuitati studentem in recensendis miraculis, id tribuere Centurioni, quod eius nomine alij fecerunt, & dixerunt: nam quæ per amicos facimus, vt ait Philosophus, per nos ipsos facere videmur.

Quid familiare Matth. Euangelistæ. *Aristot. in Ethic.*

Itaque accessisse eum ad Christum, & dixisse, *Domine non sum dignus, &c.* quia eius nomine & iussu accesserunt seniores Iudæorum, & amici, vt explicauit Lucas, non ineptè dicitur. *Luc.7.* Atque hæc solutio syncerior videtur, quàm illorum, qui asserunt Centurionem primùm misisse seniores ad Christum, deinde fide eius aucta per se ipsum venisse: in quorum numero est Theophylactus. Sed vt dixi, facilior est conciliatio prior, in qua, quod respondit Dominus: *Ego veniam, & curabo eum; Vade, & sicut credidisti, fiat tibi*: intelligendum est, quia tale quid dixit

Theophyl. in Matth. 8. & Luca cap 7.

illi, non in propria persona, sed in amicis ab ipso missis: quia necesse est Christum dixisse pluraliter: Ite, & sicut credidit, fiat ei. Verùm Matthæus coactus fuit dicere, *Vade, & sicut credidisti, fiat tibi.* eo quòd introducit Centurionem in propria persona loquentem.

Matth. 8.

Cùm autem introisset Capharnaum. Nimirum post habitum sermonem in Monte, & sanatum leprosum in via, ingressus est Capharnaum Metropolim Galilææ, & patriam suam ad inhabitandum electam. Solitus autem erat Dominus, ciuitatem quam intrabat, in bonum commouere, præmissis lucis suæ radijs, & præcurrentibus Angelis, & quibusdam benè dispositis alios trahentibus: atque hanc commotionem Iudæi in malum interpretati sunt. Dicebant enim: Commouit populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsque huc: cùm tamen commotio eius Satanæ & carni sanctum bellum indiceret. Verbum enim Dei in aquæ missæ in calcem viuam, quæ ipsam commoueri, & euaporari facit, animas commouet, & vitam priorem occidit, & pacem malam quā peccatores habent, cum flagitijs extinguit: non enim venit pacem mittere, sed gladium. Et ingressus est fortassis ob deuotionem Centurionis, & sanandum puerum eius.

Supra 5.

Capharnaum, cuius prouinciæ metropolis erat.

Matth. 4.

Ad quid ciuitatem quam intrabat Dominus, eam de more commouebat.

Luc. 23.

Diuini eloquij propriū quid.

Matth. 10.

Accessit ad eum Centurio. Centurio hic Gentilis erat: quia etsi Iudæi haberent Centuriones, & Dauid legitur eos habuisse, iste tamen alienigena erat. Dixit enim Christus: *Non inueni tantam fidem in Israel:* & seniores, *Diligit enim*, inquiunt, *gentem nostram.* Et rursus: *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob.* Et hic Centurio insignis fuit fide, quemadmodum alter Centurio, de quo alibi Matthæus meminit, cōfessione Christi illustris fuit: & in Actis Cornelius Centurio religiosus dicitur, ac timens Deum, cum tota domo sua, nec non multis præclaris operibus, id est, orationibus, eleemosynis, & ieiunijs insignis atque illustris, ne quisquam putet vel vniuersos milites improbos esse & scelestos, vel militarem artem esse damnandam. Et in Luca dicitur: *Centurionis autem cuiusdam seruus malè habens,* &c. quibus verbis insinuatur plures fuisse Centuriones, quos Tiberius habebat in præsidio ciuitatis Capharnaum: sicut in Ierusalem erat ille, qui exclamauit, *Verè Filius Dei erat iste*: in Cæsarea Cornelius Centurio.

Hic Centurio qualis fuerit.
Exod 18.
2. Reg. 18.
Matth. 8.
Luc. 7.

Matth. 27.
Act. 10.
Centuriones tres fidei, bonorumque operum laude præstantes in Euangelio celebrantur.

Luc. 7.

Matth. 27.
Act. 10.

Quòd verò Matthæus ait accessisse, intellige, vt explicuit Lucas, per seniores Iudæorum primò, deinde per amicos suos: nam quod per alium facit quispiam, perinde est ac si ipse fecisset, vt docet Augustinus libr. de consensu Euangelistarum. Vnde Lucas ait: *Et reuersi qui missi fuerant, domum, inuenerunt seruum, qui languerat, sanum.* Ita enim Euangelistæ diuersi miraculum hoc enarrant, vt vnus alterum explicet, & ab vno prætermissa alter commemoret, vt neutrius narratio possit iudicari superflua. Ex solo Matthæo habetur, fuisse paralyticum: ex solo Luca intelligitur fuisse seruum, non filium. Rursus ex Luca solo discimus, Centurionem non per sese accessisse, ex Matthæo verò, quibus verbis sanitatem promiserit; ex vtroque autem quomodo, aut quibus verbis signū à Domino postulauit, & aduentum in domum suam ex humilitate recusauit. Ex quibus constat ipsum per se non venisse: nam si sponte Dominus ad domum Gentilis & militis venisset, Iudæis suspectum se reddidisset, quòd potentiorum Gentilium fauorem ambiret. Et ideò dicit Lucas, quòd Iesus ibat cum illlis, etiamsi in domum non peruenerit. Et certè plus Centurio venit ad Christum, quàm seniores, quia Centurio maiori fide pollebat, & accedentem ad Deum oportet credere. Et cùm multi Christum comprimerent, dixit, *Quis me tetigit?* insinuans contactum fidei à se magni fieri.

Hic Centurio quomodo accesserit ad Iesum, secundū Matthæum.

August. li. 2. de consens. Euang c. 20. tom. 4.
Luc. 7.

Vnde perspicuum sit, Centurionem per seipsum non accessisse ad Iesum.

Heb. 11.

Marc. 5.

Dices; Vnde tanta fides Centurioni de Christo, cùm fides sit ex auditu? Respondet tibi Lucas: *Centurionis autem cuiusdam seruus malè habens, erat moriturus* (id est, morti iam vicinus) *qui illi erat pretiosus. Et cùm audisset de Iesu, misit ad eum seniores Iudæorum, rogans eum vt veniret, & saluaret seruum eius.* In quibus apertè vides illum signum non vidisse, sed tantùm audisse de Iesu. Et quid audierat, ait Chrysostomus, nisi miraculum leprosi sanati? *Sed plus*, inquit, *vidit, quàm audiuit: quia etsi Centurio vidisset omnia signa quæ egit, non vidisset eum erga absentes operari miracula, sed ægros ad se adductos sanare.* Hæc ille ferè. Et fuit hæc fides à Deo infundente, quam illi ob eius bonitatem expressiorem donare voluit, quia bonus erat, & serui sui diligentem habebat curam: vt alter Centurio, de quo in Actis narratur, quòd orabat, & ieiunabat, & dabat eleemosynas, fidem Christi promeruit notiorem, quia viam veritatis sibi reuelari cupiebat. Et vt lignum siccum prius incenditur quàm humidum; ita Centurio citiùs fide perfunditur, quàm Iudæi contrarias de Christo habentes opiniones. Deinde donauit illi hāc fidem, vt confunderet

Vnde tanta fides Centurioni de Christo, cùm fides sit ex auditu.
Rom. 10.
Luc. 7.

Chrysost. ho. 27. in Matt. tom. 2.

Cur Deus tantam fidem dederit huic Centurioni.

Act. 10.

Simile.

II. Ratio.

deret Iudæos præsentes,& tacitè ad Fidem prouocaret,&significaret Gentiles fide Iudæis superiores futuros. Et vt Magi credentes in Christum natum, fuêre primitiæ Gentium; ita Centurio iste fuit primitiæ credentium Gentilium per Christum prædicantem.

Matth.2.

Dicitur autem seruus pretiosus à Luca, non quod propter lucrum eum diligeret, sed magis ex charitate, quòd esset seruus fidelis,& vtilis :nam Græcè ἔντιμος charum significat, & quem quis in pretio habet. Vnde videtur impleuisse Salomonis consilium illud:*Si est tibi seruus fidelis, sit tibi anima tua,quasi fratrem sic eum tracta*: & iterum, *Seruus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua*,id est, Eius vitam perinde atque tuam diligenter cura.

Luc. 7. Hic seruus à Luca cur dicatur pretiosus.

Eccle 33.

Supra 7.

Sequitur in Luca: *At illi cùm venissent ad Iesum, rogabant eum solicitè,dicentes ei, Quia dignus est vt hoc illi præstes. Diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse ædificauit nobis.* Per hos ergo seniores proposuerat infirmitatem serui, dicendo, vt habet Matthæus: *Domine puer meus iacet in domo paralyticus,& malè torquetur*.Dominum vocando, professus est illum Deum. Et ait, Puer meus iacet in domo paralyticus: nam iste Centurio seruum inter & dominum nullam differentiam constituebat. Quoniam etsi in hoc seculo dignitas est diuersa, vna tamen est natura, eadem sors nascendi,& moriendi, quasi legisset quòd in Christo Iesu non est seruus, neque liber, vt ait Apostolus, & quòd omnes sumus fratres in Christo. Habent hoc loco domini, quod imitentur in Centurione misericordiam, & quòd loco boum,aut equorum, aut canum seruos non habeant, nec,vt ille Amalechita,seruos suos deserant, aut in hospitalia proijciant, nullam rationem charitatis paternæ habentes. Habent etiam & ipsi serui, quod æmulentur in puero: nam nisi syncerus,fidelis, & amans domini fuisset, charus Centurioni non extitisset. Et vide quanta charitate Centurio mala serui sui enumeret,ait enim: *Seruus meus iacet*, deinde *Paralyticus*, tertiò, *Malè torquetur*: & ideò non potui illum tibi offerre. Et aduerte, nihil illis verbis Centurionem postulasse, tantum morbum serui, & malum suum proposuisse, modestissimè orans,sicut & leprosus præteritus. Quod verò apud Lucam dicitur: *Diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse ædificauit nobis*: seniores hoc de suo addiderunt,vt magis flecterent Christum ad concedendum rogata. Et magnum odium erat Iudæos inter atque Gentiles, vt non nisi dono aliquo Dei conciliari possent. Erat ergo amor Centurionis ad Iudæos, & ille quidem non nudus, sed bonis operibus coniunctus: quia Synagogam ædificauerat illis, vt iam in spiritu Iudæus esse videretur. Non meminerunt autem fidei in Christum,quam illi non cernebant, nec religionis in Deum, & quæ maioris erat ponderis & momenti ad impetrandum omnia.

Galat.3. Matth. 23. Domini quales se habeant erga seruos.

Serui quomodo se cum dominis suis gerant.

Matth.8. Ad quid seniores Christo dixerint de Cêturione: Diligit enim gentem nostram, &c.

Rom. 2.

Fidei in Christum efficacia.

Et ait illi Iesus, Ego veniam,& curabo eum. Ego,inquit,per me ipsum veniam. Plus quàm petierat,tribuit: & solus dicere potest,curabo eum. Et licèt Christus non haberet intentionem veniendi ad eum: hoc tamen dixit, primò ad excitandam fidem eius; & quia Deus voluntatem timentium & deprecantium se facit: & vt ostendat suam humilitatem, qua non dedignatur venire ad sanandum seruum, etiam Gentilis, & vt doceat iudices perinde ministrare iustitiam pauperi, atque diuiti; & vt instruat Sacerdotes, vt alacri,& prompto animo accedant ad confessiones non minus pauperum, quàm diuitum audiendas. Nam dixit CHRISTVS: *Si ego laui pedes vestros,Dominus & Magister; & vos debetis alter alterius lauare pedes.* Ad hæc vt patefaceret fidem Centurionis, qua conceperat Christum absentem sanare posse,sed nondum expresserat:nec fuisset expressum, nisi Christus promisisset accedere ad domum eius. Vnde & Lucas ait, *Iesus autem ibat cum illis.* Nam si Christus coram turbis dixisset,Sanetur puer eius, & fuisset sanatus, Centurio, qui in domo manebat, non misisset iterum amicos (ne per se ipsum veniret)rogantes, sed vt tantum dicerent,Veni. Proinde vtile fuit Christum in domum eius profectionem, & iterum ad preces Centurionis gressus sistere, vt detegeretur fides in CHRISTVM valentem in absentia conferre sanitatem.Quam fidem prodi operæpretium fuit: & ad Christi gloriam,qui absens sanabat, quod nondum erat creditum, deinde vt esset Christo,paruam fidem increpandi Iudæorum occasio, prænuntiandique de vocatione Gentium, quòd multi venient ab Oriente,& Occidente,&c. Postremò,vt haberet ansam laudandi publicè Centurionem, vt pro hoc tanto Christi testimonio commendatus firmiùs colat, & retineat virtutem. Probus enim virtutis studiosus, quando ab omnibus talis cognitus est, veretur in flagitia incidere, ne de gradu honoris, quem virtutum meritis sibi côparauit,cadat. Cùm verò quis occultè religionem & bonitatem colit, non ita erubescit

Quibus de causis Dominus dixerit: Ego veniam & curabo eum,cû fortè venturus non esset.

Psal.144.

Ioan.13.

Luc. 7.

Quàm vtile fuerit Christû ad preces Cêturionis pedê sistere, nec domum, intrare.

Probi viri,& virtutis studiosi propriû.

delinquere, quia de nullo gradu dignitatis prolabi se putat, cùm ignotus sit.

Et respondens Centurio, ait, Domine, non sum dignus. Beatus Lucas hoc latiùs explicat; ait enim: *Et cùm iam non longè esset à domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine, noli vexari. Non enim sum dignus, vt sub tectum meum intres: Propter quod & me ipsum non sum dignum arbitratus, vt venirem ad te: sed dic verbo, & sanabitur puer meus.* Quemadmodum prius per seniores rogauit, ita nunc per amicos à se missos hæc verba proposuit Domino. Non quòd domus eius non esset splendidè ornata: nam Christus minimè curat domus qualis sit, parua ne, an magna, splendida, an obscura. Namque ille paupertatis & humilitatis cultor erat, & in eadem ciuitate ædes pauperrimas, nempe socerus Petri, inhabitabat: vbi & ministratum est illi.

Quorundam, cur Centurio, se indignum appellauerit Christus ad eum, vt veniret, triplex ratio refellitur.
Matt. 8.

Ad hæc cùm hic Centurio diues esset, & nobilis, non videtur ædes tenues & exiles tenuisse: neque dixit, Domus mea non est digna, vt eam ingrediaris, sed ego non sum dignus, &c. Deinde verisimile non est, vt docet Nicolaus de Lyra, domi suæ habuisse idola: quia indignum hoc viro, qui tantam fidem de Christo conceperat, & quem Christus primitias Gentium credentium constituebat, cùm nec alter Centurio, de quo meminit Lucas in Actis, idola haberet. Tertiò nec verum est, quòd se putauerit indignum, eo quòd Gentilis esset, & ethnicus, Christus verò Iudæus & cultor Dei; & ob id non dignaretur venire in domum Gentilis, qui dixerat, *In viam Gentium ne abieritis*: quia nouisse poterat quòd non sit acceptio personarum apud Deum, & illud præceptum Christi nondum Apostolis traditum erat. Hoc ergo dixit Centurio, quia oculis fidei hinc agnouit multitudinem Christi, inde verò indignitatem & paruitatem propriam. Vnde Helias & Moyses præ reuerentia Diuinæ Maiestatis, faciem obuelauerunt suam. Dicitur enim de Moyse: *Abscondit Moyses faciem suam; non enim audebat respicere contra Deum.* Cui Dominus dixerat: *Ne appropies huc: solue calceamenta de pedibus tuis. Locus enim in quo stas, terra sancta est.* Et de Helia scribitur, quod cùm audisset post ignem sibilum auræ tenuis (vbi Domin[us]) operuit cultum suum pallio; & in Apocalypsi legitur seniores cecidisse in facies suas: In Esaia Seraphin velabant alis facies suas. Nihil ergo boni videbat in se Centurio; & si quid erat, obscurabatur à nimio splendore diuinitatis Christi, de quo dicitur: *Stellæ non sunt mūdæ in conspectu eius.* Bonum enim in præsentia melioris redditur quodammodò malum. *Exi à me*, dixit olim Petrus, *quia homo peccator sum, Domine*: & vidua Sarepthana in hoc eodem spiritu dixit ad Heliam, *Quid mihi, & tibi, vir Dei? ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?* In hoc spiritu Centurio dixit: *Domine non sum dignus*: atque ita exponit Augustinus sermon. de verbis Domini. Hæc est ratio huius dicti, & etiā illa prior, nimirum quòd esset ethnicus, & præputiatus: & sciebat abominatum esse viro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam, vt Cornelio Centurioni Petrus dixit. Erat etiam militaris præfectus artis, vitæ genus odiosum, & infame: adde etiam quòd pro seruo suo petebat. Vide etiam excellentem eius humilitatem: nam seniores orantes dicebant: Dignus est vt hoc illi præstes; ipse verò se indignum profitetur, ad quem veniret Dominus, vel vt ipse ad Dominum accederet, vt exaudiretur ab eo. Nec se ergo ad Christum venire, nec Christum ad se descendere dignum ducit: nec recipere venientem, nec quærere illum vt veniat. Et quanquam ipse dignior esset Iudæis senioribus, quos præmiserat: vera tamen modestia proprios, non alienos defectus respicit. Neque qui gratior Deo est, interponere mediatores minus gratos recuset, vt Paulus faciebat, qui Romanorum pro se preces efflagitabat. Cuius Centurionis exemplo excitati profiteri debemus nos dignos non esse, qui ad Deum veniamus, vel quorum in corda Deus ingrediatur, & faciat māsionem: nam ingredi in domum sordidam corporaliter minimè Deus offenditur, quemadmodum in corde immundo spiritualiter habitare. Hinc, vt testis est Origenes in hæc verba, quando sancti, & Deo acceptabiles Ecclesiarum antistites sub tectum tuum intrant, tunc ibidem per eos Dominus ingreditur: & tu sic existimes, tanquam Dominum suscipiens: Multoque magis, quando ipsum Dominum sub Eucharistiæ Sacramēto ad te venientem recipere debes, ne alioqui ad iudicium tuum ingrediatur. Hæc enim professio paruitatis nostræ, & indignitatis, & Diuinæ gloriæ, & magnitudinis, perfecta quædam est dignè, & cum fructu suscipiendi panem vitæ dispositio. Vnde Ecclesia in tremendis, & venerandis mysterijs instituit, vt Sacerdos his præmissis verbis, tùm sibi, tùm populo sacram præbeat synaxin. Atque hoc vni Romano militi Centùrioni acceptum ferre debemus, qui nos his verbis, de dignè suscipiendo CHRISTO instruxit,

siue

Centurionem idola domi suæ minimè habuisse.
Nicolaus de Lyra.
Act. 10.
Matth. 10.
Deut. 10.
Vera & probabilis ratio assignatur.
Exod 3.
3. Reg. 19.
Apoc. 7.
Esai. 6.
Iob. 25.
Luc. 5.
3. Reg. 17.
August. ser 6. de verb. Domini to. 10.
Act. 10.
Insignis animi modestia Centurionis.
Veræ modestiæ proprium quid.
Rom 15.
Centurio ille etiam qualem nos doceat huius militatem.
Ioan. 14.
Orig. ho 5. in Matth. to. 2.
1. Cor. 11.
Quædā veluti perfecta Eucharistiā percipiendi ratio.

siue potius per eum Spiritus sanctus. ¶ *Sed tantum dic verbo.* Nihil sanè sine verbo dicitur: cur ergo dixit: *Dic verbo?* Neque hic libenter cõfugio ad illam, quæ dicitur pleonasmos, figuram, vt cùm dicitur à Poëta: *Et sic ore locuta est.* Quidam dicunt, phrasim Hebræam esse dic verbo, pro eo quod est, impera, vel iube. Matthæus tamen habet, εἰπὲ λόγον, dic verbum: Lucas habet vt nos εἰπὲ λόγῳ, sed altiùs puto fidem Centurionis euectam fuisse. Voluit enim significare Verbum illud eminens, in quo sunt omnia verba, atque omnes virtutes: Verbum quod omnia condidit, portatque omnia verbo virtutis suæ, cuique omnes Angeli parent iuxta illud: *Potentes virtute, facientes verbum illius.* Etsi ergò Centurio, neque legem, neque Prophetas legisset, quæ habent: *Ipse dixit, & facta sunt*: & iterum, *Misit verbum suum, & sanauit eos*: & rursus: *Etenim neque herba, neque malagma sanauit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia*: habebat tamen magistrum Spiritum sanctum, qui legem, & Prophetas condiderat.

Cùm nihil sine verbo dicatur: cur Cẽturio dicit: Dic verbo. Virg. lib. 1. Æneid. Quare verbũ sit Christus Dei filius. Hebr. 1. Psalm. 102. Vnde Cẽturio tantum mysterium cognouerit. Psal. 148. Psal. 106. Sap. 16.

Et sanabitur puer meus. Agnouit infirmitates, & morbos, & cruciatus à Deo in nos immitti, tanquam seruos, imò milites suos ad nostram superbiam, & ingrati animi significationem expugnandam. ¶ *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus,* Duplici modo induci potest hæc argumentatio. Pimò quidem secundùm Augustinum, vt sit argumentatio à minori ad maius affirmatiuè, in hunc modum: Si ego sub potestate constitutus, mando aliquid militibus meis in absentia, & statim fit; à fortiori tu, qui nulli subes, nec patrem habes, nec superiorem, tuo imperio cedent infirmitates, & morbi, & Angeli potentes virtute, tuo parebunt imperio. Ego homo purus, tu Deus, & homo: ego peccator, tu sanctus Propheta: Ego finita potentia, tu infinita præditus: Ego habens centum milites, tu innumeras supernas virtutes: Mihi pauci sunt ab Imperatore commissi; tibi omnia naturali dominatu subduntur. Obediunt mihi, quia volunt, tibi nihil repugnare valet. Tibi ergo, & Angeli tui, & Apostoli quos elegisti, famulabuntur, si dixeris illis, & præceperis. Et posuit Centurio vim rationis, & non compleuit eam: vt quando quis loquitur cum perito viro, ponit syllogismi minorem propositionẽ, in qua est vis totius argumenti. Sed videtur obstare huic sensui coniunctio. *Et*, cùm ait: *Nam & ego,* quibus verbis, secundùm Autorem Operis Imperfecti in Matthæũ, qui priorem sensum refellit, videtur contexere argumentum à simili, hoc modo: Nam si ego, qui homo sum, sub potestate alterius constitutus, à subiectis meis exigo obedientiam: ergo & tu etiam, quatenus homo es, & sub patris potestate constitutus, potes præcipere, & obtinere obedientiam. Itaque Domino hanc potestatem tribuit, etiam vt homo erat, sicut de Patre asseruit Christus: *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est.* Sed nisi ipse filius hominis fuisset, hanc potestatem minimè habuisset. Sed certè præstantior videtur prior intellectus: & Græcè non dicitur cum coniunctione, & ego homo sum, sed, *Etenim ego homo sum,* καὶ γὰρ ἐγώ. Ideò proculdubio illum Deum credidit, dum dixit: *Sed tantùm dic verbo:* & similiter hominem, ponens eum sub potestate (sub qua quatenus homo positus erat, secundùm id: *Pater maior me est*) cui se in hoc assimilat. Verbum *Constitutus*, etsi apud Matthæum in Græco non habeatur, habet tamen Lucas, τασσόμενος. Et benè habet: nam alioqui esset subintelligendum. Erat Centurio constitutus sub Imperatore Romano, & sub alijs militiæ ducibus, & præfectis: nam Centuriones, qui habebant centum milites, suberant Tribunis, qui mille præerant. Ponderat B. Bernardus Epis. 42. ad Henricum Senonen. Archiepiscopum, non iactasse Centurionem potestatem, quam nec solam protulit, nec priorem erat ducturus, quippè. Habens sub me milites, præmisit enim: Homo sum sub potestate constitutus. Quo quisque prius se agnoscat subditum hominem, quàm præfectum aliorum: quod non nisi vtilissimum est Episcopis & Regibus cogitare.

Morbi à Deo cur nobis immittantur. Aug. loco citato. Verbum illud Centurionis: Nam & ego homo sum sub potestate cõstitutus, duplicem habet intelligentiã. Primus sensus. Psal. 102. & Hebr. 1. Qualis Christi potentia. Luc. 6. Alter sensus. Auto. Operis Imperf. in Matt. ho. 22. to. 2. operum D. Chrysost. Ioan. 5. Cornelius Cẽturio Christum non tantum hominem, sed verum etiam Deum agnouit. Infra 14. Luc. 7. Centuriones & Tribuni qui dicerentur. B. Bernard. Episcopi, & Reges quales esse debeant exemplo Centurionis.

Et dico huic, Vade, & vadit. Id est, in absentia obedit mihi, re ipsa præstando quod iubeo: & alteri, qui longe abest, vocando eũ, dico: Veni ad me, & paret veniendo. Et seruo, in quem homo plus iuris & imperij habet, quàm in milites, dico, Fac hoc & vel absens, vel præsens facit. Ex his tribus, qui obedientiam illi prẽstabãt in absentia, colligit, Christum posse absentem sanare, & dicere infirmitati, Vade, & vadet: & sanitati, Veni, & veniet.

Audiens autem Iesus, miratus est: & sequentibus se dixit, Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel. Triplex accidit nobis circa verborum Christi intellectum admiratio. Prima est, quam ob caussam miratus sit, cui siue vt Deus, siue vt homo est, nihil erat ignotum, nihil nouum, vel insolitum. ipse enim omnia nouerat, imò fidem cordi Centurionis inseruerat. Admiratio enim

Christus quid potens. Christi de fide Centurionis admiratio, tribus de causis admiratione digna.

Admiratio vnde proficiscatur. *Arist. lib. 1. Metap. tex. 1.*

enim ex ignoratione caussæ contingit, & propter admirari, teste Philosopho, cœperunt homines philosophari. Deinde quomodò non inuenit tantam fidem in Israel? an maior erat Centutionis fides fide Abrahæ, & Patriarcharum? an maior fide Virginis, & Apostolorum, vt deblaterat imprudenter Lutherus? Est itaq; cur admiremur de verbis Domini. Tertiò, quomodò commendat tantoperè fidem, illamque admiratur, & exaltat, quasi illa sit omnium summa? Videntur ergo qui hodie illam prædicant, & summis laudibus in cœlum vsque efferunt, sine mandatis aut cæremonijs legis magis sequi sensum, & gustum Christi, quàm qui opera, & legis obedientiam vrgent. Dicendum est ad primum, Christum gestum, & habitum externum admirantis edidisse, atque hoc ob commendandam fidem Centurionis, ac vt rursus doceat nos admirari viros sanctos, ac virtutis studiosos: vt docent Augustinus, & Autor operis imperf. in Matthæum. Magister admiratur ingenium, & responsum discipuli, non quidem sibi ignotum, sed vt admiratione sua excitet eum ad progressus faciendos, & vt condiscipulos exemplo eius ad literarum studia capessenda inuitet. *Non miratur*, inquit Origenes, *aurum, diuitias, regna, principatus; sed fidem, per quam homo Deo placet.*

Impium dogma Lutheri in postilla circa hoc Euangelium.

Christus cum omnia nosset, nihilq; ignoraret, cur fidē Centurionis miratus est? *Aug. serm. 6. de Verb. Do. Aut. oper. imperf. in Matt ho. 22 in fin. Origen. loco prædicto.*

Alter sensus.

Præter hanc solutionem potest & alia subiungi. Nam etiam quatenus homo, propriè admiratus est, & aliquid sibi incognitum, & insolitum, nouumve admiratione dignum obiectum fuit. Christo enim inerat duplex scientia, altera diuina, quæ æterna est, & cui nouum nihil erat ignotū: nec potest esse ibi vlla admiratio, quia tam ipsa scientia, quàm id quod scitur, intra diuinā substantiam existit. Altera verò, humana est scientia, siue creata: quæ duplex est. Altera quidem, scientia visionis rerū in Verbo, quæ in Christi anima existit: quæ etiam creata est, quia nihil increatum potest esse forma rei creatæ. Hæc est scientia omnium Beatorum, qui cernunt res in Verbo: atque hac scientia nouit Christus ab instanti conceptionis quæ Verbum ipsum scientia visionis cognouit, id est, omnia quæ habent esse in quacunque differentia temporis. In hanc etiam scientiam nulla potest cadere admiratio. Alia est scientia, qua cognoscuntur res in seipsis, siue in proprio genere. Et hæc rursus bipertitur: nam altera est habitualis dicta, quæ à primo momento conceptionis tribuitur Christo, quæ etiam in Prophetis, & sanctis fuit, quando Deo placuit eam infundere: alia rursus est quæ per experientiam acquiritur, qua per intuitum

Duplex scientia in Christo, & quænā illa

Creata scientia duplex.

Creata scientia quænam habitualis sit quæ verò experimentalis Christo.

cernit, quæ nouerat per speculationem: quemadmodum Astrologus eclipsin theoricè notam experientia deprehendit, & Medicus infirmi præuisam crisin: & hanc scientiam tribuunt, & Propheta, & Apostolus, & Euangelista Domino. Propheta quidum, cùm ait: *Butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Paulus verò ait: *Didicit ex ijs quæ passus est, obedientiam*; Et Euangelium, cùm dicitur: *Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.* Hac ergo scientia multa de integro indies videbat, quæ illo modo prius non nouerat: vt verè dici possit, quòd miratus est etiam interius, nempè acquisita notitia rei difficilis, & raræ.

Esai 7. & Matth. 1. Heb. 5.

Luc. 2.

Ad secundum dicendum, non esset sermonem de Abraham, & de Patriarchis, & Prophetis, qui fuerant, sed de illis, qui tunc erant. Christus namque aliquid inuenire in Israel non potuit, nisi dum fuit inter Israelitas, inter quos esse cœpit, postquam incarnatus est: ideò non fuit maior fides Centurionis, illa Prophetarum. Nec loquitur de omnibus, postquam fuit in carne, sed de ijs tantùm, inter quos cœpit serere fidem per prædicationem, & signa: vt doctè hoc loco exponit Hieronymus. Et ita excluditur B. Virgo, & Ioannes Baptista, quorum fidem, neque prædicatione, neque signis, Christus quæsiuit. Quanquam alia ratione exceptæ erant hæ duæ personæ: nam generalis sententia affirmans, vel negans, insignes quasdam personas non cōprehendit. Nec loquitur rursus de præsentibus qui aderant Israelitis, sed de absentibus. Hinc excluduntur Apostoli præsentes, qui præstantiori fide pollebant. Vel fortè Centurio in fide præcellebat Apostolos, quando ipsi conuersi sunt: secùs tamen tunc, vt ait Author operis imperfecti in Matthæum. Vel si comparatio ad Apostolos habenda est, potest dici maior fides Centurionis fide Apostolorum, non simpliciter, sed secundùm quid: nam Centurio Gentilis erat, & indoctus, & militarem colens artem, & sine vlla legis Moysis pædagogia, sine audito Christi sermone, vel visis signis credebat absentem sanare posse. Et ita fides Centurionis, etsi minor, excedebat statum eius, plus quàm fides Apostolorum statum Apostolatus, licèt simpliciter excellentior esset fides Apostolorum. Et hæc est expositio B. Chrysost. & sic dixit de vidua illa, ꝙ plus omnib. misit duob⁹ minuris missis in Gazophylacium. Sic etiā cùm esset in Nazareth, miratus est quòd nullus illi crederet propter maiorem dispositionem, quàm habere potuerunt ex

Illud: Non inueni tantam fidem in Israel, quomodo verum sit.

Primus sensus

Dupliciter Christus fidē seminauit.

Hierony. in Matth.

Alter sensus.

Qua ratione fides Centurionis maior esset fide Apostolorum.

Homil. 22. in Matthæum.

Tertius sensus

Luc. 21.

Marc. 6.

Quartus sensus. Hierony. in Matthaeum.

lege, & Prophetis, & praesentia Domini, & alijs signis. Vel confertur fides Centurionis, id est, Gentilium, cum fide Iudaeorum, vt etiam docet Hieronymus. Licèt hoc allegoricum videatur, vnde subdit: *Multi ab Oriente, & Occidente venient.* Proinde comparat populum populis quantum ad extensionem, quia maior est populus Christianus populo Iudaeorum. Subdam hanc postremam expositionem quorundam, qui arbitrantur sermonem esse de fide ad operationem miraculi, in hunc sensum: In toto Israele non inueni tantam fidem in aliquo, ad cuius petitionem facerem signum. Et sic est dictum vniuersale, non habens exceptionem in Abraham, vel Ioanne Baptista, vel Apostolis: quia nulla petentibus illis ediderat miracula. Et addit Lucas: *Et conuersus, sequentibus se turbis, dixit: Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inueni.* Christus ergo non tam Apostolis, quàm turbis, quae venerant, vt viderent signum, illa verba protulit: *Nec in Israel*, inquit, *tantam fidem inueni*: id est; Non solùm inter Gentiles qui venerunt ad me, vt dicitur apud Matthaeũ, qui de terris Gentilium Iudaeorum populo vicinis signorum gratia ad Iesum confluebant, sed etiam inter Iudaeos tantam fidem non inueni. Et haec de secundo. Cuius rei confirmandae gratia subiungit de vocatione, & fide Gentium, cuius praeludium, & specimen exhibuit magna sua fide Centurio.

Quintus sensus. Luc. 7. Quid illud: Nec in Israel tantam fidem inueni. Matth. 4.

Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, & Occidente venient, &c. Quoties in Scripturis ponitur Gentium conuersio ad fidem, gaudium, & laetitia proponitur, vt cùm Propheta ait: *Lauda sterilis, & quae non paris: decanta laudem, & hinni quae non pariebas: quoniam multi filij desertae magis quàm eius quae habebat virum*: Ita hîc Dominus ex occasione fidei Centurionis prorumpit in exultationem de fide accepta. Et multi, ait: quia non omnes obediunt Euangelio. ¶ *Et recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno caelorum.* Recumbere, est ad mensam sedere, vt ingressus Dominus domum Pharisęi, recubuit: &, *Recumbentibus vndecim* (scilicet Apostolis) *apparuit illis Iesus.* Per eiusmodi recubitum ad mensam cum Abraham, & Isaac, & Iacob, qui Patriarchae, & parentes Messiae secundùm carnem extiterunt, & quibus primùm promissus est; quorum veri, & legitimi filij sunt, qui eorum fidem & opera imitantur, metaphoricè intelligimus non tantùm Gentium iustificationem per fidem, & insitionem in Christum, vt meritorum eius participes fiant, sed etiam aeternam gloriam, quae finis est iustificationis, & aduentus Messiae. Vnde ad hunc recubitum opponit expelli in tenebras exteriores: quod non tantùm est à fide repelli, sed etiam à mensa illa caelestis gloriae. Et quanquàm hîc tantùm meminerit Orientis, & Occidentis: per illas tamen duas vt principales, Christus totum orbem significauit: vt docet Augustinus. Et rectè: nam Lucas ait: *Cùm videritis Abraham, & Isaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras,* (id est, non recipi, quia receptus nunquam expellitur) *Et venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Austro, & accumbent in regno Dei.* Vnde accipimus, per illas duas partes à Matthaeo nominatas, quatuor intelligendas. Ad Esaiam videri posset Dominum his verbis alludere voluisse, ait enim: *Ab Oriente adducam semen tuum, & Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, Da: & Austro, Noli prohibere. Affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terrae.* Et trium tantùm Patriarcharum mentionem fecit Dominus, quia illis primis leguntur factae promissiones regni sub typo Terrae promissionis, & quia in illis Patriarchis Iudaei gloriabantur, reliquas Gentes prae se contemnentes, quòd non essent ex illis proseminatae: quas, quo magis vreret Iudaeorum animos, & permoueret, docet Patriarchis coniungendas, & ipsos ab illis separandos, & in locum supplicij miserrimum (id enim teste Euthymio significant tenebrae exteriores) obtrudendos.

Infra 8. Gentium conuersio in Scripturis quomodò solet induci. Esa. 54. Rom. 10. Recumbere quid. Luc. 7. Marc. vlt. Per recubitũ cum Abrahã, & Isaac, & Iacob quid intelligendum sit. Veri filij Patriarcharum qui.

Eijci in tenebras exteriores quid. Aug. serm. 6. de verb. Do. Luc 13. Esai. 43. Trium hîc Patriarcharum Christus cur tantùm meminerit. Gen. 12. & 15. & 48. Euthy. c. 7. in Matthaeum.

Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores. Filios regni vocat Iudęos quorum patribus promissum fuit regnum Messiae: qui infidelitate sua regno se indignos cõstituerunt, iuxta illud: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis aeternae vitae; ecce conuertimur ad Gentes.* Eijci verò dicuntur, nõ quia de beatitudine quisquam eijciatur, sed quia in illud regnum non recipitur, & quia aliquo modo cadũt à iure suo, quod propter promissiones Dei in patribus suis ad illud consequendũ habebant. Per tenebras exteriores, siue vt Graecè dicitur, εἰς σκότος ἐξώτερον, de quibus hîc, & alibi Matthaeus meminit: etiam si certum sit supplicij carcerem designare: incertum tamen quid illud nomen comparatiuum, exteriores, designet. Nam B. Augustinus epistola ad Honoratum, per tenebras exteras positiuè intelligi vult infideles, qui sunt in hac vita; per exteriores verò diabolum, & angelos eos, qui infidelibus sunt peiores, & à vera luce magis elongati. In expositione verò Psalmi sexti, per tenebras exteras caecitatem mentis, in quã impij traditi sunt, vera luce mentis destituti,

Filij regni qui dicantur. Act. 13. Cur eijci dicantur in tenebras exteriores: & quae nam illae sint. Matth 22. Infra 25. Primus sensus. B. Aug. epist. 120 tom. 2. Secundus sensus. Idem tom. 8.

stituti, & extra eam positi; per exteriores verò, summam mentis cæcitatem quæ erit in damnatis, accipit. Caietanus autem accipit comparatiuum pro positiuo: vt exteriores sint externæ tenebræ, ad differentiā interiorum, quæ vt sunt spirituales, ita istæ sensibiles, & sensibili luce priuantes. Verùm fortassis simplicius fuerit agnoscere Græcam locutionem, & comparatiuum poni pro superlatiuo, exteriores nēpe pro extremis, vel extimis. Et vt nomine gehennæ significantis cruciatus damnatorum, allusit Dominus ad vallem illam filij Ennon extra Hierusalem positam, in quam omnes immunditiæ proijciebantur, & filij eorum per ignem combusti idolo offerebātur cuidam, vt alibi diximus: ita in his tenebris exterioribus significantur putei quidam subterranei sine aqua, siue foueæ profundæ, quæ angustum os habent, quarū loco carcerum vsus erat in Palæstina, & in eas noctu etiamnum reconduntur serui, ne fugiant. Et quia extra domos fabricabātur, propterea dicuntur tenebræ extremæ. Tenebræ quidem, quòd locus sit luce priuatus; exteriores verò, quod extra domum, & habitationem essent in campo constructæ, & in harum vnam proiectus est Ioseph à fratrib. suis, & Ieremias proiectus est in lacum. Vt interim omittam, quòd vt nomine lucis vel beatorum locus vocatur propter æterni gaudij amœnitatem, ita locus damnatorū propter horrorem tenebræ: Ita enim apud Tobiam dicitur: *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras*: & Iob: *Antequam vadam, & non reuertar, ad terram tenebrosam, & apertam mortis caligine; terram miseriæ, & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Dicuntur ergo tenebræ inferni obscurissimæ, & profundissimæ, exteriores, vel extremę, non tantùm comparatę ad tenebras huius seculi, siue spirituales, siue corporales, sed etiam in comparatione tenebrarum quas ibi habent purgandi. Vnde Theophylactus notauit hoc loco: *Dicens tenebras exteriores monstrauit esse pœnas quasdam tolerabiliores, & leuiores; sunt enim & in supplicijs gradus.* Et Hieronymus in illa verba Esaiæ: *Ad infernum detraheris in profundum laci*, scribit. *Qui per superbiam dixerat: In cœlum ascendam, ero similis Altissimo, non solùm ad infernum, sed inferorum vltimum detrahitur. Hoc enim significat loci profunditas, pro quo in Euangelio tenebras exteriores legimus, vbi est fletus, & stridor dentium.* Sic ille. Sunt itaque tenebræ illæ inferni priuantes luce, non solùm intelligibili Dei, sed etiam sensibili: nam etsi sit ignis corporeus in gehenna, vis tamen ominis illuminandi ab eo diuina virtute auferetur, vt docet B. Basilius in Psalmum 28. super illud: *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Et Gregorius libro Moralium tradit, quod ibi ignis, & ad consolationem nō lucet; & tamen vt magis torqueat, ad aliquid lucet. Alluditur ergo ad illas foueas Palæstinæ, & puteos subterraneos, quibus pro carceribus vti solebant: ad quod alludens Zacharias, dixit: *Tu quoque in sanguine Testamenti emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua*: & Ecclesia precatur: *De profundo lacu libera eos Domine*: & Dauid: *Eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fecis.* Et quia loca illa frigida erant, & ab omni solatio destituta; propterea dicitur ibi esse fletus, & stridor dētium. Et metaphoricè per tales tenebras extremas significatur gehennæ carcer tenebrosus, & subterraneus, & maximè distans à summa cœlorum luce, vbi sunt beati. Et cùm duplex sit pœna gehennæ, altera damni, & altera sensus, vt Theologi loquūtur: prior illa damni, quæ in priuatione beatæ visionis Dei, & consortij Angelorum, Beatorumq; consistit, significatur per tenebras exteriores, quemadmodum illi in exteriorib. delectati sunt omni interiori gaudio destituti: quia dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem, & habebant tenebras externas internis animorum illorū tenebris respondentes: Pœna verò sensus, in fletu, & stridore dentium. Nam damnati infructuosam agunt pœnitentiam, & lugent sine fructu peccata sua. Et quia frustra se vident plangere, præ desperatione & rabie in se ipsos, & in Deum concepta, dentibus fremunt, & tabescunt. Annotauit Hieronymus noster, indicasse Dominum his verbis corporum resurrectionem: quia fletus, & stridor dentium non sunt propriè animorum, sed corporum.

Et dixit Iesus Centurioni, Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora. Per internuntios hoc dixit Christus, vt dixit Lucas: qui hæc omittens, ait, quòd illi reuersi inuenerunt seruum qui languerat, sanum. Dixit ergo, vade. Amicis loquitur, quos mittit ad Centurionem, id est, Ite ad eum, & dicite: *Sicut credidisti, fiat tibi*: id est, quemadmodum credidisti me absentem, & verbo, siue imperio sanare posse, *fiat tibi.* Et loquitur more Summi Pōtificis, qui precibus iustis propositis annuere volens, ait: *Fiat vt petitur.* Quod verò dicitur: *Sanatus est puer in illa hora*, non intelligas de illa hora qua credidit Centurio, sed de hora, qua Christus hoc verbum dixit. Nam etsi fides Centurionis signum hoc obtinere promeruerit: sola tamen Christi virtus fuit caussa

Marginalia (left): Tertius sensus. — *Caietan. in Matthaeum.* — Quartus sensus. Gehenna quid denotet. — *4. Reg. 23.* — *ib. 5.* — *Genes. 37.* — *Ierem. 37.* — Beatorum locus nomine lucis cur significetur; Damnatorum verò voce tenebrarum. — *Tob. 4.* — *Iob 10.* — Tenebræ inferni extremæ multipliciter. — *Theophyl. in Matth.* — *Hier. in c. 14. Esaiæ, tom. 5.* — ... gehenna quatenus ...

Marginalia (right): *B. Basil. to. 1.* — *D. Greg. li. 9. Moral. ca. 40 tom. 1.* — *Zachar. 9.* — *Psal. 39.* — Quorsum id: Ibi erit fletus & stridor dentium. — Gehennę pœna duplex, Damni, & sensus, quænam illæ. — *Ioan. 3.* — *Psalm. 111.* — *Hieronym. in Matthaeum.* Per fletum, & stridorē dentium, quid Dominus insinuauerit, teste Hierony. — *Luc. 7.* — Cum dicitur: & sanatus est puer in illa hora, de qua hora intelligatur.

signi efficiens. Ideò factum tunc est miraculum, quando Christus dixit, & expressit, & non quando Centurio credidit: nã Christi potestas infinita, cùm nihil sit illi contrarium, vel resistens, in instanti operatur. Et quemadmodum Regulus filium suum à febri destitutum vidit eadem hora, qua Christus dixit: *Vade, filius tuus viuit*: ita illa hora, qua Christus per internuntios Centurioni dixit: *Sicut credidisti, fiat tibi*, inuentus est seruus Centurionis sanitatem recuperasse. Magnus ergo Dominus noster, & magna virtus eius: & sapientiæ eius non est numerus. Magna quidem virtus, cui nihil resistere valet, vt nec parua nebula ardentissimo Soli: Sapientia verò eius numerum nõ nouit, quæ tot suauissimos salutem nostram promouendi modos excogitauit in Christo, & per Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam, cui cum Patre, & Spiritu sancto sit gloria sempiterna, honor & imperiũ in secula seculorum, Amen.

Virtutis diuinæ proprium quid.

Ioan. 4.

Psal. 146. Magnus est Dominus, & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus, iuxta Prophetam.

1. Cor. 1.

TRACTATVS XXIII

In quo de excellenti fide Centurionis agitur, & quàm longè ab illa distet nostri seculi Hæreticorum fides.

IAM Litera expedita, respondendum est ad tertio loco propositum dubium: cur tantoperè scilicet Christus fidem cõmendet. Dicimus enim fidem dignam esse quæ omnibus laudibus celebretur, si modò rectè laudetur, vt Christus faciebat. Bonum est quidem equum laudare, quia generosus, quia intrepidus, quia cursu valet: sed nonnisi fictè laudaretur, si quis eum aut ratione, aut sermonis facultate præditũ esse contenderet. Non esset etiam vera laus Grammaticæ, asserere illam solam reddere homines doctissimos, & in omni doctrina exercitatissimos; cùm tantùm illa præstet linguarum cognitionem ad alias scientias addiscendas necessariam, sitque earum veluti principium quoddam, & fundamentum. Ad hunc sanè modũ fides principium est, substantia, & fundamentum aliarũ virtutum: sed illa sola non est omnia, quemadmodum nec fundamenta domus iacta, est tota domus. Christus ergo commendabat illam in his, qui primùm ad eũ accedebant; nam sine illa, quasi fundamento, nec parietes bonorũ operum erigi poterant, nec charitatis tectum. Paulus etiam mirificè fidem cõmendat: sed vbi illam cum charitate cõparat, illá charitati subijcit, vt facit in priori ad Corinthios. Christus ergo tantùm nouitios, siue neophytos de fide commendabat. Apostolos verò reprehẽdebat quidem si non crederent; sed de charitate, & patientia & alijs heroicis laudabat: *Vos estis*, aiebat, *qui permansistis mecum in tẽtationibus meis.* Lutherani ergo prædicantes fidem, quasi sit principiũ vitæ Christianæ, medium, & finis, fictam, & falsam fidem cõmendant: vnde mirum est, quòd se iactent de fide primitiuæ Ecclesiæ, cùm nullum fructum eorum, quem tunc fideles edebant, ista fides producat. Illa enim fides signis & miraculis illustris erat, quibus ea quæ credebant, confirmabantur; hæc autem fides noua nullum signum edere potuit. Caret etiam hæc fides martyrij gloria, qua plena erat Ecclesia primitiua: nũc verò nullus eorum, qui vt capita nouæ doctrinæ haberi voluerunt, se vlli periculo obiecit, aut pro fide quam prædicabat, occumbere voluit; cùm tamen Apostoli omnes pro nostra religione ceciderint. Habebat etiam fides primitiuorum singularem obedientiam ad Ecclesiam, etiam antequam libri canonici cõscriberentur: nunc autem cùm libri canonici sint conscripti; vt Ecclesiæ declarata sit columna, & firmamentum veritatis, quã qui nõ audit, est habendus sicut Ethnicus, & Publicanus: & Paulus definierit, *Fratres, state; & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Isti Ecclesiam, imò Christum in ea loquentem, & Spiritum sanctum eam regentem, & moderantẽ non solùm non audiunt, sed etiam erectis rebellionis cornibus in eam conspirant. Non audiunt Principes seculares, nec Imperatores; cùm tamen Paulus præcipiat: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaq; qui resistit potestati, Dei ordinatione resistit.* Ad hæc primitiuæ Ecclesiæ fides concors erat, & sibi inuicem consentiens, cùm credentium erat cor vnum, & anima vna, & Ecclesia erat tanquam Sponsa virgo, teste Egesippo: Nunc autem in summis, & ad essentiam religionis spectantibus articulis magna est inter Hæreticos controuersia: vnde natæ sunt tot sectæ, Lutheranorum, Sacramentariorum, Anabaptistarum, vel Suencfeldianorum. Certatur enim inter eos de numero Sacramentorum, de libris Canonicis: an Baptismus satis sit vnus, vel an iterandus: an in Eucharistia sit reuera præsens Christus, necne: an adorandus sit ibi: an sit idololatria inuocare Sanctos: an sit Purgatoriũ: an Romano Pontifici tanquam Christi vicario sit obediendum, & similia multa. Hæ autem rixæ, atq; discordiæ nõ fuerunt

Cur tantoperè Christus fidem commendet huius Centurionis.

Fidei excellentia.

In quibus fidẽ Christus commendaret, & Apostolus.

1 Cor. 13 & seq.

Luc 22. Fides Hæreticorum qualis quam prædicant.

Ecclesiæ primitiuæ fides ab illa Hæreticorum quantum distaret.

Secundum discrimen.

1. Tim 3. *Matth. 18* *2. Thess 2.*

Hæreticorum intolerabilis superbia, & arrogantia.

Rom 13. *Sap 6.*

Tertium discrimen. *Act. 4.*

Egesippus.

Controuersiæ Hæreticorum quales, & vnde prosectæ sint.

inter Apostolos autores primos nostræ religionis; cùm isti nec duo quidem conueniant inter se, imò nec vnus ipse sibi, quia quisque recantat. Postremò hæc fides noua consilia Christi, & promissa vota non diligit: imò primam fidem irritam fecit in multis, qui è sacro cœlibatu cōuolarunt ad impudicas, & nefarias nuptias. Non amat etiā abstinentiam, & ciborum delectum: neque sanctæ Quadragesimæ ab Apostolis, & Apostolicis viris cōmendatæ obseruantiam retinet; cùm tamen Paulus glorietur in ieiunijs multis, & castiget corpus suum, & in seruitutem redigat, ne fortè cùm alijs prædicauerit, ipse reprobus efficiatur. Hactenus ergo ostendimus, fidem nouam nihil habere commercij cum fide primitiuæ Ecclesiæ, cùm contrarios fructus atque illa produxerit.

Quartum discrimen.

2. Corint. 11. 1. Cor. 9.

Hanc fidem nouam Hæreticorum scilicet fidei Centurionis longè etiam dissimilem esse ostenditur.

Iam ostendendum est, hanc fidem nouam longè dissimilem esse fidei Centurionis tanto testimonio ob illam virtutem à Christo commendati. Primò quidem, quia isti fidem solam iactant; hæc vero Centurionis humilitate, charitate, & solicitudine salutis alienæ comitata erat, & ornata. Deinde hæc noua nullum miraculum edere potuit; hæc verò Centurionis miraculum insigne impetrauit, imò extorsit à Domino. Tertiò, fides Centurionis religiosè condebat tēpla, & ædificabat Synagogas; cùm tamen ista noua nonnisi templa destruere, & monasteria, & loca Deo dicata euertere nouerit. Quartò humilis erat fides Centurionis, diligens gentem Iudæorum, & honorans eorum seniores, id est, presbyteros: ista noua odio plus quam Vatiniano persequitur Monachos, Sacerdotes, virgines; cōtumeliosa est in Pontifices, & Episcopos, Presbyteros, Religiosos, & Imperatores, & Concilia generalia, non solùm verbis & scriptis, sed factis. Quintò, fides Centurionis certò apprehendebat absentem Christū posse sanare seruum suum: hæc autem noua fides infirma est, & imbecilla, quia non cōtenta altera specie Sacramenti, contendit etiam necessariam esse præsentiam speciei sanguinis. Quod non prouenit nisi ex defectu fidei, vel credentis Christum non integrum in qualibet specie, vel integram sanitatem, & gratiæ fructum non ita dari per alteram, quantum per vtramque speciem; vel ex infidelitate prouenit, quòd Deus Ecclesiam suam non idoneè docuerit intelligentiam huius rei. Nec vllum est Christi contra Ecclesiæ vsum præceptum. Nam illud: *Comedite, & bibite*, dictum est solis Apostolis, nihil ibi de laicis præcepit. Aliàs si dictum illud: *Et bibite*, ad laicos spectat, etiā & illud, *Hoc facite, spectabit.* Quod si hoc omnibus est dictum, cùm illis verbis Apostoli sint promoti ad Sacerdotium: erunt igitur omnes laici Sacerdotes; quod vel insanum est cogitare. Et ne quid tale crederemus, & ad solos qui aderant Apostolos, hoc dictum, *Bibite ex hoc omnes*, spectare putaremus; subiunxit Marcus: *Et biberunt ex illo omnes*: ostendens illa nocte verbum illud esse impletum, & non esse expectandū, vt in laicis impleatur.

Primum discrimen. Secundum discrimen. Tertium discrimen. Luc. 7. Quartum discrimen. Quintum discrimen. Matth. 26. Marc. 14.

Ad hæc quæstio est, an illa verba, *Bibite ex hoc omnes*, sint etiam laicis præcepta, an solis Apostolis? Hæreticus asserit, Catholicus negat. Vt ergo lis componatur, assumamus communem iudicem, quæ tantæ controuersiæ finem imponat. Ille vel erit Ecclesia vniuersa, vel eius Doctores, vel concilia Generalia. Si Ecclesia: illa à multis annis, quibus laicos in vna specie communicare consueuit, litem terminauit. Si Doctores: illi profectò, tam veteres, quàm recentiores vtriusq; communicationis, & sub altera, & sub vtraque specie, tanquam licita meminerunt. Si Concilia Generalia: en tibi concilium Constantiense, & Basileense, & Tridentinum, quæ concordi sensu, satis esse laicis sub altera specie communicare definierunt. Nec possunt caussari hæc concilia sibi ignota esse, & in prouincijs remotis celebrata: quia in ipsis visceribus Germaniæ, & celeberrimis eius ciuitatibus habita sunt. Nec possunt rursus dicere, eiusmodi decretum de communione sub altera specie, à Germanis acceptatum nō fuisse. Constat enim ex historijs, Bohemos repugnantes, ac recalcitrātes noluisse huiusmodi decretū acceptare, & ad eos tanquā rebelles, & schismaticos domandos, & decretis concilij Basileensis vt obedirent cogendos, totam Germaniam, atque eius Principes, & quidē non semel arma sumpsisse. Vt videas in quātis tenebris versentur eorum posteri in Germania. Ad hæc obijcere non valent, quod in illo Concilio Basileensi adesset Papa Romanus, qui per vim, siue tyrannidem illud condiderit Decretum. Imò in illo iam exclusus erat Eugenius, & cōtra eum Concilium procedebat, quanquàm iniuria, & contra omnem iuris ordinem: nec enim inferior in superiorē procedere quoquo modo potest. In Concilio verò Constantiensi tres Pōtifices de gradu eiecti sunt, vno Martino V. per sanctam Synodum electo. Tridētinum verò multis annis expectauit hæreticos, & illos rogauit, & solicitauit sub fide publica vt venirēt, & rationes suas proponerent. Sed nunquam tantùm veritati confisi sunt, vt ausi fuerint venire, etiā si tér

Matth. 26. Quod ijs verbis: Bibite ex hoc omnes, sumptio vtriusque speciei non sit laicis præcepta.

Concil. Constant. sess. 13. Concil. Basileense. sess. 13. Concil. Trident. sess. 23. c. 1. &c. Hæreticorum obiectionibus respondetur.

per illos ad Ecclesiam reducendos congregata sit Synodus Tridenti. Neq; postremò dicere possunt: Cõſcientia mihi dictat oppositum: ſalus mihi nõ constabit, nisi gustauero de ſanguine. His enim dicendum eſt, falſam conſcientiam ponendam eſſe: & mirabilis eſt conſcientia cõtra omnes Patres, & Concilia vniuerſalia ſentiens. Quintò, fides Cẽturionis intermedios poſuit ſeniores, & amicos, non audens ipſe præ humilitate venire; cùm tamen eſſent fide & ſanctitate vitæ longè inferiores ipſo: Fides tamen noua odit aduocatos, & mediatores, vel ipſos Sanctos, qui in cœlo iam regnant, & æterna vita perfruuntur, & qui tanto interuallo ſanctitatis & gratię apud Deum à viatoribus diſtant: quos tamen Eccleſia ab initio ſui tanquã Dei amicos, & diuos noſtros tutelares religioſè veneratur, & cùm magna reuerentia inuocat. Nec eſt diffidentia de bonitate, vel miſericordia Dei, vt Hæreticus deblaterat: quia Centurio de fide minimè commendaretur, qui interpoſuit primùm ſeniores, deinde amicos. Et Paulus ex diffidentia Dei alios, vt pro ſe deprecarentur, rogaſſet: ſed quod ſciret Deum magis propitium reddi, & magis exaudire, quo per plures & maiori cum humilitate rogatur. Nec enim ſancti ſunt interſtitium aliquod opacum, qui tegant nobis Chriſtum, ſed tanquam cryſtallum lucidum, & tranſparens, & lucem Chriſti reddens nobis magis attemperatam, vt poſſimus pro modulo noſtro cum ipſis accedere ad lucem inacceſſam. Nec ire ad Deum ſine interceſſore, facit hominẽ Deo propinquiorem: quia nõ eſt propinquitas localis. Nam etſi Phariſæus eſſet prope altare, Publicanus verò ex humilitate longè ſtaret; erat tamen Deo propinquior Publicanus: & Centurio propinquior erat Chriſto fide, quàm ſeniores, qui pro illo petebant. Ideò illi reſpondit: *Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi*; vt oſtenderet quod non tam audiuit Seniores, quàm Cẽturionem per illos poſtulãtem. Et miræ humilitatis eſt, credere à Deo ſolo donum impetrandum, ſed ſe indignũ, qui ſolus petat. Ideò etſi pij ad Sanctos priùs corpore cõfugiant, quàm ad Deum: non tamen animo, vel fide, vt conſtat in hoc Centurione, quia priùs fide peruenit ad Chriſtum, quàm ſeniores. Hinc Deus interdũ non vult audire aliquem ſolum; qui tamẽ eius interceſſores exaudit. Proinde Abimelech niſi per Abraham; & amicos Iobis, niſi per ipſum Iob exaudire voluit. Quòd ſi Deus ſubtraheret hanc gratiã orandi, & impetrandi pro alijs; videretur nobis hoc patrociniũ denegaſſe, & Sancti ipſi viderentur hac gloria in cœlo deſtitui: in quo ſicut nõ repugnat humanitati, & Angelis orare, ita nec beatis, ac Sãctis. Nec obſtat, nõ extare vllum præceptũ. Sed ſatis eſt nobis vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudo, vim habens præcepti. Eſtque res, quam ipſa ratio naturalis docuit Centurionem: & conſcientia propriam agnoſcens infirmitatem, accurrit cum timore ad eos, qui amici Dei ſunt, & gratia apud illum valent. Nec obſtat: *Vnus eſt mediator, &c.* Quia etiam dicitur: *Fiet vnum ouile, & vnus paſtor.* Vt enim vnitati paſtoris non aduerſatur, quòd Pontifices, vel Epiſcopi ſint paſtores, qua voce eos dignatur Scriptura; ita vnitati Meditatoris non repugnat alios eſſe mediatores, ſiue aduocatos, ſub illo tamen, & propter illum, vt ſic omnis virtus intercedendi, atque impetrandi redeat ad Chriſtũ Dominum.

Quintum diſcrimen fidei (id eſt perfidiæ) Hæreticorum ab illa ſancti Centurionis.
Luc. 7.
Sancti quale officium nobis præſtent apud Deum.
1. Tim. 6.
Luc. 18.
Supra 7.
Matth. 8.
Miræ humilitatis documẽtum.
Geneſ. 20.
Iob vlt.
Quàm leue ſit quod Lutherani obijciũt: vbi iubemur ad Deum per alios accedere patrocinij gratia.
Id etiam Vnus eſt mediator, &c. minimè illis patrocinari.
1. Tim. 2.
Ioan. 10.

Sextò, fides Centurionis talis fuit, vt etiam ſerui neſcientis, quia infirmabatur, ſalutem impetrauerit: & alibi fides baiulorũ ſanitatem impetrauit paralytico. Quomodò ergò Lutherani docent Sacerdotum, vel Monachorum diuina officia, quę per horas ſingulas præſtant, nõ iuuare Eccleſiam, aut eius membra; cùm Cẽturio orans pro puero, ſit exauditus, & Seniores orantes pro Centurione? Ad hæc, quid mirum ſi proſit fides aliena pueris infantibus dũ baptizantur; Secta autem Anabaptiſtarum, quæ filia eſt Lutheri, non credit fide aliena pueros iuuari, & regenerari, ſed opus eſt fide propria? Lutherani autem contra omnem ſenſum & rationem nõ verentur aſſerere, pueros propriam & actualem fidem habere. Quòd ſi Lazaro ignorante, & filia Chananææ neſcia, & puero Centurionis minimè cognoſcente, tantùm valuerunt orationes ſororũ Lazari, & matris Chananææ, & Cẽturionis, quantò magis veriſimile eſt, Sanctorum preces efficaces eſſe apud Deum in Eccleſia, vt regenerẽtur infantes, & vt multa nobis prorſus, nihil minus putantibus, à diuina maieſtate obtineantur beneficia?

Sextum diſcrimen fidei Centurionis ab Hæreticorum illa.
Matth. 9.
Impia Lutheranorum, & Anabaptiſtarum dogmata.
Luc. 7.
Ioan. 11.
Matth. 15.

Septimò, fides Centurionis, id eſt, Spiritus renouati, qui dicit voluntate diligenti, Vade, & vadit: & intellectui veritatẽ quærenti, Veni, & venit; ſanauit ſeruum ſuum, hoc eſt, carnem infirmã, & iacentẽ in lecto, & grauatam paralyſi ſenſus tollentis apprehenſionem bonorum ſpiritualiũ, & motum bonorũ operum, & dantis tremorem membrorum, vbi non eſt opus, iuxta illud: *Trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Et malè torquetur, vbi audit, eſſe orationi & ieiunio vacandum, aut confeſſioni peccatorum incumbendum, aut inimico ex corde remittẽdum, aut ꝙ malè ablatũ eſt, reſtituẽdum.

Septimum diſcrimen.
Pſalm. 13.
Carnis ingeniũ corrupta.
Matth. 5.

Non enim libenter caro ad opera Dei præstanda deseruit, sed instar paralytici läguet, & malè torquetur. Sed Dominus ad preces Centurionis promittit se venturum in resurrectione, in qua omninò sanabitur omnis nostra paralysis, & extinguetur omnis prauus motus concupiscentiæ, & reformabitur corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Sed interim oportet precibus instare apud Dominum, vt vel verbo tantùm dicat, id est, imperet, & gratia sua adiuuet. Atque ita sanatur puer in illa hora, & incipit caro spiritui libenter inseruire, & implet verbum Apostolicum: *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra, seruire iustitiæ, in sanctificationem.* Fides tamen noua ponit insanabilem sensus concupiscentiam, & necessaria carnis, & continua peccata: ad ieiunia, & continentiam, quam exhorret, paralytica est: ad fructus bonorum operum edendos, quæ ad salutem necessaria esse denegat, infirmitatem carnis obtendit: ad extinguendum fomitem sensus non laborat, neque Dominum deprecatur. Ideo eiusmodi fides iacens est, id est, torpida, & otiosa: paralytica est, & vitam sensus, & motus non habet. Et malè torquetur, dum à nobis per Scripturas impugnatur: & malè torquet habentem illam, quia cum ea Satanas stare potest: & de ea Christus dicet, Non inueni tantã fidem in Israel. Hæc ergo nomen tantum fidei habet, vim & energiam non habet. Proinde falsam sanitatem præstat, falsum Christum prædicat, falsum spiritum donat, falso Scripturæ intellectui innititur, falsam Ecclesiam efficit: & ideo à nobis cauenda, vitanda, atque imitãdus Centurio.

Philip. 3. *Rom 6.* Hæreticorum fides quam sit paralytica.

Vltimo loco docet nos Centurio modum ingrediendi in Christi politiam, & regnum. Nam vt olim omnes nobilitatem ciuitatis Romanæ affectabãt, quemadmodum Tribunus ille, qui magna pecunia illã redemerat; & Paulus bis eo se nomine defendit, quòd ciuis esset Romanus: quantò magis nos fieri ciues nouæ, & cœlestis Ierusalem, id est, Ecclesiæ, ambire debemus? Cuius notas, signaque discimus à Centurione Romano. Prima nota est fides de qua laudatur, per quã agnoscimus antiquitatẽ, nobilitatem, sapientiam, fortitudinẽ, concordiam, lætitiam: & communem rerum omnium abundantiam ciuitatis Ierusalem, id est, Ecclesiæ Catholicæ intelligimus. Præterea, quod Christus sit eius caput, & rector; doctor, & consolator Spiritus S. muri eius, Angeli, Lex, Euangelium; ciues nobiliores, omnes iustificati, & renouati; præmia in æterna vita reposita, & pœnæ suppliciorum in gehenna sine fine permanentium. Et fides hæc esse debet de omnipotentia Verbi contra omnes tentationes, & scrupulos Fidei: debet esse clypeus cõtra omnia peccata, & contra dæmones ad illa excitantes. Hæc tribuit spem, & magnanimitatem in petẽdo consolationẽ in aduersis, & temperantiam in prosperis. Secunda nota est, quærens quæ aliorum sunt, de qua dixit Christus: *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem.* In hac insignis fuit Centurio quærens salutẽ serui sui. Et ita in hac ciuitate magna est virtus amoris reddens illam inexpugnabilem: nam propter decem iustos Deus saluat totam ciuitatem. Tertia nota est humilitas, quæ facit vt quisque se hominem agnoscat. Vnde dicebat Centurio, *Nam & ego homo sum:* id est, agnoscens quid ex natura mea & viribus possim. Hæc etiam humilitas alios admittit deprecatores: ita Centurio se indignum, qui peteret, reputabat, qui ad Christum, vel ad quẽ Christus veniret, & ad quem omnes qui dona nobis Dei conciliare volumus, respiciamus. Quarta nota, est orationis virtus, qua dona nobis necessaria petamus, & quæ semel cõsecuti sumus, seruemus. Et debemus pro alijs non minus quàm pro nobis ipsis preces fundere, & dicere, Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Quisque enim à via mandatorum declinans, puer est, ignorans est, & lasciuiæ carnis deditus, & iacet in lecto peccati, & grauiter torquetur, tum ob periculum gehennæ, tùm ob perturbatam & sæua præsumentem conscientiam de peccatis: & iacet in domo corporis lutea per carnalem concupiscentiam, de qua Iob, *Quanto magis hi qui habitant domos luteas, &c.* domo ædificata super arenam per inconstãtiam; ideò venti flãtes eam subruunt: denique in domo carceris, in qua quasi vinculis quibusdam animus inclusus retinetur, de qua Apostolus: *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et Dauid: *Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo*, siue, vt alia lectio habet, *Educ de carcere animã meam.* Iacet etiam paralyticus, qui ad diuina opera debilis est, & languidus, & qui timet propter Dei seruitium omnibus huius seculi delectationib⁹ priuari. Sed hanc precationem in fide fusam plerunq; Deus exaudit, & Centurio obtinet sibi subditorum sanitatem mẽtis, & corporis eorum incolumitatem, iuxta illud: *Orate pro inuicem vt saluemini.*

Hic Centurio, cuius seruum, paralyticum Dominus sanauit, quid doceat nos. *Actor. 22.* *Ibidem.* *Supra 16.* Nota, insignia ve cœlestis Ierusalem, id est Ecclesiæ, cuius ciues esse debemus quæ sint. Prima nota. Secunda ratio. *Ioan. 13.* *Gen. 18.* Tertia nota. *Matth. 8.* *Luc. 7.* Quarta nota. A via mandatorum Dei declinans, quam puer ille sit. *Sap. 17.* *Iob 4.* *Matth. 7.* *Rom 7.* *Psalm. 141.* Iaceat quis in domo paralyticus. *Iacob. 5.*

Postremò, legibus Romanis cautum erat,

Quarta nota.

Olim ciuilitatem qui amitterent Romanam.

erat, ne quisquam ciuitate Romana donatus, alibi fieri posset ciuis: quòd si alterius vrbis ciuis fieri contenderet, ciuilitatem Romanam amitteret. Nam ob eam causam Pomponius Atticus Atheniensium ciuilitate oblata donari noluit, ne Romanam perderet: vt testis est Cornelius Nepos in eius vita: & Cicero Archiam Poëtam, quòd cùm esset ciuis Romanus, alterius ciuitatis nobilitatem acceptauerit: quòd id certis de causis factum esset, defendit. Ita omnis Christi cultor, & Ecclesiæ filius, qui ciuis huius mundi esse contendit, ciuilitatem iustorum Ecclesiæ amittet, & fiet exul, & extorris perpetuò, vt frater Domini dixerit: *Adulteri, nescitis quia amicitia huius mundi, inimica est Dei?* Quicunque ergo voluerit amicus esse seculi huius, inimicus Dei constituitur. Contendamus igitur cum Centurione ita bonam militiam militare, vt ab hac ciuitate militanti proficisci mereamur ad illam triumphantem, in qua omnes coronantur, qui legitimè certarunt, Præstante Domino nostro Iesu Christo, Dei Patris virtute, ac sapientia, in vnitate sancti Spiritus, per omne seculum, Amen.

Corn. Nepos.

Ecclesiæ quinam ciuilitatem amittant infelices.

Iacob. 4.

Bonam cum Centurione militiã quando militabimus.

2. Tim 2.

1. Cor. 1.

TRACTATVS XXIV.

De signo resuscitati filij viduæ: & habetur tantum Lucæ 7.

De ordine narrationis.

POST Miraculum sanati serui Centurionis nihil sequitur, quòd immediatè præcedentibus sit subijciendum: nam quæ apud Matthæum sequuntur, vt non narrantur cum ordinis alicuius ad superiora consequentia, ita ante sermonem illum prolixum in monte habitùm contigisse, priùs est probatum: narrantur tamen à Matthæo post sermonem illum in monte ob id, vt videtur, vt multis miraculis Christi doctrinam ante omnia miracula à se descriptam comprobaret legentibus. Lucas verò post miraculum curati serui Centurionis aliud miraculum subijcit, cùm consequentiæ significatione, dicens: *Et factum est; deinceps ibat Iesus in ciuitatem quæ vocatur Naim.* Ideo hoc miraculum, præcedens consequi debuit. Euangelium hoc neque longum est, neque obscurum, nec ab alio, quàm à solo Luca enarratum: quemadmodum Lazari suscitati Euangelium longum est & altum, & à solo Ioanne descriptum: Suscitatio verò filiæ Archisynagogi à tribus prioribus Euangelistis est conscripta. Et quia in hac suscitatione corporea à morte naturali, designata est spiritualis animæ nostræ (nam in hoc apparuit Filius Dei, vt dissoluat opera diaboli: peccatum autem, & mors ex diabolo sunt: imò vt per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, vt Scriptura testatur) propterea post sensum literalem expeditum, mysterium spirituale in hac litera comprehensum explicabimus. Ibat ergo Iesus, officium, munusque suum exercens, nempè ad Euangelizandum regnum Dei: nam & ipse dixit turbis eum detinere volentibus: Et alijs ciuitatibus oportet me Euangelizare regnũ Dei: quia ideo missus sum. *In ciuitatem quæ vocatur Naim.* Cuius, ob euidentiam historiæ, fit mentio. Et hanc ciuitatem tradit B. Hieronymus libro De locis Hebraicis, suo tempore fuisse superstitem, duobus milliaribus infra montem Thabor Meridiem versus, nõ procul à villa dicta Endor. Erat autem posita in sorte Zabulon. Venit autẽ ex ciuitate Capharnaum, vbi seruum Centurionis sanauerat ad eius fidem & preces. Vide autem signorum editorum mirabilem ordinem. Ne quis enim diceret parum fuisse verbo, & tactu sanare lepram, morbum natura incurabilem; adiecit quod maius est, quia solo verbo absentem sanauit seruum Centurionis, iam moriturum, & animam agentem; & rursus obijceret parum esse infirmitatem ad sanitatem restaurare; fortè enim si mortuus fuisset, ad vitam reuocare non potuisset: subiungitur maius opus, id est, suscitatio adolescentis, & hoc minimè rogatus; vt ostenderet se Dominum vitæ, & mortis. Et pulchrè hòc fecit in Naim; vt non solum prædicaret, sed rem iocundam, ac delectabilem etiam faceret, factúmque responderet vrbis appellationi. Naim enim, iocundum, ac delectabile significat. Ibat ergo, qui vbique est, & qui omnia implet; & qui per naturam immobilis est, factus mobilis per assumptã Humanitatem. Ibat, vt medicus quærens infirmos; & vt pastor quærens ouem errantem; & vt doctor sparsurus semen Euangelicæ doctrinæ in terram bonam.

Matth. 5.

Ioan. 11. & seq.
Matth. 9.
Marc. 5.
Luc. 8.

Filij viduæ suscitatio cuius rei typus fuerit.

1 Ioan. 3

Peccatum & mors vnde sint.

Rom 5

Christus quod munus & officium exercebat.

Luc. 4.

Ciuitatis Naim cur meminit Euangelista.

B. Hier. to. 3

Naim situs.

Luc. 7.

Ordo signorũ Domini mirificus.

Filium viduæ Christus cur suscitauerit in ciuitate Naim.

Ierem. 23.

Christus quomodo ibat in ciuitate Naim.

Matth. 9.
Luc. 15.
Matth. 13.

Et ibant cum eo discipuli eius. Vt in eo cernerent, addiscerentque magisterium, quo ipsi post mortem, & ascensum Christi in cœlum vsuri erant prædicantes per vniuersum orbem, & sanantes. Vt ergo stellæ quædam nobis Solem sequi videntur, ita discipuli Christum: & vt dicitur in Prouerbijs: *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit.* Et quia Græcè dicitur, *Ibant cum eo discipuli*

Quare cum Christo ibant discipuli eius.

Prouerb. 13.

eius

Quinam illi discipuli.

eius multi: non cogimur vocem illam discipulorum restringere ad duodecim Apostolos, sed etiā ad septuaginta, & ad alios multos, qui iam in Dominum crediderant. Multi ergo; quia nō omnes Christum consequebantur ob eorum magnum numerum.

Cur ibat etiā cum illo turba copiosa.

¶ *Et turba copiosa.* Aliqui vt sanarentur à morbis; alij verò, vt sanati gratum animum tantopere de se benè merēti testarentur; alij doctrinæ esca illecti; alij denique ex curiositate; & Christus omnes virtute sua trahebat, vt testes essent tanti miraculi, & suscitarentur in anima spiritualiter à Christo.

Cùm autem appropinquaret portæ ciuitatis. Loco celebri, & insigni, in quo habebātur conuentus forenses. Sed illum locum illustriorem signū reddidit; ne quisquā causetur in angulo, aut in obscuro loco factū.

Agens vt agat, quid necessario requirat.

Ad hoc autem vt agens agere possit, necessaria est eius quod patitur, appropinquatio ad virtutem agentis. Quod fit, vel accessu eius quod patitur, ad agēs; vel accessu agentis ad id quod patitur. Primum autem hîc esse nō poterat, quia defunctus erat, & impotens ad accessum: ergo necessarium fuit secundum, vt Christus appropinquaret ciuitati, & mortuo.

Christi qualis fuerit occursus cum filio viduæ defuncto.

Ecce defunctus efferebatur. Pulcher hic fuit occursus vitæ & mortis, misericordiæ & miseriæ, salutis & perditionis, sapientiæ cum ignorantia, gloriæ cū dedecore, libertatis cum seruitute.

Simile.

Vt ergo cùm sibi occurrunt aqua & ignis, pugnant inter se, sed qui fortior est, vincit: ita Christus, qui vita est, vincit mortē, & qui infinitus est, infirmitatem vincit, pellit miseriam, liberat à seruitute.

Ioan. 14.

Mors & peccatum quomodo infinita sint.

Et quanquam mors, & peccatum suam habeant infinitatem: vincit tamen Christus, cuius infinitas positiua est, sicut peccati, & mortis priuatiua quodammodò hoc est ratione obiecti quo priuat. Longè autem præstat priuationi habitus. Est autem obseruatum in quibusdam prouincijs; vt cùm damnati ducuntur ad supplicium, si forte occurrant Regi, continuò intelliguntur liberati à morte ex lege, vel consuetudine. Quanto ergo iustius peccatores cùm per orationē occurrunt Christo Regi regum, vt continuò censeantur diuino beneficio à crimine liberandi?

1. Tim. 6. & alibi.

Efferre quid sit.

Gentiles & Iudæi defunctorum corpora cur extra vrbē de more sepelirent.

Ioan. 11.

Infra 19.

Pondera iam verbum *Efferebatur.* Est enim efferre, extra ferre: nam olim defuncti extra domum, & ciuitatem tam Gentiles, quàm Iudæi sepeliebantur, ne videlicet ex putrefactione cadauerum habitatio hominum inficeretur. Hinc Lazarus, & iste adolescens extra ciuitatem, quemadmodum etiam Dominus ad sepulturam ducti sunt. Per Italiam etiam multa extant monumenta sepulchrorum, quæ sparsim per agros visuntur, quæ nobis testantur antiquam illam sepeliendi rationem à Romanis fuisse obseruatam: & fortassis id olim secreto mysterio fiebat, ad significandum quod vt ab vrbibus corpora, ita à cœlestis gloriæ ciuitate animæ separabantur, donec Christus captiuam duxit captiuitatem.

Psalm. 67.

Ephes. 4.

Quare Christiani, eo Gentilium more extra ciuitatē non sepeliantur.

Dices ergo; Cur hodie inter Christianos hic mos non obseruetur, quibus præsertim à Domino præcipitur odisse, & macerare carnem, & crucifigere corpus? Respondeo in primis, probandum non esse morem illum belluinum à quibusdam Gentibus obseruatum, de quo Cicero lib. Tusculanarum Quæstionum, & Hieronymus libro aduersus Iouinianum. Nam Lotophagi suos mortuos in mare proijciebant: Bactri canibus, quos ærario publico ad hoc alebant: Massagetæ verò ipsi comedebāt: Tybareni patibulis appendebant: Romani multo tempore corporis combusti cineres reponebant in vrna.

Cicer. lib. 1. Tuscul. qq.

Hieron. lib. 2. aduersus Iouinian. to. 2.

Varij Gentilium ritus sepeliendi, vt belluini damnantur.

Prima ratio sepeliendi Christianos intra vrbem, & in cœmeterijs.

De Christianis verò respondemus hoc non fuisse consuetum. In primis ob Christi honorem: nam corpora Christianorum, eo quod Sacramentorum Baptismi, sacri Chrismatis, Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis capacia fuerunt, & tanquam membra Christi viua, & templa Spiritus sancti, & vasa honoris extiterunt; ideo nō eijciuntur extra Ecclesiam, sed in templo, aut loco sacro ad id deputato sepeliuntur.

1. Cor. 6.

Supra 3.

Rom. 9. & 2. Tim. 2.

Secunda ratio

Deinde defunctus adhuc participat de bonis quæ fiunt in Ecclesia, si forte egeat (nisi sit excommunicatus, cui interdicitur sepultura in loco sacro) ideo pro eis òramus, & suffragia eleemosynarum, & sacrificiorum, & ieiuniorum impendimus. Etsi enim mortui sunt secundū carnem, viuunt tamē secundum spiritum: nam *Qui credit in me,* ait Dominus; *etiamsi mortuus fuerit, viuet.*

Ioan. 11.

Quid faces, & candelæ funeribus fidelium adhibitæ.

Ob hanc causam cadauera Christianorum facibus, & candelis accensis ad sepulturam deferuntur, ad significandā fidem, & charitatem, in qua mortui sunt.

Tertia ratio.

Tertiò prodest nobis in templis sepeliri; vt memoriam refricemus instantis nobis mortis, & resurrectionis æternæ vitæ: nam magnificabitur Christus in corporibus nostris, siue per vitam, siue per mortem, vt Apostolus inquit.

Philip. 1.

Hæretici cur sepeliantur extra templū seu locum sacrum.

Hæretici tamen hodie extra templa sepeliuntur asini sepultura: quia nec templa Dei sunt, cùm sint excommunicati; nec pro eis est orandum, qui extra fidem moriuntur. Nec qui à fide Catholica dissentiunt, debent humari cum Catholicis, & antiquis Patribus,

cum

cum quibus in fide non consentiunt. Nec expedit, vt vlla hominũ hæreticorum memoria apud nos extet, sed magis, vt æterna obliuione sepeliantur.

Catholicorũ ambitiosus ac minime ferendus in templorũ parietibus sepeliendi mos ille damnatur.

Illud certè apud Christianos ambitiosum est,& minimè ferendũ, quòd iam non contenti in templi pauimento humari, sepulchra erigimus in templi parietibus, & interdù super ipsis altaribus,& super ipsum Sanctum Sanctorum. Quasi ea ratione nõ reuertamur in puluerem, sed in aërem, vel ignẽ resoluamur; aut quasi imitari velimus ambitiosissimas, & superbas Ægyptiorum pyramides, & in hoc solum inuentas, vt in memoria hominũ viuamus, & inanis gloriæ vento pascamur. Sed benè est. Audio iam hæc monimenta, vanitatis,& ambitionis plena, per Pontificis summi diligẽtiam euerti mandata fuisse & magna ex parte executioni mandatum in Italia.

Cur filius viduæ defunctus dicatur filius vnicus matris suæ.

Filius vnicus matris suæ: & hæc vidua erat: Expende causas doloris, quæ erant in hac misera, afflictaque vidua. Nam in primis filium amiserat, quem mater omnibus caris, & pretiosis anteponit, neque tanto amore diliguntur, aut fratres, aut sorores, aut parentes: vnde ille dixit:

Virgil lib. 1. Æneid

Omnis in Ascanio chari stat cura parentis.

Vnde fit, vt filij magis, quã filiæ diligãtur.

Magis etiam filij, quàm filiæ diliguntur, propter perfectiorem sexum. Deinde erat vnicus, seu vnigenitus: nã quãdo plures filij sunt, amor spargitur,& vno mortuo, nõ ita vehementi dolore discruciantur parentes, quia manent alij: at quando nõ est nisi vnicus, totus amor,& spes in eo collocatur,& inde ratio summi doloris, & planctus cõficitur: vt quasi summũ dolorem exprimere volens, dicat Scriptura: *Plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti:* & iterum, *Luctum vnigeniti fac tibi planctũ amarum:* Erat etiam vnicus matri suæ, non patri suo defuncto. Nã fœminæ ardẽtius amant, quàm viri: quia filios nouem mensibus gestant, cum dolore parturiunt, & proprio lacte ad tempus nutriunt. Est etiam plus certa de prole quòd sit filius suus, quàm pater. Ad hæc mater eius vidua erat: nam vxorata, & habens maritum, spem cõcipiendi habuisset,& pariendi alium. Solent etiam viduæ sese consolari de morte mariti præsentia filij relicti. Postremò erat adolescens, & in ipso flore iuuentæ ereptus, neque relinquebat matri nepotem, qui posset esse illi solatio, sed priuata erat omni spe posteritatis, & iuuenis dicere poterat: *Ego dixi in dimidio dierum meorum, Vadam ad portas inferi.* Et ita vndique erat hæc vidua miserabilis: ad cuius commiserationem, & miseriæ subleuationem viscera Christi meritò commota sunt. Et vide Dei consilium: primò viduæ præripuit maritum, deinde filium: quia fortasse diuinæ legis, ac ipsius Dei in illis duobus amandis & fruendis nõ recordabatur, & fortassis in illis totã suam spem collocabat. Sed illis ablatis è medio, ipsa cõuersa est ad Deum diligẽdum, in eoque spem suam totam reponendã agnouit. Quæ ergo coniugatæ sunt mulieres, & filios habent, ad vtramque fortunam se præparent, si Deus velit, vt tela præuisa eas minus feriant.

Zach. 12.

Ierem. 6.

Matres quàm patres filios cur ament ardentiùs.

Esai. 38.

Quid quod hæc vidua virum luxit, ac filiũ amiserat.

Cur hic adolescens immatura morte præuentus sit, cũ iuxta Iob, certi humanæ vitæ termini à Deo præscripti sint.

Sed miraberis fortasse, quòd hic adolescens immatura morte sit præreptus, cùm scriptum sit: *Constituisti terminos eius, qui præteriri nõ poterunt.* Verùm cessabit admiratio, si consideres, Deum posuisse periodum, & metam vitæ nostræ secundùm ordinem secundarum causarum, id est, ignis, aëris, aquæ, & terræ, vel, quod idem est, choleræ, sanguinis, phlegmatis,& melancholiæ: atque hæ quatuor qualitates in continua pugna sunt inter se, quæ præscriptam durationem habent.

Iob. 14.

Dictum illud Iob: Constituisti terminos eius qui præteriri non poterunt, quẽ sensum habeat.

Quod ergo dicitur à Iob: *Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt,* de ordine naturali in causis secundis posito sermo est: quem prorogare quidẽ est impossibile naturæ, imminuere verò facile; vt cum mors violenta casu infertur. Deo verò, cùm vult, liberum est prorogare, vt cum Ezechia orante, & Niniuitis pœnitentibus,& istis à Christo suscitatis Dominus fecit: sed non ordine naturæ, sed alio superiori, & supra naturam sibi seruato fecit. Nam vt summus Pontifex, & Imperator communes quidẽ ordines Magistratibus suis, & Iudicibus præscribunt, secundùm quos iudicare debeant; habent tamẽ penes se alium ordinem, quo possunt etiam supra communem ordinem operari: vnde & de Pontifice Romano dici solet, quod de iure supra ius dispensat: Ad eum modũ cum natura vita Ezechiæ esset completa, & oleum humidi radicalis consumptum, potuit Dominus, naturæ author, & institutor, oleum aliud addere, & vitam eius prorogare, vt fecit. Medicus verò tantùm est minister naturæ, & humores peccantes ad ordinẽ vitæ congruum redigit, ne ante tempus extinguatur lucerna vitæ. Nam quemadmodũ qui lucernam nõ addito oleo mundat, & purgat, tempus quidẽ lucendi nõ producit, sed tantùm præstat, vt quamdiu est oleum, luceat: ad eum modũ medicus purgat,& corrigit humores, ne vita ante tempus à natura præscriptum abrumpatur. Potest etiam Deus abbreuiare vitã hominis: vel ob bonũ eius, iuxta illud: *Raptus est, ne malitia mutaret*

4. Reg. 20. & Esai. 38. Iona 3.

Romani Pontificis, & Imperatoris, Regisue potestates duæ.

Medicus minister naturæ est tãtum, non Dominus.

Vitam abbreuiet cur Dominus.

Sap. 4.

taret

taret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius; vel ob malum ab ijs auertẽdum, ſecundùm id: *Viri ſanguinum,& doloſi non dimidiabunt dies ſuos.* Poſſumus etiam & nos vitam abrumpere per mortem violentam, ſed illam quæ à natura pręſcripta eſt prorogare, nequaquam præter Deum naturæ autorem. Timeant ergo mortem & boni, & mali, & iuuenes & ſenes; & ſani & infirmi. Senibus enim mors eſt in ianuis, adoleſcentibus in inſidijs. Et quemadmodum triremis quæ alteram inuadit, melioris eſt conditionis, deterioris quæ inuaditur: ita nos ſi ſapimus, mortem aggrediamur, & mundo moriamur, antequam illa nos incogitantes aggrediatur, ne illa de nobis, ſed nos de illa triumphum agamus: nam pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorũ eius. Nam hæc eſt mors pretioſa Sanctorum, ſi ſeculo huic, & omnibus eius delicijs præmoriantur, & libenter, ac cõſtanter expectent mori pro Domino.

Pſalm. 54.
Omnibus timenda mors eſt.
Pſalm. 115.
Mors pretioſa Sanctorum quæ.

Et turba ciuitatis multa cum ea. Videtur fuiſſe ex matronis illius ciuitatis inſignis, & diues, cuius filij funus magno comitatu proſequebantur. Quod etiam Deo volente factum eſt, vt plures adeſſent ſpectatores tãti miraculi, & ad fidem in Chriſtum, vt Meſſiam excitarẽtur. Placent ergo Deo, qui cõducunt funera ad ſepulturam: cuius rei gratia magnam laudem Tobias in Veteri teſtamento eſt cõſecutus; in Nouo verò Nicodemus, & Ioſeph Arimathienſis. Ægyptij etiam permulti comitati ſunt Ioſeph deducentem oſſa patris Iacob in terram Chanaan. Qui etiam ſepelierunt Stephanum, & fecerunt planctum magnum ſuper eum, viri timorati dicuntur in Actis Apoſtolicis. Commendãda eſt etiam pompa funeralis, moderata tamen, & honeſta, non ambitioſa, aut ſuperflua. Hieronymus in vita B. Malchi ſummè commendat formicas, quę mortuas inter eas ſepulturæ tradunt. Quid quod hoc opus charitatis memoriam mortis renouat, ad pœnitentiam, & vitæ emẽdationem adducit, & ad reſurrectionis fidem excitat?

Sepelientium mortuos Deo gratum officium.
Tob. 12.
Luc. 23.
Gen. vlt.
Actor. 8.
Qualis tãtùm funeralis põpa laudabilis.
B. Hieron. to. 1. ſub finem.
Formicarum pietas.

Quam cùm vidiſſet Dominus. In Scripturis ſolus Dominus, & à ſe, & à Sanctis dicitur abſolutè Dominus: vnde apud Eſaiam: *Ego Dominus, & non eſt alius*; & Dauid, *Dominus nomen illi.* Indicatur ergo hoc verbo verus Deus. ¶ *Miſericordia motus ſuper eam.* Significantius aliquid dicitur in Græca litera; dicitur enim ἐσπλαγχνίσθη, id eſt, *Ex intimis viſceribus miſertus eſt illi.* Et quidni miſeretur, quam tanta turba hominum commiſerabatur? Et qui quatenus Deus eſt, filius erat Patris miſericordiarum in ſe, & qui Deus eſt totius conſolationis: cui non minus propria eſt miſericordia, quàm cœlo circumuolui, Soli illuminare, homini ridere, aui volare, & lapidi ad centrum deſcendere: Imò multò magis: quia hoc illis accidit, Deo verò eſſentia eſt, & de quo canimus: *Deus, cuius proprium eſt miſereri ſemper, & parcere.* Et alienum opus ab eo eſt punire. Quatenus verò homo eſt, filius eſt matris pientiſſimæ Mariæ, & matris miſericordiæ. Vnde tenerum, & commiſerationis plenum cor ad omnia mala, ſiue temporalia, ſiue ſpiritualia ſubleuanda gerebat Dominus, de quo ait Propheta: *Factum eſt cor meum tanquã cera liqueſcens in medio ventris mei.* Nam ſi Paulus Chriſti Spiritus particeps confidenter dicebat: *Quis infirmatur, & ego nõ infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Quantò magis Domini noſtri cor propenſum erat ad ſentiendũ alienas calamitates, atque illas ſubleuandas, eorũ inquam, qui afflictam vitam agunt, quales ſunt viduæ, de quibus Ieſu filij Sirach ſentẽtia eſt: *Non deſpicias preces pupilli: nec viduam, ſi effundat loquelam gemitus. Nonne lachrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt, & exclamatio eius ſuper deducentem eas? A maxilla enim aſcendunt vſq; ad cœlum, & Dominus exauditor delectabitur in illis.* Viduæ ergo lachrymæ, & voces, quas impotens dolor ſuggerebat, & præmaturus adoleſcentis interitus, & deſiderium communicandi vitam ſpiritus omnibus ad patrandum miraculum, etiam non expectatis viduæ precibus, nec rogatum prouocarunt. Et in Chriſto, qui eſt imago Dei, exprimuntur affectus, quos Deus Pater erga homines afflictos, & oppreſſos gerit, quibus, nõ expectatis eorum precibus, beneficium confert. Hinc per Eſaiam pollicetur: *Eritq; antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam.* Et infrà: *Ad quem reſpiciam niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?*

Sepeliendi mortuos piũ officium quã præſtet vtilitatem.
Eſai. 45.
Pſalm. 76.
Meſſias vnde verus Deus, meritò cenſendus.
Quare Chriſtus hanc viduam commiſeratus ſit.
2. Cor. 1.
Ibidem.
Quam proprium Dei & Chriſti opus miſericordia.
Alienũ quod nam opus ſit Deo.
Quale cor Chriſti teſte Propheta.
Pſalm. 21.
2. Cor. 11.
Genus hominum quodnã cõmiſeratione digniſſimum.
Eccl. 35.
Coloſſ. 1.
Dei erga miſeros paterna viſcera per Chriſtum effuſa, ac declarata.
Eſai. 65.
Infra 66.

Dixit illi, Noli flere? Non ſimpliciter prohibet Dominus fletum, qui magna ex parte naturalis eſt, & à ratione non alienus, ſi moderatus ſit: Nam vt quidam dixit:

Quis matrem niſi mentis inops, in funere nati
Flere vetat?

Deinde, quia ſcriptum eſt: *Supra mortuum plora; deficit enim ſenſus eius.* Et iterum: *Fili in mortuum produc lachrymas, & quaſi dira paſſus incipe plorare.* Infrà tamen adiungit, ob ſpem reſurrectionis, & ob mortis neceſſitatem, & lachrymarum inutilitatem, & detrimentum vitæ, dolorem temperandum: *Ne dederis in triſtitia cor tuum, ſed repelle eam à te, & memento nouiſſimorum. Noli obliuiſci: neq; enim eſt conuerſio* (ſiue vt Græcè habetur: nec

Hanc mulierem Dominus flere cur vetet.
Ouid. lib. 1. Remed. am.
Eccl. 22.
Infra 28.
Luctus mortuorũ immoderatus cur vetitus à Sapiente.

enim

Ἐπάνοδος. Græcè quid.
2. Reg. 12.
Prouerb. 17.
Fletum pro mortuis commendabilem, quorum doceant exempla Sanctorũ.
Gen. 23.
Infra 50.
Deut. 34.
2. Reg. 1.
Ioan. 11.
Marc. 7.

enim reuersio, vel reditus à morte, id est, ad vitam; id enim significat ἐπάνοδος. Ideo Dauid de infante mortuo dixit; *Ego vadam magis ad eum; ille verò non reuertetur ad me) & huic nihil proderis, & te ipsum pessimabis, id est, lædes, siue malis afficies: quia spiritus tristis exsiccat ossa.* Adhæc exempla Sanctorũ Patrum fletum pro mortuis commendant. Nam Abraham septem diebus fleuit mortẽ Saræ vxoris: mortem Iacob, Ægyptij septuaginta diebus deplorârunt: filij Israel Moysen triginta fleuerunt: Dauid, Saulis, & Ionathæ mortem planxit ipse, & carmine lugubri composito plangendum filijs Israël tradidit: Christus Dominus fleuit in suscitatione Lazari, ingemuit in curatione surdi & muti, apud Marcum.

Solutio quæstionis propositæ.

Quod ergo dicitur, *Noli flere:* Christus prohibuit fletum, quia suscitaturus erat. Et ideo Hæretici, qui ex hoc loco colligunt non esse deflendos mortuos, si possunt ipsi eos suscitare, antequàm sepeliantur, vt hic Dominus fecit, possent fletum prohibere. Noli ergo flere, id est, Desiste à fletu eius, quem modò viuum recipies. Atque his verbis accepit fidem miraculi.

Quomodo illud accipiendum Apostoli: Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus vt nõ contristemini.
1. Thess. 4.

Quod verò ait Paulus, *Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus vt non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent:* prohibetur tantùm tristitia, & luctus: vel simulatus, vel immoderatus, ac superfluus, vel perfidus, id est, ex diffidentia, & incredulitate proueniens, quia subdit: *Sicut & cæteri qui spem non habent.*

Quare Christus non rogatus, hunc adolescentẽ suscitauerit.
2. Reg. 12.
Matth. 9.
Ioan. 11.
Loculus duo significat.
Infra 12. & 13.

Et accessit, & tetigit loculum. Priùs consolatus est viduam verbis, iam factis illi subuenire dignatur. Et non rogatus suscitauit adolescentem; quia nemo expectabat vt suscitaret ipse mortuos. Vnde Dauid olim dixit; *Propter infantem, dum adhuc viueret, ieiunaui, & fleui: dicebam enim: Quis scit si fortè donet eum mihi Dominus, & viuat infans? Nunc autem quia mortuus est, quare ieiunio? nunquid potero reuocare eum amplius? Ego vadam magis ad eum; ille verò non reuertetur ad me.* Vnde illi qui erant in domo Archisynagogi, deridebant Dominum, quod ad mortuam suscitandam ingrederetur: neque Martha in Lazaro fratre suo mortuo id credidit, donec vidit. Voluit ergo Christus huius potestatis dare fidem; ne in peccato mortuos desperemus. Et hinc factum est, vt Iudæi nõ crediderint Christo suscitato à mortuis. Loculus, diminutiuum est loci, & paruum locum significat: vnde loculos vocamus crumenam, de quibus dicitur quòd Iudas loculos habebat. Interdum etiam significat cõditorium, quo mortuorũ reliquiæ conduntur. Vnde Plinius de Pyrrhi Regis pollice in dextero pede scribit: *Hunc cremari cum reliquo corpore non potuisse tradunt: conditumq; loculo in templo.* Hæc ille. Hic verò loculus pro feretro, siue capulo, à ferendo, & capiendo dictus. Græcè autẽ hic vocatur σορὸς. Tactu verò ostendit se non horrere mortem, & sepulchrum, quo nobis vitam acquirat. Et non tantùm manu tangere dignatur, vt mortuos viuificet, sed vt in cœlum nos ipse inferret, in sepulchrum ipse descendit. Tetigit etiam, vt ostenderet se qui sanaret, & vt sanctissimam suam carnem honoraret. Non expandit se, neque mensus est se tribus vicibus super eum, vt Helias suscitaturus filium Sarepthanæ: nec incubuit super puerum mortuum, vt Helisæus suscitaturus filium Sunamitidis: nec orauit, vt Petrus prò Tabitha, seu Dorcade; sed tantùm tetigit, & vocauit animam Rex ille cui omnia viuunt, & qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.

Plin. lib. 7. cap. 2. paulò ante med.
Feretrum, capulusue vnde dicatur.
Cur tetigerit loculum Christus.
3. Reg. 17.
4. Reg. 4.
Actor. 9.
Rom. 4.

In ijs quos suscitauit què progressum fecerit Dominus.
Marc. 5.
Epiphan. in Hæres. 66.
Christi etiam progressus in suscitandi modo.
Luc. 8.
Ioan. 11.
Identitas hominis vnde sit, secundùm Philosophos.

Et ait, Adolescens, tibi dico, Surge. Et quod dicitur, *Adolescens*, Græcè habetur, adolescentule, non adolescens, νεανίσκε, nõ νεανία: erat enim intra 14. & 21. annum. Et primò quidẽ suscitauit duodennem, secundò hũc adolescentulum: qui paucis annis prætergressus erat annum 14. postremò suscitauit Lazarum triginta annorum, vt testatur in Manichæos Epiphanius. Et ita progressum fecit Dominus in suscitatis, quemadmodùm etiam in modo suscitandi. Nam puellam suscitauit domi præsentibus tãtùm parentibus: hunc in pompa funeris extra ciuitatem coram magna turba: Lazarum verò in sepulchro repositũ per quatuor dies, & fœtentem. ¶ *Et ait, Tibi dico,* Vt eadem omninò anima significetur: quia identitas hominis, vt Philosophi loquuntur, ab identitate formæ est. Et quia anima præcipua pars est hominis; ideo eam vocat nomine adolescentis: sicut dicimus animæ Petri, *Sancte Petre, ora pro nobis.* Est autẽ resurrectio naturæ impossibilis, non quod repugnet corpori suscipere animam, vel animæ ingredi in corpus, sed quod non sit agens, quòd possit inducere, & disponere corpus, cuius indispositio, & discrasia exclusit animam, & hęc indies crescit: sed diuinitas per vocem animam euocauit, corpusque in instanti disposuit, & induxit formam. Beati autem, quos Christus Dominus suscitauit, quia verisimile non est eos posteà fuisse damnatos, sed vel à purgatorio detractos, vt mitiùs hîc purgarentur, & vt viderent Christum, & suscitari argumentum essent ipsius potentiæ: nec enim à limbo statu salutis, ad miseriam reuocarentur, neque de inferno, in quo nulla est redemptio. Ergo

Resurrectio cur sit naturæ impossibilis.
De ijs quos Dominus suscitauit, quid benesperandum sit. Huius adolescentis mortui anima vbi maneret.

superest tantùm, vt de loco purgatorij fuerit anima educta.

Actor 9. Hic adolescēs à Christo suscitatus quid locutus sit.

Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Ita Dorcas suscitatà resedit, & aperuit oculos. Resedit ergo suscitatus, & obediens potenti voci Christi, non obstante impossibili regressu naturæ à priuatione ad habitum. Quod autem dicitur, *Et cœpit loqui*: meritò quæritur quid locutus fuerit. Quidam meditātur sic dixisse: Venite, & audite, & narrabo (omnes qui timetis Deum) quanta fecit Deus animæ meæ. Vel: *Castigans castigauit me Dominus; & morti non tradidit me.* Vel: *Dextera Domini fecit virtutem, Dextera Domini exaltauit me: non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini:* Vel illud ex Psal. 85. *Quia misericordia tua magna est super me: & eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Signa autem veræ resurrectionis in puella fuerunt, ambulare, & comedere: in hoc adolescēte, surgere vt sederet, & loqui: in Lazaro verò, potestas abeundi, & discumbere in mēsa Domini, & consultatio Iudæorum, qui cogitauerunt eum interficere, vt ostenderent phantasticam fuisse resurrectionem; cùm tamen hoc ipso confirmarent ipsum esse viuum: in Christo verò, resurrectionis signa fuerunt argumenta ducta à quinque sensibus, vt suo dicemus loco.

Psalm. 65. Psalm. 147 Ibidem.

Qui à Christo suscitati sunt, quæ signa veræ suscitationis ediderunt suæ. Luc. 8. Ioan. 11. Infra 12. Ibidem. Quare Iudæi Lazarū suscitatum interficere cogitarint. Lib. 11.

Et dedit illum matri suæ. Filij tātùm viduarum in Scripturis leguntur suscitati: & vt Helias, & Helisæus suscitatos tradiderunt matribus, ita Christus hunc adolescentem tradidit matri suæ. Et expende verbum Dedit: quia adolescentulus ille iam Christi potiùs erat, quàm matris, ideo non dixit, reddidit quem poterat suo iure sibi retinere. Si enim redemptus redimentis est; multò magis suscitatus suscitantis. Dedit ergo illum tanquam gratissimum, & pretiosissimum donū matri suæ orbatæ, ac solitariæ, maximè post tot lachrymas.

3. Reg. 17. 4. Reg. 4. Quarum filij duntaxat in Scripturis suscitati legātur.

Accepit autem omnes timor; & magnificabant Deum. Sequitur resurrectio spiritualis aliorum qui adfuerunt miraculo. Et primò impleti sunt timore non tantùm admirationis, & reuerentiæ, sed etiam potentiæ Christi: ex quo magnificabant Deum, vt omnipotentem, & miserorum consolatorem, & magnifica eius opera prædicabant: *Dicentes, Quia Propheta magnus surrexit in nobis; & quia Deus visitauit plebem suam.* Propheta magnus is est, quem Moyses in Deut. prædixit. Et suscitare mortuos opus erat Prophetarum, vt Heliæ, & Helisæi. Verbum surrexit, non significat priùs illum iacuisse per peccatum, sed hoc verbo ἠγέρθη, Græco & Hebræo קם hoc est, surrexit, significatur quod eminuit super omnes alios, atque adeò euectus est super se ipsum, cùm tanto dono prophetiæ, & potestate suscitādi mortuos sit eleuatus. Atque hæc phrasis frequens est, tùm in Veteri, tum in Nouo Testamento. Dicitur enim *Surrexit Helias Propheta, quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat.* Et rursus: *Si surrexerit in medio tui Prophetes:* & de Ioanne Baptista: *Non surrexit inter natos mulierū maior Ioanne Baptista.* Idem dicitur de Regibus: nam & illi ad magnum gradum, & locum Dei in terra sustinendum eleuantur: vt cùm dicitur: *Surrexit intereà Rex nouus super AEgyptum, qui ignorabat Ioseph.* Dicitur & Deus visitasse plebem suam. Intellige, vel quod longo tempore non mittens Prophetas videbatur populi sui oblitus; vel quod per se ipsum, qui olim visitabat per alios, non visitauerit. Visitauit autem tanquam pastor oues errantes, aut quasi Medicus infirmos, aut quasi amicus amicos: de qua visitatione dicitur: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos Oriens ex alto.* Quòd si Deum benignè, & amicè visitātem agnoscere recusauerimus, habebimus Christum visitantem, & in lucernis Ierusalem scrutantem tāquam ciuitatem rebellem, & pessimam, dignamque interitu iuxta verbum Domini: *Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi:* & postquam dixit interitum, & excidium ciuitatis, subdit: *Eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ.*

Qualis timor acceperit omnes in suscitatione adolescentis filij viduæ, vtque Deum magnificauerint.

Deut. 18. Propheta magnus quis, & quomodo surgat.

Hæc phrasis quā frequens in sacris literis. Eccl. 48. & 3 Reg 17. Deut. 13. Matth. 11.

Exod. 1.

Cur Deus dicatur visitasse plebem suam.

Deus vti visitauerit plebē suam.

Luc. 1.

Christus quo modo visitet Deum so visitantem respuentes. Sopho. 1.

Luc. 19.

Et exijt hic sermo, Id est, huius miraculi rumor, & fama: *in vniuersam Iudæam*, prout quandoque comprehendit Galilæam, & omnem promissionis terram.

Iudæa interdū quam latè pateat in sacris literis.

Iam mysterium huius suscitationis explicandum est. Nam suscitatio generi humani per peccatum Adæ mortui, & consequenter cuiusuis peccatoris priuatim his verbis descripta est. Mundus enim, siue peccator ante Christi aduentū adolescens erat ob ætatem, & cōcupiscentiæ fomitem, & affectus effrænes, ignorationē rerum salutarium, voluntatis inconstantiam, correctionis accipiendæ impotentiam, vanam spem, & credendi hostib⁹ suis facilitatem, denique ob prodigam, & cæcam bonorum suorum profusionem, & alia similia vitia quæ insunt adolescentiæ, quæ rectè in adolescente repræsentantur. Hic adolescens filius viduæ erat, quæ amisit Christum virum, vel intellectum regentem. Erat etiam mortuus, & ob id carens vita sua diuina, id est, Deo, & calore charitatis, non sentiens, vel loquens, vel operans diuina. Erat in eo rigor obstinationis, corruptio cōcupiscentiæ, fœtor malæ famæ, horrendus Deo, & Angelis, cibus vermium, id est, dæmo-

Huius viduæ adolescentis suscitatio quid nobis ponat ante oculos.

Vitia adolescentiæ propria.

num: ferebaturque ad sepulchrum inferni in loculo carnis, vt ait Theophyl. quia σῶμα, quod dicitur Græcè quasi σῆμα, quod est corpus, est quasi sepulchrum, siue in loculo, id est, in proprio sibi complacédi studio, siue consensu in peccatum. Portatur autem à quatuor, id est, à duplici cognitione, & à bina appetitione. Prima cognitio est, consideratio voluptatis, seu boni apparentis: altera, incósideratio mali veri, id est, peccati, & pœnæ æternæ illi respondentis: quæ tum in priuatione vitæ æternæ, tum in gehennæ supplicijs consistit. Prima appetitio, est propensio ad bona sensus; altera, est auersio ab spiritualibus bonis. Sine malis dicere, Quatuor portantes, esse dæmones, hæc quatuor quæ dicta sunt suggerentes, & fouentes. Est ergo ab intellectu, & voluntate mors. Comitatur autem hunc mortuum mater eius cum magna turba; id est, maiores Adam, & Heua, & alij qui neque lugebant, neque in Deo sperabant, neque orabant, sed in delicijs, & fornicatione cum auro, & argento versabantur: vnde nos eorum exemplo, amore bonorũ terrenorum sepelimur. Vt autem hic à morte reuocari posset, in primis opus fuit Iesu eunte in ciuitatem Naim; id est, peregrinante ad cœlum: vbi ex Angelis, & hominibus construere vult Ecclesiam. Naim enim, pulchra, siue delectabilis interpretatur: & de illa ciuitate scribit Propheta: *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei.* Secundò, opus fuit appropinquare portæ ciuitatis cum discipulis, & turba: id est, venire ad passionem, & morté, quæ vnica porta est ingredientium in cœlum, & ipse per eam est ingressus; quia per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta, &, *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* In portis olim iudicia celebrabantur, vt diximus, & Christus ibi iniustè iudicatus est: & ipse iustè iudicabit mundũ, & peccatum: Et in morte sua sententiam tulit pro nobis, & morte sua vitam nobis promeruit, iuxta illud: *Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum.* Tulit etiam sentẽtiam cõtra peccata, & hostes nostros; hinc instante morte dixit: *Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Tertiò, opus fuit oculo misericordiæ respiciente bonos, qui alios vt veræ matres in doloribus parturiunt, pro eis orãdo, & flendo. Horũ vnus dicebat: *Filioli mei, quos iterũ parturio, donec formetur Christus in vobis:* & iterum: *Per triennium nocte, & die non cessaui, cum lacbrymis monens vnumquemq; vestrûm.* Respicit ergo oculo misericordiæ, quia in orationibus suis non merentur de condigno suscitationem spiritalem aliorum. Quartò, non satis est appropinquare portæ, id est, Christum mori, & mereri vitam, sed opus est applicatione: ideo sequitur, quod tetigit loculum. Tangit gratia præueniente: timore, beneficijs, & fide illustrante. Oportet autem cooperari tactui Diuino, dando manum, & cessando à peccatis, & detestando priorem vitam. Quintò, opus est voce Christi, siue flatu eius, hoc est, spiritu viuificante, de quo: *Insufflauit* (in Apostolos scilicet) *& dicit eis: Accipite Spiritum sanctum:* quo hausto cogitare, amare, & operari diuina possumus. Et ait: *Adolescens, tibi dico, surge.* Id est, peccator, qui per ignorantiam, & imbecillitatem delinquis, & cuius est dicere: *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*; surge à morte peccati, & illi renuntia. Datur ergo benedictio Dei eleuans naturam per charitatem. Sextò, resedit qui erat mortuus: quia erecta, & sanata parte superiori, adhuc crura remanent in oculo: quia inferior pars adhuc subiecta est morti, & corpori mortis huius. Nã corpus mortuum est propter peccatum; spiritus verò viuit propter iustificationem, & alibi: *Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnãtem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Septimò, non debet esse otiosus, sed debet fidem suam per opera exerere. Et vt lingua cor exprimit, licèt aliquãdo fallat, & mentiatur: ita nos vitam nouam virtutum officijs exprimere debemus: Debemus autẽ sermonem inchoare, nos & peccata nostra accusando, & bonitati Diuinæ gratias agendo: quando verò erit mors absorpta, & peccatum omne cum fomite extinctum, tùm melius, & perfectius loquemur. Octauò, dedit illum matri suæ: quia neminem vult sibi vnire Deus, vel reunire, nisi extrinseca, & manifesta exhibitione, & receptione interueniente ex parte Ecclesiæ: vt patet in Sacramento Baptismi, & Pœnitentiæ. Ita Samaritanus vulneratum tradidit Stabulario curandum, Cornelium Centurionem Petro, Eunuchum Philippo, & Paulum Ananiæ: neque hæretici vnquã Deo conciliari poterunt, nisi externè cum Ecclesia reconcilientur, & illam vt matrem agnoscant, eique obedientiam præstent. Tradetur etiam in resurrectione matri Ecclesiæ: vbi verè Christus cognoscetur, qui prædicans dat spiritum viuificantem, vt Adam per generationem animam viuentem. Agnoscetur etiam magnus ille Propheta, & qui olim, & in resurrectione visitat plebem suam: & tunc magnificabunt omnes CHRISTVM in anima, & corpore suscita-

Margin notes: σῶμα Græcè quasi σῆμα, quid. — *Theophyl. in Lucam.* — Duplex cognitio hominis carnalis: vt duplex appetitio. — Vt homo verus resurgeret in Christo, quibus opus fuerit. — Naim quid sonet. — *Psalm. 86.* — Secunda conditio. — Vnica porta in cœlum ingredientium, quænam sit. — *Hebr. 9.* — *Luc. vlt.* — Vbi iudicia celebrantur olim. — *Esai. 63.* — *Ioan. 12.* — Tertia conditio. — *Galat. 4.* — *Actor. 20.* — Quarta conditio. — Tangat quomodo nos Christus. — Quinta conditio. — *Ioan. 20.* — Vox propria peccatoris. — *Psalm. 24.* — Sexta cõditio. — *Rom. 8.* — *Supra 7.* — Septima conditio. — *Iacob. 2.* — *1. Cor. 15.* — Octauo conditio. — *Luc. 10.* — *Actor 10. & seq.* — *Supra 8.* — *Infra 9.* — Hæretici Deo vt recõcilientur, quid curare debeant. — *1. Cor. 15.*

ſuſcitati ad poſſidendam æternam vitam, gratia, & meritis Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui ſit gloria, honor, & imperium vnà cum Patre, & Spiritu ſancto, in ſecula ſeculorum, Amen.

TRACTATVS XXV.

De ſigno curati dæmoniaci, cæci, & muti: & Phariſæis calumniantibus opus Domini confutatis: & habetur Matthæi 12. Marc. 3. & Luc. 11.

Luc. 7. Infra 11. ETsi inter ſignũ præcedens deſcriptum à Luca, & hoc deſcriptum ab eodem inferiùs, multa Chriſti geſta enarrentur; quemadmodum etiam poſt 9. caput Matthæi, in quo miracula multa ad confirmandam Chriſti doctrinam adducuntur, vſque ad cap. 22. in quo hoc ſignum continetur, multa intercurrerunt: tamen quia illa vel ad hiſtoriam pertinent, vel ad diſputationes, quæ ſuis libris ſunt inſerendæ, nullum fuit aliud ſignum, quod illi præcedenti eſſet connectendum, niſi iſtud deſcriptum à tribus Euangeliſtis. Sed interim quo dilucidior ſit noſtra oratio, textum B. Lucæ, quoniam peculiariter in tertia Dominica Quadrageſimæ legi conſueuit, explicandum putaui, adijciens ex Matthæo, & Marco, quæ omiſſa à Luca viſa fuerint. *Quomodo hæc cum ſuperioribus coniungantur.*

Ordo huius tractationis. Et quoniam huius ſigni hiſtoria plena eſt argumentis, quæ Chriſtus acriter diſputans contra Phariſæos obiecit, ac ſe tuendi gratia dixit, meritò potuerit in librum diſputationũ reijci, & hoc loco inter ſigna tractari. Tamen, quia ſignum paucis verbis deſcribitur, & diſputatio pluribus rationibus abſoluitur; ideo, quæ ad ſignum ſpectant, hoc loco explicabimus; quæ verò ad diſceptationem, in 8. librũ placuit ediſſerenda ſeruare. *Lib. 8. diſputationum.*

Luc. 11. Habet igitur textus: *Et erat* (ſcilicet Ieſus) *eijciens dæmonium: & illud erat mutum. Et quum eiecisset Ieſus dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ.* Matthæus verò *Matth. 12.* ſic habet: *Tunc oblatus eſt ei dæmonium habens, cæcus, & mutus: & curauit eum, ita vt loqueretur, & videret. Et ſtupebant omnes turbæ, & dicebant, Nunquid hic eſt filius Dauid.* Marcus verò *Marc. 3.* quaſdam circumſtantias declarat: *Et veniunt ad domum: & conuenit iterum turba, ita vt non poſſet neq; panem manducare. Et cùm audiſſent ſui, exierunt tenere eum, dicebant enim: Quoniam in furorem verſus eſt. Et Scribæ qui ab Ieroſolymis deſcenderant, dicebant: Quoniam Beelzebub habet, & quia in Principe dæmoniorum eijcit dæmonia, &c.* Ex quibus verbis in primis colligimus hoc ſignum factum intra domum: & cùm nõ exprimatur in qua ciuitate, ſiue Capharnaum, ſiue alibi, nec etiam exprimatur cuius fuerit illa domus, non eſt magnopere de ea re cõtendendum: in eam ſe tamen Dominus receperat cum Apoſtolis, vt prandium ſumeret. Vnde ſubditur, quòd nec ſpatium quidem manducandi haberent ob turbæ concurſum. Euthymius ſcribit fuiſſe domum cuiuſdam fidelis, ad cuius fores erant mater eius, & fratres expectantes loqui ei. Sed illud potius notandum, Dominum neque extra, nec intra domum: à munere benefaciendi deſtitiſſe. Et expende illud, quod neque ſpatium quidẽ manducandi habebant: tantus enim erat hominum concurſus, & tam profuſa Domini beneficentia, vt ea quæ corpori ſunt neceſſaria, ſumendi copiam non haberet. Qua in re indicare voluit quid Pontifices, quid Epiſcopi, atque alij Eccleſiaſtici paſtores ſuis ouibus debeant, propter quas in fide, & religione Chriſti fouendas, & cibo, & ſomno ſuo parcere deberent. Et intelligant ſuum cibum eſſe voluntatem Dei facere, & in animarũ ſalutem incumbere; ſuũ verò ſomnum, & quietem, animabus ſibi creditis ſedulo inuigilare.

Hoc ſignum vbi contigerit liberationis ſurdi, & muti, vbi factum fuerit.

Euthym. c 8. in Marcum.

In eo quod Chriſtus manducandi ſpatium non habebat, quid inſinuauerit nobis.

Ioan. 4.

Illud pulchrum quod ſequitur, quod cùm audiſſent ſui, Græcè οἱ παρ' αὐτοῦ, id eſt, ipſius propinqui, ſiue domeſtici, ſiue cõſanguinei, multã turbam cõuenire, exierunt vt eum cohiberent, ac prohiberẽt ne amplius ſanaret, commiſeratione eius tacti, quòd cùm ſe totum ad conferendas ſanitates tradidiſſet, ſe ipſum maceraret, ac penè conficeret, atque amentia laboraret, humanitatem eius adſcribentes furori, & miſericordiam crimini. Vel exierunt, vt tenerẽt eum ne diſcederet. Dicebant enim quidã quòd exceſſiſſet, ſiue diſceſſiſſet à ſe propter turbam: vt exponit Euthym. Cõſona autẽ fuit hæc Iudæorum cõſuetudo cum legibus 12. tabularum, in quibus cauetur, vt furioſi, & mente capti ad agnatos, & gentiles curandi deferantur. Sed profectò iſti verè inſaniebant, atq; furebant: quemadmodũ & Iudæi Apoſtolos Spiritu ſancto repletos, muſto plenos arbitrabantur. Et hodie qui ſeriò incumbit, aut pœnitentiæ, & vitæ ſanctæ, ſi ñeque reprehenſione traducendæ, conſanguineis, & mundanis inſanire, & furere videtur. Nam teſte Apoſtolo: *Animalis homo nõ percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei. Stultitia enim eſt illi, & nõ poteſt intelligere.* Imò ſicut Chriſtus ipſe Crucifixus, qui nobis eſt Dei virtus, & Dei ſapientia, Iudæis eſt quidẽ ſcandalum, Gentibus autem ſtultitia: ita qui ſpiritum Chriſti habent, ſtulti, & ſceleſti, & furore

Quare ſui, id eſt, domeſtici exierint tenere Ieſum, dicentes eum in furorem eſſe conuerſum.

Euthy. ibid.

Lex 12 Tabularum.

Actor. 2.

Inſani & furioſi vere qui.

1. Cor. 2.

Supra 1

Infra 4.

Satanæ conspecti videntur. Vnde Paulus: *Spectaculum*, inquit, *facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.* Nos stulti propter Christum; vos autem prudentes in Christo.

De Christo quid senserint ei energumenum cæcum & mutum offerentes.

Iam sequuntur verba Matthæi: *Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus, & mutus.* Nihil dicitur de fide adducentium hunc cæcum ad Christum; adductio tamen ipsa argumentũ est multa de Christi clemẽtia, & potentia credidisse, ac sibi promisisse. Et rectè dicitur adductus: quia cùm esset cæcus, & mutus, venire per se non potuisset: & cùm esset dæmonio oppressus, illũ ad Iesum venire non permisisset. Sed vt occursus adolescentis vita defuncti cũ Iesu, qui vita est, ad vitã illi restituendam vtilis fuit; ita hæc adductio hominis habentis malignũ spiritum, ad Iesum, qui Spiritu sancto plenus erat, adiumẽto fuit, vt à maligno spiritu, & cæteris defectibus liberaretur. Fuit autẽ insigne hoc miraculum, quia nõ tantùm pulsus fuit dæmon ab eo, & cæcus vidit, & mutus locutus est, sed etiã surdus audiuit: nam vox illa Mutus, Græcè dicitur κωφὸς. De qua voce sic scribit Theophylactus: Κωφὸς, *Mutus frequenter dicitur, qui non loquitur: dicitur autem, & qui non audit: propriè verò qui neq; audit, neq; loquitur. Et sanè qui à natiuitate non audiunt, hi etiã nõ loquuntur necessariò. Illa enim loquimur, quæ per auditũ loqui didicimus. Quando autem quis non audit, non mirum si neq; loquatur. Verùm secùs est, si casu offendatur cuiuspiam auditus: nam eum qui talis est, loqui prohibet nihil. Vnde qui ad Dominum adductus, & lingua, & auribus impeditus erat.* Hæc ille. Alexander Aphrodisæus libro Problematum refert, quòd soli surdi à generatione etiam muti sunt, ob eandem rationẽ quam Theophylactus assignat: & D. Thomas in librum Aristotelis de sensu & sensato docet, naturaliter surdum, etiam naturaliter mutum esse: quia homines non discunt loqui nisi audiendo. Non tamen, vt ibidem ait, necesse est, vt qui naturaliter mutus est, sit etiam naturaliter surdus: sicut enim aliquis audiens potest esse balbutiens, ita & elinguis, omninoque mutus. Et cùm iste mutus loqui non didicerit, nec audierit alios loquentes, & statim tamen vt sanatus est à Domino, locutus sit: tam magnum miraculum fuit, ac si puer mutus statim loqueretur. Multis igitur, & magnis circunstantijs augetur hoc miraculum.

Luc. 7.
Ioan. 11.
Luc. 4.

Hoc signum quale fuerit cæci, & muti per Christum à dæmonio liberati.

Infra 1.
Theophyl. in Lucam.
Κωφὸς propriè quid.
Quare surdi suapte natura etiam muti sint.
Alexand. Aphrodis. lib 1. problem.
D. Thom.

Quædam de dæmonibus attinguntur breuiter.

Hîc aliquid prælibandum est, an sint dæmones, & quæ sit eorũ substantia, qualis eorum potentia, sapientia, & voluntas; vbi agunt? quare obsidẽt corpora; Cur eos Dominus pellebat de corporibus, & quare istud dæmonium vocatur mutum, ait enim Lucas: *Erat Iesus eijciens dæmonium: & illud erat mutum.* Ad primũ respondeo, Dæmones existere, quos Philosophi omnes, & maximè Platonici cõfitentur, & κακοδαίμονας vocant Iudæi omnes, præter Sadducæos, qui illos, sicut & Angelos negabant, statuunt. Idem etiam ratio euincit: Quia si est natura omninò corporea, & mixta ex corpore & spiritu, erit etiam creatura purè spiritualis, ne desit gradus hic naturæ possibilis in vniuerso. Experientia etiã effectuum, qui non possunt reduci ad causam corpoream, idem confirmat. Constat enim dæmones prædicere multa futura, & declarare occulta per obsessos, vt furta, & similia, vt illa pythonissa, de qua Lucas in Actis testatur, quæ quæstum magnum præstabat Dominis suis diuinando. Operationes etiã in corporib⁹ obsessorum, per quos inuitos loquuntur, vel quos proijciunt in ignem, & aquam, & habitare faciunt in monumẽtis, spiritus malignos manifestè probant, & arguunt. Quemadmodum subitæ mutationes, vt de virgis tempore Pharaonis, & de aqua versa in sanguinem: multi quoque effectus artium magicarum, & lamiarum ostendunt. Ad hæc per mulierculam obsessam loquuntur linguis peregrinis, vt Latinè, Græcè, Germanicè, & loquuntur etiam de altissimis Fidei mysterijs, vt de Trinitate, Incarnatione, Prædestinatione, & similibus: quæ mysteria & linguæ peregrinæ ignotæ omninò erant muliercułæ, in qua loquuntur. Postremò, signum certissimum est quod ad Christi imperium in obsessis respondebant, & multa vera loquebãtur, & discedẽtes signa sui relinquebant discessus.

Sed respondent quidam: Nos nunquam hos vidimus, sed hac ratione elephantem, vel Leonem esse non crederes, quia fortè nunquã vidisti. Ad secundum: Dæmones sunt spiritus, & substantiæ incorporeæ, & expertes materiæ: sed ex operibus cognoscuntur, etiam si sub aspectum minimè cadunt, ceu ex fumo ignis agnoscitur. Quod etiam probatur ex eo, quòd legio dæmonũ erat in corpore vnius obsessi. Ad hæc spiritus isti mali de cœlo suo vitio ceciderunt, vbi vnam cum Angelis constituebant Rempublicãm. Vt ergo illi corporis, materiæque sunt expertes, ita etiam dæmones. Ratio quoque illud perspicuè docet. Quia si vnum contrarium inuenitur in vniuerso, debet & alterum ei oppositum contrarium poni. Si ergo mere corporea natura datur, danda est & mere spiritualis. Quòd si interdum dæmones assumunt corpora, vel in formis brutorum apparent animantium; id ad decipiendum faciunt, quemadmodum

Luc. 11.
Quod sint dæmones in rerum natura.
Actor. 23. & Matth. 22.
Dæmones et etiam Angelos negabant Sadducæi.
Actor. 16.
Dæmonũ in corporib. obsessis actiones variæ, atque multiplices.
Marc. 9.
Supra 5.
Exod. 7.
Matth. 8.
Luc. 4.
Ibidem.
Qualis sit dæmonum substantia.
Marc. 5.
Cur interdum dæmones in formis brutorum animan-

tium hominibus apparent
Gen. 3.

modum in ſpecie ſerpentis ex illis vnus Adam decepit. Et vt aſſumptio corporum, in quibus interdũ apparuerũt Angeli, nõ cõuincit eos eſſe corporeos, ita nec dæmones corporeos arguit. Fuit ergo Platonis error, & Platonicorum, qui corpora aërea, & ſubtilia dæmonib⁹ tribuerũt: quos quidã ex Veteribus Patres ſecuti ſunt, & ideo excuſatione digni; cùm autor doceat Dionyſius Areopagita, & B. Baſilius.

Qui patres dæmones eſſe corporeos opinati ſunt, à quo didicerint.
Dionyſ. Areopag. de cœleſt. Hierarch.
Baſil. ho. 1. in Hexameron, tom. 1. init. ib.

Mirum autem eſt, quòd Caietanus in Epiſtolam ad Epheſios Platonicum, Sadducæorum, & Origeniſtarum dogma amplexus, corporeos dixit eſſe dæmones, hac ratione ductus: Quia ſi eſt vegetatiuum, ſine ſenſitiuo, & hoc ſine intellectiuo; ergo erit intellectiuum, cùm ſecundum locum motiuo ſine ſenſitiuo: ergo dæmones ponendi ſunt aërei. Sed ſi hæc ratio quicquam efficeret, dandum eſſet ſenſitiuum ſine vegetatiuo, & intellectiuum ſine ad locum motiuo. Nec eget intellectiuum corpore vt moueatur, & anima egeret corpore aëreo, cùm ſeparatur à corpore. Ad hæc aër natura ſua corruptibilis eſt, ideo dæmon corruptibilis erit; nec enim datur aër incorruptus.

Refellitur opinio Caietani, dicentis dæmones eſſe corporeos.

Iam potentia dæmonis magna eſt, de qua ait Iob: *Non eſt ſuper terram poteſtas quæ comparetur ei, qui factus eſt vt nullum timeret.* Nam omnis creatura corporea illi quod ad motũ attinet, obedit, & applicando agẽtia patientibus, mirabilia opera dæmonia efficiunt. Verùm eorum poteſtas tota in nocendo poſita eſt: nocent enim & in rebus, & in corpore, & in anima, vt conſtat ex hiſtoria Iob: poſſunt concitare in aëre tempeſtates, grandines tonitrua, & procellas in mari: ſed hoc vnum nos ſolari debet, quòd plures, & fortiores ſunt nobiſcum, quàm cum illis, & eos poſſe tãtum, quantum permittuntur à Deo: velut canis fune, catena ve ligatus, tantùm ſe extendit, quantum funis quo vinctus eſt permittit.

Dæmonis poteſtas quanta ſit.
Iob. 41.
Quicquid eſt poteſtatis in dæmone, in quo conſumitur.
Iob. 1. & 2.
4. Reg. 6.
Dæmones nobis nocere quatenus valeant.

Non minus ſunt ſapientes, vel potius aſtuti, & callidi, & in vitijs exercitatiſſimi, veterani, transfigurantes ſe in Angelos lucis, vt melius decipiant. Ideo tot mendacia, ſimulachrorum culturas docuerunt, & perſuaſerunt hominibus, mactare ſe ipſos in ſacrificium dijs ſuis. Vnde dæmones quaſi δαίμονες, dicuntur, teſte Euſebio, id eſt, ſapientes, & ſapientia propoſita, velut eſca deceperunt primos parentes. Habent prætereà voluntatẽ peruerſam, & malignam; quæ nihil eſt aliud, quã Dei dehoneſtatio, Ieſu Chriſti abiuratio, peccatum noſtrum, damnatio æterna, vexatio in corpore, & animæ intus, & extra: & maximè affectat peccatum vniuerſale, vt illud Adæ, & Prælatorum, qui ſuo exemplo alios ad malum cogunt, & trahunt.

Dæmones quàm ſint ſapientes, callidi, & aſtuti.
2. Cor. 1.
Dæmones vnde dicantur ſecundùm Euſebium.
Euſeb. in lib. de Præparat. Euang.
Gen. 3.
Voluntas dæmonis qualis ſit.

Ad hæc ſunt in aëre caliginoſo excluſi à cœlo, & terra, ne plus noceant: ideo religati in deſerto ſuperioris Ægypti, vt dicitur apud Tobiam, ſuntque tãquam graſſatores viarũ qui occultè deliteſcunt, vt peregrinos inuadãt, & in aëre tanquam ſuperbi, & elati, & vt Bernard. ait, in aëre eſſe delectãtur; vt dona Dei ad nos deſcendere, vel noſtras orationes ad Deum ferre impediant. Et vt intelligamus non aliter nos in cœlũ ingreſſuros, niſi prius cum illis decertauerimus, eoſque euicerimus: quemadmodũ Iſraelitis opus fuit congredi cum Chananæis, antequam poſſiderent terram. Cur autẽ dæmones ingrediantur in corpora hominum, & Chriſtus inde illa expelleret, hoc nobis iam dictum eſt in alio Tractatu huius libri.

Dæmones vbi ſint: quam inſidioſi humanæ ſaluti.
Tob. 8.
Bernard. in Pſalm. Qui habitat.
Num. 21.
Supra tract. 13.

Illud poſtremò explicandum, cur dæmonium dicatur mutum. Et quanquã omnes dæmones muti ſint, & ſurdi; & cæci, quia non benè loquuntur, & cùm ex proprijs agunt, mẽdacium loquuntur, nec veniam poſt caſum petierunt, nec ſe excuſarunt, vt Adam per Heuam, & Heua per Serpẽtem. Omnes etiã ſunt ſurdi, quia voluerunt intelligere vt benè agerent. Cuncti etiã ſunt cæci, quia perdiderunt ſapientiam ſuam in decore ſuo. Adhæc alia ratione, vt tradit Gulielm. Pariſienſ. lib. de vniuerſo, oẽs ſunt cæci, muti, & ſurdi. Cæci quidem, quia quidam reſpectu aliorũ ſunt vt bruta animãtia, parum intelligentes, & intellectiones à rebus accipiẽtes poſt caſum. Surdi verò, quia neſciunt perfectè intelligere: & propterea cùm adiurantur, cùm verba nõ intelligant, cruciantur. Muti verò ſunt, quia neſciunt formare loquelam in homine. Hæc licet probabilia ſint: tamẽ præſtat, muta dæmonia dici per metonymiam, vt pallida mors, hyems pigra: quia mors pallidos, hyems pigros facit. Ita dæmonium mutum, quòd retinet inſtrumenta linguæ, & impedit quo minus mutus homo loquatur. Vnde ſubdit: *Et cùm eieciſſet dæmonium, locutus eſt mutus.* Vbi ſignificatur, mutitatem magis pertinere ad hominem, quàm ad dæmonem: nam priuatio non eſt, niſi vt habitus poteſt abeſſe. Cùm autem dæmonis propriè non ſit locutio; cùm corpore deſtituatur: ita nec mutitas ad eum pertinet. Mutus ergo dicitur, quia corrumpit, vel ligat organa vocis detinendo quiete; vel quia nihil loquitur per arreptitium; licèt ſinat eum loqui. Et iſte talis non erat, quia non eſt locutus niſi eiecto dæmone: & ad loquendum dæmon arte formandi vocem eget.

Cur dæmonium dicatur mutum.
Ioan. 8.
Gen. 3. & ſeq.
Quare ſurdũ & cæcum.
Pſalm. 35.
Ezech 28.
Guliel. Pariſ. lib. de vniuerſo. p. 2.
Alia ratio earum trium appellationum dæmonis.
Tertia ratio probabilior.
Luc. 11.
Vnde mutus homo ille habens dæmonium.

Matth. 12.

Locutus est mutus. Matthæus ait: *Curauit eum, ita vt loqueretur & videret. Et stupebant omnes turbæ, & dicebant, Nunquid hic est Filius Dauid?* Hic est fructus miraculi: nam turbæ, agnita Dei virtute, quasi manuducuntur ad Fidem: nõ quod repente profecerint quantum oportebat, quia dubitãter loquuntur; sed tamen hic aliquis est fructus. Et fortè est affirmatio, vt Samaritana, quæ dixit: *Venite, & videte hominem, qui dicit mihi omnia quæcunq; feci. Nunquid ipse est Christus?* Vocant ergo eum filium Dauid, id est, Messiam promissum regnare: & venturum ad auferendum spiritum immundum de terra, vt Zacharias prædixit: & quia solo imperio, & sine læsione illum eiecit, nõ sicut Iudæorum exorcistæ. Et in Veteri Testamento tantum dicitur, quòd Dauid, cithara pulsata, nõ quidem expelleret dæmonem, sed mitigabat tantùm pœnam Saulis vexati à dæmone.

Fructus miraculi quis.
Dæmoniaci hominis curatione quid profecerint turbæ.
Ioan. 4.
Messias, id est, Christus filius Dauid, quid facturus erat.
Zach. 9.
Infra 13.
1. Reg. 16.

Quidam autem ex eis dixerunt, In Beelzebub Principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Qui fuerint isti, declarat Matthæus, dicens fuisse Pharisæos, quos periculosius possidebat dæmon in anima, quàm mutũ in corpore, & peiores ipso dæmonio, teste Chrysostomo: quia dæmon ab homine citò recedens, ac nihil dicens, fugã arripuit; illi verò modo interficiendi agitabant consilia, & calumniabantur miraculum. Et quia in re aperta, & liquida tergiuersari miraculis nequeunt, quemadmodum in miraculo cæci à natiuitate sanati: arrodunt tamen virtutem, & modum quo factum est, non solùm laudem miraculi obscurantes, sed in probrum trahentes, quasi Magico exorcismo esset deditus, & eius operis, quod homini tribui non poterat, diabolum mentiuntur esse autorem. Quia ergo Scribæ & Pharisæi miracula Christi calumniari volebant, & quia negare non poterant, quin humanis viribus essent maiora, nec tamen voluerunt Diuinæ virtuti adscribere; dæmonum potentiæ impudentissimè & malitiosè attribuunt. Nam hæc calumnia ex inuidia orta est: nam vt ait Chrysostomus in hunc locum, quemadmodum scarabæi alieno stercore, sic inuidi aduersa aliorum fortuna nutriuntur, cùm sint communes humano generi hostes, atque inimici. Erat autem Beelzebub Deus ciuitatis Accaron, vt dicitur 4. Reg. volumine, quemadmodũ Azotum colebat Deum Dagon; Beelphegor Deus Moabitarum, qui in Numerorum libro dicitur simpliciter Baal, & Deus: & Tyriorum, & Sidoniorum absolutè in libris Regum 3. & 4. Baal vocatur, quem coluit Achab in gratiam vxoris Iezabel filiæ Regis Sidoniorum, vt testatur Iosephus. Baalin autem dicti sunt dij minores, qui erant veluti patroni locorum. Interpretatur autem Beelzebub, Deus muscarum, non tam à victimarũ copia, quibus muscarum examina incidebant, vt quidam putant, quàm quod auxilium aduersus muscas petitum ab idolo esse tradunt. Vt enim nomen gehennæ per metaphoram translatum est ab hominibus sanctis ad significandum inferorum locum detestabilem; ita hîc, vt detestabilem populo redderent Christum Pharisæi, nomine diaboli maximi probrosè vocabant. Et rectè dicitur Deus muscarum: quia respectu prioris pulchritudinis immundus est, & turpis, immunda volucris, quæ nõ capit nisi muscas, id est, homines per ambitionem volitantes, & immundos, & melli creaturarũ adhærentes. Sunt etiam alij inferiores dæmones, quibus præest Beelzebub, veræ muscæ importunis suis tentationibus negotium hominum facessentes. Sed facilè est eas à te abigere, si vtaris ventilabro orationis, & manu bonorum operum.

Qui fuerint illi calumniatores qui Dominum aiebant in Beelzebub eijcere dæmonia.
Chrysost. ho. 41. in Matth. tom. 2.
In quo fuerint vel dæmone deteriores ipso.
Ioan. 9 & seq.
Eorundem inuidia.
Inuidorum qualis cibus, teste Chrysostomo.
Idem Chrysost. ibidem.
Beelzebub quorũ Deus esset.
4. Reg. 1.
Num. 22.
3. Reg. 16. 19. 22.
4. Reg. 3. 10. 17.
Ioseph. libr 8. anti. cap 13.
Beelzebub quid sonet.
Diabolus cur Beelzebub vocatus sit.
Dæmones tãquam muscæ vt sint à nobis abigendi ac repellendi.

Et alij tentantes, signum de cœlo quærebant ab eo. Hoc per præoccupationem dictum est à Luca; Matthæus verò explicat quãdo à Domino tale signum quæsierunt Pharisæi. Isti pessimi erãt, nihilo minùs credituri, etiamsi signa fecisset. Insidiosè etiam quærebant signa de cœlo; quo constaret illum habere commercium cum Deo qui in cœlis habitat, non cum spiritibus immundis, quia signa de cœlo non debebat Messias edere in primo aduentu, sed in secundo. Et cùm cœli longè sint à nobis, magis sunt signa calumnijs exposita: quemadmodum cùm vox venit de cœlo, dicens: *Et clarificaui, & iterum clarificabo,* quidam tribuebant tonitruo, quidam verò Angelo: & omne signum de cœlo est, quia requirit potestatem infinitam. Et nihil magis probat Christum hostem dæmonum, quàm quod eos expelleret de corporibus; vt testimonium doctrinæ suæ, quę expellit Satanam de corporibus, daret. Dæmones verò permissi possunt retinere cursum cœlorũ, eclipsare Solem, & Lunam, emittere ignem de cœlo, & similia. Quapropter etiamsi Dominus fecisset vel ignẽ cadere de cœlo, vel obscurari Solem, vel audiri tonitrua, tantum effecisset, quantum Moyses sua miraculorum turba apud Pharaonem. Ad has duas calumnias respondit Dominus in primis multis argumentis demonstrans se non habere commercium cum dæmone. Deinde petentibus signa de cœlo, egregiè respondit, quando dixit: *Generatio mala, & adultera*

Cur Pharisæi à Domino quæsierint signa de cœlo.
Ioan. 12.
Omne signũ cur sit de cœlo.
Dæmones quæ signa in cœlo, si permittantur faciant.
Exod. 7 8 9. 10. 11. 12.
Petentibus signa de cœlo quid respondebat Dominus.

signum

Mat. 12. & 16. Iona 2. Lib. 8. *signum quærit, & signum non dabitur ei nisi signũ Ionæ Prophetæ.* Sed hæc responsa in libro disputationum exponenda reseruamus.

Boni pastoris officia percensentur.

Docentur hoc loco pastores, officium esse suum, sicut & Christi, liberare oppressos à dæmone, qui peccato aliquo ab illo possidentur; quod opus multò maius est & facilius atq; vtilius, quàm pellere dęmones de corporibus. Vnde Chrysostomus libro de Prouidentia scribit, Stargirium monachum, virum sanctum, ex humilitate petijsse à Domino vt obsideretur à dæmone, & exauditum fuisse: nũc autem vt quis magnus quocunque modo, & opulentus euadat, permittit se à septem dæmonibus possideri. Pastoris etiam officium est cæcos illuminare, non tantum Scripturas sacras exponendo, sed etiam exemplo vitæ prælucendo: quod quomodo præstare queant qui ab ouibus suis absunt, ego non capio. Debent prætereà multos sanare, id est, eos qui ex odio non se salutant, inuicem conciliare: eos etiam qui fundere preces Deo nõ nouerunt, instruere, vt loqui cum Deo per orationes & laudes addiscant. Debent insuper surdis auditum præstare, laborãdo vt libenter, diligenter, & attentè, & cum fructu audiant verbum Dei: ita enim aures habebunt audiendi. Atque hæc opera præstãda, vt populus in admirationem rapiatur, & in laudes Christi prorumpat. Nam neq; qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Debent etiam boni pastores forti animo calumnias & iniurias sustinere, quę propter officium suum præstandum à malignis irrogantur; quemadmodum Christus fecit.

Chryſ. li. 2. de Prouid. to. 2. Stargitij cuiusdam monachi à dæmone vt torqueretur, exaudita precatio. Secunda conditio boni pastoris. Tertia conditio. Quarta conditio. 1. Corin. 3. Quinta conditio.

Discat etiam quisque quid sperandum sit à dæmone, qui omni sensu, & bono nos priuat; Christus verò saluat, & restituit. Quisque ergo sinat se duci ad Iesum. Ducitur autem per orationes aliorum, & per charitatem fraternam. Ducitur ad Iesum, cùm ducitur ad Sacerdotem, vt ministerio reconciliationis expellatur ab illo dæmon: nam vt tunc erat Iesus eijciens dæmonium de corpore, ita nunc est eijciens de animabus cithara verbi sui prædicati, vel verbi absolutionis pronunciati per Sacerdotem. Vexat autem dæmonium animam per conscientiæ testimonium; facit cæcam, ne videat quem offendit, id est, quem Deum, & quàm benignum, cum quo hoste capitali sit coniunctus; vnde & à quanta dignitate excidit; vbi prostrata sit, quantaque in fœditate versetur. Nam instar corui dæmon eruit oculos: dexterum quidem, ne videamus bona amissa; sinistrum verò, ne cernamus damna quæ incurrimus, & gehennę periculum imminentis. Ad hæc facit surdam animam rationi deprecãti ad optima, & prædicatori viuum tangenti, & vitia reprehendenti, & instar aspidis surdæ, alteram aurem terra, id est, delectationibus terrenis, alteram cauda, id est, longioris spe vitæ tegenti. Facit postremò mutam, ne peccatum suum confiteatur, & instar lupi stringẽtis guttur ouis ne clamet, & clamore suo canes excitet: ita dæmon hoc molitur, & in hoc insidias struit vt peccator nec per orationem ad Deum fusam, nec per detectionem delicti apud Sacerdotem, neque per petitionem consilij crimina sua ad salutem consequendam declaret. Sed Christus qui magis est propẽsus de animabus, quam de corporibus dæmonia propellere; autoritatem tribuit Sacerdotibus remittęndi peccata, & dandi Spiritum sanctum: *Accipite,* inquit, *Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Et ita omnibus fecit copiam pellendi Sathanam de Spiritu suo. Nam eijcitur fumo orationis, quemadmodum fumo piscis Tobiæ visus restitutus; & per calidas contritionis aquas, sicut canis molossus de culina eijcitur; aut fame ieiunij, vt lup⁹ de sylua egredi cogitur; aut carmine, siue incantatione sancta nominis Iesu: *In nomine,* inquit, *meo dæmonia eijcient.* Si ergo dæmonem, aut in corde odio, & animi acerbitate exulcerato, aut in lingua detrahente, aut in lasciuis oculis, aut in manibus rapacibus gestamus, vnicum & certum confugium est ad Christum, eiusq; insignẽ benignitatem accurrere: quia ille Spiritum sanctũ donat, quo vno omnes dæmonum cateruæ fugantur, & exterminantur, ita vt anima sedata quiescat, & oculos fidei, & aures obedientiæ, & voces linguæ in Dei laudes, & gratiarum actiones prorumpentes sibi comparare valeat, suffragante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto ab vniuersa creatura habeatur omnis gloria, honor, & imperium in secula seculorum, Amen.

Ad Iesum quomodò ducatur quis, & quando. Quantis malis dæmon animam afficiat. Dæmon coruo similis in quo. Psalm. 57. Christus quã propensus ad salutem. Ioan. 20. Dæmon quomodò pellatur. Tob. 6. Marc. vlt. Christus nobis ad quid Spiritum suum donet.

TRACTATVS XXVI

In quo agitur de signo, quo quinque panibus & duobus piscibus satiauit Dominus quinque millia hominum: & narratur Matth. 14. Marc. 6. Luc. 9. & Ioan. 6.

Quare hoc miraculum à quatuor Euangelistis fuerit descriptum.

INPRIMIS aduertendum est, hoc signũ à quatuor Euangelistis descriptum, quemadmodum Pascha, & Resurrectio Christi; quod vix vlli alteri miraculo accidit: quod arguit, magnum & notabile fuisse opus, quod Christum Deum esse manife-

Exod 16. ſtè oſtendit, vt olim Deus quadraginta annis in deſerto populum Iſraël pauit māna, & de Meſſia promiſſum erat quòd paſceret populum.

Quod Meſſias paſtor futurus erat.

Ezech 34. Vnde Ezechiel: *Ego paſcam oues meas,* inquit, *& ego eas accubare faciam*; & iterum; *Suſcitabo ſuper eas Paſtorem vnum, qui paſcat eas, ſeruum meum Dauid: ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in Paſtorem.*

Ibidem.

Duplex paſtus ſpiritualis, ab eo fidentibus exhibendus.

Et quamuis hęc duo teſtimonia de paſtu ſpirituali verbi Dei, & Sacramenti commodè intelligi queant: ſed non ita, vt locum aliquem non habeant in hac ſatietate turbarum miraculo facta, quæ paſtus ſpiritualis & panis Euchariſtiæ ſymbolum fuit. Vnde turbæ ſaturatæ manifeſtè agnouerunt Chriſtũ Meſſiam promiſſum, dicebant enim: *Quia hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum*: vnde de eo Rege conſtituendo cogitarunt. De hoc miraculo producit Lactantius verſus Græcos Sibyllinos apertè hoc ſignum conteſtantes:

Ioan. 6.

De Chriſto paſtore teſtimonium Sibyllæ.

Lactan. lib. 4. c. 15. paulo poſt dimidiũ.

Εἰν ἄρτοις ἅμα πέντε καὶ ἰχθύεσσι δυοῖσιν
Ἀνδρῶν χιλιάδας ἐν ἐρήμῳ πέντε κορέσει
καὶ τὰ περισσεύοντα λαβὼν μετὰ κλάσματα πάντα
Δώδεκα πληρώσει κοφίνους εἰς ἐλπίδα πολλῶν.

Referam Latinè: *In panibus ſimul quinque, & piſcibus duobus, Hominum millia in deſerto quinque ſatiabit, & reliquias tollet: poſt fragmenta omnia duodecim cophinos implebit in ſpem multorum.* Sic Sibylla; vt ex prædictione colligas ſigni tanti magnitudinem.

Ioannes Euangeliſta in ſcribendo quid proprium ſib. vendicet.

Secundò præmittendum eſt; B. Ioannem Euãgeliſtam morem ſuum, quo dicta & facta à Chriſto, & ab alijs omiſſa colligere ſolet, hoc loco reliquiſſe. Nam hiſtoriam miraculi ab alijs trib. enarratam, certo conſilio repetit, non tantũ vt melius menti noſtræ infigatur, ſed etiam vt quædam addat, quæ alij non dixerunt, & vt futuræ diſputationis Chriſti cum Capharnaitis intuitu panis hoc ſigno dati, & ſequenti die factæ viã munit; quia res iſtæ erant coniunctæ.

Loci huius difficultas.

Tertiò præmittendum, hoc ſignum diligenter deſcriptum ab omnibus Euangeliſtis, nonnullas in ſpecie habere contradictiones, quæ aliquid laboris & moleſtię lectoribus offerunt: nam ſi, vbi duo Euangeliſtæ diſſident, aut variant, non ſine labore inter ſe conciliantur; multò magis vbi tres: quid ergo erit, vbi quatuor vario, ſiue diuerſo modo aliquid enarrant, vt huic præſertim miraculo accidiſſe videtur? Propterea etſi aliquid ſit laboris, & tędij deuorandum; plus erit tamen voluptatis, & iocunditatis, vbi implicita fuerint explicata, & nodi ſinguli diſſoluti.

Signum ſaturationis turbarum in deſerto quoties acciderit.

Quartò præmittendum eſt, bis hoc ſignum fuiſſe editum à Domino: ſemel quidem in quinque panibus, & duobus piſcibus; deinde verò in ſeptẽ panibus, & paucis piſciculis: vnde Matth. 14. & 15. de his duabus ſaturationibus tantùm fit mentio. Hæc ergo, de qua Ioannes, eadem eſt cum illa, quam Matthæus, Marcus, ac Lucas cõmemorant: etiamſi Chryſoſtomus illam Matth. 14. exiſtimet præceſſiſſe eam Ioan. 6. propter nonnullas differentias, quæ parui ſunt momenti.

Matth. 14. Marc. 6. Luc. 9. Chryſ. ho. 41. in Ioan. to. 3.

Et profectò nouũ eſt in Eccleſia Dei, & cõtra Doctorũ & ſanctorũ Patrum torrentẽ dicere, bis editũ fuiſſe miraculũ quinque panũ, & duorum piſciũ; cùm inter quatuor Euangeliſtas cõueniat quòd numerus idẽ fuerit panũ, & piſciũ, & edentiũ, & cophinorũ, qui ex fragmẽtis fuerunt collecti. Differt tamen hæc ſaturatio ab illa ſeptẽ panũ, cuius tantùm meminit Matth. c. 15. in fine, & Marc. c. 8. initiò in multis.

Quòd hæc ſaturatio quinque panum ſit diuerſa à ſaturatione ſeptẽ panum, à Matthæo ſolo, Marcoque deſcripta.

Siquidem prima, facta in Monte; ſecunda, in loco humili iuxta littus. In prima, compulit diſcipulos transfretare ſine ſe; in ſecũda, diſceſſit cũ diſcipulis. In prima, ſuſtinuerunt Chriſtũ tãtùm per vnũ diem; in ſecũda, per triduũ: *Quia triduò,* inquit, *iã perſeuerant mecũ & non habent quod manducent.* Differunt etiã in numero panũ, & piſciũ & manducantiũ; & in numero cophinorum, ſiue ſportarum, in quibus repoſuerunt reliquias. In fine primæ aſcendit Chriſtus in Mõtem: in fine ſecundæ nauim, in qua venit cum diſcipulis.

Matth. 15. Marc. 8.

Cur Dominus ſeceſſerit.

Quintò præmittendum, varias fuiſſe cauſas huius ſeceſſus Chriſti & nauigationis in montem, ſiue deſertũ Bethſaida. Matthęus quidem refert, Ioãnem decollatum ab Herode: *Et accedẽtes* (ait) *diſcipuli eius, tulerunt corpus eius, & ſepelierunt illud: & venientes nuntiauerunt Ieſu. Quod cùm audiſſet Ieſus, ſeceſſit inde nauicula, in locum deſertum ſeorſum: Et cum audiſſent turbæ, ſecutæ ſunt eum pedeſtres de ciuitatibus.*

Matth. 14. Prima cauſa, Matth. quam exprimit hoc loco.

Eleganter Euangeliſta non ait, fugit in locũ deſertum, ſed ſeceſſit; vt perſecutores (ait Hierony.) vitaſſe magis, quam timuiſſe cõſtaret. Exuit ad tempus Deum, vt hominem ageret: diſſimulauit Dei potentiã, vt nobis ſimiliter tẽtatis ſpem faceret: induit noſtrã perſonam, & per omnia tentatus eſt, vt poſſet tangi affectu noſtrarũ infirmitatum: docuit in noſtris aduerſis omnia iuſta & recta tantanda eſſe, ne Deus tentetur.

Hier. in Mat. ca. 14. tom. 9.

Hebr. 4.

Hoc autẽ quod dicitur audiuiſſe Ieſum; communiter intelligitur de audita morte Ioannis Baptiſtæ, & hanc fuiſſe cauſam diſceſſus Chriſti. Quia tyranni vbi ſemel imbuti ſunt piorum ſanguine, in maiorem ſęuitiam exardeſcunt: non ſecus ac potandi intemperies ſitim ebrioſis acuit. Cùm ergo in ſeceſſu ſignum hoc ediderit, iuxta feſtum Paſchæ, vt dicitur à Ioanne; hinc colligunt nonnulli, Ioannem occiſum fuiſſe

Tyrannorum propriũ quid.

prope

Ioan. 6. De tempore mortis Præcursoris, quorundam improbabilis opinio reijcitur. *Luc. 9.*

prope festu Paschæ, vt ait Ioannes. Verùm magis verisimile est aliquantulum, imò multum temporis intercessisse inter Ioannis decollationem, & famam illam Iesu apud Herodem, ex qua putatur Ioannes fuisse resuscitatus, & Iesum iamdudum audiuisse Ioannem fuisse decollatum: quod ita passim fuit vulgo cognitum, vt dicerent Ioannem resurrexisse à mortuis. Oportet enim intelligere, illa miracula quæ audiuit Herodes, facta à Iesu post decollatum Ioãnem: nam ea Herodes & alij tribuunt Ioanni suscitato. Et confirmatur hac ratione: quia Ecclesia 29. Augusti festi Decollationis S. Ioannis Baptistæ celebrat, & nõ prope Pascha. Proinde quod dicitur, *Quod cum audisset Iesus*, annotandum Græcè haberi ἀκούσας ὁ Ἰησοῦς, sine relatione aliqua, vt sit sensus: Quum audisset Iesus quòd Herodes arbitraretur se esse Ioanné. Et in hunc modum apertè intelligit Theophylactus. Matthæus ergo occasionem huius secessus tribuit existimationi Herodis de Iesu, quia nõ cõmemorat Apostolos ad Iesum post missionem ad euangelizandum reuersos: Marcus verò & Lucas eam tribuunt reditui Apostolorũ à munere prædicandi, vt Christ⁹ & Apostoli quiescerent aliquãtulum, quia nimium premebantur à turba: nam missionem Apostolorum paulò ante illi duo Euangelistæ narrauerant: vt hinc intelligere debeamus, duplicem occasionem secessus simul concurrisse. Ioannes autem huius secessus non scribit vllam occasionem, quòd eam ab alijs satis sciuisset expositam. Verba Marci sunt: *Et conuenientes Apostoli ad Iesum, renuntiauerunt ei omnia quæ egerant, & docuerant. Et ait illis, Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum. Erant enim qui veniebant, & redibant multi: & nec spatium manducãdi habebant.* Et similia narrat Lucas. Tertiò ad illas causas accedit, Dominum propterea secessisse; vt ex loco, tempore turbarum multitudine occasionem haberet prę̃standi tam insigne miraculum. Postremò, vt mutatione loci fastidiosi fugientes laborem, non adessent, & deuoti ampliùs esurirent: vt aiunt Theophylactus, & Leontius. Matthæus autem reditus Apostolorum ad Iesum post prædicationem non meminit: meminit autem Lucas de reditu septuaginta discipulorum ad Iesum post prædicationem: *Reuersi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo.* Post prædicationem ergo & doctrinam redeundum est ad Christum, vt Episcopi ad Papam, & prædicatores ad suum Præpositum immediatũ, siue ad ipsum Iesum, vt omnis suæ prædicationis fructum & profectum ad eum referant, illius solius gloriam quærant, & ab ipso omnis suæ prædicationis, & operationum approbationem Euangelicus concionator expectet. Atque hoc facto deducendi illos in desertũ ad quietem, docuit nos, vt testatur Leontius, à tumultibus negotiorum ad quietis contemplationem & orationem confugere, quemadmodũ Moyses ad tabernaculũ fœderis, & Prælatus ad Missæ sacrificium, & precationis asylum occurrere, vt inde accipiat & gubernandi vires, & organum corporis reficiendi, ac temperandi, & eleuãdi pondera horologij spiritualis, quod est animus: id est, intellectũ & voluntatem erigendo in Deum, vt rectè pergat, & horas actionum suarũ congruo tempore denotet.

Signa quæ Herodes audiuit, quando fecerit Iesus. *Ibidem.*

Theophyl. in Matthæum.

Marc. 6. Secunda causa, Marci nimirum, & Lucæ, de secessu Christi in Montem.

Marc. 6.

Luc. 9. Tertia causa.

Quarta & vltima.

Theophylact. in Marcum. Leontius.

Luc 10.

Concionatores verbi Dei peracto ministerio quid agere debeant.

Hæc turbarũ in desertum deductio ob quietem, quid denotet. *Leont. Episc. Num. 16.*

Horologiũ spirituale quid.

Sextò præmittendum est de loco, in quo miraculum istud quinque panum acciderit. Nam quòd citra lacum Genesareth contigerit, videtur ex Luca probari, qui miraculum hoc dicit fuisse locũ ciuitatis Bethsaida, Petri & Andreæ patriæ. Hæc autem ciuitas citra stagnum est. Cui rei consonat Brocardus in descriptione Terræ sanctæ, vbi illum montem, in quo quinque panum miraculum accidit, describit non longè esse à Capharnaum. Et tamen, quòd vltra lacum locus iste fuerit, maximè ostenditur, non solùm ex eo quòd Ioannes dicit Dominum abijsse trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis, sed etiam multò magis ex eo quòd peracto miraculo, Dominus iusserit suis vt transnauigarẽt rursus ad Bethsaidam, vt habet Marcus: post quam nauigationem venerunt in terram Genesar, vt habet Matthæus, & in Capharnaum, vt habet Ioannes. Locus ergo, vbi transnauigarunt, erat vltra stagnum.

Vbinam miraculum istud quinque panum & duorum piscium factum fuerit. *Luc. 9.* *Ioan. 1.*

Brocardus.

Ioan. 6.

Marc. 6.

Matth. 14.

Ioan. 6.

Ad hoc dupliciter dicendum est. Inprimis vltra lacum fuisse locum, ad quem Dominus secessit: cum autem dicit fuisse ciuitatis Bethsaidę, siue quòd esset ei ciuitati ex opposito, siue quia ad illius pertineret ditionem, etsi diuersa esset stagni ripa. Alij verò soluunt, explicando vim illius propositionis, quæ Latinè dicitur Trans, & Græcè πέραν, & Hebraicè עֵבֶר, non semper significare aduersum littus, quo perueniri non posset nisi traiecto per totã latitudinem lacu, sed etiam littus diuersum in eadem parte Occidentali lacus, in qua erant Tiberias, desertum Bethsaida & Capharnaum: & maximè si Bethsaida, sita est ad orã Iordanis ante lacum, à qua non longè erat Corozain in opposita ripa, vt quidam tradunt. Et meminit traiectionis: quia propter amplos sinus nauigatio quasi erat cõpendium itineris,

Prima solutio.

Altera solutio.

Quomodò accipiendus ille transitu quem Dominus præcepit suis iterum vt faceret in Bethsaidam.

itineris, volebatque solus cum Apostolis sine turbis nauigare, & ex vno sinus anfractu, id est, Tiberiade, vel infra eam nauigauit Dominus in alium eiusdem ripæ. Et cõfirmatur: quia cùm turbæ pedestres peruenisse eò dicantur, ostenditur nõ aliam maris, siue Iordanis ripam Discipulos cũ Domino peruenisse, sed proxima eiusdem regionis loca adijsse, ad quæ etiam indigenæ poterant cõuenire, & præuenire pedestres. Et iterum confirmatur: quia Matthæus nõ confirmat transfretationem, vel traiectionem lacus, sed tantùm ait: *Quod cùm audisset Iesus, secessit inde in nauicula, in locum desertum seorsum.* Ad hæc saturatio ponitur communiter facta in monte Thabor, qui est in medio Galilææ, & aliàs dicitur Ithabirium, nõ longè à Magdalo Castro, & lacu ex parte eius Occidentali. Hæc noui quidam, & ex Patribus aliqui, vt Beda, & Episcopus Abulensis, meditati sunt: quæ verò sit solidior solutio, nihil definio: cogitent prudentes Lectores.

Matt. 14.

Montis Thabor altera appellatio, situs.

Beda in Matthæum, to. 5. Episc. Abulẽ. in Matth. quæst. 71.

Tertia solut.

Non desunt, qui hunc nodum aliter dissoluant: nimirùm mentem Christi fuisse, nauigando trãsire in oppositam ripam maris Galilææ, & euntem multitudo magna sequebatur. Vnde Dominus mutato animo, in via, mõtem ascendit, antequam nauigaret in oppositam ripam; & vbi signum in monte edidit, vt habes in Matthæo, & Marco, iussit discipulos trans fretum ire, vt expectarent eum, & transfretarunt in oppositam ripam Genesareth.

Matth. 14. Mar. 6.

Quomodò turbæ pedestres peruenerint ad eum locũ, ad quem Christus tendebat nauigio.

Septimò præmittendum est, quomodò turbæ pedestres venerint ad eum locum ad quem Christus cum suis tendebat nauigio? Dicit siquidem Beda, quòd cũ turbæ pedestres peruenisse dicantur, ostenditur non in aliam maris ripam peruenisse, vt suprà est dictum. Respondetur, nisi vera sit secundo loco proposita prioris dubij solutio, Dominum è Capharnaum primò secessisse (nam ibi verisimile est ad ipsum congregatos Apostolos) ac in oppositam ripam nauigasse, illumq; nauigantem, & abeuntem multos vidisse, vt dicit Marcus; alios autẽ ab ijs qui viderant, audiuisse, vt habet Matthæus: atque hos circumeundo paullulùm eam orã, in qua est Capharnaum, quod est in extremo stagni situm, Iordanem deinde transiisse, siue per pontem aliquem, siue per ipsas fluuij aquas transuadando.

Quomodò verũ sit quòd aiunt Matth. & Marcus, turbas præuenisse Iesum ad locum, ad quem ibat: cùm tamen secun-

Octauò præmittendum, quomodò verum sit, quod Matthæus dicit, & Marcus, nempè quòd turbæ præuenerunt Iesum ad locum, ad quem ibat, & quando exiuit de naui, vidit turbam multam; & tamen apud Ioannem innuitur, quòd Iesus erat in terra, quando venerunt turbæ? ait enim: *Quum subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum.* Respondendum turbam quidem peruenisse in locum, antequàm Iesus, eo quòd turba sciret locum: & Iesus moratus est aliquantulum in mari, quietis necessariç, vel solatij gratia, qua tùm ipse, tùm discipuli indigebant: & sic dicitur à Marco, & Luca, quòd exiens de naui, vidit turbam multam, & docebat eos, & sanabat ægrotos. Ioannes volens omittere quæ alij dixerunt de sequela pedestrium turbarum & præuentione loci, & egressu Christi, & prædicatione, & sanitatibus, & cùm produceretur in longum sermo, & trãsiret hora prandij, accesserunt discipuli ad Christum, vt dimitteret turbas ire ad quærendũ escas. Solum introducit Iesum loquentem discipulis de saturatione turbarum, & quomodo prospiceretur turbæ de cibo. Adhoc oportuit quòd aliter formaret narrationẽ, nempe quia sedebat, & vidit multitudinem maximã, quæ venit ad eum (id est, quæ iam venerat: præteriti enim est, non præsentis temporis) dicit ad Philippum, *Vnde ememus panes, &c.* nam alij Euangelistæ priùs introducunt discipulos loquẽtes ad Iesum vt dimitteret turbas; ad quod opus non erat vt respiceret turbas, sed quòd discipuli respicerent eas. Tamen Ioannes ita introducit Iesum loquentem ad Philippum, quasi ipsi priùs locut⁹ fuerit, nihil loquens de ijs quæ alij enarrant Euangelistæ. Ideò oportuit dici, Iesum subleuisse oculos, & vidisse turbã; vt per hoc indicetur quòd fuit solicitus de pascendis turbis, non quidem statim, postquam subleuatis oculis eas vidit, quia vidit exiens de naui, & priùs cœpit docere, &c.

dùm Ioãnem Iesus esset in terra, quando venerant turbæ.

Ioan 6.

Marc 6. Luc. 9.

Cùm ergo dicitur, quòd subijt Iesus in montem, non est sensus quòd ascenderit in aliquem montem, antequàm turbæ venirent; sed mons est, in quo Iesus inuenit turbam, & prædicauit, & pauit eam. Sed cùm exiuit de naui, iuit in eminẽtiorem partem loci cũ Apostolis sibi proximis; ex quo loco eminentiori, quem ascenderat vt prædicaret, & audiri posset ab omnibus, vidit turbam magnam: qua conspecta excitatus fuit ad signi editionem.

Illud: Subijt ergo in montẽ Iesus, quomodò accipiendum.

Ioan. 6.

Nonò præmittendum, discordiam aliquam sonare, quòd tres priores Euangelistæ dicunt Apostolos suggessisse Christo de turbarum dimissione, vt cibos quærerent; Ioannes verò videtur significare Iesum pri⁹ de cibandis turbis fuisse solicitum, cùm dicit, eum cõspecta vniuersa multitudine interrogasse Philippum: *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* Sed hanc apparẽtem historiæ diuersitatem soluit Aug. intelligendo priùs

Qui verum sit iuxta tres priores Euangelistas, turbã præuenisse Iesum in locum ad quem ibat; cùm aliter Ioannes asserere videatur.

qu.dem

Aug. lib. de consen. Euãg. 2. c. 4. tom. 4.
Matth. 14.
De eo quod Ioannes Andream refert, cæteri verò Euangelistæ, omnes Apostolos aiunt Christo respondisse de quinque panibus,& duobus piscibus conciliatio.

quidem Apostolos Domino suggessisse,ac deinde dixisse: Nõ habent necesse ire,date illis vos manducare: posteà verò Dominũ de monte,in quo sedebat,oculos sustulisse, ac vidisse turbam magnam venisse,& cõtinuò venire ad ipsum,ac tunc humano more tentasse Philippum, dicendo: *Vnde ememus panes,vt manducent hi?* Nec in eo est iudicanda aliqua contractio, quòd Ioannes Andreã dicit respondisse Christo de quinque panibus,& duobus piscibus,reliqui verò Euangelistæ eam respõsionem omnibus tribuunt Apostolis: eo quòd etiam si solus responderit Andreas, omnium tamen nomine hoc dixerit. Sic nihil repugnantiæ in eo est, quod Marcus Apostolos dixisse refert: *Euntes emamus ducentis denarijs panes; & dabimus illis manducare*; Ioannes verò dicit Philippum respondisse, *Ducentorum denariorum panes non suffecturos.* Verisimile enim est, priùs Apostolos hoc dixisse quod Marcus dicit,veluti sentientes, panes ducentorum denariorum posse eam turbã satiare; ac deinde Philippum quod illi dixerant, magis auxisse, ita vt assereret, ne tot quidem panes posse sufficere. Deinde illis verbis apud Marcũ Apostoli noluerunt significare eam pecuniæ summã posse sufficere,sed tantam saltem, quantam sciebant Dominum cognoscere apud se nõ esse. Perinde enim est, ac si dixissent: Præcipis vt demus illis manducare:id autem vt possimus, opus esset vt emeremus panes nõ minus ducentis denarijs,cùm apud nos sit quàm minimum pecuniæ. Non enim, vt quidã intelligunt, his verbis significauerunt Apostoli apud se tãtum esse pecuniæ, sed potiùs nõ esse tantũ, quantum ea turba requireret. Quod cõstat ex Luca,qui ait: *Nisi fortè nos eamus,& ememus in omnem hanc turbã escas.* Et subdit: *Erant autem ferè viri quinq; millia*: significans Apostolos illud de emendis escis dixisse præ nimio stupore, quòd Dominus præcepisset illis tantam turbã cibare. Ita verba illa Marci sunt accipienda,quasi per stuporẽ, & per ironiam quandam dicta. Decimò præmittendum,quòd aiunt Matthæus & Marcus discipulos Domini dixisse: *Desertus est locus, & hora iam præterijt*: quænã sit illa hora,quæ præterierat. Lyranus exponit fuisse horam reuertẽdi ad loca,de quibus exierant. Quæ expositio germana non est: quia non erat communis omnibus: quidam enim de longinquo venerant,& quidam de propinquis & vicinis locis. Ideò dicendum,quòd hora prandij,siue comedendi trãsierat: nam Lucas inquit: *Dies autem cœperat declinare*, scilicet Sol à Meridiano circulo, quod est statim post meridiem,vel ante est hora comedendi. Vnde apertiùs dicit Lucas: *Dimitte turbas,vt euntes in castella, villasq;* (non enim erat vt desertum Ægypti) *quæ circa sunt, diuertant, & inueniant escas.* Id etiam explicat Matthæus, dicendo: *Vespere autem facto,accesserunt ad eum discipuli eius,dicentes: Desertus est locus,& hora iam præterijt.* Vbi vesperam vocat Solem inclinatũ post meridiem: quemadmodum euntes in Emaus discipuli, dicebant Christo: *Mane nobiscum, Domine, quoniam aduesperascit.* Inclinatur autẽ dies Sole declinante à Meridiano circulo. Solet autẽ Scriptura propriè vti hac voce, Vesperi, cùm significare vult tempus paullò antè occasum,in quo sensu accipitur illud; *A vespera vsque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra.*

Marc. 6.
Ioan. 6.

Horum verborum: Ducẽtorum denariorum panes nõ sufficiunt, &c. inepta quorundam intelligentia.
Luc. 9.

Cum aiunt Matthæus, & Marcus: Desertus est locus,& iam hora præterijt, quam horam voluerint significare.
Lyranus in Matthæum.

Alter sensus.
Luc. 9.

Luc. 24.
Dies inclinetur quando. Vespera in Scripturis, vt accipi consueuerit.
Leuit. 23.

Vndecimò præmittendum, Ioannem & Lucam scribentes numerum virorum manducantium dixisse,quasi quinque millium; Matthæus verò & Marcus scribunt, eos qui manducauerant, fuisse quinq; millia. Sed hic est mos Scripturarum in numerorum descriptione, non anxiè curare certum numerum hominum, nec habere rationem,si paullò minus,aut plus sit: vt cùm describunt annos hominum,qui fortè paucis mensibus,aut diebus, aut deficiunt, aut exuperant. Sic enim dicitur de Christo quòd erat incipiens quasi annorum triginta. Et apud Ioannem: *Quum remigassent quasi stadia viginti,aut triginta.* Et in Actis dicitur: *Erat autem turba hominum simul, ferè centum viginti*: & Maria,vt ait Lucas, mansit cum Elisabetha quasi mensibus tribus. Et Ioannes: *Hora erat quasi sexta*: alibi ait: *Erat Bethania iuxta Hierosolymam quasi stadijs quindecim.* Et rursus: *Erat parasceue Paschæ, hora quasi sexta.* Nam etsi Spiritus sanctus præcisè nosset numerum manducantium, & stadiorum, & hominũ conuocatorum ad electionem Matthiæ: noluit tamen Euangelistas ita præcisam rationem numeri significare, sed tantùm genericam, quia non multum ad rem facere videbatur. ¶ Hic tamen notandũ est quòd in Græcis codicibus apud Matthęum & Marcum additur illa dictio, quæ in Luca & Ioanne circa numerum manducantium ponitur, nempe dictionẽ ὡσεὶ, hoc est, ferè, vel circiter: & ita hæc dictio in omnibus est Euangelistis, qua significare voluerunt, numerum quinque millium non fuisse præcisum, sed paullò plus, vel paullò minus peruenisse. Expressa est multitudo virorum; qui sunt vltra viginti annos, vt dicitur in libro Numerorum. Non supputant paruulos, vel fœminas; quia is Hebræorum mos erat. Mulieres autem solent plures ad noua & pia, ac deuota accurrere, vt magis videre-

De numero manducantiũ inter Euangelistas, vt conueniat.

Scripturę pręcisam numerorum rationem non semper obseruant.

Luc. 3.
Ioan. 6.
Act. 2.
Luc. 1.
Ioan. 4.
Infra 11.
Infra 19.

Virorum tantùm, non mulierum, puerorumve mentionem cur fecerint Euangelistæ in signo saturationis turbarum.
Num. 1.

tur

tur signum: non ita quantitas panum, quia cognita erat.

Mare Galilææ stagnum Genesareth, quare nominetur

Duodecimò præmittendum, Mare Galilææ esse lacum, vel stagnum Genesareth, sic dictum à ciuitate Cinereth, quod Dulce mare quidam interpretantur: & efficitur hic lacus ex ingressu Iordanis in eũ. Huius autem lacus pars Occidentalis erat Galilæa Iudæorum: ad partem verò Orientalem huius lacus erat ager fertilis Genesareth, & Gamala, & Gadara, & Gerasa, vbi Dominus legionem dæmonũ ab homine expulit, & in porcos abire permisit: ibi enim est terra duarum tribuum cũ dimidia. Meminit autem huius lacus Iosephus libro de bello Iud. & ait, quòd habet in longitudine stadia centum, hoc est, paulò plus quã duodecim milliaria: nam, teste Plinio, octo stadia mille passus cõficiunt: in latitudine verò, quadraginta, hoc est, quinque milliaria. Mare autem Tiberiadis non est nomen totius lacus, sed illius partis respondentis illi ciuitati, quę adiacet ad partem Occidentalem eius: post Capharnaum enim sequitur Tiberias, deinde Tarichæa: prope Capharnaum est Beth-saida, ad ipsam iam Iordanis ripam sita, quam Herodes Iuliadem ob Iuliam Augusti filiam mutatio nomine vocauit. A Beth-saida non longè est Chorozain oppidum in opposita ripa Caphatnaum. Cinereth ergo Herodes Tetarcha, in honorẽ Tiberij Cæsaris restaurauit, & Tiberiadem vocauit, teste Iosepho in libris Antiquitatum, & ab hac orã, vel infra eam, ascensa Dominus nauicula soluit, & transiuit totam oram maris Tiberiadis, donec peruenit ad desertum Beth-saidæ iuxta mare, quod pars est montis Thabor, vt diximus, vbi Dominus, & Legem in monte tulit, & signum hoc edidit, & transfiguratus est: vt iam ille mons turbis Christũ sequentibus nõ esset ignotus, & pedestres possent ad illum peruenire.

Matth. 8.

Stagni illius, lacusque magnitudo.

Ioseph. li. 3. de bel. Iud. ca. 18

Plin. li. 2. c. 23

Mare Tiberiadis, vnde hoc nomen sortitum sit.

Bethsaida Iulias cur dicta

Ioseph. lib 18. Antiq c. 3.

Matth. 5. 6. 7. Infra 17.

Sex modis cibare potest hominem Deus.

Postremò præmittendum, Deum multis modis cibare posse hominem. Primò quidem communi, ac consueta via tribuendo terræ fructus suos. Secundò, seruando homines ab interitu sine cibo, vt Mosen, & Heliam. Verùm hoc sine miraculo nõ contingit. Tertiò, creando nouos panes, quemadmodum dum populus ambularet in deserto, creabat manna. Quod hîc non fecit: non enim opus fuisset frangere quinq; panes, nec ex illis saturasset turbam. Quartò, asportãdo panes aliunde, siue communes, siue recens creatos: quemadmodũ coruus adferebat panem Heliæ, & Angeli Christo attulerunt. Quo quidem modo hîc non est vsus: nam turba tunc signum esse non putaret, sed conuiuium ante præparatum: Posset etiam dæmonis virtuti tribui, quia nondum credebant Christum Deum, qui posset creare. Putarentur etiam præexistentes panes natura mali, vt Manichęi dogmatizabant: discipuli etiam nimium impedirentur in ministrando, & turbæ etiam cibũ expectando. Quintò, quod modicum est multiplicando: quod bifariam potest intelligi. Primò quidem per rarefactionẽ quinque panum in partes tenues, & subtiles resoluendo, vt in olla ebulliente contingit: Sed hoc modo minimè vsus est Christus: nec enim sub tali raritate forma panis consisteret, sed aër potiùs esset, & sub tam paruo pondere videretur res phantastica; nec cõuerteretur in substantiam, quia suciectũ conuersionis materia est: nec esset maior saturatio, quàm quæ ex quinque panibus desumi potest. Atq; huic proximum est quod quidam opinantur: quòd sicut Deus potest nouã quantitatem creare, ita facere, vt nullo extrinseco addito, vel conuerso res sit maior sub eadem spissitudine: quod profectò vix ratione potest apprehendi.

Exod. 14. 3 Reg. 19.

Exod. 16.

3. Reg. 17. Matth 4.

Ideò sextò & postremò dicendum est, hoc signũ à Domino editum per subitam conuersionem alterius materiæ in panem, quemadmodùm ex costa vna Adæ facta est Heua per multiplicationem, hoc est materiæ alterius additionem: sicut etiam hydriæ farinæ, & lecythus olei per Prophetã multiplicata sunt in domo Sarepthanæ; & ex parua quantitate olei impleuit Helisæus multa vasa. Vt enim natura temporis mora alia conuertit in frumentum, alia in vinum ad alimentum nostrum: ita hîc repentina alterius materiæ conuersio facta est. Atque hanc multiplicandi rationem agnouit Augustinus super Ioannem, dicens: *Vnde multiplicat de paucis granis segetes, inde in manibus suis multiplicauit quinque panes, potestas enim erat in manibus Christi. Panes autem ille quinque, quasi semina erant, non quidem terræ mandata, sed ab eo qui terram fecit, multiplicata.* Sic Augustinus sensit.

Quonam illorum modo quinque millia hominum in deserto pauerit Christus

Gen 2. 3. Reg 17.

4. Reg 4.

Aug. tract. 24 in Ioan. init. tom. 9.

Hæc ergo conuersio primum quidem in manibus Christi, vt testantur Hieronymus, & Augustinus, accipientis panem: deinde in manibus Apostolorum, vt testatur Chrysost. & postremò in manibus comedentium, vt Hilarius lib. de Trinit. & Ambrosius in Luc. in manibus Apostolorum, & discumbentium. Nam alioqui & Christus ipse frangendo panes, & Apostoli deferentes nimis laborarent, & turbæ diutiùs expectarent, donec ministri pauci totum cibum apponerent. Turbæ etiam per centenos, & quinquagenos discumbentes non vidissent

Vbi facta fuerit illa quinque panum multiplicatio.

B. Hierony in Matt tom 9. Augustinus. Chrys. ho. 50 in Matt to. 2. Hilar. lib. 3. de Trinit Ambr. lib. 6. in Luca. c. 10. Marc. 6. Luc 9.

vidissent signum, si tantum in manibus Christi fiebat; nec ità communicaretur in edendo signo potestas. Christus ergo fiangendo panem, porrigebat discipulis pauca fragmenta, quæ in itinere crescebant, vt nō possent iam ferre: in mensa multo plus augebantur. Itaque videbant se comedere & cibum non solum non diminui, sed crescere; quemadmodùm in lecytho olei, atque in hydria farinæ olim acciderat: ex quib⁹ quātumcumq; hauriebatur, nihil tamen inueniebatur detractum: vel fracto vno frusto panis, fierent plura æqualia, vel maiora; vel nesciebant quātum crescerent, quia non crescebant cum mora temporis: alioqui res naturalis etiam per tempus incremētum accipit; sed ita paullatim, ac sensim, vt hominis aspectum fugiat: vt de segete dixit Dominus apud Marcum.

3.Reg.17. *4.Reg.4.* *Marc.4.*

Cur integri panes non fuerint multiplicati, sed frusta duntaxat.

Noluit autem crescere panes integros; quia deformes essent, difficilè etiam distribuerentur, difficilius portarentur à turbis non sine fastidio spectarentur, nec ab eis signū esset visum. Quòd si non essent quinq; panes, poterant creari de integro panes, vel ex materia denuò fieri, vt manna, & coturnices, & panis per coruum allatus ad Heliam, & panis per Angelum allatus ad Christum, & per Habacuc ad Danielem delatus: qui allati possent multiplicari postea.

Ezech.16. *Ibidem.* *3.Reg.19.* *Matth.4.* *Daniel.14.*

Quare, vt olim coturnices in deserto, nō proiecerit Christus in mediū panes, quibus pasceret turbam.

Non autem proiecit panes in medium, vt olim coturnices: quia non ita Deus signi autor agnosceretur, & posset dæmoni attribui. Quoniam autem Dei potentia (ne ordo à se institutus deficiat) non succurrit, nisi vbi deest humana prouidentia: continuatus fuit pastus Heliç, quia egebat, & non supererant reliquiæ. Non enim illud signum factum fuit ad ostensionem potentiæ, sed ad necessitatem subleuandam: eratque cibus corui non multiplicatus, sed vel creatus, vel aliunde asportatus.

Exod.16. *Quando ferè succurrat Diuina potentia.*

Num.11. *Cur multiplicauerit etiam Dominus pisces.*

Numquam autem Deus dedit signum piscis, licèt eos optauerit populus, sed benè carnes: hìc autem dedit, quia viliores, & communiores, & ad ferendum faciliores; & quia prope mare erant. Non autem ob austeritatem, vel Quadragesimam designandam: Dominus enim ex præexistenti cibo voluit satiare. Ideò si essent carnes, vel aliud asportatæ, illas dedisset, quia populo sunt sapidiores; vt etiam magis signi recordarentur, quemadmodùm dedit per coruum Heliæ.

3.Reg.19. *Saturatio hæc ab illa, quàm Deus dedit*

Hæc autem saturatio multo maior est, quàm illa Prophetæ Heliæ, si carnes aliunde asportabantur: quia per Angelum poterat fieri. Si autē per creationem cibus missus ad Heliam factus est, pluries ibi signum factum fuit. Sed hoc eo est maius quouis per se, quia multi sunt satiati; & materiæ subita conuersio in panes non est minus signum quàm creatio. Magis etiam durauit saturatio Heliæ ex farina, & oleo, quæ parte aliqua subtracta per conuersionem materiæ subitò augebatur: quia tunc erat maior indigentia. Sed hæc saturatio præstat, quia ex minori materia, & pro maiori facta est turba, & plures reliquiæ collectæ. Heliæ datus est potus, & cibus ab Angelo, quia egebat, & quadraginta diebus durauit satietas: hoc tamen maius est illo, quia in eo non fuit multiplicatio, vt in hoc & quia plures satiati, & plus reliquiarum collectum. Et licèt vi cibi illius ambulauerit quadraginta diebus: sufficiebat tamen virtus creata illi cibo communicata, sicut ligno vitæ, vt illi assuescens fieret immortalis.

Heliæ per coruum differt in tribus. *Secundum discrimen.* *3.Reg.19.* *Tertium discrimen.* *Ibidem.*

Gen.2. *Quòd hæc saturatio Domini duabus per Helisæum factis saturationibus præstantior sit.* *4.Reg.4.*

Præterea excellentius fuit hoc signum saturatione Helisæi, de quo in 4.Regum volumine fit mentio: nam ille viginti panibus hordeaceis, & quibusdam panibus primitiarum, & frumento nouo allato in pera sua satiauit centum homines: hic verò ex tam paucis panibus tot millia hominum pauit Dominus, multæ reliquiæ superfuerunt. Et fuit in hoc triplex multiplicatio, vt dictum, nempe in manibus Christi, discipulorum, ac turbæ: ibi verò vna tantùm in mensa. Oleum sub Helisæo Propheta multiplicatum ad supplendam necessitatem mulieris cuiusdam Prophetæ, vna tantùm multiplicatione, & non ad tantam quantitatem auctum est, nisi solùm vt impleret vasa quę domi habebat; ac propterea minùs fuit hoc miraculo.

Ibidem.

Exod.16. *Ibidem.* *Quod etiam Dominus nūc turbas saturando, quam olim Israelem populum manna pascendo, mirabilius, ac præstantiùs ediderit signum.*

Manna verò sæpiùs datum fuit ob penuriam; scaturiebat etiam vermibus; & in eo laborandum erat, vt panis fieret; hic sine labore datus panis, & cum triplici multiplicatione; in manna verò nulla fuit multiplicatio, sed signo tantum cadebat de cœlo per creationem, vel conuersionem alterius præiacentis materiæ ministerio Angelorum. Fuerunt etiam hic reliquiæ suauiores, & salubriores quàm naturales; vt vinum in Cana exhibitum præstantiùs fuit: Manna autem signo datum bonis sapiebat, vt habetur Sap.16. erat enim eius sapor determinatus, vt panis oleo conspersus, & nauseam malis prouocabat. Præstat etiam hæc saturatio illi coturnicum, quæ per ventum opera Angelorum concitatum ex Ægypto allatæ sunt: & quando erant supra castra, cessabat ventus, &

Psal.77. *Ioan.2.* *Manna quibus sapiebat, & cuius erat saporis.*

Num.11. *Hanc saturationem illa eiusdem populi*

ex coturniceis carnibus in deserto exhibita nobiliorẽ existere.
Exod. 16. & Num. 11.
Matth. 15.
Hęc eadem saturatio illi septem panum alias turbis exhibitæ cur sit anteponenda
Cur Dominus huius saturationis voluerit reliquias superesse.

tus,& cadebant coturnices: de qua meminit Dauid.

Postremò præstat hæc saturatio quinque panum, alteri saturationi à Domino exhibitæ: quia ibi plures fuerunt panes quàm hîc, & turba virorum satiandorum minor; minor etiam numerus sportarum, quàm hîc cophinorum. Reliquiæ debuerunt superesse, vt non erubescerent manducare videntes esse copiam panis, vt viderentur saturati, quo appareret signum: quia gustare non esset signum; & ne videatur fuisse phantastica saturatio; & ad differentiam saturationis in Veteri Testamento exhibitæ, tantùm superfluere voluit; & vt in hoc signo videatur excessus ad saturationẽ exhibitam per Helisæum.

4. Reg. 4.
Cur cophini duodecim tantùmodò fragmentorum collecti.
Reliquiæ cur tantùm fragmentorum fuerint.
Cophinus quid.

Duodecim autem cophini sublati sunt: vel non quidem ordinati, etsi præsciti à Christo, vel etiam ordinati ad ostensionem potestatis, in copia; & sapientiæ, in numero æquali ministris. Reliquiæ verò fuerunt fragmentorum: quia primi panes fracti erant, & non putaretur eorum facta multiplicatio. ¶ Cophini autem, dicuntur corbus ex viminibus, vel peræ ex panno, vel corio confectæ; quæ facilè portari à turba poterant, vel à discipulis, quibus deferebant panes, & alia cibaria. ¶ Non fuerunt autem signo facti: quia illud exprimeretur ab Euangelista; vel à non credentibus Christum Deum esse, existimari posset fuisse à dæmone allatos. Quòd si quis colligeret reliquias ante se positas, non ita pateret miraculum. Ideò Apostoli signorum Christi annuntiatores debuerunt colligere; vt certiores redderentur, cum vidissent, multiplicationem in Christo, & in seipsis, & in turba fieri. Collegerunt etiam ipsi, vt posteà manducarent.

Vnde habuerint discipuli cophinos ad colligenda fragmenta.

Quare Apostoli iussi sint fragmenta colligere.

His præmissis, & declaratis, ad literam Euangelicam explicandam accedamus: illud ante omnia circa finem miraculi explicantes, & quod in principio huius libri diximus, recolentes, Christum Iesum signa edidisse, vt homines ad se quasi verum Deum, & Dominum fide complectẽdum, & bonorum operum officijs consectandum permoueret. Constat autem homo intellectu, & voluntate, quasi præcipuis partibus: quemadmodùm Deus nihil est aliud, quàm infinita quædam potestas cum summa bonitate coniuncta, vt meritò ob eam causam Optimi & Maximi titulo gaudeat. Et admirabili quidem suæ potentiæ ostensione intellectum nostrum conuincit; cùm opera ab eo proficisci, quæ supra totius naturæ creatæ facultatem sunt posita, cecinit; quæ qua virtute, aut ratione prodeant, non assequitur. Amoris verò & beneficentiæ suæ magnitudine se summè amabilem, & beneficum sua liberaliter effundentem apertè declarauit, quo voluntatem nostram ad se suauiter inuitaret, & alliceret. Nihil enim perindè amorem & beneuolentiam nostram exculpere valet, atq; amor singularibus operibus, & beneficijs demonstratus.

Domini signa quò tẽderent.

Hominis partes præcipuæ.

Deus cur dicatur Optimus Maxim.

Humanum amorem & beneuolentiam exprimendi ratio efficacissima.

Quoniam verò considerata sola Dei potestas nos perterrefaceret; sola verò Dei charitas & munificentia spectata, etsi nos erigeret, & ad se alliceret, negligentiores tamen & remissiores in officijs præstandis nostro vitio nos redderet: congruum fuit, vt hæc tanta potentia cùm beneficentia & amore esset connexa, vt & potestas nõ terreat, sed amet; & amor & beneficentia possint, vt Deus non videatur diligere verbo, & lingua, sed opere, & veritate. Est enim natura comparatum, vt pręclara opera pręstare munificentiæ virtus nequeat, nisi sit infinitè, & quæ dando minimè exhauriri possit, Diuinæ potestati innixa. Nam profectò si tu natura munificus esses, ac liberalis, perinde atque Alexander Magnus, aut Iulius Cæsar, nisi immensa virtute præditus existeres, omnibus te petentibus nequaquam posses satisfacere: quia omnia bona tua si finita essent, dando tamen exhaurirentur, & tu in donando deficeres: quanto magis ergo Diuina potestate opus est, si non tantùm diuitias & opes temporales à te homines postularent, sed quę maiora sunt, vt sanitatem, corporis robur, pulchritudinem, sapientiam, remissionem peccatorum, & immortalis vitæ donum efflagitarent? Quis non videat ad hæc præstanda infinito Diuinæ virtutis thesauro opus esse.

1. Ioan. 3.

Iam verò cùm Deus olim multa perpetrasset miracula, & potentiam suam Pharaoni, & filijs Israël cum iustitia vindice coniunctam ostendisset, succidens omnia ligna fructifera, innocentes pisces interficiens, iumenta & boues propter hominem de medio tollens: seruis, & liberis primogenitis non parcens, vt se Deum vltionum ostenderet. In Nouo Testamento signa immutauit, & nonnisi quæ misericordiam & gratiam spirant, miracula patrauit. Vt meritò Ecclesia orando testetur. *Deus qui potentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestas.* Siquidem cæcis visum, surdis auditum, mutis loquelam, sanitatem infirmis, munditiam leprosis, & vitam mortuis largitus est, esurientibus verò, & sitientibus de pane, & vini potu prospexit,

Exod. 7. vsq. ad 15. cap.
Diuinæ olim Iudæis ostensa argumenta potentię multa commemorantur.
Psalm. 72.
Eisdem à Christo exhibita signa clementiæ.
Esa. 35. & Matth. 11.

spexit, vt præsens signum, & miraculum aquæ in vinum mutatæ ad nutias abunde probant, quibus se verum Deum, & naturæ ipsius conditorem declarauit. Nam quemadmodum vitis in terra plantata, & pluuia cœlesti, ac Solis ardore, atque niuis, & gelu beneficio fota sensim, & temporis progressu aquam naturali virtute mutat in vinum: vnde si vinum desit, aut non ita, vt solet, abundet, pluuiæ defectum causamur: ita Dominus ipse conditor, qui virtutem illam viti, ac terræ, ac pluuiæ contulit, verbo suo, siue imperio communicauit, cùm voluit, vt vinum in momento, siue breuissimo tempore præstaret miraculo vtens, & illud quidem multo excellentius, quàm sit natura, vel arte productum vinum. Simili prorsus ratione tùm frumentum in terra arata, & præparata seminatum, & sub terra putrefactum, & beneficio pluuiæ irrigatum, & Solis, & Stellarum influxu adiutum, naturali virtute producit spicam plenam, ex qua panis, gratissimus homini cibus conficitur: ad eandem rationem idem Dominus, qui tot ac tantas virtutes per creaturas singulas sparsit, vt vnaquæque suos fructus, & vtilitates adferat, voluit suis manibus quas per Humanitatem assumptam habuit, & benedictioni suo ore prolatæ eam vim tribuere, vt confestim ad verbi sui imperium panis fieret multiplicatus, vt hac noua operandi ratione præter consuetum naturæ ordinem se, & summa potestate, & benignitate refertum ostenderet, verumque Deum declararet, qui alia ratione per naturalia instrumenta, & adiumenta temporis progressu, hæc eadem opera præstabat. Habes igitur ex hoc signo virtutem Domini, ac bonitatem, qui tot modis ad expugnandam nostram infidelitatem nos alere consueuit: ita vt si quandoque omnia nobis deficere videantur, non sit propterea nobis de Diuina prouidentia desperandum. Iacta ergo super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet: nam de tali dixisse videtur Propheta: *Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem*, gratia, & meritis Iesu Christi, cui cum Patre, & Spiritu sancto sit gloria sempiterna, honor & imperium in secula seculorum, Amen.

Comparatio. | Psal. 54. | Psal. 36.

TRACTATVS XXVII.

In quo explicatur litera Euangelica saturationis quinque millium virorum ex quinque panibus, & duobus piscibus.

Difficiliores huius miraculi quæstiones ad literam explicandam spectantes, priore absoluimus Tractatu: iam quæ faciliores sunt, & siue ad literam, siue ad mysterium spectant, in hoc præstabimus. Primùm igitur, vt explicant Marcus, & Lucas, Apostoli reuersi à ministerio prædicationis, renuntiarunt Domino Iesu, quæ egerant, & docuerant. Dominus autem, qui omninò perfectus erat, & neque secessu egebat, neque vlla quiete; tamen quia exemplum nobis exhibere debuit, sæpè in solitaria loca se recipiebat, in quibus Patrem precaretur; vt eius exemplo excitati prædicatores secedant interdum, & cum Deo colloquentes accipiant ab eo, quod rursus alijs impertiantur. Habent rursus concionatores quod imitentur in Apostolis, scilicet instare tempus, quo verborum suorum, atque factorum rationem reddant Domino Iesu, ne accidat quod seruo, qui talentum absconderat. Nam multi sunt, qui putant satis esse verba effundere, parum curantes, an vita, & moribus ornent doctrinam, quam prædicant. Alij rursus sunt, qui parum soliciti de doctrina, hæreses disseminant, & somnia, & inuenta sua magno cum scandalo populo proponunt; correcti verò, obstinato animo Ecclesiæ resistunt, sed isti cum venerint ad Iesum, rationem reddent eorum quæ docuerunt: neque, vt puto, ad aliam quietem eos vocabit, quàm ad eam, quam possident incensores, & suggestores hæresum.

Marc. 6. | Luc. 9. | Cur Dominus secederet interdum. | Apostoli Domino renuntiant quæ egerant, & docuerant, quid docere nos voluerint. | Matth. 25.

Habent etiam turbæ in Domino Iesu quod imitentur, vt interdum à terrenis negotiationibus, & huius vitæ curis secessus perfugio ad se redeant, vt peruestigent, nũ rectè se in suis factis gerant, vt de malefactis pœnitentiam agant, & in futurum circumspectiores reddantur. Nam vt agricolę non singulis annis perpetuo opere agros fatigant, vt quotannis fructum ferant, sed cessare eos faciunt, vt ex illo interuallo, ac quiete, fiant fœcundiores, & copiosiores ferant fructus: ita facere debent, qui secularibus negotijs distrahuntur, vt interdum cessent à curis, & laboribus, vt maiores edere valeant fructus.

Qui secularibus curis detinentur, atque implicantur, vt sese interim colligant, quibus exemplis doceãtur.

In eo quòd Dominum abeuntem vident turbæ, & pedestres de omnibus ciuitatibus

In eo quòd turbæ præuenerunt Iesum

In locum ad quem ibat, quid doceantur nostri seculi homines.

tatibus concurrerunt illuc, & præuenerunt Iesum; habent exemplum nostri seculi homines, vt semper præueniant ecclesiasten, ne ipse cogatur eos expectare, vt hodie fit. Gustauerant istæ turbæ Dominum Iesum; ideò in eis impletur quod dixit Salomon: *Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient.*

Eccles. 24.

Marc. 6.

Et exiens vidit turbam multam Iesus: & misertus est super eos, quia erant sicut oues non habentes pastorem, & cœpit illos docere multa. Tactus est misericordia Dominus, quòd essent velut oues huc & illuc balantes ob boni pastoris inopiam: siquidem Sacerdotes, Scribæ, & Pharisæi neglecto grege pascebant semetipsos. Iesus itaque misertus simplicis turbæ, cœpit agere fidum pastorem. Primùm quidem sacræ doctrinæ pabulo refecit illorum animas; deinde, quos secum adduxerant, ægrotos sanauit; postremò verò etiam pane communi satiauit. Quod verò dicitur, Et cœpit, intellige in exitu de naui: prædicauit verò, & sanauit paulò post, nempe quando conscenso monte quieuit cum Apostolis aliquantulum: posteà verò cum eleuatis oculis vidisset quòd turba multa veniret ad eum, prædicauit, & sanauit, & venientes excepit.

Sacerdotes, Scribæ, & Pharisæi quales erant pastores. Ezech. 34.

Christus verò quam bonus pastor.

Luc. 9.

Sequitur in Luca: *Et excepit eos, & loquebatur illis de regno Dei, & eos qui cura egebant, sanabat.* Iesus videns eorum auiditatem, prodijt è latebris, in quas se se abdiderat, & adeò non repulit eos ob importunitatem, vt vltro etiam iret obuiam: & progressus excepit illos blandè. Et primùm omnium illorum animos pauit, & infirmos à morbis subleuauit. Vnde Theophylactus hoc loco sic scribit: *Docuit Iesus, & sanauit; vt tu discas, quòd Philosophia nostra verbo, & opere constet, & neque dicenda sint, quæ facere non licet, neque facienda quæ dictu absurda.* Sic ille. Ioannes verò subiungit, *quòd sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur.* Erant & aliæ caussæ, vel curiositatis, vel capiendi in sermone, vel audiendi verbum Dei: sed hæc, quæ ab Euangelista nominatur præcipua. Blandus Doctor pueris crustula dat sanitatum, vt inde allecti sanarentur eorum animi. Minima autem erant illa temporalia beneficia, & multi tantùm ob ea sequuntur Dominum: quod tamen in initio patitur Iesus, vt posteà non tam propter eius beneficia, quàm propter eius bonitatem sequantur, sed abutentibus suis signis, dicebat: *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.* Multi enim hodie fiunt Sacerdotes, Abbates, & Episcopi, vt delicatius viuant, & de Christi patrimonio suos ditare valeant consanguineos. Multi quoque instar Iudæ loculis, id est, beneficijs, aut redditibus Ecclesiasticis abutuntur, illos furtim subtrahentes. Et vt asinus, & bos præsepi Domini ad edendum alligati erant, & illi proximi; ita illi qui tantum Christum secundùm carnem cognoscunt, & more canis Æsopici pro latiori frusti carnis vmbra in aqua apparente, veram carnem ore retentam amittunt: id est, pro diuitijs huius seculi, æternos, & cœlestes perdunt thesauros.

Christus zelus animarum.

Theophyl. in Lucam. Philosophia Christiana quibus constat.

Ioan 6. Christus Doctor qualis.

Ibidem. Clerici qui similes turbis Iesum quærentibus, vt saturentur ab eo.

Infra 12 & Infra 13.

Esai. 1. Cognoscunt qui secundum carnē Christū. 2. Cor. 5.

Subijt ergo in montem Iesus; & ibi sedebat cum discipulis suis. Egressus de naui, continuò in partem montosam ascendit, vt tantillum cum Apostolis quiesceret. Permittat ergo Episcopus exemplo Christi sacerdotes sibi assidere: quemadmodùm Concilium Carthaginense docet, cùm ait: *Episcopus quolibet loco sedens, stare presbyterum non patiatur.* Hæc ibi. Et Dominus quidem subijt in montem cum Apostolis, id est, in eminentiorem partem illius deserti; tùm vt quiesceret, tùm vt liberius turbas aspicere posset; tùm vt ex altiori loco melius posset prædicare, & à turbis audiri; tùm denique, vt locus responderet locato. Erat enim Christus, & ratione personæ suæ, & charitatis, & signorum, & doctrinæ, mons domus Domini eleuatus super verticem montium.

Episcopus exemplo Christi sacerdotes sibi assistentes debet habere.

Cōc. Carthag. 4. ca. 34. dist. 95 c. Episcop. in quolibet loco.

Cur subierit in montem Iesus cum discipulis suis.

Esai. 2. & Michaeas 4.

Et erat proximum Pascha dies festus Iudæorum. Intellige tertium Pascha, vt docet Episcopus Abulensis, post illud primum Ioan. 2. & illud secundum Ioan. 5. quod consecutum est hoc, sicut & hoc illud, in quo Crucifixus est; & ante diem mortis suæ in nocte instituerat pastum Eucharistiæ, cuius symbolum fuit hæc saturatio. Ne verò videretur peccare, non eundo ad solennitatem Paschalem in Hierusalem; hoc admirandum, ac diuinum edidit signum. Suberat etiam iusta caussa non eundi: quia odio capitali eum prosequentes, in necem eius conspirauerant, vt Ioannes testatur. Voluit etiam paullatim ablactare Iudæos à festis Iudaicis, quæ quamprimùm erant abroganda, & relinquenda illis domus deserta, & vbique celebrari debebat verum Pascha, vbi relictis mundanis affectibus, ad cœlestium rerum amorem transferretur animus. Docuit etiam se nolle conciliare Hierosolymis opinionem, & gloriam, dum in paruis Galilææ locis delitesceret.

Quo Paschate subierit in mōtem Iesus. Episcop. Abulen. in suo defensorio.

Ioan. 5. Infra 5.

Matth. 23. Luc. 13.

Quum subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum.

Vbi

Vbi Christus eleuat oculos, quid innuere videatur. Vbi Christus eleuat oculos, semper aliquod magnum mysterium innuitur: vt cùm apud Lucam eleuatis oculis in Discipulos suos, dicebat: *Beati pauperes, &c.* & cū suspiciens vidit Zachæum in arbore Sycomoro; item cùm in oratione subleuauit oculos ad Patrem, quemadmodùm eleuatis oculis Eucharistiam confecit, vt Ecclesia testatur, ita hic, quia volebat facere signū, occasionem edendi illud ex loco, & tempore, & turbarum multitudine accepit. Vt enim filia stertente, pater insomnes noctes traducit, dum cogitat de ea locanda, & de genero accipiendo, & quando, & vbi, & de dote danda: ita Chrristus dum nos dormimus, aut nihil minus cogitamus de nobis pascendis, & honestandis solicitus est, ac peruigil: sicut modò de dando pane turbis. Antequam ergo Dominus Philippum tentaret, & cœpisset dies declinare, accesserunt ad eum Apostoli, dicentes: *Dimitte turbas, vt euntes in castella, villasq́; quæ circa sunt, diuertant, & inueniant escas: quia hic in loco deserto sumus.* Desertum hoc, villas & castella circumquaque habebat; ne putes esse simile deserto Ægypti, aut Arabiæ. Deindè vide quàm assiduus fuerit Christus in docendo, qui vsque ad diei vesperam non cessauit turbis prædicare. Vide etiam beatæ huius turbæ affectum, & alacritatem: quia non dubitant etiam in desertum proficisci, & pernoctare etiam, vt illa solitudine verbum Dei audirent. Quod negligentiam nostri seculi hominum vehementer declarat, qui ne domo quidem exire dignantur, & venire in templum ad audiendum verbum Dei erubescunt: & si vltra horam, vel tantillum concio pertrahatur, statim indignantur, & cogitant de recessu. Apostoli ergo accesserunt ad Iesum, non quidem orantem, quia dicunt: *Dimitte*, sed prædicantem in loco eminentiori, & distanti aliquātulum à vallantibus discipulis. Ideò dicuntur accedere, ac rursus accessisse, ex commiseratione, quam ad se ipsos, & ad turbas habebant; ne Christus produceret sermonem, & Deo eos mouente, vt ita rogatus faceret signum. Turba autem hoc non petijt ex reuerentia, & suauitate sermonis Christi, quæ sciebat Christum prudentem: neque vt signum expectarent, quia simile quid non viderant. Et aiunt illi: *Dimitte turbas.* Non dicunt, satia; ob imbecillitatem fidei, quam etiam in secunda saturatione ostenderunt. Pro se autem nihil postularunt, quia habebant quinque panes, vt ait Marcus: consueuerant enim ferre secum viaticum, vt colligitur ex verbis Matthæi, cùm Christus dixit: *Intuemini, & cauete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum. At illi cogitabant inter se, dicentes, Quia panes non accepimus.* Maximè quia præscierunt se arbituros in desertum.

Luc. 6. *Infra 19.* *Ioan. 17.* *Matth. 26.* Christi pro nobis solicitudo qualis. *Luc. 9.* Quàm assiduus in docēdo esset Christus. Huius turbæ Christum Dominum audiēdi sedulitas quos grauiter incuset. Quid est quod Discipuli ad Iesum dicuntur accessisse. Quare discipuli Christo suaserint, vt turbas dimitteret. *Matth. 15.* *Marc. 6.* *Matth. 16.*

Ex apparatu autem turbarum, & confusione, cognouerunt eam non habere cibos: aliàs ausi non fuissent sermonem Domini interrumpere; & in secūda saturatione defecit cibus turbæ, & non discipulis.

Vnde Apostoli agnouerint turbam secum panem non attulisse.

Iesus autem dixit eis, Non habent necesse: date illis vos manducare. Non hoc dixit Dominus, quasi expectaret eos sua industria præparaturos, vnde tot millia hominum pascerentur: sed vt eos expergefaceret, ac redderet capaciores eorum quæ fiebant, cognoscerentq́; numerum panum illis ad cibum non suppetere; & ita miraculi magnitudinem intelligerent. Vos ergo date illis manducare: quia qui me habet, omnia habet: qui quærit regnum Dei, & iustitiam eius, huic etiam in deserto non deerit panis, Et ita tentauit Philippum, dicendo: *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* Etsi enim tunc omnes Apostoli essent pusillanimes, & carnales, speciatim tamen Philippus peculiari egebat eruditione, teste Theophylacto. Et ait: *Vnde ememus*, id est, quo pretio, vel à quibus vendentibus. Et cùm alij dixissent: Nisi fortè nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam escas. Erant autem ferè viri quinque millia. Quod per ironiam dictum videtur, quasi dicant, Non suppetit nobis pecunia. Quod si seriò Apostoli dixerunt, indicabant charitatem suam, quia omnibus ad Christum venientibus de pane prospicere volebant. Nunc autem qui locum Christi habent in terris, vt Pontifices, & Reges, penes se habent ministros, qui panem totum sibi ipsis habere volunt, & non curant de aliorum fame subleuanda, qui sæpè magis sunt promeriti, & magis indigent.

Matth. 15. Quo verbo Christus Apostolos ad intelligentiam signi faciendi saturationis turbarum excitauerit. *Matth. 6.* *Ioan. 6.* Quare Christus Philippū & non alios interrogauerit: Vnde ememus panes, &c. *Theophyl. in Ioannem.* *Luc. 9.* Apostolorum charitas. Locum Christi qui teneāt in terris.

Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorū panes non sufficiunt eis; vt vnusquisq́; modicum quid accipiat. Id est, nec etiam ducenti denarij satis erunt ad emendum tantum panis qui sufficiat; non dico ad pascendum, sed ne ad modicum quidem gustandum. Arguit enim humana ratio ab impossibili, nil respiciens ad Christi potentiam: vt Nicodemus: *Quomodò potest homo nasci cum sit senex? nunquid potest in ventrem matris suæ iteratò introire, & renasci?* Et Samaritana: *Domine, neq́; in quo haurias habes, & puteus altus est, quomodo ergo habes aquā viuam?* Et Capharnaitæ. *Quomodò potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Et quia denarius est eiusdem pretij cum Iulio nostro; ducenti denarij conficiunt 20. aureos monetæ nostræ: qui si diui-

Humanæ rationis infirmitas. *Ioan. 3.* *Infra 4.* *Infra 6.* Denarius apud Iudæos, & Iulius apud nos tantundem valent.

ſi diuidantur in quinque millia, quælibet centuria habebit quinq; denarios cum dimidio, & paullò plus. Nunc verò cùm ad illum numerum quinq; millium accedant mulieres, & paruuli; reperiemus Philippũ ſingulis capitibus ſemiquadrantem exiguo pane emendo vix tribuiſſe.

Subdit autem Ioannes: *Hoc autem dicebat tentans eum, ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus.* Tentat Dominus, non vt fallat, quomodò diabolus tentat: nec vt eius occulta exploret, quomodò homo tentat; ſed vt eius animus ſibi ipſi, & alijs pateat. Tentat igitur, quomodò magiſter diſcipulum vt cognoſcat ſuam ignorantiam, & fidei tarditatem. Et tentatur Philippus, & quilibet, dum ad ſe reſpicit, id eſt ad ea, quæ generant diffidẽtiam. Attollendi ergo ſunt oculi ad Deum cum Chriſto, & ſeruo Heliſæi, vt ſciamus plures eſſe nobiſcum, quàm contra nos. A rudi, & craſſo diſcipulo Chriſtus Dei ſapientia conſilium quærit; ne Prælati ſuorum paruifaciant conſilia ſubditorum. Nam, *Sæpè etiam eſt olitor* (vt ille dixit) *valde opportuna locutus*; & Moſes non ſpreuit conſilium Iethro ſoceri ſui, nec Naaman verba captiuæ puellæ ex Iſrael, aut ſubditorum conſulentium vt Heliſæi præcepto pareret. Imò Cyrus Imperator obuiam ſibi factum ſeruum nuper è vinculis liberatum, ſui conſilij participem effecit, eiuſque de bello in Aſtyagem gerendo ſententiam exquiſiuit: vt teſtis eſt Iuſtinus.

Dominus cur tentauerit nunc Philippum.
Dæmon cur tentet.
De diffidentia homo cum tentatur, quid agere debeat.
4. Reg. 6.
1. Cor. 1.
Vnde Prælati doceantur ſuorum non paruifacere conſilia ſubditorum.
Exod. 18.
4. Reg. 5.
Iuſtin. hiſtor. lib. 1.

Sequitur, Dominum interrogaſſe: *Quot panes habetis? ite, & videte. Et cùm cognouiſſent, dicunt, Quinque, & duos piſces.* Chriſtus in vniuerſum omnes interrogauit, & ſolus nomine omnium reſpondit Andreas, ſicut & Philippus: *Eſt puer vnus hic qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tantos?* Interrogauit Dominus, vt magis agnoſceretur miraculum, cognito numero panum ad ſuſtentationem turbæ neceſſario, & eo quem ipſi habebant. Puer autem ille, ſiue miniſter, vt quidam dicunt, domeſticus diſcipulorum fuit, & vt quidam tradunt, erat B. Martialis: panes tamen diſcipulorum erant, vt Marcus, & Lucas habent. Et charitatem oſtendit Andreas, quod neceſſarium victum paratus erat turbis communicare: nos autem ne ſuperfluum quidem largimur. Sed languidam oſtendit fidem, cùm nihil de virtute Chriſti panes multiplicantis cogitans, dixit: *Sed hæc quid ſunt inter tãtos?* Vox Græca τοσούτους, tam magnitudinem, quàm multitudinem reſpicit; & ita verti poteſt, inter tantos, & inter tam multos, quod magis huic loco quadrat. Illud diſce, ſi ſapis, noli hærere creaturis: hære Deo ipſi, & fortior eris, & magis quietus. Terra enim propterea ſolidior eſt, & firmior, quia fundat ſuper nihilum, vnde dicitur: *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam:* & Iob. *Qui extendit Aquilonem ſuper vacuum, & appendit terram ſuper nihilum.* B. Martinus, vt teſtis eſt Seuerus Sulpit. cùm incidiſſet in latrones, & inter medios gladios diſtrictos magna vultus ſerenitate, & ſecuritate maneret, rogatus cur tantam vultus hilaritatem præſeferret, reſpondit: *Quia ſoli Deo fido, cùm nullum mihi humanum præſidium adſit.*

Marc. 6.
Quare Chriſtus ab Apoſtolis quæſierit, quot panes haberent.
Puer habens quinq; panes hordeaceos, & duos piſces, quis ille fuerit ſecundum quoſdam.
Andreæ Apoſtoli charitas, & beneficentia.
Adhærẽdum eſt Deo ſoli.
Pſal. 103.
Terra firmitas vnde.
Iob. 26.
Seuer. Sulpit. c. 6. vita B. Martini
B. Martini ad latrones ſibi necem minitantes intrepida reſponſio.

Et præcepit illis, vt accumbere facerent omnes ſecundùm contubernia ſuper viride fœnum. Ita ait Marcus. Ioannes verò habet: *Facite homines diſcumbere.* Poſtquàm iam conſtabat de defectu panis, quemadmodùm de defectu vini in Cana, ad miraculum præſtandum accedit. Quod Dominus edere voluit, vt ſe Deum oſtenderet, qui olim manna pauerat turbas; & vt poteſtatem oſtendat in varietate ſignorum. Iuſtúmque fuit hoc ſignum facere, quia detinuerat diu præter morem prædicando. Quòd ſi non prædicaſſet plus ſolito, habebant tempus eundi ad proximas villas. Poſtremò, quia non poterant ſine magna debilitate reuerti, maximè mulieres, & paruuli. Deniq; vt ſignum eſſet Euchariſtiæ, per quam paſcit noſtros ſpiritus. Et humana prouidentia primo implet menſam, antequam diſcumbant: contra verò Chriſtus, qui vult vt ſpes tota in eo collocetur, & non in cibo: nam vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt. Verbum ergo hoc: *Facite homines diſcumbere*, verbum eſt Leonis Iudæ contra noſtram incredulitatem, & puſillum animum. Perinde enim eſt, ac ſi dixiſſet, Plantate ſolum, & rigate: Ego enim ſum, qui cibabo, & incrementum dabo.

Marc. 6.
Ioan. 6.
Supra 2.
Cur Chriſtus hoc ſignum edere voluerit ſaturationis turbarum.
Exod. 16.
An conueniens fuerit hoc miraculum à Domino fieri.
Rom. 4.
1. Cor. 15.

Diſcubuerunt autem ſuper viride fœnum; quia tempus erat Veris prope Paſcha: & fœnum fuit pro ſedibus, & menſa, quia mundum erat, & ita in illo reliquiæ ſeruatæ ſunt. Diſcubuerunt autem; quia olim iacendo in triclinio, id eſt, lecto, comedebant; vt dicitur 1. lib. Reg. vt poſſet eis commodè miniſtrari; & viderentur reliquiæ colligi, & omnes ſaturari: quod non eſſet, ſi ſtarent. Ante fractionem autem diſcubuerunt: quia in manibus comedentium cibus parabatur. Mira autem fuit obedientia, quod eius mandato pareant Apoſtoli, neſcientes quid vellet facere: & eadẽ in populo fuit obediendi Apoſtolis facilitas, ſimilem promptitudinem obediendi videmus in miniſtris nuptiarum, cum deficiente vino hydrias impleuerunt

Quare diſcubuerint ſuper viride fœnum.
Iacentes comedere, quæ olim conſuetudo.
1. Reg. 9.
Apoſtolorum ac turbarum obedientiæ documentũ.
Ioan. 2.

Quemadmodũ turbæ per contubernia consederint. *Marc. 6.* *Euthym. c. 28 in Matth.*

uerunt aqua. Sederunt autem per contubernia, siue per areolas, & per partes. Et vt ponderauit Euthym. verba Græca Marci Euangelistæ συμπόσια συμπόσια, id est, cõuiuia conuiuia, id est, more Hebraicorum singula distributa conuiuia, siue congregationes congregationes, in circuli modum. Deinde subiungit, πρασιαί, πρασιαί, id est, areolæ in quadranguli formam, quales sunt hortorum areolæ. Lucas verò vocat κλισίας, id est, discubitus, ἀπὸ τοῦ κλιθῆναι, id est, discumbendo. Quod ergo Lucas dixit: *Facite illos discumbere per conuiuia quinquagenos*, non pugnat cum eo quod Marcus ait: *per centenos, & quinquagenos:* quia ille partem expressit mandati, hic totum. Et simul perpende, quòd in qualibet re ordo est necessarius: ordine enim seruantur omnia naturalia, imò etiam quæ gratuita sunt. Ideò quisque debet in ordine suo consistere, & ordinarium suum cibum edere; nam præter rationem est, vt vno die exhaurias, quod toto anno edendum erat: & illud deterius est, vt quod est animæ tribuendum in fructum sempiternum, detur corpori vorandum ad horam.

Luc. 9.

Si turbæ, vt ait Lucas, sederũt per conuiuia quinquagenos: quomodò, iuxta Marcum, per centenos & quinquagenos.

In omni re ordo est necessarius.

Quare per centenos & quinquagenos turbæ discubuerint.

Dispositis etiam sic ordinibus, magis conspicuum fiebat miraculum; & deinde vt commodiùs numerari possent homines, & vt cum alij alios respicerent, cœlestis huius signi fierent testes. Quia verò numerus turbarum erat ferè quinque millium, si addas illis puerorum numerum, & mulierum, quæ plures accurrere solent ad huiusmodi, ac superasse numerum virorũ saltem in ducentis & octo; deprehendes vnumquemque Apostolorum ministrasse octingentis, & quinquaginta: quæ conficiunt sex centurias, & quinque quinquagenas, vel quinque centurias, & septem quinquagenas.

Singulis Apostolis quantula pars turbæ tum ad ministrandum obtigerit in multiplicatione panum & piscium.

Et acceptis quinq; panibus, & duobus piscibus, intuens in cœlum, benedixit, & fregit panes, & dedit discipulis suis vt ponerent ante eos: & duos pisces diuisit omnibus. Hæc Marcus. Ioannes verò ait: *Accepit ergo Iesus panes: & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus. Similiter & ex piscibus quantum volebant.* Primò Iesus accepit panes, vt ipse videretur solus, & primarius autor miraculi. Deinde intuitus est, siue suspexit in cœlum, tum vt à Deo videretur proficisci miraculum, à quo illud edendi potestatem per generationem Christus vt Deus, & per incarnationem vt homo est, acceperat, deinde vt expectemus ab eo tanquam à primo parente sustentationem. Adhæc quia per signa volebat ostendere se Deum: inde enim alia pendebant, ideo prima signa non fecit

Quare Christus accipiens panẽ, aspexit in cœlum.

Prima signa Dominus orãdo non fecit.

orando, nec etiam magna sequentia, nisi tantum Lazari suscitationem, cui similem nulla præmissa precatione fecerat, vt puellæ, & adolescentis: & in illa Lazari, ob adstantes, vt crederent se à Deo missum, precatus est. Prætereà ostendere volebat se à Deo processisse, ideo vel in paruis signis respiciebat in cœlum, Postremò docere voluit, confugiendum esse nobis ad cœlum in necessitatibus; & si hoc solum intendisset, in omnibus respexisset cœlum.

Ioan. 11. *Matth. 9.* *Luc. 7.* *Ioan. 6.*

Quod benedicere, & gratias agere idẽ sint.

Tertiò, dicitur benedixisse, pro quo verbo Ioannes dixit: *Gratias egisse*, vt intelligamus, idem esse benedicere, & gratias agere: vt annotauit Cyrill. Verbis ergo aliquibus, quod ratio ipsius verbi benedicendi indicat (iuxta illud Gen. *Benedixitq; illis, dicens, Crescite, & multiplicamini*) & præsertim quibus gratias ageret Deo, panes multiplicauit. Idem est ergo εὐλογήσας, & εὐχαριστήσας. Sicut etiam in confectione Eucharistiæ quod Matthæus dixit, εὐχαριστήσας, licet interpres verterit, benedixit, Marcus habet εὐλογήσας, siue benedixit. Et quod Marcus de pane dixit εὐλογήσας, rursus de calice alterum verbum vsurpauit, vt vnam & eandem intelligas esse vtriusque verbi significationem. Et quia dicitur: *Aspiciens in cœlum, benedixit, & fregit, & dedit:* sicut fregit, & dedit, refertur ad panem, ita etiam benedixit. Quod etiam explicatius tradit Lucas, dicens: *Benedixit illis*, scilicet panibus. Hæc ergo benedictio, deprecatio fuit Diuinæ gratiæ, quæ non simplex erat, sed efficiens panum benedictorum multiplicationem; vt benedictio panis in vltima cœna, operabatur panis in corpus Christi transmutationem. Proinde qui gratias agit Deo pro cibo, seu benedicit cibo; meretur augeri à Deo & multiplicari, iuxta illud: *Ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterũ fluant.* Benedixit etiam; vt nos pro cibo agere gratias, & ab eo cibum expectare disceremus: vnde in nullo alio signo legitur benedixisse, præter quam in hoc. Benedictio sola diuites facit, & panis sine benedictione Dei non satiat, iuxta illud: *Comedetis, & non saturabimini.* Quia vero Dominus suo verbo nihil fecit sine voluntate: benedictio, fuit gratiarum actio de miraculo saturationis turbarum (quemadmodum in suscitatione Lazari gratias agit) non quasi formam aliquam multiplicandi panes instituerit: in Eucharistia siquidem fuit opus præscribere formam propter nos, vt sciremus qua forma esset agendum. Vnde nunc ipse ad formam à nobis prolatam quotidie panem in alteram conuertit substantiam, ob Christi etiam exemplum: quia cibus

Cyrill. lib. 3. in Ioan. c. 17. tom. 1. *Gen. 1. & seq.* *Matth. 26.* *Marc. 14.* *Matth. 14.* *Marc. 14.* *Luc. 9.*

Quidnam fuerit panum illa benedictio quã Christus perfecit.

Eccl. 1.

Deo gratias agens pro cibo, seu benedicens, quid assequatur.

Leuit. 26.

Panum benedictio quare sit gratiarum actio.

Ioan. 11.

Mensæ cur benedicamus.

necessarius, & subiacens periculis à cœlo, & terra, & à dæmonibus; & quia gratis donatur etiam malis & ingratis. Vnde Propheta: *Posuit*, inquit, *flumina in desertum; & exitus aquarum in sitim: Terram fructiferam in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea.* Vbi docemur, Deum percutere terram fame, & siccitate propter peccata. Mensa autē bis benedicenda est, & ante, & post cibum: sunt enim quædam orationes deprecatoriæ, quibus aliquid obtinere volumus à Deo, aliæ verò sunt ad gratiarum actiones spectantes pro obtento beneficio: ita in mensa antequam sumatur cibus, est oratio quasi votiua, sumpto autē cibo, est oratio, & gratiarum actio. Vtraque tamen potest vocari gratiarum actio: nam quando ad mensam sedemus, iam à Deo cibum obtinemus; & tamen, quomodocunque vocetur illa oratio, vtroque tempore orandum est. Deinde exemplo Christi ad vtramque præstandam inuitamur. Nam hic ante cibum benedixit, vt tres Euangelistæ dicunt, siue: vt Ioannes habet, gratias egit: quod esset oratio ita cibum benedicens, vt inuolueret gratiarum actionem. Deinde post cibum etiam orabat: nam dicitur apud Matthæum: *Et hymno dicto, exierunt in montem Oliuarum:* id est, peracta benedictione, siue gratiarum actione post cœnam de cœnæ mysterijs. Etsi autē tam laici, quàm Ecclesiastici ad gratias agendas pro cibo, siue pro alijs beneficijs lege teneantur: non tamen illis vllo præcepto positiuo præscribitur certum, & definitum tempus, quemadmodum clericis, qui ante, & post cibum facere. Ecclesiæ lege tenentur: vt patet distinct. 44. cap. *Conuiuia:* & cap. *Quando autem*, Vbi dicitur: *Quando autem conueniunt presbyteri ad aliquod conuiuium, aliquis prior illorum versum ante mensam incipiat, & cibum benedicat: & tunc secundùm ordinem sedeant, alter alteri honorem præbentes: & per vices cibum, & potum benedicant: & aliquis de illorum clericis aliquid de sancta Scriptura legat. Post refectionem similiter hymnum dicant ad exemplum Domini, sicut in cœna fecisse legitur.* Hæc ibi. Præcipitur etiam, dum comedunt, simul aliquid legere ex Sacra Scriptura. Quiuis autem solus Sacerdos etsi ad id lege non obligetur; debet tamen pro honestate, & reuerentia Sacerdotalis gradus illud facere. Nec mirari quisquam debet, si hæc perfectio à Sacerdotibus, vel religiosis simul edentibus exigatur, quam olim solo naturæ lumine ducti Gentiles præstitisse leguntur. Audi quid Cornelius Nepos de Pomponio Attico in eius vita conscribat. *Nemo in conuiuio eius aliud* ἀκρόαμα *audiuit, quam anagnosten: quod nos quidem iocundissimum arbitramur: neque vnquam sine aliqua lectione apud eum cœnatum est, vt non minus animo, quàm ventre conuiuæ delectarentur.* Sic ille Ethnicus de Ethnico viro. Laici verò nec simul coniuncti ad id obligantur.

Psalm. 106. Vnde nā terræ siccitas, & fames teste Propheta.

Mensa & ante & post cibum quare benedicenda.

Matth. 26.

Alter laici, alter clerici Deo Opt. Max. pro omnibus beneficijs gratias agere debent.

Modus benedicendi clericis obseruandus secundum Ecclesiasticā sanctionem.

Quo iure id quiuis per se Sacerdos præstare debeat, vel etiam Ethnicorum exemplo.

Corn. Nepos.

Fregit autem Dominus cibum; vt tam multis diuideretur, & signum à se proficisci ostenderetur. Voluit deinde, vt discipuli sui ministrarent conuiuio, ipse verò Dominus minimè ministrauit; quia humanitus omnibus non posset, & non decebat; & quia perturbaretur ordo. Venit ergo ministrare redemptionem, & non venit vt ei seruiretur, licèt quandoque ei seruirent, & ad exemplum humilitatis, satis est aliqua humilitatis officia præstitisse. Sic etiam discipuli magis honorabantur à Domino, tanquam magis familiares Christo, ex cuius manibus immediatè accipiebant panem, turbæ autem de manibus Apostolorum. Apostoli etiam magis certi de miraculo hac ratione reddebantur. Dedit etiam discipulis, & discipuli apponebant turbis; vt intelligant diuites propterea sibi Christum tot diuitias contulisse; vt eas in egentes distribuant. Sunt enim diuites suo modo ministri, & dispensatores Christi: sed hîc iam quæritur inter dispensatores vt fidelis quis inueniatur: quia multi sunt Iudæ proditori persimiles. Non fecit miraculo vinum; quia non erat necessarium, nisi ad honorem nuptiarum. Vnde in deserto per quadraginta annos non est datum. Si enim datum fuisset hic, scriptum esset. Erant ergo fontes vicini, ad quos pro potu accedebant: qui si defuissent, de aqua signo aliquo prospexisset. Si tantùm essent panes, eos tantum multiplicasset, vt solum manna dedit in deserto. Sed quia etiam erant pisces, & non vinum, eos etiam multiplicauit, & sunt magis necessarij quàm sit vinum, modò aqua non desit. Ideò coturnices dedit in deserto, & Heliæ carnes; cui siccato torrente, & misso ad viduam, vinū non dedit. Malunt etiam homines animalia, quàm vinum.

Cur verò non fecerit optimum panem, id est, frumenti, siue tritici, sicut optimum vinum in nuptijs, in promptu est responsio. Quia Christus multiplicauit quod inuenit: inuenit autem panes hordeaceos, & non frumenti; vinum verò ex aqua multiplicauit, optimum, & quale voluit. Non multiplicauit ducentos denarios quos habebant Apostoli, ne pecunia minus communicaretur fratribus, nam seruarent illam homines, panem verò si seruarent, putrefieret. Deinde ne pecuniæ cupiditate homi-

Cur Christus fregerit panes.

Quare Christus non ministrarit ipse sed discipuli eius.

Matth. 20. & Luc. 22.

Diuitibus ad quid opes à Christo collatæ

1. Cor. 4.

Ioan. 2. Quare Christus vt in nuptijs olim, nunc miraculo turbis, minimè de vino prospexit.

Exod. 16.

4. Reg. 2.

Quænam causa fuerit panes non triticeos, verùm hordeaceos multiplicandi. *Ioan. 2.*

Qua ratione Christus etiā ducentos denarios noluit multiplicare, cùm posset.

homines ad ſe attrahere videretur, vt traditur Antichriſtus facturus: ſed in primis id factum fuit, quia multiplicata pecunia, non ob id populus qui aderat, veſci potuiſſet, cùm panis, non denariorum multitudo ſit apta materia ad eſum, & ad famem ſedandam. Non fecit autem vaſa menſæ; quia non erant neceſſaria pro his quæ non effunduntur, vt liquida, nec immunditiam contrahunt. Tales erant panes, & piſces aſſi, vt eſt veriſimile; qui Græcè dicuntur à Ioanne ὀψάρια, παρὰ τὸ ὀπτᾶν, id eſt, ab aſſando, eo quod moris eſſet illos aſſare, & fortaſſe aſſatos diuendere. Non ergo παρὰ τὸ ὀψὲ, id eſt, ſerò, vt quidam dicunt, quòd vel veſperi ſolum ijs veſcerentur, vel caperentur, vel ſero voluptatis gratia in vſum venirent. Alioqui ὀψάριον pro condimento, vel obſonio, omnique cibo, qui cum pane edi conſueuit, accipitur: vt eſt apud Athenæum. Vnde idem eſt quod à Ioanne dicitur προσφάγιον. Et Athenæus ait inter omnia obſonia maximè eminere piſcem, qui propter ſingulare nutrimentum, ſolus ita vocatur. Et rurſus: *Non ignoro, obſonium propriè vocari quicquid igni in cibum præparatur:* & ita dictum eſt ab eo, quod igni aſſatur. Et quod Ioannes dixit ὀψάρια, alij dicunt ἰχθύας.

Ioan. 21. Obſonia apud Ioannem vnde dicantur.

Athen. lib. 2. *Ioan. 21* *Idem lib. 7.* Obſoniorum optimum & excellentiſſimum quod.

Piſcis cur ſic dictus.

Obſonium vnde dicatur.

Ioannes verò ait: *Similiter ex piſcibus quantum volebant.* Id eſt, affluenter, implens omne animal benedictione, & relinquens in manu conſilij hominis, vt ſobriè agat. Et ita legit Theophylactus, & Auguſtinus: & magnificat hæc lectio CHRISTI ſignum. Modo verò legitur in Græcis in ſingulari, quantum volebat ὅσον ἤθελον: quia non pro noſtra voluntate, quæ inſatiabilis eſt interdum: ſed pro gratiæ ſuæ menſura nobis beneficia confert. Etſi autem hæc lectio bonum ſenſum comprehendat; præſtantior tamen eſt prior, quam etiam ſequitur Euangelium Syriacum: & facilis fuit lapſus à verbo ἤθελον ad ἤθελεν.

Ioan. 6. *Pſalm. 144.* *Theophyl. in Ioann.* *Auguſt. lib. 2. de conſen. Euang. c. 46.* Vt nobis conferat beneficia Deus.

Et manducauerunt omnes, & ſaturati ſunt. Ita Matthæus, & Marcus ſcribunt; ne putes, vel non omnes comediſſe; vel comediſſe quidem, ſed ſatiatos nō fuiſſe; vel fuiſſe quidem ſaturatos, ſed nihil ſuperfuiſſe. Ideò dicitur: *Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant.* Non tantùm fuerunt fragmenta ex quinque panibus hordeaceis, ſed etiā ex piſcibus, vt teſtatur Marcus; ne quiſquam opinetur myſterium aliquod latere in eo, quod de panib⁹ multum, de piſcibus nihil ſuperfuerit. Et certè ad magnificentiam conuiuij ſpectabat, vt vtrumque ſupereſſet. Plus tribuit quàm opus ſit, ad miraculi claritatem: & plus tribuit nobis quā egeamus, vt ſit vnde charitatem erga proximum exerceamus. Colligenda fragmenta ne pereant, & vt miracula atteſtantur, & quia non ſemper oportet fieri miracula, ſed ex labore prudenter viuendum, & ſeruandum in tempus neceſſarium, quo noſtram, & alienam inopiam ſubleuemus.

Matth. 14. *Marc. 6* Quare dictum ſit: Et manducauerunt omnes, & ſaturati ſunt. *Ibidem.* Non ſolum de panibus, ſed etiam de piſcibus collecta fuiſſe fragmēta.

Noluit autem dare panem; quo guſtato amplius non eſſet eſuries; quia ille ſeruatur in præmium gloriæ; & quia nobis vtilius erat more bonorum filiorum, quotidie ab omnium noſtrum amantiſſimo parente mendicare panem noſtrum quotidianum. Quòd ſi dicas, promiſiſſe aquam, ex qua qui ſemel biberit, non ſitiet in æternum, vt dixit ad Samaritanam. Sed intellexit aquam ſpiritualem Diuinæ gratiæ: quomodo etiam cùm dixit: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Secus eſt de aqua materiali, & pane corporeo. Vt ergo ex iſto pane iuſſit colligi fragmenta: ita ergo & tu collige quæ tibi ſuperflua ſunt quia ex tuis micis cupit ſaturari Lazarus, iuxta illud: *Date eleemoſynam; & ecce omnia munda ſunt vobis.* Et hoc eſt lauare manus à prandio. Pereunt ergo fragmenta, quæ ad vſum, & vtilitatem hominum non perueniunt. Plus etiam ſuperfuit quam appoſitum fuit; vt diſcamus non eſſe parci, ac tenaces in dandis eleemoſynis: quia Deus cum liberaliter dante liberalis eſt, iuxta verbum Domini: Date, & dabitur vobis, &c. iuxta illud Apoſtolicum: Potens eſt autem DEVS omnem gratiam abundare facere in vobis. Nam dare eleemoſynam, ſeminare eſt vnde colligas centuplum; & miſereri pauperis, fœnerari eſt Domino, vt cum vſuris accipias quod dediſti. Vt docet experientia illius viduæ Sarepthanæ, quæ ex paruulo pane ſubcineritio promeruit hydriam farinæ non deficientem.

Cur panem Chriſtus turbis non dederit, qui eis famem in poſterum omnem adimeret. *Matth. 6.* Quænam illa aqua, quā qui biberit, non ſitiet in æternum: vt Dominus dixit Samaritanæ. *Ioan. 4.* *Infra 6.* *Luc. 16.* *Supra 11.* Fragmenta quæ pereant.

Diuinam in ſe liberalitatem qui maximè experiantur. *Luc. 9.* *1. Cor. 9.* *Prouerb. 19.* Seminent qui vt centuplum colligant. *3. Reg. 17.*

Magnificum fuit verbum Ioannis illius, qui ab eleemoſyna nomen ſortitus eſt: qui cum propenſiſſimus eſſet in ſubleuandis egenorum miſerijs, & calamitatibus, & quo plus daret, plus acciperet, dicebat: *Videbo, Domine; quis citius deficiat: an tu mihi dando, an ego alijs diſtribuendo.* In hiſtoria Hadriani Pontificis huius nominis ſecundi ſcribitur, quòd cùm adhuc eſſet in minoribus, & curam pauperum haberet, accepiſſetque quadraginta argenteos quos erogaret in pauperes, accito quodam ſeruo ſuo, miſit illum, vt eam ſummam pecuniæ in pauperes erogaret, qui ad eius oſtium præſtolabantur, & ſingulum argenteum vnicuique pauperi diſtribueret: ille com-

Ioannis illius eleemoſynarij viri ſanctiſſimi pulchrè dictum.

Quid Hadriano Pontifici huius nominis ſecundo in pauperes beneficentiſſimo diuinitùs acciderit.

comperit maiorem esse numerum in triplo, vel quadruplo; quàm argenteorum. Ideò re infecta reuersus est ad Dominum, renuntiando abundantiorem numerum pauperum. Hadrianus acceptis quadraginta argenteis, & magna fide nixus accessit ad pauperes, & singulis enumerauit argenteum, & multi adhuc argentei in manibus remanserunt..

Colligite (inquit) *quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum, &c.* De his Cophinis aliquid superius dictum est. Hoc loco illud tantummodo annotare placuit, Eusebium Cæsariensem in vita Constantini recensere, Constantinum in vrbe sui nominis cognomine Apostolorum templum, siue martyrium ædificasse, & in eo conditorium posuisse suum, quod vtrinque seni claudebant Apostoli, vt defunctus quoque precationum quæ ibidem essent ad Apostolorum gloriam offerendæ, particeps efficeretur. At verò Georgius Cedrenus in Compendio historiæ suæ, qui ante sexcentos annos de rebus insignibus vrbis Constantinopolis scripsit, tradit, in templo illo duodecim Apostolorum reponi solitos quandoque super humeros Apostolorum duodecim illos cophinos, siue sportas, quibus olim collegerant reliquias fragmentorum ex Domini præcepto. Ex quibus constar, religiosè fuisse asseruatos illos cophinos, qui miraculi magnitudinem adhuc testabantur.

Constantini Magni in 12. Apostolos singularis pietas, atque religio. *Euseb. Cæsar. lib. 4. vita Constan. cap. 60. tom. 1.*

Georgius Cedrenus Græcus author.

De duodecim cophinis traditio.

Illi ergo homines cùm vidissent quod Iesus fecerat signum, dicebant, Quia hic est verè Propheta qui venturus est in mundum. Pro eo, Qui venturus erat in mundum: nam si iam venerat, impropriè dicitur esse venturus. Solus Ioannes narrat gratiarum actionem & turbas acclamasse; Iesum esse magnum Prophetam illum, siue Messiam venturum in mundum, de quo in Deuteronomio scripsit Moyses: *Prophetam suscitabo eis, &c.* & à miraculis, & signis, quæ omnem naturæ excedebant virtutem, & quæ virtute propria, & imperio, non prece edebat: & in testimonium quod esset Deus, & Messias, agnouerunt illum magnum esse Prophetam: quemadmodum ex fructibus dignoscere arborem consuenimus. Viderant maiora miracula, nec tamen tã insigne elogium illi tribuerunt. Saturitas ventris hanc vocem à plebe extorsit, & ideò, & erant rudes, ac crassi, Messiam in hoc expectantes, vt regnum mundanum sibi vendicaret, consultauerunt inter se, vt Iesum raperent: sibique Regem constituerent, vbertatem rerum omnium, annonæ copiam, opes, voluptates, & gloriam mundi sibi pollicentes, si talis Rex contigisset. Sed errabant; quia Dei est constituere Regem suum, iuxta illud: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius:* Et regnum Christi non erat de hoc mundo: neque venit, vt daret temporalia bona, sed vt illa pro additamento seruis suis conferret. Perpende quanti referat pastorem animarum temporalibus eleemosynarum beneficijs ornare prædicationem suam: nam inde agnoscunt illum à Deo esse. Audi Gregorium Magnum in secunda parte Pastoralis dicentem: *Egentis amantem prædicantis sermo non penetrat, si hunc apud eius animum misericordiæ manus non commendat. Tunc autem verbi semen facilè germinat; quando hoc in audientis pectore pietas prædicantis rigat.* Propterea subdit Ioannes: *Iesus ergo cum cognouisset quia venturi essent vt raperent eum, & facerent eum Regem: fugit iterum in montem ipse solus.* Ostendens, vt docet Leontius, quod errarent in Scripturarum de Rege mittendo intelligentia. Et cur non potius consultarunt, vt audirent verbum eius, si Propheta erat ille, de quo in Deuteronomio scribitur? Ab hoc enim miraculo concluserunt, eum esse verum Regem Messiam, quoniam ab illo temporalia bona expectabant, vt à Moyse. In quo maximè falsi sunt; & propterea Dominus fugit eos volentes se Regem facere. Docuit etiam suo exemplo, vt sui cultores honores, & dignitates fugiant, quemadmodum olim latitabat Saul domi, dum crearetur Rex. Christi exemplum secuti sunt Ambrosius, & Gregorius, & permulti alij, Episcopatus, & Ecclesiastica munera fugientes. Nunc verò nullus latet, nullus fugit, nullus recusat: quia multi quæ eiusmodi sunt, vt regnum temporale agnoscunt, & amplectuntur, non vt spirituale. Docet etiam Dominus sua fuga & secessu ad orationem, ambitionis truculentissimam pestem vinci. Potest tamen Papa tanquam Rex habere regnũ, vt olim Melchisedech Rex, & Sacerdos: quia non oportet in omnibus Christum imitari. Hic est sensus historicus literæ.

Futurũ tempus pro præterito vnde interdũ cõstet in Scripturis accipi.

Deut. 18. Turbæ Christũ agnoscentes magnum esse Prophetam, quid testari voluerint. *Matth. 7.*

Quare facere voluerint Christum Regem.

Eo facto quid errauerint.

Psalm. 2. Ioan. 18. Quanti referat pastorem animarũ temporalibus eleemosynarum beneficijs ornare prædicationem suam.

Gregor. 2. par. Pastor. c. 7. sub fin. tom. 2.

Turbarum imperitia Scripturarum.

Leontius Episcopus.

Cur fugerit in montẽ Iesus, cũ turba eum Regem facere vellent.

1. Reg. 10 Christus in eo quos habuerit discipulos imitatores que.

Cur hodie plerique Ecclesiasticos honores affectent, & ambiant.

Gen. 14.

Hoc miraculum quotidie exhibet nobis Deus per vires naturæ suppeditando nobis ex paucis multa, & quæ non tantùm satis sint necessitatibus, sed etiam abundè. Impediunt tamen hoc miraculum quinque. Primum est, incredulitas, vt Philippi, & Andreæ non confidentium Diuinæ bonitati, & prouidentiæ. Sed certè qui non deest lilijs, & auibus, quo modo

Quemadmodum Deus nobis quotidie hoc quasi miraculum renouet saturationis turbarum: illud impediunt quinque. *Matth. 6.*

deerit filijs, propter quos omnia condidit? *Non vidi*, inquit, *iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.* Si credis pecuniam tuam menſario, vel Iudæo, cur non Chriſto veraci, & dicenti, *Primum quærite regnum Dei, &c. & hæc omnia adijcientur vobis*? Deinde impedit auaritia. Nam ſi Apoſtoli datum ſibi panem retinuiſſent, turbæ eſurirent, & non guſtarent. Tales ſunt Eccleſiaſtici, & diuites multi, qui abſcondunt frumentum, vt carius vendant, & ſpoliant pauperes. *Quid faciam*, dicebat ille diues, *quia non habeo quò congregem fructus meos? Hoc faciam; Deſtruam horrea mea, & maiora faciam.* Sed verum horreum diuitum ſunt pauperes. Tertiò, impedit diuitum ſplendor in victu, & veſtitu, famulis, equis, canibus, auibus, auleis, atque huiuſmodi alijs. Sed hoc perinde eſt, ac ſi quis Regis miniſter miſſam per ſe pecuniam pauperibus monachis defraudaret, ac ſurriperet, & inde ſe veſte purpurea, & aureo torque ornaret. Quartò, ficta mendicitas, per quam non pauperes edunt quæ ſunt pauperum: & propterea multi non donant, quia decepti ſunt. Sed meminerint ſententiæ Domini: *Quicunq; potum dederit vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine diſcipuli, &c. nō perdet mercedem ſuam.* Sed iſtis fictis pauperibus non ſecus eueniet, ac illi ficto pauperi Epiphanij, de quo lege Sozomenum capite 26. libri ſeptimi. Quintò impedit, non ſedere ſuper fœnum carnis inſatiabilis, & non ſedere per ordinem, edendo cibum ordinarium. Neque enim eſt rationi conſonum, improbum, vel ignorantem, & Eccleſiæ inutilem habere Eccleſiaſtica beneficia, quæ ſatis eſſent decem doctis, & bonis: atque hoc non ob aliud, niſi quia ille primus nuntium attulit; quòd beneficia talia in hac, vel illa prouincia vacarunt. Quòd ſanè conſtat ab ordine, & ratione eſſe alienum. Hæc igitur impedimenta in cauſa ſunt, vt quotidianum & ordinarium miraculū, quod Deus edit multiplicando panes, vel obſcuretur, vel non agnoſcatur.

Pſalm. 35. — *Matth. 6.* — Secundum impedim. — *Luc. 12.* — Verum horreum diuitum quod ſit. — Tertium impedim. — Quartum impedim. — *Matth. 10.* — Fictis pauperibus quid eueniat teſte Sozomeno. — Quintum impedim. — Quibus omnino Eccleſiaſtica beneficia ſint indebita.

Iam litera explicata, ad ſpiritum lubet accedere. Duplex mihi ſenſus erui poſſe videtur, alter quidem allegoricus, tropologicus verò alter. Circa allegoriam igitur, in deſerto eſt Ieſus imminente Paſchate: quia hîc non habemus Terram promiſſam, & manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. Mons quem conſcendit, cœlum eſt Empyreum; in quem peruenit poſt traiectionem maris, id eſt, poſt paſſionem toleratam. Venientes turbæ, ſignificant conuerſos poſt aſcenſionem. Saturatio panis, eſt doctrina de manibus, & exemplis Chriſti: quæ ſola veſpere mundi ſatiat, non autem ea legis nondum impleta per Chriſtum, nec Philoſophorum. Puer habens quinque panes, Moyſes eſt famulus Dei, afferens Pentateuchum legis, ſine CHRISTO minimè ſatians. Duo piſces, ſunt duo præcepta Charitatis, in quæ reſoluitur tota lex. CHRISTVS autem eſt piſcis reficiens, & panis ſatians, qui latens in lege, & Prophetis, ab ipſo Chriſto oſtenditur, non ablata, ſed impleta lege. Poſſumus etiam per duos piſces, CHRISTVM, & Mariam implentes legem accipere. Cophini duodecim Apoſtoli ſunt, quibus declarata, & expoſita quæ Gentes non potuerunt capere, & indies manifeſtantur; ſed mortificantibus carnem, quod eſt ſedere ſuper fœnum: & Scriptura eis qui guſtant, eſt ſummum argumentum, quòd Chriſtus eſt Propheta, & Deus.

Hæc hiſtoria ſaturationis turbarum, ſpiritalem intellectum duplicem capit. — Primus ſenſus, allegoricus. — *Hebr. 13.* — *Matth. 22.* — Panis qualis ſit Chriſtus. — *Matth. 5.*

Circa tropologiam verò conſiderandum eſt, quòd cum homo ex anima, & corpore conſtet; ſi Deus, vt corpus paſcat, iura naturæ ſoluit; quanto magis paſcet animam? Vt ergo in hiſtoria præbetur paſtus corporum, ita in ſpiritu inſtruimur de cibo ſpirituali: ad quem dandum, in primis neceſſarium fuit IESVM tranſire mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis: id eſt, per nauiculam Crucis, & amaritudinem mortis ſub Principe Tiberio tranſire, & aſcendere in montem cœli Empyrei, vbi quietè ſedet, & regnat cum diſcipulis ſuis, id eſt, beatis, qui omnes ſunt docibiles Dei, & verè theodidacti. Et illuc oportuit eam aſcendere, vt daret panem Spiritus, qui inuenitur in terra noſtra; nam aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus: & Euangeliſta dixit: *Nondum erat Spiritus datus; quia Ieſus nondum erat glorificatus.*

Alter ſenſus, Tropologicus ſcilicet. — Mare Galilææ quod eſt Tiberiadis, quid myſticè. — *Eſai 54.* — *Ioan. 6.* — *Epheſ. 4.* — *Pſalm. 67.* — *Ioan. 7.*

Deinde oportet quod ſequatur eum multitudo magna, non tantum intellectu, & fide, ſed operibus, & factis, imitando eum, & tranſeundo quoque mare mundi huius. Sicut enim Moyſes non pauit populum niſi in deſerto, & poſt tranſitum maris Rubri: ita Chriſtus non paſcit, niſi tranſeuntes ſecum mare mundi huius per nauiculam pœnitentiæ, quæ amara eſt cordi propter contritionem, & ori propter confeſſionem peccatorum, & corporis manibus propter ſatisfactionem. Opus eſt etiam ire ad Ieſum, vt cum bene vſus fueris talento tibi communicato, velit te ſatiare, & largiri plus panis: ſed per intermedium

Ieſum ſequi dupliciter oportet. — *Exod. 16. & 14.* — Ieſus quos tātum paſcat.

Philippus quid sonet.

dium Philippum, qui interpretatur os lampadis, siue amaror equorum: Quia prædicatorum est munus ascendere, & illuminare inferiores, & domare superbos equos hominum, & domitos atque mansuefactos diligere. Dominus ergo in cuiusuis corde tentat eum, an ea quæ sunt Diuinæ munificentiæ, tribuat naturæ, an verò gratiæ. Hic verò dicit, *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt, &c.* Id est, Panis Dei satians non potest comparari vllo naturæ pretio. Vnde Simoni Mago dixit Petrus: *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Potest tamen emi de congruo denarijs nostris, verùm ex Diuinæ gratiæ auxilio. Andreas tamen, id est, virilis, & fortissimus prælatus, qui habet potestatem ordinariam, quemadmodum Philippus subdelegatam: iste tantum insinuat paupertatem nostram Christo, cùm ait: *Est puer vnus hic qui habet quinq; panes bordeaceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos?* Quiuis enim homo in puris naturalibus est puer effrænis, ignorans, multisque agitatus motibus carnis: habetque quinque sensus interiores, & exteriores totidem. Exteriores, satis sunt noti; interni verò sunt, sensus communis, Phantasia, Æstimatiua, Cogitatiua, Memoria, vt quidam volunt: quanquam alij quatuor tantum constituant. Hi panes sunt hordeacei, id est, nobis cum belluis communes, & insipidi, licet sensui albi, & pulchri appareant. Duo pisces, sunt intellectus, & voluntas; qui perfectiores sunt panibus, vtpote animalia quæ imperfecta sunt, & in fluxis voluptatibus versantur, dum sine gratia sunt. Sine gratia enim talentum Dei absconditur sub terra. Sed hæc quid sunt inter tantos? Quia quicquid his viribus comparari potest, non satiat, nec saturare valet homines, Nam de sensibus scriptum est: *Non satiatur oculus visu, nec auris auditu impletur.* Et idem poterat dici de reliquis sensibus. Nam de Gustu, & Tactu potest intelligi illud Salomonis: *Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes, Affer, affer,* id est, gula, & luxuria. De intellectu dicitur: *Qui addit scientiam, addit & laborem:* Et de voluntate: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat. Vidi cuncta quæ fiunt sub Sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus.* Quartò, volens Christus satiare, facit homines discumbere super fœnum. Discubitus iste, quietem mentis, & cessationem à curis, atque molestijs significat: denotat etiam humilitatem, qua agnoscimus valorem gratiæ Dei, quam ita spernimus, & de qua: *Ducentorum denariorum panes, &c.* Agnoscimus etiam simul infirmitatem naturæ, de qua expositum est illud: *Est puer vnus hic, &c. Sed hæc quid sunt inter tantos?* Sed hæc malè cognoscit qui facit vt sedeamus sub fœno carnis: Dominus autem vult, vt supra illud sedeamus, vt ita carnem spiritui, rationique subijciamus.

Quemadmodu Dominus nos tentet.

Actor. 8.

Panis Dei satians à nobis vt comparari valeat.

Andreas & Philippus quorũ typus.

Interiores sensus homines qui.

Ij quales panes videri possint.

Eccl. 1.

Prouerb. 30.

Sanguisugæ duæ filiæ iuxta Salomonem, quænam sint.

Eccl. 1.

Ibidem.

Discubitus super fœnũ quid denotet.

Dicitur autem quod erat multum fœnum viride in loco illo: quia omnis caro fœnum, &; *Scio,* inquit Apostolus, *quia non habitat in me* (hoc est, in carne mea) *bonum.* Et rursus, *Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato.* Et dicitur fœnum viride, id est, nondum succisum falce mortis, & peccati: quia tunc traditur edendum bestijs inferni. Ergo dum fœnum est viride, id est, dum tempus hic habemus, operemur bonum.

Turbarum in fœno, eoque viridi sessionis mysterium.

Esai 40. & 1. Pet. 1.

Rom. 7.

Ibidem.

Gal 6.

Quintò, oportet esse vnum de quinque millibus viris. Oportet esse virum per prudentiam, & fortitudinem, non autem tanquam puerum ignorantem & rudem, aut rudem, aut lasciuam mulierem, & vanam. Oportetque cum ordine sedere; vel per quinquagenos, id est, pœnitentes, & eos qui perueniunt ad annum iubilei, & remissionis peccati; vel per centenos, id est, perfectos, & aspirantes ad cœlum.

Vnus qui de numero sit quinque millium hominũ, quos Dominus satiauit.

Quid sessio per quinquagenos & quinquagenos.

Sextò accepit Iesus panes, eleuando naturam humanam per vnionem hypostaticam, & per gratiam, iuxta illud: *Sic agglutinaui mihi omnem domum Israel, & omnem domum Iuda, vt essent mihi in populum, & in nomen, &c.* Nam cum Christo sumus insiti, omnia implent, & omnia pascunt animam. nam visus ex omnibus quæ videt, reficitur: auditus ex omnibus quæ audit. Benedictio etiam additur piscibus: quia intellectus donatur fide, & voluntas charitate. Atque hæc duo condiunt panes quinque sensuum: intellectus enim recolit quinque plagas Christi hordeaceas, id est, amaras, quibus pascitur credendo, vt voluntas amando. Recolit etiam illos duos pisces: Diuinitatis, quæ natauit semper in aquis dulcibus; & humanitatis, quæ in amatis. Recolit etiam illa quinque verba quæ vult in sensu suo loqui Apostolus, id est, Pentateuchum, cuius medullam inquirit intellectus: inuentam, amat voluntas: & duos pisces, qui condiunt legem, id est, sensum literalem, & spiritualem.

Idem quid acceptio panum in manibus Iesu.

Ierem. 13.

Cur idẽ piscibus benedicit.

Quinque etiã panes, & duo pisces qui mystice.

1. Cor. 14.

Septimò, Iesus distribuit Apostolis, qui dabant discumbentibus: hoc est, quod Dominus dedit saturitatem doctrinæ, & Sacramentorum, per quos vt ministros nos pascit:

Quid distributio panum à Christo per manus Apostolorum.

Marc. vlt. *Matt. vlt.* *Ioan. 20.* pascit: *Prædicate*, inquit, *Euangelium omni creaturæ*; Et, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*: rursus, *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*. Per hos igitur venire oportet omnem cibum spiritualem ad nos; de quibus dicitur, *Quis, putas, est fidelis seruus, & prudens: quem constituit Dominus suus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore*? Horum est frangere panem verbi Dei paruulis: & multiplicare exponendo. *Matth. 24.*

De eo quod vnicuiq; dabatur quantum volebat. Octauo, dat vnicuique quantum volebat: quia statim vt fide, spe, & charitate apprehendimus Christum, sistitur fames, & sitis: ait enim: *Ego sum Panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet in æternum*. Rursus: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*. Habito ergo Christo, sistitur omnis fluxus sanguinis, & extinguuntur omnia desideria: & aptè vnicuiq; dabat quantum volebat, id est, vnicuique secundùm propriam mensuram suæ donationis. *Ioan. 6.* *Ibidem.* *Ephes. 4.*

Quò tendit fragmentorū, quæ superauere collectio. Postremò ait, *Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant*. In omni enim conuiuio Christus profusam suam liberalitatem ostendit, vt in isto, & in conuiuio Canæ Galilææ, & in conuiuio verbi Dei, & Eucharistiæ per illa significato. Et iubet beatos, & perfectos iuuare imperfectos in his quæ supersunt, quæ nos non possumus manducare: quemadmodum in lege percipiebat, vt ad esum agni vocarentur vicini. Maiores enim in omni ætate, & lege habuerunt fidem pro minoribus, & eorum reliquijs vescuntur, vt ita fiat ne sanctum detur canibus, & margaritę non proijciantur in porcos. Atque tali tantoque signo agnoscitur Iesus verus Deus, & verus Propheta, & vt alter Ioseph, qui solus famis animarum succurrere nouit, & potuit. Qui ergo hic fuerit conuiuia Christi, erit & in vita æterna edens, & bibens in mensa eius, Præstante eodem Domino nostro Iesu Chrsto Dei Patris virtute, ac sapientia in vnitate sancti Spiritus per omne seculum. Amen. *Ioan. 2.* *Exod. 12.* *Matth. 7.* *Mystici turbarum saturationis signi fructus & vtilitas.* *Gen. 41.* *1. Cor. 1.*

TRACTATVS XXVIII.

In quo agitur de signo quo Iesus ambulauit super mare, & Petrus. Et habetur tùm Matth. 14. tùm Marc. 6. tùm Ioan. 6.

DVo nodi sunt dissoluendi in hoc Tractatu, antequam literam explicemus. Primus est: quòd Ioannes, postquam dixit Dominum fugisse in montem, subiungit: *Vt autem sero factum est, descenderunt discipuli eius ad mare*. Id autem contrarium videtur narrationi aliorum duorum Euangelistarum, qui enarrant, Christum, antequam dimitteret turbas, & in montem ascenderet, statim peracto miraculo coegisse discipulos, vt pręcederent eum trans fretū. Sed intelligendum est, Ioannē illud dixisse recapitulando, vt annotauit B. Augu. Quēadmodùm & quod sequitur apud Ioannē: *Et cum ascendissent nauim, venerunt trans mare in Capharnaū*, dictum est per anticipationē, vel præoccupationem. Nam postea narrat quid contigerit eis in mari existentibus, priusquam venirent in Capharnaum. Vt in Genesi dicitur: *Creauit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam, &c. masculum, & fœminam creauit eos*; postea autem narratur quomodo id factum sit. *Ioan. 6.* *Ioannis cum Matthæo, &* *Marco in postero huius ordine narrationis conciliatio.* *Matth. 14.* *Marc. 6.* *B. Aug lib. 2. de consen. Euang. c. 47.* *Gen. 1.* *Infr. 2. & seq.*

Nec etiam repugnat, quod de aduentu in Capharnaum dicit Ioannes; ei quod dicit Marcus, præceptum fuisse discipulis, vt præcederent eum ad Beth-saidam. Nam intelligendum est, Ioannem non designasse primum locum, in quem venerint post transfretationem, sed eum, ad quem venerunt ex Beth-saida, & aliquot vicinis locis. Vnde Matthæus, & Marcus describentes locum, in quem postea venerunt Apostoli, nomen ponunt generale Genesareth, quod est nomē regionis, in qua sunt Bethsaida, & Capharnaum. Ideò autem in Capharnaum venisse Dominum Ioannes cōmemorat: propter illam insignem disputationem Domini cum Capharnaitis de Pane vitæ edendo, quæ in ea ciuitate habita est. *Marc. 6.* *Quomodo etiam verū sit, Dominū trāsfretando venisse in Capharnaum, vt Ioannes ait; cùm secundū Marcum Dominus iusserit discipulis vt præcederent eum in Bethsaidam.* *Domini aduētū in Capharnaū cur Ioan: cōmemoret.*

Alter nodus est, Quia apud Ioannem dicitur: *Voluerunt ergo accipere eum in nauim: & statim nauis fuit ad terram quam ibant*. Significare videtur, Christum non fuisse receptum in nauim; quòd apertè est contrarium narrationi Matthæi, & Marci. Vnde vel ob hanc præcipuè caussam existimat Chrysostomus aliud fuisse miraculum ab eo quod narrāt reliqui duo. Verum id cum probabile minimè sit, dicēdum est Ioannē quidem non negare, Christum ascēdisse in nauim; sed tantum dixisse, *Voluerunt eum accipere in nauim*, vt significaret, Apostolos cū adhuc longè essent à terra, voluisse Dominum accipere in nauim, vt solito modo cum illis nauigaret, vsq; dum peruenirent ad terram; non tamen fuisse necesse, vt solito more nauigarent ad terrā, eo quòd nouo miraculo subito nauis fuerit ad terram deducta. Atq; ita secundum historiam, vbi Christus Petrū erexisset, & in nauim rursus *Ioan. 6.* *Qui etiam verum sit Christum nauim conscendisse; cum diuersum Ioannes insinuet.* *Chrys. hom. 42. in Ioan. tom. 3.*

duxisset, ipseque pariter ingressus fuisset, simul & ventus quieuit, & nauis ad terram appulit, duplici videlicet miraculo facto à Christo. Et hæc dicta sunt pro concordia Euangelistarum.

Iam verba textus expendenda sunt. Matthæi igitur hoc est exordium: *Et statim compulit Iesus discipulos ascendere in nauiculam & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi. Nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus, erat enim contrarius ventus.* Eadem propemodùm docet Marcus; nisi quòd designat locum trans fretum, in quem eum præcedere debebant, nempè ad Beth-saidam. Et quia Matthæus ait: *Statim compulit Iesus discipulos, &cæt.* significatur ordo rerum continuus. Quod verò Ioannes dicit, discipulos descẽdisse ad mare, Matthæus, & Marcus expressius dicunt, compulisse; siue coegisse alios; vt intelligas Apostolos ęgrè à Christo auulsos, quamuis in deserto essent. Vbi enim malè esse potest cum illo? Et vbi bene esse potest sine illo? Nos verò à Christo facilè auellimur, & fugimus. Compulit ergo iubẽdo celeriter agere, vt turbæ cernerent eum non ire cum Apostolis, & cognoscerent posteà miraculum. Ideò autem solos reliquit Apostolos, tùm vt maius eis sui desiderium faceret, tùm vt ipso facto discerent quàm graue sit solum relinqui; demùm vt miraculo locum daret, ac potentiam suam clariùs ostenderet.

Matth. 14.

Marc. 6.

Quare Apostoli iussi sint statim ire trans fretum: illosq; reliquerit solitarios.

Quòd verò Christus cum Apostolis mare primùm transierit, quando venit editurus hoc signum, sed postea ad montem conscendens, ipsos denuò ad naues compulerit; significat, Christum semel quidem transijsse fluctus nostræ mortalitatis, & ipsum amplius ad passionis aquas post resurrectionem non reuerti. Nobis autem, qui illum (transeuntes aquas) secuti sumus per baptismum in morte eius, superesse longũ mare huius mundi, & aquas tribulationum ebibendas. Quando ergo ascendit in montem fugiens, regnum, iam dimiserat discipulos: aliàs eum expectarent, nec nauigarent. Dicunturq; serò intrasse in mare, siue vespere; quia post meridiem.

Quid Domini transitus maris cum Apostolis ante editum hoc signum, eiusdemque postea in montẽ ascendentis, Apostolorum in nauim impulsus significauerit.

Rom. 6.

Quod autem dicitur, Dominum turbas dimittere; id fecit ex comitate quadam, & prudenti vrbanitate. Et fortè aliquibus imponebat manus, & benedicebat; vt de pueris dicitur apud Matthæum. Turba etiam abeundi facultatem petebat à Domino; qui fortè dabat eis breuia salutis monita, vt Iacob moriturus filijs suis; & Moses, & Samuel populo Dei.

Quare Christus dimiserit turbas.

Matt. 19.

Gen. 48. & seq.

Deut. 33. & seq.

Dimissa autem turba ascendit in montem solus orare: tùm ne facerent eum Regem, quod post recessum à Christo cogitauerunt. Non autem recessit occultè ab eis, quia dimisit turbas: nec tunc descendit ad saturandum, quia raperent eum, sed Christus mansit in monte. Orabat autem, vt exemplum daret, maximè prædicatoribus, quibus regulam præfixit orandi post prædicationem, vt id quod verbo seminarunt, prosperum successum habeat in cordibus hominum. Dat etiam bene expendendi tempus exemplum; quia datum est ad mẽsuram. Merebatur autem corporis gloriã, & nominis sui propagationem per orationem: quanquam ille proderat nobis, semperque exaudiebatur pro sua reuerentia. In monte autem orabat; ob solitudinem necessariam, & eleuationem mentis indicandam; & ne, si inueniri posset solus, gigneret scandalum; & vt tolleret impedimentum iubilandi, & vt doceret vanę glorię in aliorum conspectu orando occasionem declinandam. Id etiam expediebat turbæ; quia tempus erat vt ad sua redirent. Christus autem, quia dominus erat naturæ, poterat in oratione vel breui tempore, vel diu permanere, sicut cum pernoctauit in oratione Dei, vt Lucas inquit: hic autem per duodecim horas vsque ad quartam vigiliam à vespera orauit: & in quadraginta diebus deserti perpetuò orationes fundebat. Quia tamen Dominus circa intellectum, & voluntatem beatus erat: quando alię vires vacabãt alijs, vt doctrinæ, peregrinationi, &c. non recipiebant redundantiam, neq; consolationem, vt docet Episcopus Abulensis; quam tamen interdum recipiebant, quando ab illis cessabat, & cum solùm contemplationi vacabat. Et ita sua oratio erat contemplatio. Petebat tamen quandoq; pauca verba, dicens: & replicans, vt cùm dixit, *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.* Dicere autem, *Pater noster,* Christo non conueniebat; nisi tantùm propter nos: sicut nec illud: *Dimitte nobis debita nostra.*

1. Reg 12. & seq.

Quare Christus dim ssis turbis se ad orandum contulerit.

Ioan. 6.

Tempus nobis expendendum bene cur sit.

Heb. 5.

Ad quid Dominus ascenderit in montem ad orandum.

Ibi quot horas in orando consumpserit.

Luc 6.

Episc. Abul. in c 14. Mat. q 147.

Qualis erat Domini oratio.

Matth. 26.

Sup. 6.

Dicere, Pater noster, Christo quatenus conueniret.

Vespere autem facto solus erat ibi. Id est, cum essent tenebræ, siue nox, vt Ioannes habet. ¶ *Nauicula autem in medio maris iactabatur fluctibus.* Fortè miraculo, sicut de tempestate suscitata tempore Ionæ, & in Psalmo dicitur: *Dixit, & stetit spiritus procellæ: & exaltati sunt fluctus eius.* Licet autem esset naturalis, à Deo erat, & Christus illam præsciens venturam, misit discipulos, vt discerẽt patientiam, spem in Deo collicarent & agnoscerent omne bonum suum esse à Christo, & fieret signum eo absente, & super aquas ambularet, & magis dilatum est caussa

Ioan. 6.

Iona 1.

Psal. 109.

Vnde extiterit tempestas quã nunc Apostoli in mari perpessi sunt.

Petri

Petri. ¶ *Erat enim contrarius ventus.* Multæ suberant caussæ timoris. Primò quòd erat in medio mari: quia ambulauerant per vigintiquinque stadia, aut triginta, vt docet Ioannes. Deinde quòd nox erat, in qua ob defectum lucis minus se iuuare possunt homines. Tertiò, quia carebant nauclero peritissimo, id est, Iesu, quem prius habebant, etsi dormientem in mari, vt excitarent eum. Sed nunc sine illo erant: nam aliàs primò experti sunt Apostoli aliam tempestatem in mari, sed diurnam, & præsente Iesu, hic de nocte, & eo absente, vt vel sic ad maiora proueheret, & postmodùm ne desperarent, si Iesu in cœlum assumpto, ipsi soli in mari iactarentur. Tentamur sæpè, sed ita, vt experiamur Dei præsentiam & consolationem, & est leuis tētatio: sed grauis est, cùm Deus non videtur, nec sentitur, imò sentitur contrarius, vt Dominus ipsi Iob, & Pater Iesu Christi, qui dixit: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Quartò, quia erant fatigati in remigando; erat enim eis ventus contrarius. Nam Apostolis, & prædicatorib. se opponit dæmon, ne fructum faciant in populo. Existentibus etiam in naui Ecclesiæ, vel propriæ conscientiæ, vt magis purgentur, & similiores Christo efficiantur, expedit tentari, iuxta illud: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.* Sed vnicum solatium esse debet, quòd Iesus vidit eos laborantes in remigando. Etsi enim nos præ turbatione illum non videamus, ipse tamen videt nos, quia ipse est spectator nostri agonis, & certaminis, vt intelligamus nihil nobis accidere posse citra Domini videntis omnia voluntatem.

Ioan. 6.
Matth. 8.
A Deo quatenus tentemur.
Iob 2.
Matth. 27.
Quibus se dæmon opponat
Tentari etiam quib. expediat
Iob 12.
Quo gaudeāt Domini solatio qui tentantur huiusmodi.

Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos ambulans super mare. In quatuor vigilias distribuebatur olim à custodibus castrorū nox. Prima dicitur conticinum, eo quòd omnes in eo silerent, & omnes in eo vigilarent. Secunda, intempestum, eo quòd non esset tempus operandi, in qua adolescentes excubias faciebant: & hæc protrahebatur ad mediam noctem. Tertia, Gallicinium, in quo viri. Quarta, Antelucanum, in quo senes vigilias obseruabant. Et de his quatuor loquitur Marcus, cùm ait: *Vigilate ergo: nescitis enim quando Dominus domus veniat: serò, an media nocte, an galli cantu, an manè.* Tempestas autem cœpit noctis initio, dicitur enim: *Tenebræ iam factæ erant* (id est, cœperat nox) *& non venerat ad eos Iesus.* Mare autem vento magno flante, exurgebat. Distulit autem Christus venire, ita vt assuescerent pati, & sperarent in Domino, vt magis etiam miraculum agnosceretur, & hæreret memoriæ, & charius esset donum. Ambulabat autem Iesus supra mare; vel virtute Dei eum ferēte, sicut Angelus ferebat Habacuc per aërem minus solidum, vel aqua solidata fuit sicut gelu, & marmor, vt posset soliditatem præstare sanctis Christi pedibus; vel Deo suspendente actum grauitatis corporis, vt antè suspenderat actum occupationis per dotem subtilitatis in natiuitate: quemadmodum in tribus pueris Chaldæis in fornacem coniectis, suspendit actum caloris in igne, qui nihil illis nocuit. Etsi autem absens Christus liberare valuisset Apostolos, discipuli tamen id non putarent: quia vel eo ad ipsos veniente mirabantur, teste Marco. Deinde indicare voluit se dominum maris. Tertiò hoc fecit, vt credibile redderet signū de panibus, quod adhuc non intelligebant: vt qui Deum nō cognoscunt in pane, id est, in prosperis, cogantur cognoscere vel in aduersis. Quartò, vt ostenderet gloriam futuram saltem per dotes corporis: quia gloria animæ inuisibilis est. Ostendit autem subtilitatem, cùm editus fuit in lucem, inuiolatis Mariæ Virginis claustris: claritatis dotem in transfiguratione: impassibilitate verò vsus est in ieiunio quadraginta dierum sine testibus: Agilitatis verò in hoc mysterio. Ostendit autem insignem suam charitatem. Venit enim Christus lux contra tenebras; proximus naui, contra absentiam: ambulans supra mare, contra terrorem fluctuum. Venit vt gallina ad defensionem pullorum, vt pastor ad tuendas oues.

Stationes seu vigiliæ militares quæ, & quot erant olim.
Marc. 13.
Ioan. 6.
Cur Christus quarta vigilia noctis venerit ad discipulos in mari laborantes.

Christus potuit ambulare super aquas tripliciter.
Dan. 14.
Supra 3.
Quare Christus ambulauerit super aquas.
Mar. 6.
Qua dote corporis gloriosi Christus vsus sit in transfiguratiōe, qua verò in egressu de vtero virginis, qua itē in ieiunio quadraginta dierum.
Matth. 17.
Supra 4.
Matth. 23.
Ioan. 10.

Venit ad eos ambulans super mare. Sicut tigris, quæ captis catulis rabida agitur, & per medios gladios & ignes euolat, suæ non parcens vitæ, dummodo filios captos redimat: ad hunc modum Dominus Iesus igne inflammatus Spiritus sancti, quo nos liberaret, & à Satanæ eriperet faucibus, vitæ suæ non pepercit, sed per medios clauos, crucem, & lanceam, spinas, & flagella penetrauit.

Tigridis ingenium.

Et videntes eum supra mare ambulantem, turbati sunt, dicentes, Quia phantasma est. Marcus addit, quòd ambulans super mare, volebat præterire eos, id est, speciem prætereuntis edebat, vt ita afflictos & territos magis affligeret, & terreret, & ita magis clamarent pro salute, & auxilio. Nam vt docet Chrysostomus, in fine auget tentationes, vt Iob, cuius corpus permisit lepra percuti à capite ad calcem. Abrahæ etiam vltima tentatio de filio immolando maxima fuit. Volebat etiam hac præteritione significare qualis esset in illorum cordibus, nempe nondum fixus & firmatus per fidem, quia

Marc. 6.
Quid quod Iesus ambulās super mare, volebat præterire eos.
Chrysost. ho. 51. in Matth. tom. 2.
Iob 2.
Gen. 22.
Abrahę vltima tentatio quę fuerit, & quanta.

Christum putabant phantasma: ideò turbati sunt, quia non putabant ipsum esse Iesum, cùm transiret, & nil loqueretur, & nihil simile aliàs in Christo vidissent, & corde excæcato non credebant id posse Deũ. Est autem phantasma, apparens quædam in phantasia imago, & non rei alicuius substantia. Putabant ergo esse corpus aëreum, quod potest esse supra aquas, vt nubes, & motum à spiritu, id est, à dæmone; hinc timebant, vt alias existimabant se spiritum videre, nempe in corpore aëreo & phantastico. Nihil autem est Christo magis contrarium quàm phantasma: est enim phantasma id quod apparet, sed non existit, cùm Christus sit verè Deus abscondirus, etiamsi nõ appareat: *Ego, inquit, sum, qui sum:* & Damascenus: *Deus est pelagus infinitæ substantiæ.* Qui ergo est, in infinitum distat à phantasmate. Qui autem propter nos maledictus, & leprosus reputari voluit, etiã propter nos existimari phantasma non detrectauit. Nocte autem, id est, in ignorantia rerum spectantium ad fidem, quando scilicet tribulamur, & acquiescimus tentationi, videtur Christus phantasma. Sensus & humana ratio omnia Christi opera putat esse phantasmata: fides videt esse omnia phantasmata præter Christum: & Paulus: *Propter Christum omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam.* Domini etiam Iesu beneficia tãtæ sunt celsitudinis & excellentiæ, vt illorum oculi caligent & excęcentur, & illa non credant, sed putent phantasmata. Ideò incarnatio Filij Dei phantasma fuit Iudæis, & Manichæis non credentibus: Passio eius ob doni magnitudinem Iudæis fuit scandalum, Gentibus stultitia: Resurrectio reputata fuit ab Apostolis phantasma, siue deliramentum: Prædicatio etiam Eucharistiæ Capharnaitis & Hęreticis negãtibus Christi præsentiã, phantasma reputatur. Quando Christus in aliquo conuerso ad Fidem, vel ad meliorem frugem nũc ambulat super mare per contemptum rerum huius mundi, reputari consueuit aut hypocrisis, aut melancholia, aut phantasma.

Phantasma quid.

Luc. 24. Christo cur nihil est magis contrariũ, quàm phantasma. *Esa. 45. Exod 3.* Deus quid, *Damasce lib. 1. de ortho. fi. c 12. Galat 3. Esa 53.* In eo quod Apostoli nocte Iesum putauere phantasma, esse mysterium.

Philip. 3.

Filij Dei incarnatio, aliaque eius mysteria quibus visa fuerint phantasmata, & quare. *1. Cor. 1. Luc. vlt.*

Ioan. 6.

Et præ timore clamauerunt: Statimque Iesus locutus est eis, dicens, Habete fiduciam: Ego sum, nolite timere. Clamauerunt voce confusa & incerta, non orando: & homines nil nisi phantasmata timent, non autem Deum, qui solus phantasma non est, & qui solus est timendus: quia postquàm occiderit potest mittere in gehennam. Timemus igitur more puerorum phantasmata, & idem replicat varijs modis, vt magis imprimat perturbatis. Et succurrit timori, dicendo, *Nolite timere,* turbationi dicẽdo, *Habete fiduciam.* Quasi diceret: Sicut vmbra non potest sustinere aliquod pondus, neque auiculæ quiescunt in aëre, nisi in nido: ita neq; vos, nisi in brachijs meis. Ignorantiæ subuenit, cùm dixit: *Ego sum,* scilicet ille vobis notus Iesus, quem vox exprimit: voluit vt per eam vocem eum cognoscerẽt. At in resurrectione, quia non erat semper versatus cum eis, vt nunc, voluit tangi: comedere cum illis, docere per Scripturas Christum debere mori, & non manere in æternum, vt quidam existimabant apud Ioannem: alioqui putari posset phantasma. Ideò tenebantur eorum oculi, ne eum agnoscerent per lineamenta, & figuram: & aures, ne per vocem. Nam spiritus poterat fingere figuram, & vocem.

Apostolorum hic clamor qualis fuerit, Iesum putantium esse phãtasma.

Matth. 10.

Quare Christus dixerit: Habete fiduciam: Ego sum nolite timere.

Luc. 24. Ibidem. Ibidem. Ioan. 12.

Vnde discipuli putauerint Christum esse phantasma.

Venit autem Iesus per noctem: primò quidem per accidens, quia diu orauit vsq; ad quartam vigiliam. Deinde vt magis timerent, quia in die minus videntur mala quæ timentur; de nocte autem maiora, & magis perniciosa putantur. Tertiò, vt non opus esset diu ambulare supra mare, aut subitò apparens non crederetur nisi phantasma. Per diem autem timerent, sicut in resurrectione: minus tamen, quia appropinquans naui cognosceretur: & non ita appropinquans nõ sic timeretur, quia cum noctu appropinquaret, timebatur, quasi ab eo qui euertere nauim venisset. Cognouerunt ergo voce Christum, aliàs non cessasset timor, nec Petrus se cõmitteret mari, cùm dixit: *Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquam:* id est, Quia tu es ille, quem vox exprimit. Vel quia cor suum erat adhuc in motu subitaneę mutationis ad extremum, non potuit exprimere certam quam habebat de Christo euidentiam: sicut nec Iacob vita Ioseph filij sui cognita, & Apostoli resurrectione Christi audita, præ gaudio non credebant. Corque eorum erat obcæcatum, vt ait Marcus, non ad cognoscendum Christum, sed quòd posset edere miraculum.

Quid est quod Christus de nocte super mare discipulis apparuit.

Luc. vlt.

Cur Petrus dubitãter Christo dixerit: Si tu es, iube me ad te venire super aquam.

Gen. 45. Luc. 24.

Marc. 6.

Respondens autem Petrus, dixit, Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquam. Petrus præuenit reliquos, qui confidentior erat, & in fide ardentior, & dilectione. Et petit ambulare super aquas, non quòd prior esset dignitate, quia ambulare supra mare, non est actus Pontificatus. Postulauit autem Christo mouente, & ex amore manẽdi cum eo: non ex iactantia, quia Christus non concessisset: nec ex dubitatione, quia ex illa posteà cœpit submergi. Et nisi certò cognouisset Christum, nequaquam se ei, qui Christum mentiebatur, committe-

Matth. 14. Petri confidẽtia, inq; Christi dilectione feruor.

Quare Petrus petierit à Christo, vt iuberetur ambulare super aquam.

ret.

In eo an peccauerit, nec ne.

ret. Vnde non peccauit. Petrus hoc à Domino postulando: quia à Deo fuit actus, & Christum credidit esse, & posse ambulare, & alios ducere. Alij autem non ita credebant, nec feruebant, nec à Christo mouebantur: erat enim cor eorum obcæcatum, vt testis est Marcus.

Marc. 6.

Petri fides de Christo, zelusque gloriæ illius.

Et ait, non, ora Patrem, & deprecare, sed iube: credens quod solo verbo, & iussu hoc posset alijs præstare. Neque dixit, Iube me super aquas ambulare, sed: *Iube me venire ad te super aquam*, vt non sui ostentationem, sed gloriam Christi in signo quærere videretur, videlicet vt ad ipsum, quem diligebat, veniret. Et quoniam velut dubitans, dixit: *Domine, si tu es*, vt se esse comprobaret Dominum, & Petri, & aliorum fidem erigeret, & illam Petri commendaret, iussit eum super aquas ambulare.

Ioan. 21.

Quare Petrus non natando, vt olim sed ambulando super aquas ad Dominum venerit.

Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquas, vt veniret ad Iesum. Petrus non natauit, vt alias fecit, quia tunc ita distabat vt non posset Christum alloqui: nunc nesciebat quantum in mari morari vellet, vt natare posset, tunc autem erat certus terminus natandi, scilicet littus proximum, modò autem nauis erat in medio mari. Natando etiam non potuisset stare, & loqui cum Christo. Illic ergo Petrus non fuit actus ad petendum hoc donum, vt nunc.

Petrus cur iussus venire super aquas ad Iesum.

Concessit autem Petro Dominus: tùm vt ostenderetur potestas ipsius, & vis fidei in Petro, & agilitas corporum futura, si corpus suum, licèt verum, & grauitate præditum poterat ita ambulare, vt discipuli crederent de se ipsis, neque magicis artibus id fieri persuaderentur: quia in Petro nullæ præcesserunt ceremoniæ. Non habuit autem Petrus agilitatis dotem: quia non erat anima beatus: & bis illam habuisset, scilicet ante, & post mersionem. Nec aquę solidatæ sunt, quia fluctus timebat, sed Deus corpus graue sustinebat, & grauitate sua naturali suspendebat, sicut Angelus Habacuc in aere.

Quomodo Petrus potuerit ambulare super aquas.

Dan. vlt.

Idem ex parte cur mergi permissus sit.

Videns verò ventum validum, timuit: & cùm cœpisset mergi, clamauit, Petrus quando sibi relictus est, ex vento cœpit dubitare, ideò culpa infidelitatis mergi cœpit. Quod Christus permisit ob eius incredulitatem puniendam, & vt alij discerent confidere in Domino, & non alta petere: ideò natauit alias. Ad hæc vt Christi vi, non propria cognosceretur ambulare, & fidem haberet, & & seruaret. Præterea ne gloriaretur, vel alij ei inuiderent, & Christi liberantis potestas agnosceretur. Miracula momentanea requirunt initio quidem fidem, vt fiant, sed perdita etiam fide manet effectus, sicut illaminatio cęci, & suscitatio mortui. Successiua verò signa, vt victoria populi Dei contra Amalech Mose orante, eiusdemq; contra Amorrhæos Iosue deprecante, ambulatio Petri; hæc & eiusmodi requirunt fidem dum durant. Ne autem quisquam putaret vllam in Christo imbecillitatem, & quia cœpit credere, nō totus est mersus, sed tantum cœpit mergi, quod ad dicta satis erat.

Ioan. 21.
Rom. 11.

Miracula momentanea quid requirăt.

Signa verò successiua quid postulent.
Exod. 17.
Ios. 10.

¶ *Dicens, Domine saluum me fac.* Ex timore, sed cum fide hoc dixit: cumq; ex vna parte esset nauis, ex alia verò esset Iesus, ipse qui non humano, sed Diuino Christi præsidio confidebat, non ad nauis, sed ad Iesu confugit auxilium. Et vide, quòd dum respexit ad ventum, timuit, & mergi cœpit; dum verò Dominum respicit, non mergitur. Ita etiam Ecclesia cum Iesum super vndas turbatas ambulare cerneret, ausi sunt multi Christum honorare per medias tribulationum vndas: sed cum non ad Iesum solum spectarent, sed ad humana rationū, & Philosophica præsidia, quibus cœperunt fidere, & ad arma, & potentiam, timuerunt vētum, & mergi cœperunt. Et ita armis contractum non prærogatum Christi regnum videmus: quod patientia tantum euaserat.

Quo affectu Petrus Christo dixerit: Domine saluum me fac.

Petrus videns ventum validum, ac mergi metuens, quos referat.

Chrysostomus hoc loco Petrum excusat his verbis: *Petrus, quod maius erat, super maria scilicet de nauigo confidenter descendere, magno animo fecit: vi autem ventorum, & impetu fluctuum, quod erat minus, superatus timuit. Naturæ quippe humana hæc conditio est, vt difficilioribus nonnunquam superatis, succumbat in minoribus. Quod etiam Helias, & Ezechiel passus est, Moses in Ægypto, Dauid in Bethsabee, & nunc Petrus.* Augustinus etiam libro de verbis Domini: *Duplex, inquit, in Petro forma, nam in eo quod super aquas ambulauit, figuratur firmi, in hoc quod dubitauit, infirmi.* Et infra: *Vnicuiq; sua cupiditas, tempestas est. Amas Deum? ambulas super mare, sub pedibus tuis est timor seculi. Amas seculum, absorbebit te.* Hæc ille.

Chrys. hom. 51. in Matth. tom 2.

Qualis humanæ naturæ conditio.
3. Reg. 19.
Exod. 2.
2. Reg. 11.
Aug. de verbis Domini ser. s. 10.

In Petro ambulante super aquas, eodem que penè met so, qui adumbrentur, secū dum Aug.

Præterea quod hic accidit Petro, postea in spiritali periculo, id est, passione Domini iterū euenit. Dum enim Iesus ambularet super mare calcans mortem, quia lætus, & fortis spiritu patiebatur, Petrus confidenter dixit: *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor*, & sic illa fiducia cœpit & ipse ambulare super aquas vt veniret ad Iesum: sed cum vidisset ventum validum, id est, impeteretur ab ancilla, & à ministris, cœpit timere, & mergi, & tunc clamauit: *Domine, saluum me fac*; admonitusq; per galli cantum, exiuit, & fleuit amare. Nota ergo, quòd etsi perfecti simus, homines tamen remanemus, & labi possumus, & labimur. Sed dissimili ratione: nam impius cùm cadit, non adijciet, vt resurgat,

Matt. 26.

Petrus quando iterū naufragauerit infelix, sed à naufragio diuinitus fuerit ereptus.

Ibidem.

Lapsus iusti, & iniusti differunt.

Psal. 40.

Prou. 24.

sed desperat: iustus autem etsi septies in die cadat, resurgit tamen.

Cur extenderit Christus manum, cùm sine tactu posset Petrum seruare.

Et continuo Iesus extendens manum, apprehendit eum. Extendit manum Dominus, vt videretur ipse liberans, & Saluatoris officio fungens, & curam de nobis gerere. Non præcepit vento cessare, quia etiam sic mereretur ob paucam fidem.¶ *Et ait illi, modicæ fidei, quare dubitasti?* Modica fides dicitur quæ deficit in minori, cùm commisisset se aquis, quod erat maius. Ne ergo videretur Christi impotentia, vel venti vis, vel ne gloriaretur Petrus, vel ne alij ei inuiderent, & vt nos credamus dum petimus; ita locutus est. Et modica, pro nulla ponitur, sicut illud: *Necdũ habetis fidem?* Si enim aliqua ratione, vel dissentit, vel deliberatè dubitat, fidem quis non habeat Theologicam: sicut hæsitans non habet confidentiam, quam habet confidens in aduersis. Ideò dicentib. se credere, aliàs respondit: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis*, id est, vel minima fides sufficit ad omnia. Transitus autem maris Rubri sub Mose, & Iordanis sub Iosue, & sub Helia, & Helisæo, erat quidem per siccum, & populo transeunte nullum fiebat signum, vt hic: sed circa aquas tàntùm retentas ne fluerent: vnde iumenta transibát in mari Rubro: quare hoc signum illo est excellentius. Ferrum sub Helisæo super aquas enatans, ab Angelo notum est: quare & hoc signum inauditum erat Iudæis.

Quænam modica Petri fides de qua redarguitur à Domino.

Marc. 4.

Fide qui careat Theologica.

Matt. 17.

Quid illud: Si habueritis fidem sicut granum sinapis.

Exod. 14.

Ios. 3.

4. Reg. 2.

Petri signum ambulantis super aquas quibus excellat.

Inf. 6.

Marc. 6.

Et cum ascendissent in naui culam, cessauit ventus, His addit Marcus: *Et plus magis intra se stupebant, erat enim cor eorum obcæcatum.* Intrauit Dominus nauim, vt certi redderentur Apostoli, & consolarentur, ostenderetur humanitas non semper signa edens, vt cessatio venti ei tribueretur, & confirmaretur signum ambulationis super mare. Idem autem ventus inualuerat, vt probaretur Petrus: qui nunc cessauit ad Christi imperium.

Quare Christus nauiculã ingressus sit.

Ioannes dicit, quòd voluerunt eum in nauim accipere. Quæ verba scrupulum ingerunt: insinuant enim Iesum non fuisse nauem ingressum: quod tamen falsum esse constat ex alijs Euangelistis. Respondetur ergo, quod Euangelista non dicit, Iesum non esse ingressum in nauim, quod esset omnino alijs contrarium, sed quòd voluerunt eum accipere in nauim, putantes more solito se nauigaturos vsq; ad portum: sed fefellit eos opinio solitæ nauigationis, dicendo quòd statim nauis fuit ad terram, in quam ibant. Quare more solito non nauigabant, sed miraculo nauis statim in terram peruenit. Significatur etiam his verbis, quòd rogantibus, & inuitantibus Apostolis nauem conscendit, quasi dicerent: *Pone nos iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra nos.* Et sic cessat ventus, & tempestas ad imperium eius.

Ioan. 6.

Quomodò verum sit Iesum nauem ascendisse, cùm ex Ioanne aliud videatur deduci.

Iob 17.

Quatuor igitur miracula hic facta sunt. Primum, quod Christus ambulauit supra mare: Alterum, quod Petrus Domini imperio etiam ambulauit: Tertium, quod tempestatem tantam subito fecit quiescere: Quartum, quod nauis appulit statim ad portum: Idem etiam hodie præstat: ipse enim calcat altitudinem seculi, & pijs hominibus vim calcandi tribuit: sedat tribulationes, & facit nos pertingere ad metam, & ad portum vitæ æternæ cum omni vento nauigantes. Et ex magnitudine miraculi stupor natus est: qui impediebat inuestigationem caussæ miraculi apparentis. Stupebant enim, & plus magis, id est, valde vehementer, vel nimis supra modum quod super aquas ambulauerit, & Petrum ambulare fecerit, & mergi incipientem de aqua erexerit, & subito ventorum tempestas cessauerit, & mare tranquillum remanserit. Quod verò non intellexerunt de panibus die præcedenti multiplicatis, in caussa erat, ne præsentis miraculi haberent intelligentiam. Erat enim cor eorum obcœcatum ex labore remigij, ex pauore phantasmatis, ex vigilia nocturna, & ex ingenti gaudio de inopinato Christi aduentu.

Quatuor miracula Domini Iesu vno comprehensa.

Hic stupor discipulorũ vnde extiterit.

Matthæus adiungit: *Qui autem in nauicula erant, venerunt, & adorauerunt eum, dicentes. Verè filius Dei es.* Post stuporem illum accedunt ad eum: & nauicula commodata erat. Et adorauerunt cultu latriæ, quia ex signis, & reuelatione paruulis facta eum agnouerunt, quia dicitur: *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem*, id est, de rebus magnis laudabant Deum. Si autem turbæ vidissent hoc signum, putassent fortasse aliquod malum in eo delitescere. Cognouerunt tamen illud, quia apud Ioannem: dixerũt: *Rabbi, quando huc venisti?* id est, quomodo potuisti huc venire? quia viderunt non esse nauim, & Iesum vsum agilitatis dote.

Qui erant in naui discipuli viso miraculo sedationis maritimæ quo cultu Christũ adorauerint.

Matt. 21.

Psal. 8. & Matth. 21.

Ioan. 6.

Et cùm transfretassent, venerunt in terram Genesar. Hanc Marcus vocat Genezareth, vocabulo generali illius regionis complectente totum lacum, sed præcipuè partes illas Beth-saidæ, & Capharnaum. Idcirco non repugnat hoc Ioanni narranti Christum in nauim ingressum appulisse in Capharnaum. Ingresso enim Christo in nauim, statim nauis appulit ad terrã.¶ *Et cùm cognouissent eum viri loci illius* (scilicet Genesareth: iam enim Sol inclaruerat:

Marc. 4.

Terra Genesar, & Genezareth vna est & eadem.

Ioan. 6.

& erat de facie notus) *Miserunt in vniuersam regionem illam, & obtulerunt ei omnes male habentes. Et rogabant eum vt vel fimbriam vestimẽti eius tangerent: & quicunq; tetigerunt, salui facti sunt.* Vides hic Iesum miraculis coruscantem: miraculo pauit turbam: miraculo venit ambulans supra mare: miraculo fecit Petrum ambulare: miraculo sedauit tempestatem: miraculo nauis statim, vt in eam ingressus est, appulit ad terram: in egressu vero nauis multa edidit miracula circa infirmos allatos ad nudum contactum, vel fimbriæ eius. Nos igitur adnitamur Iesu fimbriam cum fide tangere, id est, sacrosanctam Eucharistiam, vt à morbis omnibus animæ sanemur.

Quantis Christus miraculis breuissimo fere tempore coruscauerit.

Iesu fimbria quæ mysticè.

Mysterium autem huius signi est, quod nauis Ecclesiæ, de qua Salomon: *Facta est quasi nauis institoris de longe portans panem suum:* siue remigando contra ventum, & laborando contra tentationes, siue piscando homines qui intra eam saluentur tanquam pisces, semper proficit, & progressus magnos facit, & Dominus Iesus singularem eius prouidentiam gerit, & eius est liberare nauim cum Petro, id est, Ecclesiam cum capite, & pastore suo, etiam si tyranni sæuiant, & hæretici insaniant, & interitum illi minitentur. Dixit enim ille, qui mentiri nequit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam:* Cui cum Patre, & Spiritu sancto reddatur omnis gloria, gratiarum actio, honor, & imperium in secula seculorum, Amen.

Hoc signum quid mysterij contineat. *Prou. 31.*

Christi in Ecclesiam singularis prouidentia.

Matt. 16.

TRACTATVS XXIX.

De signo filiæ Chananææ à dæmonio liberatæ: & habetur Matth. 15. & Marc. 7.

PRædictum signum tempestatis in nauigatione Apostolorum sedatæ, proxime consecuta est disputatio illa longa cum Capharnaitis de pane vitæ edendo: & hanc disputationem rursus alia est consecuta Scribarum, & Pharisæorum cum Domino super eo quod discipuli non seruarent traditiones seniorum, neque lauarent manus, cum panem manducarent: quam nunc immediate subsequitur signum Chananææ. Proponit igitur Euangelium (descriptum à Matthæo & Marco tantum) duellum quoddam Christi, & fœminę vincentis eum ad exemplum nostrum, vt non tantum confundat nos Regina Austri, sed etiam mulier Chananæa.

Incipiunt miracula à Christo Domino edita tertio anno prędicationis suæ, siue post tertium Pascha eius, de quo Ioan. 6. vsq; ad 4. Pascha Ioan. 13. Quomodo hæc cum superioribus cohęreant. *Io. 6. & seq.* Historiæ propositæ argumentum. *3. Reg. 10. & Matt. 12.*

Ait ergo: *Et egressus inde Iesus secessit in partes Tyri, & Sidonis.* Significat Dominum à terra Genesareth decessisse, in qua disputauerat cum Scribis, & Pharisæis de traditionibus, & reliquisse obstinatos, qui cæci erant, & duces cæcorum. Docet nos Christus, hæreticos post vnam, & secundam correptionem euitare, quia subuersi sunt qui eiusmodi sunt, & delinquunt, cum sint proprio iudicio condemnati, vt Apostolus inquit. Sola enim obstinatio efficit dæmones, qui tendunt in profundum quasi lapis. Præsagiebat etiam illo itinere Dominus, quod breui facturus erat: nam recessurus erat omnino à Iudæis ob superstitiones legis, & abiturus ad Gentes, quæ Euangelium essent amplexaturæ. Instruebat quoque Apostolos quid aliquando ipsi essent facturi, nimirum quomodo post resurrectionem, Domini Iudęis resistentibus Euangelio, ad Gentes essent transituri: *Vobis*, inquit Iudæis Paulus: *oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes.* Sol etiam nisi moueretur, totum non illustraret orbem: ad hunc modũ Iesus, qui lux est mundi, omnia debebat sua collustrare præsentia, dum apud nos erat: vt illuminaret (inquit Ioannes) omnem hominem venientem in hunc mundum: & vt indicaret quantum sitiret Gentium conuersionem, & salutem.

Infra 15.

Hic secessus Christi in partes Tyri, & Sidonis quid nos doceat. *Tit. 3.*

Dæmones efficit obstinatio sola.

Act. 13.

Ioan. 8.

Supra 1.

Venit autem in partes Tyri, & Sidonis. Distabat Capharnaum à Tyro vna & viginti leucis, à Sidone viginti quinque. Et Tyrus est in corde maris Mediterranei, vt dicitur apud Ezechielem: fuitque Emporium celeberrimum, & amplissimum, eodem Propheta teste: ex qua Dido fuit, de qua dicitur:

Quid Tyrus & Sidon: earum vrbium situs. *Ezech. 28.* *Ibidem.* *Virg. 1. Æneid. initio.*

Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuêre coloni.

Euersa autem fuit ab Alexandro Magno, quia ei restitit propter bellum cum Dario gestum: sed postea iterum est ædificata. Sidon etiam in littore sita erat, duabus leucis distans à Tyro. Erantque Sidonij scissores lignorum, vt in 3. Regum dicitur, quia ad radicem montis Libani posita erat: vnde Hiram Rex Tyri mittebat ligna pro templo construendo, in Ioppen per mare, vt ibidé narratur. Sidon autem nunc omnino est destructa. Et inter Sidoné & Tyrũ Regio est, ad quam ibat Christus: eratq; Tyrus & Sidon circa tribũ Asser, vel in ea, vt dicitur in libro Iosue: & vt tradit Marcus, exiens

Sidoniorum eorumque Regis Hirami in Regem Salomonem obsequia. *3. Reg. 5.*

Iosu. 19.

Marc. 7.

Iesus de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ.

Matt. 10. Qui minime legibus adstricti.

Etsi autem Dominus dixerit Apostolis: *In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis*: non arctabatur tamen sua lege, quia princeps solutus est legibus: nec erat præceptum nisi de non prædicando publicè. Vnde Luca teste, & Ioanne, ab eis cibos emebant. Et vt doctè ait B. Thomas in Matthæum, præceptum Christi erat de Gentibus existentibus extra terram promissionis, non autem de ijs qui erant in ipsa, quia per illos erat ad alios iter conficiendum. Et ita huc venit non vt prædicaret, sed vt quiesceret, & ita voluit latere, vt habet Marcus. Venit etiam, vt hanc filiam Chananææ à dæmonio liberaret, quemadmodum venit in terram Gerasenorum, vt obsessos illos duos eriperet, & vt fidem Gentium ostenderet, infidelitatemque Iudæorum damnaret. Et fortasse etiam vt alios curaret: quia alias non iret per Sidonem distantem viginti quinq; leucis à Caphernaum, cum Tyrus, in cuius finibus erat, distaret vna, & viginti.

Luc. 9. Ioan. 4. B. Tho. to. 14. Illud Christi præceptum, in viam Gentiū ne abieritis, &c. quo sensu accipiendum. *Mar. 7.* Quare Christus nunc venerit in partes Tyri, & Sidonis. *Matth. 8.*

Et ecce mulier Chananæa, Marcus addit: *Gentilis, Syrophœnissa genere.* Etsi duæ illæ ciuitates Tyri, & Sidonis spectarent ad Terram promissionis, nunquam tamen illas obtinuerunt. Et licet Deus mandauerit, vt Chananæos occiderent, paulatim tamen propter bestias hoc erat faciendum, vt in Exodo explicatur. Faciebant tamen eos tributarios, vt Salomon fecit, & maxime hos, ob Hiram amicum Dauidis, & Salomonis, vt dicitur in 2. & 3. Regum libro: quanquam à principio vnum, & triginta Reges eorum occiderint, vt testatur liber Iosue. Præceptum autem de occidendo fuit eo tempore, quo Iudæi debebant multiplicari: secus post reditum à Babylone, quia erant pauci, & non possent eos occidere, & bestiæ crescerent, & maxime, quia erant tunc sub Romanis.

Mar. 7. Vnde factum sit, vt Tyrus, & Sidon Israelitis non subessent, tamen ad eos pertinerent. *Deut. 20. Exod. 23. 3. Reg. 9. 2. Reg. 5. 3. Reg. 5. Iosu. 12.* Israelitæ quando debuerint occidere Chananæos, ex præcepto Domini.

Laudatur autem hic fides Gentium, sicut & in Centurione, & Leproso reuerso ad gratias agendas: & sponte proponuntur venire ad Christum, vt hæc Chananæa, & Centurio, & Eunuchus Candaces Reginæ Æthiopum, & illi Gentiles, qui desiderabant videre Iesum, de quibus meminit Ioannes. Eadem propemodum ratione mittebat olim Deus Prophetas ad benefaciendum Gentibus, quia Iudæi indigni erant: vt Ionas missus ad Niniuitas, ad mulierem Sarepthanam Helias, & Helisæus ad Naaman Syrum.

Matth. 8. Luc. 17. Quorum fidē Gentilium Christus laudauerit. *Act. 8. Ioan. 12. 3. Reg. 17. Iona 3. 4. Reg. 5.* Quare dicatur mulier, & Chananæa, & Græca, & Syrophœnissa.

Dicitur autem mulier, & Chananæa, & Græca, & Syrophœnissa. Mulier quidem, quæ olim relicto Deo dæmonem secuta fuerat, nunc à dæmone confugit ad Deum. Chananæa, infame hominum genus, & maledictioni Noe expositum propter peccatum Cham. Sed omnia purgat baptismus, & Græce dicitur Χαναναία. Hebraicè כנענית, non autem קנית à Cana oppido tribus Aser, quod in tractu illo situm est, vt dicitur in Iosue, & apud Ioannem Euangelistam.

Gen. 9. Vnde Chananæi genus duxerint. *Iosu. 19. Ioan. 2. Gen. 10. Mar. 7. Rom. 1. Infra 2. Infra 13. Infra 10. 1. Cor. 1. Gal. 3. Col. 3.* Alterius religionis homines, Græcos appellare Iudæi consueuerant. *Tertull. Iust. Martyr.* Syrophœnissa cur sic dicta.

Chanaan autem, filius Cham, 11. filios habuit quorum posteritas illam regionem inhabitauit: inter quos primogenitus fuit Sidon qui ciuitati illi antiquissimæ nomen dedit. Marc. ait, ἡ δὲ γυνὴ ἑλληνὶς Συροφοίνισσα. Erat autem mulier Gentilis, siue Græca, non quod genere esset Græca, sed quod omnes gentes profanat, & religionis diuersæ vocabant Iudæi Græcorum nomine: vnde Paulus sæpius inquit, *Iudæo primum, & Græco*, aut similia. Syrophœnicia vero regiuncula fuit, vt testatur Tertull. lib. 4. aduersus Marcionem, & Iustinus dialogo in Tryphonem: cui attributam ferunt Damascum. Vel potius, vt alij tradunt, Phœnicia maritima regio est contigua Galilææ, quoad vsque Libano monti appropinquat: qui Syriam à Cœle, & Galilæa Gentium discernit. Trans Libanum quicquid Phœniciæ est, Syria circumfundit: & eo terrarum confinio factum, vt qui iuxta habitant, voce composita Syrophœnices dicti sint: vt in Hispania Celtiberi, in Asia Gallogræci, in Africa Libyæthiopes, in Ponto Armenochalibes, in Phrygia Myssomacedones, &c. Euthymius vero dicit illam Græcam religione, Syram lingua, Phœnissam genere. Sunt autem Phœniciæ ciuitates multæ, præsertim maritimæ, Ptolemais, Tyrus, Sarapha, Sidon, Berytus, Biblos.

Euthy. c. 29. in Matth. Phœniciæ ciuitates præcipuæ.

A finibus illis egressa. Videtur aliqua inter Matthæum & Marcum repugnantia. Marcus enim dicit, mulierem ad Dominum in domo latere volentem intrasse, ibique pro filia sua rogasse, his verbis: *Et inde surgens abijt in fines Tyri, & Sidonis: & ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere. Mulier enim statim vt audiuit de eo, cuius filia habebat spiritum immundum, intrauit, & procidit ad pedes eius.* Matthæus autem significat apertè, mulierem hanc non accessisse ad Dominum in domo, sed in via aliqua ambulantem, quod indicant illa verba Apostolorum: *Dimitte illam, quia clamat post nos.* Sed hoc soluitur secundum Augustinum, dicendo, mulierem primò in domo supplicitet exorasse, vt habet Marcus,

Quomodo verum sit iuxta Marcum, hanc mulierem Dominum domi latitantem accessisse, cum id in via contigisse Matthæus tradat. Prima solutio. *Aug. li. 2. de cōsens. Euang. c. 49. to. 4.*

cus, Dominum autem nihil respondentem, mox egressum de domo illa, & tunc in via contigisse, quæ Matthæus solus narrat.

Altera,& quidem congruentior.

¶ Secundò,& rectius soluitur, mulierem asserendo primum inuenisse Dominum in via ambulantem: postquàm autem aliquantulum in domo latuisset, ac in via cōtigissent quæ narrat solus Matthæus, deinde mulierem secutam Dominum in domum, ibique supplicem impetrasse, vt concorditer tradunt Matthæus & Marcus. Aliàs oporteret aliam esse prostrationem, de qua Marcus, & aliam de qua Matthæus, & hanc extra domum, illam in domo contigisse, cùm vterque Euangelista mulieri in terram prostratæ idem datum à Domino responsum commemoret. Atque in hunc modum conciliat Euangelistas Zacharias Chrysopolitanus sic scribens: *Post ambulantem Dominum mulier ad Dominum deprecatorias preces emittit: & post in domo ad pedes eius procidit, vt Marcus commemorat.* Hæc ille. Ad hæc rationi magis est consonum quod Dominus, qui in miraculis suis ferè semper fugit hominum præsentiam, quique iam maximè latere volebat, prius in via solicitus, tandem in domo exaudierit, quàm quod prius in domo solicitus, deinde exiens palam operatus sit miraculum.

Zacharias Chrysopolitanus.

In miraculis suis Christus ferè semper humanum fugiebat aspectū

Neque his obstat quod legimus in Marco. *Mulier enim statim vt audiuit de eo, cuius filia habebat spiritum immundum, intrauit, & procidit ad pedes eius*, quasi omninò statim intrauerit in domum, in qua priùs dixit: *Vtique Domine*: quia illud verbum Statim, non est apud Græcos, & quamuis esset, nihil aliud notat quàm statim, vt audiuit de Iesu venisse ad eum. Deinde Græcis non est, intrauit, sed tantùm ἐλθοῦσα προσέπεσε, hoc est, cùm venisset, procidit, vt rectè possit intelligi nō omne quod narratur circa hanc mulierem, contigisse in domo. Vnde Græci nihil in Marci, & Matthæi narratione senserunt, quod contrarium quicquam sonare videatur: cuius apparentia orta est tantùm ex verbo Intrauit, quod nec in Marco, neque in Matthæo Græcè inuenitur. Sed quia Marcus mentionem fecerat de domo, quam Dominus intrauerat, ideò interpres ad sensum, & gesti verisimilitudinem respexit, & intelligens mulierem accedentem ad Dominum ingressam domum, pro venit, aptè vertit, intrauit.

Si in via, & nō in domo Chananæa Dominum rogauit pro filiæ suæ liberatione à dæmonio, cur statim, vt Marcus habet, & in domum, vbi Christus erat dicitur intrasse?

Quorundam falsus sensus reijcitur de duab. mulieribus Chananæis idem à Domino postulantibus.

Ideò vanum est quod quidam hęc conciliare volentes, dicūt esse aliam historiam priorem apud Marcum, aliam & posteriorem apud Matthæum: & illam Marci intra parietes domus gestam, hanc Matthæi historiam in itinere, ex nescio quibus circūstantijs, non satis accuratè & diligenter expensis, duas Chananæas cum duabus filiabus à diuersis dæmonijs obsessas fingentes. Et quia scriptum est: *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cælo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis*: & Apostolus: *Voluntati eius quis resistit?* Et sapientis est velle quod possit, non quod non possit: quomodo dicitur, quòd voluit latere, & non potuit? Dicendum est, Dominum voluisse latere non quidem voluntate deliberata, & absoluta, sed voluntate humana, qua etiam præcipiebat ne signa à se edita detegerent, & proderent, siue voluntate sub conditione, de qua dicitur: Vult omnes homines saluos fieri, si scilicet ipsi velint: & tamen non omnes saluantur. Ita Marcus inquit: *Et præcepit illis ne cui dicerent: Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant.* Voluit ergo latere, quantum ad se attinebat, & quia nolebat prædicare, vel edere signa. Docet autem nos, vt quantum in nobis est, lateamus. Dices; Cur Dominus non se reddidit inuisibilem, vt aliàs fecit? Respōdeo, ob hoc ipsum, vt det tibi exemplum, quia hoc non potes præstare, vt cùm velis, delitescas. Cæterùm Christus animam ingressus diu non potest latere, vt nec Sol ingressus in cubiculum, nec ignis suo se calore detegens:

Psal. 134.

Rom. 9.

Cùm nihil Diuinę possit resistere volūtati: quomodo Christus post editum signum voluit latere, & non potuit.

1. Tim. 2.

Marc. 7.

Cur Christus latere voluerit: neque vt aliàs, se inuisibilem reddiderit.

Luc. 4.
Ioan. 8.

Quis enim celauerit ignem,
Lumine qui semper proditur ipse suo?

Ouid. lib. Fastorum.

Et vt olim dixit: *Quis me tetigit?* vt fidem hæmorrhoyssæ proderet, cùm multi corpore tangerent, ac se se comprimerent: ita hic voluit latere in Humanitate, sed non potuit Deitas delitescere, quę fide Chananææ tanquam naribus sagacis canis manifestata est, atque detecta. Egressa ergò est, non expectauit vt transiret, vt cæcus fecit: non interrogatur vt homo manens ad piscinam. Non misit nuntios, vt Maria & Martha, sed ipsa intus tracta est, & per se ipsam venit. Clamabat ergò ex desiderio. Iam videamus arma expugnandi Christi. *Miserere*, inquit, *mei, Domine, fili Dauid: filia mea malè à dæmonio vexatur.* Pugnat notitia sui ipsius, & notitia Christi: non petit debitum, nōn quærit arte dæmonis pellere de filia dæmonem, non excusat peccatum, vt prior mulier. ¶ *Miserere mei.* Quæ miseriam filiæ suæ ex amore materno propriam reputabat. *Miserere*, cui proprium est misereri. Et sentit ipsum habere potestatem in dæmones, & absentem posse curare. Et vocando Dominum, testatur eius Deita-

Luc. 8.

Marc. 5.

Chananæę fidei in Christū efficacia.

Infra 10.

Ioan. 5.
Infra. 11.

Cur hæc mulier clamauerit.

Quo verbo dignam se reddidit Christi exauditione Chananæa.

Gen. 3.

Chananæa Christum vocans filium

Dauid, quidnā testabitur de illo.

Deitatem, & potentiam: ideò non dixit, Ora Deum tuum, aut descende ad filiam meam. Vocando filium Dauid, tangit eius Humanitatē, & profitetur eum esse Messiam. Verè filium Dauid, qui cithara pellebat dæmonem de Saule. Cæci duo apud Matthęum vocarunt Christum filium Dauid: apud eundem turbæ dicebant, *Nunquid hic est filius Dauid?* & alibi: *Hosanna filio Dauid.* Et quemadmodum nudus ignis lectum combureret, positus autem in thermoclinio, & agitatus in eo, lectum fouet & calefacit, pro necessitate: ita Deus, qui ignis consumens est, potentia sua omnes peccatores destrueret, nisi illam in Humanitate Christi collocasset: quæ ipsam quidem combussit, quia propter scelus populi mei percussi eum; nos autem mirabili charitate fouit, & recreauit.

1. Reg. 16. Matth. 9. Infra 12. Infra 21. Humanitas Christi qualē se nobis præbeat in verbo. *Deut. 4. Esai. 53.*

Filia mea malè à dæmonio vexatur. Græcè κακῶς, id est, miserè, vel infeliciter affligatur. Et pro eo quod dicitur, à dæmonio vexatur, Græcè vno verbo exprimitur δαιμονίζεται: quod quidam noui Interpretes malè verterunt, furia vexatur; quod est, ex motu supranaturali facere naturalem.

Filia Chananæę vti à dæmonio vexabatur.

Quia non respondit ei verbum. Id est, Non respondit ei quicquam more Hebręorum, qui sermonem pro re indeterminata accipiunt. Induit Christus præter naturam suam speciem cuiusdam Pharisaismi, se durum & inexorabilem ostendendo, vt probaret fidem eius & patientiam. Ideò si moram fecerit, expecta illum: quia tempestiuè, & in tempore ipso veniet. Neque respondit, qui ad tactum hæmorrhoyssæ respondere dignatus est, & qui tam longo sermone petiuit à Samaritana. Deinde voluit vt Apostoli rogarent pro ea, vt Iudæi non haberent aliquam excusationē, quòd ad Gentes diuertisset, & spontè illis beneficia communicasset. Et vt eadem causa vniuersalis facit effectus contrarios, nam Sol ceram propositam liquefacit, lutum desiccat, & indurat: ita Christus intus loquebatur, & trahebat eam, extra repellere, & reijcere videbatur. Et vt aqua maris occultè per subterraneos meatus ad omnium generationem occurrit, quæ postea manifestè tendit in mare: ita etsi extra Dominus eam repellere videbatur, secretè tamen & occultè in ea operabatur, & certissimam confidentiam signi consequendi inspirabat.

Quare Christus à principio non respōderit huic mulieri vllum verbum. *Habac. 2. Luc. 8. Ioan. 4. &* Quemadmodum Christus cū Chananæa egisse videbatur. Alterū exemplum.

Et accedentes discipuli eius, rogabant eum dicentes, Dimitte eam, quia clamat post nos. Angusta est omnis creatura. Et fortè ob humanum affectum rogati ab ea fuerant, vt ait Augustinus. Fieri etiam potest, vt importunitate clamoris illud dixerint Apostoli, vt sunt multi qui non aliter faciunt eleemosynam. Verbum *Dimitte*, idem est, ac si dixissent, Amanda, Expedi: Græcè est, ἀπόλυσον.

August. lib. 2 de consens. Euang. cap. 49 tom. 4.

Ipse autem respondens, ait, Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Reddit causam Apostolis cur Chananæam non exaudiat, quia velit Iudæis se totum impendere, quibus solis destinatus erat Diuinæ gratiæ minister. Quod vt magis capias, aduerte, ad quatuor Dominum destinatum fuisse. Primum quidem ad redimendum, deinde ad ferendam Legem. Et quod ad hæc duo attinet, non minùs pro Gentibus venit, quàm pro Iudæis. Ait namque Esaias: *Dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* Et iterum de Messia: *Legem eius Insulæ expectabunt*; & Ioannes: *Iesus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.* Tertiò Dominus Iesus venit ad duo alia officia per seipsum præstanda, nēpe ad prædicandum Euangelium, & miraculis editis illud confirmandum: & hæc principaliter in propria persona perfecit apud Iudæos, iuxta verbum Apostoli: *Dico Dominum Iesum, ministrum fuisse circuncisionis propter veritatem Dei; ad confirmandas passiones Patrum.* Idem Apostolus ad Hebræos vocat Dominum Iesum Apostolum, & Pontificem confessionis nostræ. Gentibus verò Euangelium per Apostolos prædicatum est, & signis innumeris per eos confirmatum. Quod si Iesus Gentibus prædicasset, & signa inter eos edidisset, Messias minimè à Iudæis haberetur, & ab eo tāquam ab ethnico declinassent, Ideò hic non prędicauit: quando verò ad Samaritanos venit, casu prædicauit, sed signum vllum non fecit. Dum autem versaretur inter Iudæos, quasi propter eos sanitates conferebat Gētilibus: vnde seruum Centurionis Gentilis à paralysi liberauit, quia rogauerunt eum seniores: & leprosum alienigenam propter alios nouem curauit: & hic propter Apostolos rogātes liberauit filiam Chananææ. Et ita consentiebant Iudæi, vt de plenitudine signorum Iudæis datorum mica aliqua Gentibus conferretur.

Quatuor habuit Christus in mandatis à Patre suo. *Esai. 49. Supra 42. Ioan. 11. Rom. 15. Heb. 3.* Cur Christus Iudæis non Gentibus prędicauerit. *Ioan. 4. Luc. 7. Infra 17.*

Quod ergò hic ait: *Non sum missus nisi ad oues.* Sensus est, Non expedit prædicare, & operari signa nisi in Israël, & ad hoc est præceptum meum: Gentibus verò nequaquam, etsi possim supererogare, quia nec definitum ne id facerem, quia aliàs hic non fecisset. Vt ergò Paulus Gentium Apostolus, supererogando interdum prædicabat Iudæis: & Petrus circuncisionis

Illud: Non sum missus nisi ad oues, &c quem sensum accipiat. *Galat. 2*

Aposto-

Ibidem.

Chriſtus ſi] quando Gentibus prædicauit, cur id fecit.

Apoſtolus ex ſupererogatione interdum Gentibus prædicabat: ita Dominus, qui minus legibus arctabatur, ex perfectione charitatis ſupererogando aliquando prædicauit Gentibus, & aliquando ſigna edidit. Lex enim omnis politiua ſeruire debet charitati, quia propter charitatem tanquam finem datur. Et confirmatur hæc interpretatio. Nam Apoſtolus dicit: *Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare*: & tamen vt ipſe teſtatur, baptizauit Stephanæ domum, & neſcio quos alios: quod ex abundanti fecit. Ad hæc Apoſtoli dixerunt: *Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis*, & tamen ad tempus miniſtrauerunt menſis. Vocās oues Iſrael, Iudæos eductos ex Ægypto turmatim ſub Moſe paſtore, vnde Dauid: *Et nos populus paſcuæ eius, & oues manus eius*: & alibi. *Iratus eſt furor tuus ſuper oues paſcuæ tuæ.* Dicuntur hæ oues perijſſe non ſolum peccato Adæ, & alijs perſonalibus delictis, ſed quia Lex & ſacrificia ex ſe iuſtificabant neminem. Dicitur autem domus Iſrael, quia ex vno patre Iſrael geniti omnes: qua etiam phraſi vſus Poëta, dixit:

1. Cor. 1.
Ibidem.
Act. 6.

Quæ ad oues Iſrael miſſus erat Chriſtus.
Pſal 94.
Pſal 73.
[...]tæ oues cur [...]ficantur perijſſe domus Iſra[...] vnde nomi[...]entur.

Cum domus Aſſaraci Phthyas, claraſq; Mycenas.

Virg. libr. 1. Aeneid.

Ex hoc loco Buccerus quā [...]nepte colligat [...]ſuorum ſuf[...]agia nihil [...]rodeſſe.

Quod vero ex hoc colligit Buccerus, preces Sanctorum inutiles, quia hic Apoſtoli nihil impetrarunt à Domino: falſus eſt. Et miſer non vidit propterea preces pro alijs non reprobari, quia non exaudiuntur interdum. Alioqui reprobarentur eorum preces, qui pro ſe ipſis orant, quia ipſi interdum non exaudiuntur, vt conſtat de Paulo. Nec reprobatur hic illa diſcipulorum oratio: quia non pro ſe orabant, ſed quia pro illa precabantur, quæ non erat de populo ſuo, cuius gratia primum venerat. Et cur ſeniores Iudæorum, & amici Centurionis impetrarunt à Chriſto ſanitatem pueri? Præterea ſi concedunt, pro alijs orare poſſe Sanctos, dum agunt in terris, vt concedunt, cur non idem concedunt Sanctis in cœlo regnantibus? Et illud, quod Chriſtum ipſum, & caput omnium non dedecet, profecto nec cœlitibus eius membris erit indecorum. Adhæc ſi orant Sancti viuentes, quid opus fuit colligere, vanas fuiſſe diſcipulorum orationes, vt abſolutè concluderent nō licere cuiquam orare pro alijs? Adhæc quis nouit deſpectam fuiſſe à Chriſto orationem diſcipulorum, & nihil contuliſſe ad exauditionem? Etſi enim prima & ſecunda gutta non cauet lapidem, diſponit tamen vt à poſtrema cauetur. Et ideo ipſa precibus Apoſtolorum adiuta, potius inſtitit, quia ipſa venit ſe proſtrans

[...] Cor. 12.
[S]anctorum [p]reces nobis [u]tiles eſſe o[st]enditur.
[L]uc 7.

coram Chriſto, quaſi adiuta ab Apoſtolis. Apoſtoli autem, quia ex leui commiſeratione ad Chananæam, vel moleſtiæ vitandæ gratia petierunt, vel quia putauerunt illicitum, & contra Chriſti voluntatem non capientes eius reſponſum, ideo deſtiterunt, Deo volente, vt magis appareret mulieris fides.

Quare ad primam Chriſti reſponſionem Apoſtoli rogare pro muliere deſtiterint.

At illa venit, & adorauit eum, dicens, Domine, adiuua me. Ecce noua arma expugnandi Chriſtum, humilitas, & cōfidentia in eum. Quaſi diceret: Etſi miſſus non ſis ad nos, tamen venientes ad te, non eijcias foras. Et venit, quia iam reſpondebat Dominus, & vt magis importuna eſſet clamoribus, & ita magis ſe exerceret eius fides. Et ait, *Adiuua me.* Non dixit, Ora pro me: ideo latria adorauit, quem Deum nouerat. Prius dixit, *Miſerere mei*, quia ſola erat: modo ait, *Adiuua*, quia adiuta erat precibus Apoſtolorum. Adiuua ergo, ſaltem auferendo ſolicitudinem, vel præſtando patientiam, vel concedendo quod petitur. Græcè dicitur βοήθει, quod proprie eſt ad vocem alicuius auxilij ferendi cauſa accurrere: & ita quidam vertunt, Domine, ſuccurre mihi.

Humilitate, & in eum confidentia expugnatur Chriſtus.
Ioan. 6.

Chananæa vti Chriſtum adorauerit.

Qui reſpondens, ait, Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. Grauis fuit hæc reſponſio, & non ſine aliqua ignominiæ nota. Hoc reſponſum clarius explicat Marcus his verbis: *Sine prius ſaturari filios. Non eſt enim bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Hoc eſt, non decet dare panem canibus, quando dand⁹ eſt filijs. Vult dicere, Non eſt huic tempori opportunū, aut conueniens, dum filij paſcuntur: ſine illos prius ſaturari. Sed replicauit quod poterat dari mica, quæ filijs edentibus, de menſe cadit. Et non eſt ſenſus, non eſſe dandum panem Gentilibus: quia replicaſſet quod Chriſtus habebat pro vtriſque, & quia filij Iudæi proijciebant panem, & Apoſtoli pueri delectabantur huic dare. Et verbum: *Non eſt bonum*, ſiue καλὸν Græcè, non propriè ſignificat hic virtutem, vel honeſtum: ſed cum hic agatur de eo, quod iuſtum & fas eſt, opponitur potius iniuſto, quam indecenti. Vocat ergo Iudæos, filios cultu Dei nutritos, & dominos nationum, canum vero nomine Gentes dijs falſis deditas, & ſordidis ſacrificijs innutritas, de quibus Moſes: *Vbi ſunt dij eorum*, in quibus habebant fiduciam, de quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum? Diſtulit exaudire, Chananæam, vt mereretur perſeuerando, doceret perſeuerandum eſſe in oratione, vt dixit Dominus, *Oportet ſemper orare,*

Quid ſibi vult Dominus cū ait: Non eſt bonum ſumere panem filiorū, & mittere canibus.

Iudæos Chriſtus cur filios nominauerit, canes vero Gentiles.

Deut. 32.

Quare Chriſtus non ſtatim exaudierit Chananæam.

id eſt,

Luc. 18.

id eſt, ſæpe: ſicut dicimus, hic ſemper edit, volentes ſignificare quod ſæpe edat, vt confunderentur Iudæi, qui fide à Gentibus vincebantur, vt agnoſcerent Iudæi quod omnes Gentes non æquarentur ſibi: nam eis non petentibus concedebat ſigna.

Mulieris Chananææ ad Chriſti reſponſum, quo eam canem appellauerat, plena manſuetudinis, & patientiæ reſponſio.

At illa dixit, Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Verbum, *Etiam Domine*, Græcè dicitur, ναὶ κύριε, id eſt, certe Domine. Vel, Etiam Domine, gaudeo quod me canem facis, non recuſo nomen canis, nec Iudæis inuideo panem filiorum, & nomen honorificum Iudæorum, quos etiam meos voco dominos. Non præripio illis panem ſuum delicatum quo veſcuntur in menſa patris. Canem vocaſti me, & idcirco non ſum omnino aliena. Vnde Chryſoſtomus: *Canem me dicis, ego nutri me vt canem. Non poſſum relinquere menſam domini mei: in verberibus non cedo.* Hæc ille in ſenſu. Adhæc canes eiecti per vnam portam, regrediuntur per aliam: eiecti ſunt Gentiles per portam idololatriæ, ingrediuntur per portam fidei. Non ergo peto panem integrum dandum filijs, ſed micam, id eſt, parum quid: maximè quia filij negligunt. Nunquam enim DEVS ita gratiam ſuam effudit inter Iudæos, quin Gentes exiguo eius guſtu aſpergerentur. Vt ſi quis magnam pecuniarum ſummam haberet in manibus, quam alicui deſtinauerit, illique inter dandum decidat nummus, quem patiatur ab alio, cui non deſtinauerat, accipi: ita Dominus Ieſus manum habebat plenam miſericordiarum, interim cadebat aliqua mica, quam accipiebat aliquis ex Gentibus. Et dedita opera Chriſtus dedit reſponſum ſolubile, & expugnabile, quemadmodum pater facit ſæpe cum filio ſuo: & dedit catenas Iudæis, quibus ab eis in morte alligatus eſt. Catelli, minores ſunt canes. Et inutiliorem ſe fatetur: nec hoſtiam, id eſt, Iudæorum laudibus dolet, nec repugnat CHRISTO loquenti de pane.

Chryſ. ho. 35. in Matt. to. 2.

Canis ingenium.

Qualem Chriſtus ſe gefferit cum Chananæa.

Mira Chananææ animi ſubmiſſio.

Tunc reſpondens IESVS, ait illi, O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis. Et ſanata eſt filia eius ex illa hora. Et Marcus ait Dominum dixiſſe: *propter hunc ſermonem vade, exijt dæmonium à filia tua. Et cum abijſſet domum, inuenit puellam iacentem ſupra lectum, & dæmonium exijſſe.* Vt autem hæc concilientur, credendum eſt Dominum vtrumque dixiſſe, vt annotauit Euthymius, nempe, *O mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis.* Et, *propter hunc ſermonem vade, exijt dæmonium à filia tua*, id eſt, Per fidem, & prudentiam, & humilitatem. Laudat autem, vt imitemur virtutes eius, confundantur Iudæi, appareat prudentia in reſponſis, pietas in quærendo Deum, & non incantatores, aut maleficos. perſeuerantia in repulſis, humilitas in proſtratione, & confeſſione, qua dixit: *Etiam Domine, ſum catella*, fides, qua cæteræ virtutes ornantur, & qua credit Meſſiam abſentem poſſe ſanare filiam, Quia omnia poſſibilia ſunt credenti, id eſt, omnia poteſt credens impetrare.

Mar. 7.

Euthy. c. 19. in Matth.

Quare Chriſtus laudet hanc mulierem & mansuetudinem eius.

Mar. 9.

Deinde laudat fidem, quia hanc virtutem volebat vt fundamentum ponere. Et quia perditur credendo quod ſola ſufficiat, quia ſolis fundamentis non conſtat domus, ideo Lutheranus eam magnificiens, quaſi præter illam nihil aliud ſit opus, illam perdit. Et Dominus noſter laudat eam in neophytis, vt in Centurione, Chananæa, & turba: ſed diſcipulos ad maiora hortatur: *Beati*, inquit, *pauperes ſpiritu*: &, *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Quod ſi non credunt, increpat. Ait ergo, O mulier, tu clamaſti: ego clamabo: laudaſti, ego laudabo: petebas micas, habeas menſam: potuiſti in me, volo vt poſſis in dæmonem.

Quomodo voluntatem noſtra.

In quibus laudat Chriſtus fidem, in quibus ...

Supra 5.
Ioan 15.
Mar. 4.
Infra 10.
Infra vlt.

¶ *Fiat tibi.* Ergo Chriſtus, non illa, ſanitatis contulit ſignum: quia poteſtas edendi ſigna, cum infinita ſit, incommunicabilis eſt creaturæ. Et ex illa hora fuit ſana: quia Deus non eget tempore in opere ſuo, quod non poteſt natura, vel ars. Et ita cognita eſt Chriſti poteſtas illa hora ſanantis, quia mater quæſiuit à filia horam, qua liberata eſt. *Fiat tibi ſicut vis.* Id eſt, ſicut credis me abſentem poſſe ſanare, cum incredulus Iudæus diceret: *Domine deſcende prius quam moriatur filius meus.* Forte autem mulier inueniens ſanam, rediJt ad Ieſum, quemadmodum leproſus, vt gratias ageret: & narrauit quod Euangeliſtæ ſcripſerunt, qui audierunt à muliere, vel diſcipulis, qui ab ea acceperunt quod ſanata eſſet ex illa hora.

Edendi ſigna poteſtas, ... nicari ... queat.

Chananææ fidei præſtantia ... eius ... in Chriſtum pro accepto beneficio.

Ioan 4.
Luc 17.

Atque ita habes ex hoc Euangelio zelum Dei, & Chriſti, qui dicitur Zelotes. Quia vt amator, cum ſpernitur à dilecta, quæ ſui copiam alteri æmulo & riuali fecit, aliam ſibi quærit, æmulam priori, & dona, quæ primæ præparauerat, ab illa aufert, & poſteriori tradit ante eius oculos vt illam excruciet: ita feciſſe Dominus cum Iudæis, à Prophetis prædicitur. Vnde Dominus ait: *Ipſi me prouocauerunt in eo qui non erat DEVS, & irritauerunt in vanitatibus ſuis: & ego prouocabo eos in eo qui non eſt populus, & in gente ſtulta irritabo illos.*

Quid docemur in hac hiſtoria. Primum documentum.

Exod. 20.
Infra 14.
Deut. 32.

Lege

Lege quæ Oseas in principio suæ Prophetiæ dicat sub hac metaphora. Deinde instruimur de perseuerantia in orando,& ne citò desistamus, si non subitò exaudimur. Dissimulat enim Deus interdum nobiscũ, & primùm sese fingit quasi non intelligat, & despiciat orationem, & nullum reddat verbum:quod agit vt agnoscamus nos præ sui celsitudine esse despicabiles, vt quorũ bonis nihil indigeat ipse Deus. Sed huic dissimulationi opponamus Mediatorem filium Dauid, per quem ipse quodammodò se compulit ad exaudiendum nos. Incarnatio enim, quasi signum quoddam est digito alligatum, quo nostri recordetur. Quod etsi hoc in loco nobis obstet, quasi non sit missus nisi ad electos suos, qui maximè per oues Israël intelliguntur: accedamus ad illum,dicentes: *An Iudæorum Deus tantùm?nonne & Gentium?imò & Gentium.* Et, *Num vnam,*inquit, *tantùm benedictionem habes,pater?mihi quoque obsecro vt benedicas.* Deus enim omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Quòd si non exaudiat nos, & vt canes proijciat ob profanam vitam nostram, & immũditiam post baptismum contractam, nam sæpè vt canes reuertimur ad vomitum: non desistamus tamen, sed confiteamur nos canes: & petamus dona, quæ etiam canibus non negantur:vt si non valemus supra mensam edere,id est,ad maiora electorũ dona conscendere; non tamẽ prohibeamur à minoribus,quibus abundat Dominus etiam pro canibus, modò canes nos esse profiteamur id est,mordaces per detractionem, adulatores,& immundos,& ad vomitum peccati redeuntes. Audiemus enim tunc Dominum in corde dicentem: Propter hunc sermonem exaudio te,& fiat tibi sicut vis.

[Margin: II. documentum. — Cur nõ statim à Deo exaudiamur. — Psal. 15. — Ouium Israel qui nomine designentur. — Rom. 3. — Gen. 27. — 1. Tim 1. — Se canes corã Deo qui agnoscunt, ac profitentur, quid assequantur illi. — 2. Petr. 2. — Heb. 12. — Prou. 26.]

HACTENVS de litera dictum est: iam allegoria breui est percurrenda. Hoc enim facto recedendi à Iudæis, & veniendi ad Gentiles, Christus præsagire,& significare videtur Gentium in Ecclesiam admissionem:ideò per hanc mulierem maiores Gẽtium significantur, qui primi magno spiritu venerunt ad Iesum. Hi deprecantur pro filia,id est,pro minoribus,qui dæmonio agitabantur,& domi manebãt,id est, in suo idololatriæ cultu. Quæ mulier ob suam orandi perseuerantiam, & insignem fidem exaudita est: & nos canes liberati sumus à dæmonio:& exuto canis ingenio, in oues, & filios mutati sumus.

[Margin: Hic recessus Christi à Iudæis ad Gẽtes quid præfigurauerit.]

Circa mores verò, instruuntur pastores animabus præfecti, qui instar parentum se filijs pręstare debent,de quibus Apostolus: *Filioli mei,quos iterum parturio*: generantes verbo Dei,& lac doctrinę catechismi dantes,& panem solidi cibi, ac pro eorum cura soliciti. Deinde opus est vnumquenque Episcopum materno affectu ad Ecclesiam suam,quæ sponsa sua est,& vxor,& filia,& soror,affici,& si opus sit,pro ea liberanda à dęmonio,& impetranda sanitate ad Christum confugere: & ob hanc causam exire de finibus suis,quos præscripsit torpor, atque tepiditas. Ita vt relictis aulis Regum, vel Pontificum,visitent Ecclesias suas,atq; ibi resideant,vt lupos arceant, & peccata præueniant,& orationibus instent, donec Ecclesiæ suæ Dominus benedicat. Tertiò sinãt se,vt Christus,expugnari, qui Domini,& filij Dauid sunt, & locum Christi in terris tenent: & gratias concedant pœnitẽtibus,& humilitatem præ se ferentibus, atque probatis, ne frustrà claues regni cœlorum à Christo accepisse videantur. Et licèt ad tẽpus se duros & inexorabiles præstent: tandem tamen permittant se expugnari, & concedant quæ ab eis postulantur, si sunt rationi,& æquitati consona. Quartò, agnoscant Prælati,se, vt Christum,non esse missos, nisi ad oues quæ perierunt domus Israël, id est, ad Christianos suæ diœcesis conuertendos,vel reducendos,non ad Iudæos,vel Gentiles,vel alienas diœceses, vt interdum quidam non sine scandalo faciunt.Etsi hi possint nonnunquam supererogare,vbi se offert occasio,ad alios diuertendo,modò animus illorum sit non quærere lucrum,sed animas. Postremò intelligant,bonum non esse sumere panem filiorum,& mittere canibus, id est,reditus Ecclesiasticos,& patrimoniũ Crucifixi, quod ad alendos pauperes,& subleuandos infirmos,& orphanos,& viduas,& virgines fouendas institutum est,ad ditandos consanguineos, & seruos suos exaltandos cõuertant,vel illis abutantur, alendo canes,falcones,parasitos,meretrices. Vel,quod quibusdã honestius videtur, bona Ecclesiæ in splendore mensæ, equorum, & seruorum multitudine,auleis pretiosis,atque in vasis aureis & argenteis comparandis cum magno scandalo insumant.

[Margin: Pastores animarũ ex hoc loco habent documenta quinque. — Galat. 4. — I. documentum. — Ioan. 3. & Ephes. 5. — III. documen. — Matth. 16. — Infra 17. — IV. documen. — V. documen. — Ecclesiæ patrimonium ad quid institutũ fuerit.]

Deinde ad mores magis speciatim componẽdos,hic docemur,quomodo ex Chananæa,siue cane, in Hebræam siue ouem, siue filiam transmutemur, id est,è conscientia in malo quieta,& fertili,ad quietam, & securam in bono veniamus. Nam Chananæus, & Pherezæus habitabant terram fluentem lacte,& melle, vt in Genesi dicitur,id est,cõscientiam bonam, vel malam, siue lætam,& securam, vel in bono,vel in malo. In malo læta,& secura, facit Chananæam;

[Margin: Moralis sensus hinc alter elicitur. — Gen. 13.]

næam; contra in bono quieta & ſecura reddit Hebræam. Ad hoc autẽ in primis opus fuit, vt Ieſus ad nos veniret per myſterium Incarnationis. Deinde opus nos exire de domo conſuetudinis protegente delictū: quod fieri non poteſt ſine virtute fidei, vt Abrahæ, cui dictum eſt: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui*, id eſt diaboli & de cognatione tua, id eſt, vitijs carnalibus. Propterea enim Deus non exaudit te domi, & ſinit te malè torqueri, vt de domo exeas. Secundò opus eſt exire de finibus pluribus terrenis, vt vnum cœleſtẽ habeamus: vel egredi de terminis, nõ quidem poſitis à patribus, ſed à noſtra tepiditate. Multi enim vellent Chriſtum inuenire, & guſtare, ſed volunt perſeuerare in ſolita annua cõfeſſione, & in precatione frigida, quam ſolent tepidè effundere: deniq; nolunt addere quicquam ad exercitia ſpiritualia. Tertiò opus eſt clamore humili, & perſeueranti, vt ille fuit Moyſis, cui dicebat Dominus: Quid clamas ad me? miſerere mei, Domine, qui opus manuum tuarum non deſpicis. *Fili Dauid*; quem peccatorem pœnitentem, & ad te redeuntem. Miſerere mei; cui proprium eſt miſereri, ſicut propria eſt nobis miſeria. Filia mea malè à dæmonio vexatur, Id eſt, voluntas, quæ inſtar mulieris mollis eſt, tenera ad bonum & ignorans, quæ frequẽter in exercitijs ſpiritualibus guſtum nõ inuenit, licèt egreſſa ſit domum, & fines. Hæc enim malè vexatur à dęmonio, quia victis maioribus vitijs, vt luxuria, auaritia, & ſuperbia, remanet vexatio à dæmone. Quoniam nõ eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinẽ; ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarū harum. Ideò ſi ſentimus carnalia vitia, hoc fit dæmone inſtigante. Vexat autem, dando tentationes vanæ gloriæ, iudicia temeraria, amaritudinem cordis: & quãdo aliud nequit, apponit tentationes triſtitiæ, tollendo deuotionem, Deo permittente. Quartò, Chriſtus nõ reſpondet, vt probet nos: nam probat, id eſt, flagellat omnẽ filium quem recipit: *Fili*, inquit, *accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & in timore, & prapara animā tuam ad tentationem*. Suauius etiam ſapiūt dona, quæ cū deſiderio maiori empta & recepta ſunt; & ideò ad tempus dimittit nos in ſiccitate noſtra. Quintò, diſcipuli qui eā in clamore antecedunt, & in perfectione eam cõmiſerantes, quaſi ſimilia experti pro ipſa orant, ſed audiunt, Non ſum miſſus niſi ad oues, id eſt, illa non perdetur. Interim oportet allicere alios peccatores, & infirmos. Proinde nemo de deuotione, & guſtu diuinorum ſuperbiat, & de huiuſmodi alijs quæ dantur infantibus tanquam lac ob eorum infirmitatem. Sextò, Chananæa venit, & adorauit, quia opus eſt humilitate ad Chriſtum etiam familiarem, cuius Maieſtatem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Poteſtates. Et dixit, Adiuua me, vt ſciamus nos Deo cooperari, & Deum à nobis exigere vſum talenti, & exercitium debilium virium noſtrarum, quas creauit ipſe autor naturæ. Reſpondit autem Chriſtus: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*: Panis, eſt beatitudo cœleſtis: *Beatus qui manducabit panẽ in regno Dei*, Quaſi diceret, Tu vis delectationes gloriæ hoc tempore, quando oportet te pati crucem, affligi tentationibus, & currere inſtar boni canis, vt tandem accipias prædam, qui eſt Chriſtus, de quo Apoſtolus: *Sic currite, vt comprehendatis*: & de ſeipſo: *Sequor autem, ſi quomodo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Ieſu*. Reſpondet autem homo: *Etiam, Domine: nam & catelli, &c*. Id eſt, Confiteor me peccatorem, & indignum dono tuo: ſed interim dum viuo, non peto gloriam; ſed micas tantùm, & guſtum gloriæ quendam. Et tandem Dominus expugnatus hac humilitate dicit, *Magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis*. Vbi enim eſt fides viua, non poteſt voluntas eſſe niſi bona, quæ digna eſt exaudiri, & impetrare omnia dona, non tantùm quę ad vitam hanc rectè inſtituendam neceſſaria ſunt, ſed etiam ipſum panem integrum vitæ æternæ, gratia & meritis Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui cum Patre, & Spiritu ſancto ab vniuerſa creatura habeatur omnis gloria, honor, & imperiū in ſecula ſeculorum, Amen.

Marginal notes, left column: II. documentum. — Gen. 12. — Prou. 22. — E quibus terminis egrediendum nobis. — III. documentum. — Exod 14 — 2 Reg 12. — Dei proprium quid, hominis — Voluntas noſtra quàm malè à dæmonio vexetur. — Epheſ. 6. — Motus noſtri carnales vnde ſint. — Dæmon vt nos vexet, ac torqueat. — IV. documen. — Heb 12. — Eccli. 2. — V. documen.

Marginal notes, right column: VI documen. — Matth 25 — Luc. 14. — Audiui qui i Domine: Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus — 1. Cor. 9. — Phil 3. — Quo verbo Domini ſe pingeret homo ille inſtar Chananææ. — Vbi neceſſario ſit volun[tas] bona.

TRACTATVS XXX.

De ſigno ſurdi, & muti ſanati. Et habetur ſolummodò apud Marc. cap. 7.

DVBIVM non eſt, hoc miraculum cõſecutum fuiſſe præcedẽs Chananææ, quia illud in aduentu eius in partes Tyri, & Sydonis perfecit, hoc in reditu ex Tyro per Sidonem ad mare Galilææ: vt intelligas Chriſtum (vt Petrus dixit) pertranſijſſe benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo, & in omni profectione ſua gloriam Dei illuſtraſſe, & fructum aliquem in hominibus ediđiſſe.

Et iterum exiens de finibus Tyri venit per Sidonem, &c. Non diu moratur Dominus apud Gentiles, ne Iudæis daret occaſionem calumniandi, quaſi ipſe præuaricetur Legem

Marginal notes: Hiſtoriæ — Matth 15. — Act 10 — Omnis Chriſti profectio ad quid vtilis fuerit. — Quare Chriſtus apud Gentes non diu verſaretur.

gem, cum Gentilibus commercium habendo. Rediijt ergo ad mare Galilææ, locum vbi familiarius versabatur. Aduerte, Græca exemplaria non habere, *Venit per Sidonem*, sed tantùm, *Exiens de finibus Tyri, & Sidonis, venit ad mare.* Et hæc lectio videtur magis consonare Matthæo, qui habet: *Et cùm inde transisset Iesus*, nempe à finibus Tyri, & Sidonis, ad quos abijsse Dominum dixerat. Et ratio idem persuadet, quia volentibus ire ex Tyro ad mare Galilææ, non est iter faciendum per Sidonem, sed contrà potiùs è Sidone per fines Tyri iter fiebat ad mare Galilææ: & lectio Syriaci Euangelij simpliciter habet: *Et exiens de finibus Tyri, & Sidonis.* Sed quid vetat affirmare Christum ad Sidonem rediijsse, atque inde ad mare Galilææ, vt significat vulgatus Interpres?

Græca hæc lectio perpenditur. Exiens (Iesus) de finibus Tyri & Sidonis, venis ad mare. Matth. 15.

Venit per Sidonem ad Mare Galilææ inter medios fines Decapoleos. Græca paulò aliter habent: ἀνὰ μέσον ὁρίων Δεκαπόλεως, id est, per medium finium Decapoleos: nō enim signatur mare Galilææ esse inter medios fines Decapolis, sed Christum transijsse per medium illius, postquā venisset ad mare Galilææ. Et idem significari potest in nostra litera, si illud, Inter medios fines, referatur ad verbum, venit. Syriacum Euangelium habet: *Venit ad Mare Galilææ ad confinium Decapolis.* Est autem Decapolis, regio decem ciuitatum ad Orientem Iudææ sita, cuius meminit Plinius his verbis: *Iungitur è latere Syriæ, à numero oppidorum, in qua non omnes eadem obseruant. Plurimi tamen Damascum, & Opoton riguas amne Chrysorrhoa, fertilē Philadelphiam, Rhaphanam, omnia in Arabiam recedentia. Septhopolin antea Nysam à Libero patre, sepulta nutrice ibi Scythis deductis. Gaddaram Hieramiace præfluente, & iam dictum Hippon Dion. Pellam aquis diuitem, Galasam, Canathām.* Hęc Plinius.

Decapolis regio quæ sit. Plin. li. 5. c. 18.

Et adducunt ei surdum, & mutum. Omnis natura sua surdus, mutus quoque est: nihil enim loquimur nisi quod audiuimus: qui autem non audit, quomodo audita referre potest? Hæc autem surditas non natura illi homini acciderat, sed, sicut ex alijs Euangelistarum locis apparet, dæmonum malitia fortassis surdus & mutus factus erat: nā dæmoniacus erat, etiamsi expresse Euangelium non dicat. Et propterea meritò adductus fuit ad Iesum, cùm per se venire nō potuisset. Pro muto Græcè est μογίλαλος apud Marcum, id est, impeditæ linguæ: & vix loquens: & confirmatur, quia de iam sanato dicitur, quod loquebatur rectè, ex quibus colligitur fuisse balbum, non simpliciter mutum.

Surdus omnis vnde idē mutus quoque fit.

Surditas vnde huic homini acciderit, de quo Marcus meminit.

Et deprecabantur eum. Multa Deus concedere solet nō rogatus, imò plura quàm rogatus, quia competit ei plus donare, quàm nobis indigentibus petere: quia egemus finitè, Deus autem potest infinita largiri. Aliqua autem non concedit, nisi rogatus, vt autor donorum ipse dignoscatur, vt humilitate petendi dona promereamur, ac vt dona quæ consecuti sumus, maiori diligētia custodiamus. Nos ergo & non rogati, & rogati benefaciamus omnibus, vt Dominum imitemur. Habentes etiam vsum linguæ deprecabantur pro muto, vt intelligāt iusti, qui vsum linguæ liberum habent, & gratia valent apud Deum, se intercedere debere pro nescientibus, vel impotentibus deprecari, id est, pro peccatoribus, & iniustis. Aduocati etiam, & iudices agant causas pauperum, qui loquela destituuntur, & ius suum vel non intelligunt, vel proponere non valent. ¶ *Vt imponat illi manum.* Ita enim viderant Iesum aliàs huiusmodi infirmos sanasse, & ita Archisynagogus petierat, *Domine, filia mea modò defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, & viuet:* & ita Prophetæ imponendo manus super infirmos sanabant: quemadmodum Naaman Syrus dicebat: *Putabam quòd egrederetur ad me* (scilicet Helisæus) *& stans inuocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locū lepræ, & curaret me.* Aduertendum est, Christum solum posse sanare, homines posse alios adducere ad Iesum, & deprecari, non sanare: ideò fac quod tu potes, & Deus præstabit quod tu non potes. Hinc ille Samaritanus imposuit iumento hominem semiuiuum relictum, alligauit vulnera eius, & curam illius egit: non ait, Sanauit illum. Ita ponderat Bernardus ad Eugenium, hunc locum: *Curam*, inquit, *illius habe:* & non, Cura, vel, Sana illum. Fac tu quod tuum est: nam Deus quod suum est, satis absque tua solicitudine, & anxietate curabit.

Quædā Deus cur concedat, non rogatus, & quædā non nisi rogatus.

Homines surdum & mutū ad Christū adducentes, ac pro eo deprecantes, quid nos doceant.

Matth. 9.

Prophetæ infirmos tangendo sanabant. 4. Reg. 5.

Christi proprium quid, Hominum. Luc. 10.

Bern. lib. 4. de consid. ad Eugen. initio.

Et apprehendens eum de turba seorsum. De turba eduxit eum Dominus; tùm quia impediebat olim languidum turba, ne mota aqua prior alius in piscinam descenderet: paralytico obstitit, ne ad eum accederet, nisi per tectum funibus demissus: cæcum Bartimæum in via, ne Christi misericordiam interpellaret, repugnare turba nitebatur: Zachęo impedimento erat ne Christum videret. Tùm etiam, vt mundi gloriam nostris in magnis operibus, & beneficijs in proximum collatis declinandam esse doceret. Omnia enim bona opera externa eatenus debent seorsum fieri, vt per illa soli Deo, & non hominibus placere studeamus. Quia autē quidam sunt perfecti,

Quare hunc surdum & mutum de turba eduxerit Dominus. Ioan. 5. Matth. 9. Marc. 10.

Luc. 10. Benefacta nostra quatenus seorsum fieri debeant.

quos expedit ad exemplum aliorũ publicè operari, vt Apostoli, quibus dicebat Dominus: *Sic luceat lux vestra coram hominib. &c.* (*Matth. 5.*) alij verò sunt imperfecti, quos magis expedit secretò operari ad gloriolam bonis operibus insidiantẽ Christus, vt omnes consolaretur, vtrisque exemplum præbuit: & secretè signa edẽdo, ac si esset imperfectus; & interdum publicè magnifica opera præstando, tanquam perfectus.

Misit digitos suos in auriculas eius: & expuens tetigit linguam eius. Et suspiciens in cœlum, ingemuit. Edebat Christus signa, tùm vt Messiam, & verum Dei filium se proderet supra hominem, qui videbatur. Et ferè omnia eius signa salutaria erant, & homini vtilia, vt indicaret virtutem suam in leuandis hominibus ponere, hinc dicebat: *Vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata:* & in Lazari suscitatione inuocauit priùs Patrem, &c. Tertiò, vt ostenderet se ita salutis æternę mediatorẽ esse, vt velit salutis adiumenta non negligi, sed suscipi debere: quocirca cæcum natum misit ad natatoria Siloë, vt oculos luto inunctos ablueret. Et ita hunc cæcum & mutum non sine cæremonijs sanauit, cùm in magnis sæpè, vt in suscitatione mortuorũ, cæremonias non adhiberet, sed in minoribus, vt in isto cęco, & muto curato. Denique cõtraria adiungebat remedia, quo Dei virtus magis elucesceret. Ficus enim apponi iussit apostemati Ezechiæ Regis: salem in olla ad tollendam aquarũ Iericho sterilitatem, & cæco nato imposuit lutum in oculis; in hoc verò digitos in auriculas, quæ sunt morbis ipsis cõsona. Magna sapientia Christus non vno, eodemq; modo, sed varijs ac diuersis sanabat omnes malè habentes: tùm vt ostenderet se longè esse à Magicę artis exercitio, in quo eædem semper circunstantiæ & cęremoniæ seruari solent: tùm vt multitudine cęremoniarum adhibitarum excitaret, ac suppleret eorum fidem: tùm vt hoc facto ostenderet quàm graue sit & difficile eum hominem reualescere, qui neque bona audit, neque bona loqui potest, & ad hoc malum non naturali quodam defectu, sed dæmonis malitia peruenit, tum denique vt ad infirmitates nostras subleuãdas doceret nos quæ sancta sunt, vel ad Martyrum reliquias spectant, vel quæ per Ecclesiam benedictionem & sanctificationem habent, adhibere. Vt interim omittam, quòd his omnibus cæremonijs modũ curationis spiritualis à morbo peccati aptè & prudenter adumbrabat.

Quòd ergo digitos mittit in auriculas illius, vnum dextræ manus in sinistram aurem, & alterum sinistræ manus in dexteram auriculam, & sputo digitis accepto tãgit linguam illius: ostendit nihil inesse sibi, quod non sit merè sanctum, & salutiferum, vt ita honorandam veram Humanitatem suam tradiderit, quæ organum & instrumentum erat diuinitatis eius. Vtus est Dominus sputo in hoc signo, & rursus in cæci curatione, nec non in alterius cæci à natiuitate, vt refert Ioannes. Quid mirum autem, si dæmon videns deitatem digiti Dei fugiat, & liberas relinquat aures, quando contra digitum Dei, quo eijciebat dæmonia, non potuerint Magi Pharaonis? Quid mirum etiamsi relinquant linguam liberam, quam ita timebãt? Nam Christus eijciebat spiritus verbo. Lingua autem saliua & digito eget, aures solo digito. Quia lingua, vt docet frater Domini, incoërcibile malum est inquietũ, plena veneno mortifero. Quòd verò suspexit in cœlum, indicauit vnde petẽdum sit hominibus deploratis auxilium, è cœlo videlicet: nam Christus id præstitit, vt doceret nos accurrere ad Deum, & tanquam maximè indigẽtes, omnia Deo Patri tribuere.

Quòd ingemuit, se satis verum hominem declarauit, & alienum à Stoica illa ἀπάθεια. Verè de eius oppressione dolebat, & sanitatem desiderabat. Et docuit cõdolendum esse miseriæ proximi; nequaquam verò gaudẽdum alienis malis. Nec mirum si ingemuit, qui verbo tantùm potuisset sanare: nam voluit potiùs sanguine suo redimere, quos verbo potuisset. Et quia Ecclesia exorcizat infantes saliua & digitis in aures immissis, & illis verbis vtitur, Ephpheta, id est, adaperire; signum est quod hic surdus haberet spiritum malignum ligantem aures, & linguam.

Et ait illi, *Ephpheta, quod est, adaperire.* Verbum, *Ephpheta*, manifestè est Imperatiuus passiuus primæ Chaldæorum coniugationis, non Hebræorum: nam illi habent: הִתְפַּתַּח vel הִפָּתַח. Syriaca verò vox, quæ habetur in Euangelio Syro, est אֶתְפַּתַּח. & siue aspiratione in principio debet scribi, vnde & Gręci leni spiritu proferunt, ἐφφαθά. pro quo noster Interpres non malè vertit, Ephpheta, & significat, Adapertus esto, siue adaperire, vel sis apertus ò homo. Dæmon enim obthurauerat meatus auditus, ne sonus perueniret, & ligauerat neruos linguæ, ne loqueretur. Non transtulit hoc verbum Interpres, fortassis nutu Diuino, vt eius vocis vsus nobis sacer remaneret in baptismo, quemadmodum aliæ nonnullæ voces, vt Alleluia, Emmanuel, Manna.

Margin notes (left): *Matth. 5.* — Christus cur signa ederet. — *Matth. 9.* — *Ioan. 11.* — Qualis sit mediator Iesus. — *Supra 9.* — In quibus ferè signis Christus cæremonijs vteretur. Quibus verò etiam contrariis adhibebat remedia. — *4. Reg. 20.* — *Supra 2.* — Quare Christus non vno eodemq; modo semper omnes languidos curaret, sed varijs, ac diuersis. — Ægritudo spiritualis alicuius quæ curatu difficilis. — In eo quod Christus in huius surdi, &

Margin notes (right): [mutuæ] curatio[ne digitos] sit in au[riculas, & ...] to digitum ac[cepto ...] linguã [...] quid si[gnificaue]rit. — *Marc. 8.* — *Ioan. 9.* — Christus dæmones eijcit. — *Luc. 11.* — *Exod. 8.* — *Matth. 8.* — *Iaco. 3.* — Quale malum sit lingua. — Cur ingemuit in curatione surdi Dominus. — Ephpheta Chaldaice quid. — Ratio eius [ver]bi interpretatione [...]tique.

Qua locutione dicitur aperiri lingua.

Et statim apertæ sunt aures eius: & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Hebraica phrasi dicitur aperiri lingua, cùm ad loquendum soluto vinculo eius fit aperta. Vnde Esaias: *Tunc aperta erit lingua mutorum:* & de Zacharia dicitur: *Apertum est illicò os eius, & lingua eius, &c.* Primò aures sunt liberatæ, deinde lingua: primò enim discẽdum est, vt posteà rectè loqui valeamus. Vnde Apost. ait: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, &c.* Et vt dicitur; *Loquebatur rectè,* ita etiam supplendum est, quòd & audiebat rectè. Nec enim loquitur rectè homo, nisi consequenter respondeat ad interrogata.

Esai. 35.
Luc. 1.
Quare priùs aures apertæ fuerint, deinde lingua.
Iacob 1.

Ab ijs, quos curabat, cur Dominus beneficij silentium exigebat.

Et præcepit illis ne cui dicerent. Hoc sæpè est superiùs expositum: non enim simpliciter nolebat sciri id quod gestum est; sed quia volebat homines docere, ne in benefactis propriam quærerent gloriam. ¶ *Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, & eo amplius admirabãtur.* Rectè dictum fuit ab Ethnico quodam, gloriam quærentes fugere, fugientes quærere, instar vmbræ nostræ, quæ cùm præcedit, illam consequi non possumus; cùm verò illam post tergum reijcimus, nos perpetuò consequitur. Proinde, quod Iesus interdixit his, qui mutum adduxerant, ne cui dicerent quod actum esset, hoc ipsos magis prouocauit, vt apud omnes magis prædicarent: atque eo vehementius aspiciebant magnitudinem eius, qui cùm talia posset, ac præstaret, non solùm nihil exigebat præmij, sed nec gloria quidem tam insignis facti frui cupiebat. Sed vt est hominis verè benefici, non exigere laudem pro beneficio, ita grati hominis est hoc ipso impensiùs referre gratiam, quo qui beneficium dedit, nullam expectat.

Gloriæ proprium. Eadẽ qualis sit.

Hominis verè benefici ingenium, & grati.

Dicentes, Benè omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui. Hęc laus in solum Deum competit, ac proinde in Christum. Nemo mortalium benè facit omnia, imò in multis offendimus omnes, vt Iacobus ait. Et tamen multi sunt hodie, quibus mirificè sua opera placent, & qui suorum operum sunt ebuccinatores: opera autem Dei reprehendere, aut temerè iudicare non verentur. Qui verè sunt surdi, & muti habendi, qui nec bene de seipsis loquuntur, nec verè sentiunt de Christo, qui omnia bene fecit, hoc est, potenter, sapienter, iustè, misericorditer, suauiter, opportunè omnia fecit; nos autem ferè omnia malè facimus. Et nota, non satis esse bonum facere, nisi etiã benè faciamus, iuxta illud: *Iustè quod iustum est persequêris, vt viuas.* Iustè enim operatur, secundùm Aristotelem, qui virtute prædi-

Benè omnia facere Dei solius est proprium. Ab eo qui degenerẽ.

Iacob 3.

Verè surdi & muti qui habendi sint.

Bonum facere non satis esse, sed etiã benè.
Deut. 16.
Arist. lib. 2, Ethic. ad Nicoma. cap. 4.

tus est; iustum verò, qui nondum illam est assecutus. Quod ait: *Surdos fecit audire, & mutos loqui,* cùm vnum tantùm sanauerit surdum & mutum: vel pluralis ponitur pro singulari, vel Græcè non habetur, fecit, sed de præsenti, ποιεῖ, id est, Facit: quo significatur potentia efficiendi, vt surdi audiant, & muti loquantur. Discamus ergo ex offerẽtibus, quantum valeat apud Deum fides aliena, & deprecatio: ex Christo, vt fugiamus plausus populares, & hominum laudes: ex turba verò, non reticere Dei opera, sed illa prædicare, & de proximorum salute gaudere, atque gratulari. Et hactenus nobis de litera sit dictum: iam mysterium Euangelij breuibus est explicandum.

Iustè, & iustũ operetur quis, secundũ Philosophum.
Documenta tria.

¶ Surdus est, qui vehementem sonum, vel clamorem non percipit: talis est peccator, qui se ipsum ignorans, non audit verbum synteresis, & vermis conscientiam rodentis, & arguentis de peccato: quæ pœna grauissima est, & propterea ab inferno non aberit. Habet autem conscientia duos præcones: primum antequam homo peccet, hominem terrentem, & dicentem: Quacunque hora peccaueris, morte morieris. Atque hæc vox, siue pręmonitio conscientiæ aptè repræsentatur per Angelum, qui Balaam ariolo ad maledicendum Israëli proficiscenti occurrit gladio euaginato cõtra eum, & comminatus est mortem, si quicquam contra populum Domini loqueretur, aut ageret. Alterum præconem habet post peccati perpetrationem, quia conscientia repræsentat homini malum quod fecit, omnium bonorum dissipationem, virtutum & meritorum ruinam: & hic præco significatur in nuntio illo, qui in singulis calamitatibus euasit solus, vt nuntiaret Iob omnia damna quæ illi acciderant. Surdus præterea est, qui Deum præcipientem, aut promittentem non audit, aut qui Deo comminanti, & pœnas gehennæ proponẽti, aures non præbet: qui non sentit nouissimam illam tubam, & tonitruum diuinæ illius postremæ sententiæ: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Denique qui clamorem Christi sanguinis veniam offerentis non percipit, qui prædicatorem & correptorem blandè & amicè admonentem non sustinet. Mutus verò est peccator, qui non confitetur ob dæmonem, qui vt fortis armatus possidet castrum cordis, & portam, per quam est expellendus, claudit: pudore enim infandorum criminũ, & impunitatis pollicitatione, & spe longioris vitæ, & confessionis suo tempore faciendæ, tanquam pessulo quodam claudit ostium. Mutus denique est, quicunque laudibus,

Hæc historia surdi, & muti quod mysterium cõtinet.
Surdus quis.

Duo cõscientiæ præcones in quibus adumbrati.

Num. 22.

Iob 1.
Surdus etiam quis sit.

Matth. 25.

Mutus verò quis.
Luc. 11.

aut gratiarum actione, aut precibus Deum non prosequitur, qui Deum non confitetur coram hominibus, qui taciturnitate sua permittit irrogari iniuriam proximo, quam loquendo arcebat, qui delinquentem ex ignorantia non instruit, vel corrigit, aut qui mœstum & contristatum fratrem non consolatur. Vel quia auditus fit intus suscipiendo verbum; ideò significat fidem viuam, & interiora bona: nam, vt docet Paulus, fides est ex auditu. Hinc Dominus in Exodo: *Non audient*, inquit, *vocem meam* (id est, non credent) *sed dicent: Non apparuit tibi Dominus.* Et apud Ezechielem: *Nolunt audire te, quia nolunt audire me*; & in Euangelio: *Si Moysen & Prophetas non audiunt*, (id est, non credunt vt verba subiuncta docent) *neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Et in hoc sensu dixit Paulus: *Nō enim auditores Legis iusti sunt apud Deum* (id est, credentes) *sed factores Legis iustificabuntur.* Quia verò locutio fit extra mittendo, ideò significat non tantùm verba, sed etiam bona opera externa, quæ verba in Scripturis dicuntur, vt cùm dicitur: *Populus hic labijs me honorat*, & Paulus: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et quia de quibusdam dicitur: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant*: colligimus, oris confessionem esse operum bonorum productionem. Ægrotus ergo iste, non est alius quàm carens fide viua, qua vna iustus est quicunque iustus est, & operibus fidei, quibus iustitia comprobatur, & augetur.

Matth. 10.
Auditus quomodo fiat, quid significet.
Rom. 10.
Exod. 4.
Ezech. 3.
Luc. 16.
Rom. 2.
Dei vocem audire quid. Locutio vti formetur: duo in Scripturis denotat.
Matth. 15.
Esai 29.
Rom. 10.
Tit. 1.
Fides quęnam illa quæ iustificat.

Vt ergo hic sanetur, opus est vt infirmitas ipsa agnoscatur. Deinde vt adducatur ad Iesum ab his qui eius infirmitates portant & sustinēt, instar Christi, de quo Propheta ait: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Et Apostolus: *Alter alterius onera portate; & sic adimplebitis Legem Christi.* Tertiò opus est deprecari Dominum, vt imponat illi manum, non tantùm sinistram timoris, de qua dixit Iob: *Manus Domini tetigit me*, sed etiam manum dexteram amoris, de qua dicitur: *Fiat manus tua vt saluet me*, & rursus: *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Manum etiam Sacerdotis ministri Dei, cui dictum est: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Sacerdotum enim maximè est, manus imponere super ægros, vt benè habeant. Quartò opus est vt separetur à turba (id est, ab occasione peccandi) cuius vna maxima est pars, mala societas, de qua Apostolus: *Corrumpunt mores bonos, colloquia mala*: &, *Nolite locum dare diabolo*, & Salomon: *Qui amat periculum, in illo peribit*: & Propheta, *Inimici hominis, domestici eius.* Hinc enim

Vt vetus homo noster surdus & mutus curetur, multa requiruntur. II. conditio.
Esai 53.
Gal. 6.
III. conditio.
Iob 19.
Psal. 118.
Psal. 144.
Ioan. 20.
Super ægros manus imponere vt benè habeant, quorum maximè sit.
IV. conditio.
1. Cor. 15.
Ephes. 4.
Eccli. 3.
Mich. 7. &

casus Luciferi, & Adæ: & ob prauas & corruptas amicitias diluuium mundum vniuersum vastauit. Ora ergo Dominum cum Petro: *Domine, saluum me fac*: & apprehendet te manus eius. Nec effugias manum illam potentē, de qua nemo potest te rapere: nam qui fugit manum Dei misericordem, in manum Dei iustā incidet. Quintò, opus est vt Dominus mittat digitos suos in auriculas nostras (id est, Spiritum sanctum, & dona eius) secūdùm captum fidei, & amoris. Nam fides datur in eodē spiritu, & charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Est enim digitus Spiritussanctus, vnus quidem in substantia, multiplex autem in donis, & effectibus suis. Auriculas autem asini habet homo animalis necdum iustificatus: ante fidem.n. non credit, nec intelligit, nec sapit quæ sunt Spiritus Dei, stultitia enim est illi. Et ait: *Qui vult seminiuerbius hic dicere?* eiusmodi enim auriculis tantū percipit rudētes (id est, aliorū hominum animalium, & fide Christi destitutorum, dicta & facta) dē quibus Apost. *A veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Et vt istorum dicuntur auriculæ, ita virorum iustorum dicuntur aures, quia iam sunt curatæ à surditate, quibus sapiunt diuina, sed nunc auriculas asini quis non habet? Sextò opus est, vt Christus mittat saliuam, qua lingua moueatur ad formādam loquelam, & qua sapit cibus, pręstando fortitudinem ad benè, & cum delectatione operandum: *Meus*, inquit, *cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius*: & iterum: *Sine me nihil potestis facere. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos nisi in me manseritis.* Vt autem recipiamus hanc saliuā, qua sapientes, & fortes ad benè operandum, & Christum confitendum reddamur, debemus respicere ad Christum: *Si quis vult*, inquit, *post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Qui autem moribus, & vita Antichristum sectantur, non recipiunt Christi, sed seminiflui saliuam: de quo: *Si saliuam huiuscemodi homo eiecerit super eum qui mundus est, lauabit vestimenta sua, & lotus aqua, immundus erit vsq; ad vesperum.* Innumeri sunt profectò, qui prauas suggestiones, & persuasiones aliorum tanquam sputa seminifluorum hodie recipiūt: paucissimi, qui saliuā sapientiæ Christi iungi velint: & sola sapientia Christi linguam nostrā gubernare valet. Septimò, opus est vt Christ⁹ respiciat in cęlum (id est, respicere nos faciat) omnia Deo tribuendo, & gemere etiam nos efficiēdo, vt sic tandē dicat: Aperire ô homo,

Matth. 10.
Esa. 14.
Gen. 3
Infra 7
Matth. 14.
Ioan. 10.
V. conditio. Digitus Dei quis: ide quo modo vain & multiplex.
1. Cor. 12.
Rom. 5.
Homo necdum iustificatus qualis fit.
1. Cor. 2.
Act. 17.
peccat. auriculæ cur sint non aures.
2. Tim. 4.
Iusti quod aures habeant, non auriculas.
VI. conditio.
Ioan. 4.
Infra 15.
Ibidem.
Luc. 9.
Saliuam Christi solus qui respicit.
Leuit. 15.
VII. conditio, & postrema.

quan-

Quatuor modis homo aperiri debet.
Eccl. 1.
Pſal. 38.

quantum ad intellectum, videndo cuncta quæ ſub Sole ſunt, eſſe meram quādam vanitatem, & afflictionē ſpiritus: & vt agnoſcas te ipſum compendium quoddam, & ſummam eſſe vanitatis, ſecūdum illud: *Veruntamen vniuerſa vanitas, omnis homo viuens*: vt cognoſcas etiam Deum tuum, eiuſque gloriam, potentiam, ſapientiam, & miſericordiam.

II. Modus.

Aperire etiam ô homo, quantum ad voluntatem, vt cor tuum, quod amori diuino, & timori clauſum erat, incipiat iam Chriſtum guſtare, eius bonitatem diligere, maieſtatem reuereri, agnoſcas proximum, ac illum perinde ac te ipſum diligere, alieniſque bonis congratulari, & eorum calamitatibus condolere addiſcas.

III. Modus.

Tertiò, aperire ô homo, quantum ad os, vt gratias agas Deo, & labijs ab eo apertis, os tuū annuntiet laudem eius, fratribus tuis doctrinam, & ſana, & præſentanea conſilia, & verbum conſolationis, ſi opus eſt, adhibeas.

IV Modus.
Prou. 31.

Manus etiam tuæ aperiantur ad ſuccurrendum proximo, & ad benefaciendum, ſecundum illud: *Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem.* Hac apertione poſtrema facta à Domino apeiiuntur Scripturæ ſacræ, creator & creatura, beneficia, & flagella, & iudicia Domini.

Eius fructus & vtilitas.

Vnde in omnibus illi acquieſcimus, & ora noſtra in laudes eius ſoluimus, & ita loquimur rectè, aptique, & idonei reddimur, quo in cœleſte regnum aliquando recipiamur ad miſericordias Domini in æternum decantandas, ſuffragante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum Patre & Spiritu ſancto ſit gloria ſempiterna, honor, & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

TRACTAT. XXXI.

In quo agitur de ſigno, quo Dominus ſeptem panibus quatuor millia hominum pauit in deſerto: quod recenſetur à Matt. ca. 15. & à Marc. ca. 8.

Quæ ſigna Dominus repetiuit.
Ioan. 2.
Matth 21.
Sup. 8.
Supra 9.
Infra 14.
Ioan. 5.
Matth. 8.
Luc. 17.
Matt. 9.
Luc. 7.
Ioan. 11.
Matt. 14.

QVemadmodum Dominus bis eiecit ementes, & vendentes è templo, bis edidit ſignum in ſedanda tempeſtate maris, duos paralyticos, vnum ſubmiſſum funibus de tecto, alterum ad probaticam piſcinam: ſemel mundauit Leproſum, & iterum decem Leproſos: & tres mortuos ſuſcitauit: ita hoc ſignum multiplicandi panes bis edidit in deſerto. Nec pluries, vt Theophylact. docet, fecit miraculum in alimentis, ne quiſquam putaret, ꝙ propter cibos populus illum ſequeretur, cum tamen Dominus propter penuriam ſignum bis ediderit.

Infra 15.
Theophylact. in Marc. c. 8. init.
Quare Chriſtus ſignum multiplicationis panum bis ediderit.
Mar. 8.

Et ad hoc reſpiciens Marcus dixit: *In diebus illis iterum cum turba multa eſſet cum Ieſu, nec haberent quod manducarent*: nam illud: *iterum*, refertur ad primam ſaturationem, de qua paulo ante ſermonem fecerat, vt ita oſtendat hoc ſignum diſtinctum à prima ſaturatione: & Dominus eſt qui nos, tum in hac vita, tum in futura ſatiat. Primo igitur explicabitur litera, quæ eadem fere eſt apud Matth. & Marcum. Neque dubium eſt, vt ex his duob. Euangeliſtis colligitur, hoc miraculum tempore conſecutum fuiſſe illud quod proxime enarratum eſt.

Matt. 15.

Ait ergo Matthæus: *Et cum tranſiſſet inde Ieſus, venit ſecus mare Galilææ: & aſcendens in montem, ſedebat ibi. Et acceſſerunt ad eum turbæ multæ, habentes ſecum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos: & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos, ita vt turbæ mirarentur videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes: & magnificabant Deum Iſrael.* Hæc ſunt quæ præmittit Matth. ſigno ſeptem panum.

Vnde tranſierit Ieſus in montem editurus hoc ſignum.
Mar. 7.

Quod ergo dicitur: *Cum tranſiſſet inde*: nempe à Tyro per Sidonem, ſed ante curationem hanc factam in monte coram turba quam pauit, videtur in via curatus ſurdus & mutus, teſte Marco, quia coram diuerſis à turba illa quæ cibata eſt editum videtur ſignū ſurdi, & muti, ait enim Marcus: *In diebus illis iterum cum turba multa eſſet cum Ieſu, nec haberent quod manducarent.*

Quare Chriſtus ſederet in monte.

In monte autem ſedebat, tum vt quieſceret à longa peregrinatione, tum vt commodum orationi locum captaret, tum vt expectaret turbam ad ſe confluentem, denique vt diſtans ab vrbe haberet occaſionē paſcendi, & docendi, ſicut in prima ſaturatione docuit apud Marcum. Etſi Matthæus omiſerit doctrinam: nam Dominus ſigna ad confirmationem prædicationis operabatur. Non conſtat an fuerit hic mons, & deſertum illud idem quod in prima ſaturatione quinque millium, an vero fuerint diuerſa.

Mar. 6.
Matt. 14.

Quæ fuerint illæ turbæ quæ ad Chriſtum dicuntur acceſſiſſe.
Matt. 4.
Infra 8.
Infra 9.
Mar. 9.

Quod autem dixit, acceſſiſſe ad eum turbas multas: intellige illa quatuor millia virorum, quæ alta ſunt à Chriſto. Et quia quaſi nouus redibat à Tyrijs, & Sidonijs, id eſt, à Gentilibus, ad eos in conuerſione reliquiarum rediturus eſt. Habebant etiam ſecum infirmos, & Domin' ſolebat omnes ſanare, vt Matthæus ſæpe teſtis eſt: & omnes volentes credere, ſanabātur, vt dicitur apud Marcum: *Si potes credere, omnia poſsibilia ſunt credenti.*

Quare turbæ proiecerint nunc languidos ad pedes Chriſti.
Matt. 9.

Ait autem Matthæus turbam proieciſſe infirmos ad pedes eius, nēpe iacētes ſuper herbam, vt Chriſto ſedente videri poſſent diſtincti à ſanis ſtantibus, vt mi-

vt misereretur, vt alias, & videns videretur non petens contactum manus, vt in Genezareth, de qua paulo ante locut⁹ fuerat. Curabat autem solo verbo, quia credebãt, & difficile erat tangere, alias autem simplici tactu, vt ex Matthæo constat. Secundò, tactu cæremoniali statim sanans: Tertiò, non statim sanando, vt de cæco nato Ioannes testis est: Quartò, solo verbo præsentes: Quintò, absentes, & statim sanando, vt filium Reguli, & seruum Centurionis, ac filiam Chananææ: Sextò, interdum curabat sine verbo, & tactu, vt Leprosos in via. Non autẽ ita citò exaudiuit Chananęam, quia Gentilis erat, & vt confunderet æmulos Iudęorum, & ne impotentiam Domini causarentur, & mirarentur quod solo verbo tot crederent, vel ex infidelibus. Et ita dicitur quod mirabantur tot mutos loquentes, Christo iubente, vt signa viderẽt, vt dicitur apud Mar. ca. 7. & 8. & Matth. 9. Non autem ad Dei laudes canendas, quia idem diceretur de omnibus, & non poneretur vt actus cuiusuis.

Infra 14. Quot modis Christus sanaret. Matth. 8. Infra 9. Marc. 7. Ioan. 9. Matt 8. Ioan 4. Matth. 8. Infra 15. Luc 17. Matt. 15.

Quare turbæ videntes Christi signa, mirarentur.

Et magnificabant Deum Israel. Turbæ quæ petierunt, & viderunt id bonum commune, non autem sanati, quia diceret, magnificantes. Id autem propterea tacuit, quia magis notum erat, sicut de Paralytico. Magnificatio autem erat: vel quia talem potestatem dedit hominibus, vel quia nunquam sic vidimus, vel quia Propheta magnus surrexit in nobis, &c. Et signa tantum ostendentia potestatem, semel edita sunt, vt ambulare super mare, & transfigurari, vtilia sæpe fecit. Sed quia alijs modis turbæ satiari poterant, quam signo, & ne tolleretur deuotio verbi Dei per panem materialem, & ne viderentur fauore humano conuersi facere eum Regem, non ita sæpe satiauit, sicut curauit. De manna vero prospexit per quadraginta annos, quia erat cibus necessarius: secus de coturnicibus bis tantum datis, sed vt abundantiorẽ Helisæo ostenderet potestatem suam, plus quam semel satiauit, cum ille non nisi semel, & centum tantum homines, Christus bis, & plus quam quinque millia in prima saturatione, & quatuor millia in secunda satiauerit.

Ibidem. Eædem cur magnificabãt Deum Israel. Marc 2. Luc. 7. Matt. 14. Quam ob causam Dominus curaret sæpius, quam satiaret turbas. Quid ergo Israelitis 40 annis de manna prospexit Deus? Exod. 16. 4 Reg. 4. Matt. 14.

Cum turba multa esset cum Iesu, nec haberent quod manducarent. Non ergo desperandum est in multitudine pauperum, vel tempore quo annonæ penuria premimur: quia ipsi est cura de nobis, & ad eum spectat nos pascere. ¶ *Conuocatis discipulis suis.* Non quod egeret cõsilio eorum, qui sapientia Dei est, sed vt de panibus eorum satiaret turbam, & exploraret eorum fidem, & ex præteriti memoria beneficij excitaret fiduciam petendi à Domino similem inopię turbarum subleuationem, & scirẽt quod ipsorum est pascere populum, & vt ex dictis eorũ constaret signi magnitudo, & vt magistri non dedignentur inferiores consulere: quia sæpe etiam est olitor valde opportuna locutus: quemadmodum Iethro Gentilis, salutare consilium prębuit sapientissimo seruo Dei Moysi.

In quo non sit desperandum, sed sperandũ in Domino. 1 Pet. 5.

1. Cor. 1. Quare discipulos nunc conuocauit Dominus.

Exod. 18.

Dixit, misereor turbæ. Significantior est vox Græca, quæ habet σπλαγχνίζομαι, id est, ex intimis visceribus misereor: iam enim Deus indutus humanitatem, viscera instar hominis habebat, vt nos cõmiserari posset. Primo ergo significat se ex misericordia agi ad signum edendum, nõ ad ostentationẽ, vel populo delitias exhibẽdas, vel quia petierant. Deinde ostendit, radicem omnium beneficiorum suorum aduersus nos nihil aliud esse, quam purã misericordiam: quæ non tantum est miseriæ alienæ subleuatio, sed etiam tener quidam, & mollis alienæ miseriæ sensus animum nostrum excrucians. Atque hanc misericordiam per incarnationem didicit Christus: ait namque Apostolus: *Vnde debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum.* Et infra: *Non enim habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatib. nostris, tentatum autem per omnia, &c.* Et ideo ait, *Misereor*, de præsenti, quia actu, & semper miseretur nobis, etiamsi aliter interdum nobis videatur. Est enim Deo proprium misereri semper, & parcere: sicut nobis propria est miseria, & defectus. Et vt olim homicidis vnicum perfugium erat ciuitates refugij adire, ita nobis animæcidis, & peccantibus, asylum hoc superest misericordiæ: & omnib. in hoc mundi mari laborantibus, & periclitantibus, non est alius portus tutior, quam Dei in Christo misericordia ostensa. Et subdit rationem misericordiæ: *Quia triduo iam perseuerant mecum, & non habent quod manducent.* Ergo consumpserunt illo triduo omnia cibaria quę attulerant, & triduo manserant cũ Christo vt verbũ Dei audirẽt, & infirmis suis sanitatem implorarent. Et ita ostẽdit se necessitate cõpulsum ad operationem signi. Et perpende quantum raperet, & miraculorum, & doctrinæ gratia, vt per triduum in deserto illum consectarentur. ¶ *Et dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via.* Reddit rationem defectus: quia quidam ex illis longe venerant: & ego, qui salutis autor dicor, si contingat illos deficere, vocabor homicida. Isti enim videntur fuisse Christi discipuli, ex cuius ore audierant: *Primum quærite*

Quare Christus super turbam misereatur.

Misericordia quid sit, & quando Christus didicerit.

Heb. 2. Infra 4.

Deo propria misericordia sicut homini miseria.

Num. 35. Deut 19. Iosue 20.

Quare tam diu cum Christo manserint.

Quare causa Dominus fuerit cibo sublevaturus turbas.

Matt. 6.

regnum

regnum Dei, & iuſtitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis. Contra quam ſententiam clamitat mundus:

Horat. libr. 2. epiſt. 1.

O ciues ciues, quærenda pecunia primum eſt;
Virtus poſt nummos.

In eo quod Chriſtus dimittere noluit turbas ne deficerent in via, quid nos docere voluerit.

Et ex his verbis: Dimittere eos ieiunos, nolo, ne deficiant in via: elicimus ſanctum eſſe extruere xenodochia pro miſericordia futuris pauperibus impendenda. Deinde docet quo modo ſubueniendum ſit proximo, non quando emittit extremum ſpiritum, ſed tempore quo poteſt eſſe vtilis miſericordia. Ideo ait: *Deficient in via ſi dimiſero eos ieiunos.*

Apoſtolorum vel obliuio, vel tarditas, & excitas.
Matth. 15.

Et dicunt ei diſcipuli, vnde ergo nobis in deſerto panes tantos, vt ſaturemus turbam tantam? Panes vocat tantos, id eſt, tam multos, & turbã tantam, id eſt, tam multam: vt quantitas continua poſita ſit pro diſcreta. Et pro illis verbis habet Marcus: *Vnde illos quis poterit hic ſaturare panibus in ſolitudine?* Et hoc dicunt, quia obliti erãt prius miraculum, vel quia præ nimia tarditate nondum intelligebant, Dominum quod ſemel potuit ſemper poſſe, ſicut etiam de priori ſigno dixit Marcus: *Non enim intellexerunt de panibus. Erat enim cor eorum obcæcatum.* Quia parum proſunt externa omnia officia, ſi non adſit ſpiritus intus docens: *Vnde ergo nobis in deſerto panes tantos, &c.* Id eſt, vnde tibi, & nobis tanta copia panis adeſt, ad tot turbas alendas? Et infirmam fidem, & obcæcatum cor oſtendunt, vt inde ſignum magis pateret, nec putaremus illos naturaliter ſatiatos. Non intelligebant quomodo Chriſtus facere ſigna poſſet, non tantum ſemel, ſed pluries, vt dicitur apud Matth. Interrogat Dominus: *Quot habetis panes?* non quaſi neſciat ſed vt effectus manifeſtior fieret, & fides miraculi maior.

Mar. 6.
Ibidem.
Parũ proſunt quando externa omnia officia, quæ facimus.

Matt. 16.

In ſuos Chriſti prouidentia.
1. Pet. 5.
Pſal. 54.

Et præcepit turbæ vt diſcumberent ſuper terram. Id eſt, vt quieſcerent, & non anxie excruciarentur, ſed dormirent ſedato animo, & cogitatum ſuum in ipſum proijcerent, quoniam ipſi eſt cura de nobis: vt pater pro filijs ditandis, & filiabus locandis vigilat, & ſolicitus eſt, dum illæ quiete dormiunt, & ſtertunt. ¶ *Et accipiens ſeptem panes, & piſces, & gratias agens fregit, & dedit diſcipulis ſuis, & diſcipuli dederunt populo.* Quod ſeptem panibus quatuor millia tantum virorum pauerit, cum plus quinque panibus quinque millia ſaturauerit: oſtendit, Deo perinde eſſe multos, vel paucos, ex pauco, vel multo ſaturare, cum opus fuerit. Idem eſt benedicere, & gratias agere, vt alias annotauimus. Fuit ergo benedictio quædam cum gratiarum actione admixta: & oſtendit miraculum eſſe à Deo, & à Deo cibum petendum, & per gratiarum actionem augeri, & multiplicari dona accepta à Deo. Non creauit nouos panes, ſed iam editos benedictione multiplicat, vt olim vinum. Adde, quod ipſe etiam eſt, qui panem veteris Legis multiplicauit, non noua docẽs, ſed antiqua, id eſt, Legem, & Prophetas. Et in ſolitudine hoc ſignum editum eſt, non prope ciuitatem, ne inde panes aſportati viderentur, & vt ſignificet Deum paſcere exiſtentes in deſerto religionis, vbi nec ſeminatur, nec metitur, & tamen Deus paſcit ſuos. Ieſus dabat diſcipulis, diſcipuli apponebant turbæ: & ita ſatuitas prouenit, imo abundantia, vt ſuperſit etiam ad alijs impertiendum.

In eo quod ſeptem panibus quatuor tantum millia virorum pauit, cum plus quinque panibus quinque millia ſaturauerit, quid Dominus inſinuauerit.
Supra tract. 26.

Quid ſeptem panum illa, & paucorum piſcium Chriſti benedictio.
Ioan. 2.
Cur hoc ſignũ multiplicationis in ſolitudine editum ſit.

B. Chryſo. ho. 54. in Matth. tom. 2.
Quare in priori ſaturatione duodecim cophini, in hac vero ſeptem ſportæ ſuperfuerint.

Et quod ſuperfuit de fragmentis, tulerunt ſeptem ſportas plenas. Variam menſuram reliquiarum voluit eſſe ab illa prioris ſigni, vt eleganter docet B. Chryſoſtom. vt ex hac diuerſitate diſcipuli facile recordarentur & huius, & alterius ſigni prioris. Septem ergo ſportę, reſpondentes ſeptem panibus, ſicut olim duodecim cophini reſpõderunt duodecim diſcipulorum numero. Quod non caſu factum eſt, ſed diuina prouidentia, vt ſimul in oſtenſione potentiæ indicaret ſapientiam facientem reſpondere, vel ſportas panibus, vel cophinos diſcipulis, quemadmodum in oſtenſa potentia Paralytici ſanati indicauit etiam cogitationũ ſcientiam. Eſt autem ſporta vaſis genus ex vimine, vel iuncis, aut ſparto, vnde dicta putatur, aut ab aſportando cõfectum, quare Paulus per murum in ſporta demiſſus dicitur. Ex quo colligitur, quod fortaſſis non fuerit minor quantitas reliquiarum in hoc ſigno, quam in priori, & ſic ſeptem iſtę ſportæ tantum capiebant, quantum illi duodecim cophini, nam ſporta, quæ Paulum demiſſum per murum Damaſci capiebat, capacior erat, quam cophinus, qui dicitur quaſi κοῦφος, id eſt, leuis, & Latine ſignificat corbem.

Marc. 6.
Matth. 9.

Sporta quid, vnde nomen habeat.
Act. 9.
Vnde conſtare facile poſſit, illas ſeptem ſportas tantũ fragmentorũ ac 12. cophinos continuiſſe.

Mar. 8.

Cur Dominus dimiſerit turbas.

Et dimiſit eos. Et ſtatim aſcendens nauim cum diſcipulis ſuis, venit in partes Dalmanutha. Matt. vero ait, *Et dimiſſa turba, aſcendit in nauiculam, & venit in fines Magedan.* Siue, vt Græcè dicitur, Magdalan. Dimiſit eos, poſtquam ſanauerat ægrotos, docuerat, & famelicos pauerat, ne iterum peterent ſatiari: non enim vult dare multa tẽporalia, ne nobis offendiculum fiant, & illis irretiamur. Dimiſit etiam fugiẽs applauſum, ne daret occaſionem, vt olim vt venirent turbæ, & raperẽt eum, vt facerent Regem: quia (vt ait Marcus) ſtatim receſſit: & quia non ſemper manẽdum eſt cum turba, nec expedit ſemper ei eſſe præſentem prædicatorem.

Ioan. 6.
Mar. 8.

Idem cur nauim ascenderit. *Matth. 8. Luc. 5. Matt. 13. Marc. 6. Sup. 6.* Quare, vt olim Christus modo non super aquas ambulauerit. Magedan quid.

Ascendit autem in nauiculam: vel vt trãsfretaret, vel vt quiesceret tantillum nauigando ad eam partem littoris, & vt fugeret turbam non habentem nauim, vt apud Matth. dicitur: sicut etiam in nauem ascendit, ne opprimeretur, vt Luc. & Matthæus testãtur. Non est autem turba secuta, quia vel longe ibat, vel nesciuit quo tenderet, vt olim nouit, quãdo prçuenit eum. Nec profectus est super aquas, vt olim, quia non erat necessum, vt alias ob discipulos fecerat, & nõ debuit semper miracula operari. Magedan idem locus videtur esse cum Dalmanutha, quia è naui illuc iuit, & statim disceptarunt cum eo Pharisæi: nam vnus & idem locus potest varia sortiri nomina, vt de his docet Euthym. Aut vnum est nomẽ generale regionis, aliud peculiare loci illius signati, in quem venit, aut sane locus, in quem venit, vtrique loco vicinus erat, si distincta illa loca erant: sicut supra dictum est venisse in partes Tyri, & Sidonis. Augustinus etiam testis est multos libros habere Magedan, pro, Dalmanutha: quomodo etiam ostendit Hieronymus se legisse: qui in libro de locis Hebraicis scribit: *Magedan, ad cuius confines Mattheus Euangelista scribit Dominum peruenisse, sed & Marcus eiusdem nominis recordatur: nunc autem regio dicitur Magedena circa Gerasam.* Sic ille. Ex quibus habemus, melius habere Latinos Codices Magedan, quam Græcos Magdala. Deinde patet eos turpiter errare, qui loca hæc Magedan, & Dalmanutha constituũt cis mare Galilææ, cum Hieronymus testetur fuisse circa Gerasam, & proinde vltra mare Galilææ. Quod in sequentib. ostendit Marcus, dicens, cum petentes signum confutasset, illis dimissis venisse Beth-saidam, quæ erat cis mare Galilææ. Lyranus idem esse putat cum Mageddo, vbi occisus est Iosias Rex. Rabanus etiam testatur, de hoc loco fieri mentionem apud Zachariam, cum dicitur: *In die illa magnus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus Adradremmon in campo Mageddon.* Sed verisimilius est, quod Mageddon, locus, in quo occisus est Iosias, & de quo loquitur Zacharias, sit ciuitas in Tribu Manasse, cuius meminit liber Iosue, quam cepit Manasse Iudic. 1. & reparauit Salomon 3. Regum 9. Magedan vero cum simplici d, ciuitas est in littore stagni Genezareth Orientali. Alij vero docent, regionem esse apud fontem Dan, vnde Iordanis oritur: qui fons à Iosepho libro 5. de Bello Iudaico, cap. 18. Phiala dicitur, ex eo quod rotæ speciem præseferat, sic dicta: à Saracenis dicitur Medan, id est, Aquæ Dan, quia in fonte Dan inueniuntur patuæ phialæ. Et ad illũm locum non nisi per mare Galilææ & Iordanem nauigandum sibi erat. Quod non fit verisimile: quia longissime à mari distabat. Idcirco certior videtur esse Hieronymi sententia dicta. Et hactenus quidem literam percurrimus.

Euthym. c. 31. in Matth.

Matth 16.

Aug lib. 2. de consen. Euãg. c 51. to. 4.

Hieron. to. 3. circ fin.

In eos, qui Magedan, & Dalmanutha cis mare Galilææ constituunt. *Idem ibid.*

Lyranus in Mat & Mar. 4. Reg. 23. & 2 Paral. 30. Rabanus. Zach. 12. 2. Paral. 35. Mageddon quid.

Iosu. 17.

Iordanis initium. *Iosephus.* Fons Dan cur dictus Phiala, teste Iosepho.

Signo tali ac tanto multiplicationis panum quinque modis abusus contingit. *Esa. 29. & Matt. 15.*

Hoc autem signum cum quotidie Deus præstet, nos tamen vitio nostro miris modis frustramur, vel obscuramus. Primò enim non sustinemus Dominum, sed impatientes sumus. Deinde, nec sumus cum eo nisi solo verbo, corde vero longe ab eo absumus. Tertiò, non sumus in deserto cum illo, oppressi diffidentia commoditatũ nostrarum, sed in ciuitate, & abundantia omniũ bonorum: vnde non discimus alienorum defectuum misereri. Quartò, non discumbimus, vel sedemus super terram, sed sub terra, & amore tẽporalium submergimur: vnde superbius expendimus plusquã habem⁹ in mensa, veste, suppellectili, & famulis. Quintò, quia discipuli, id est diuites, instar Iudæ retinent sibi nõ quç supersunt, sed quç necessaria sunt pauperum. Vltimò, nõ colliguntur fragmenta quæ supererant, id quod datur: & non considerant quod manna seruatum putrescit, & perpetuos vermes animæ generat.

[...] misericors [...] vnde fit. Vnde quam luxus. *Ioann. 12. & Infra 13.*

Exod. 16.

Mystica, & spiritualis intelligentia huius historiæ proponitur.

Circa sensum mysticum, siue spiritualem instruimur præsenti Euangelio de prouidentia Dei erga cibum animarũ prçstandum, quo vescitur Deus, & Angeli pascuntur, quorum vnus dixit: *Ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominib. videri non potest vtor.* Hic autẽ est panis, & piscis, id est, veritas intellectum cibans, & pascens, ꝙ omnes cibi sine veritate sint insipidi: & amor, siue dulcedo affectus quasi piscis condiẽs panem. Et ad hunc cibum dandũ primo, ex parte Iesu, opus est misericordia, eo maiori, quo maior est stomacho noster animus, qui nisi Deo impleri nõ potest. Dixit enim Dauid: *Quid enim mihi est in cœlo? & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*, quasi dicat: Hic solus potest me implere. Opus est etiam excellentiori misericordia, quo pretiosior est cibus, id est, diuinus, & incorruptibilis, conuertens animas in se, non cibus in animam conuertitur. Est etiam illustrior Dei misericordia, quo anima indignior est hoc cibo: qua libertate sua abutens hunc cibum negligit, & ad illum nauseat. Et curanda prius est, vt hunc cibum possit esurire. Hac ergo magna misericordia magna operatur Deus, & magna fit anima nostra. Deinde vt exequatur hanc saturitatẽ, confert cum discipulis diffidentibus de se

Tob. 12.

Quæ sola res animum hominis satiet.

Psal. 72.

Cibus animæ quis: hunc esuriat quando, & manducabit.

ob

ob sterilitatem de dando cibo: nam discipuli asserunt se tantùm septem panes, id est paucas veritates habere, & parum amoris quasi paruos pisciculos cõdientes panem. Parua enim & pauca videntur omnia, quæ quis habet pro instruendo populo, donec est in deserto mundi huius sine spiritu, & gustu Dei. Tertiò, exequitur Iesus: nam accipiens panes, & pisces, & frangens illos multiplicat, tùm in mente & ore dantium, tùm in corde recipientiũm; vt granum seminatum in terra, indies augetur. Atque hoc fit, quando Christus præstat, vt prædicator verbum manibus suis operando accipiat, vt ita primus ipse degustet: quia cuius vita despicitur, restat vt & prædicatio contemnatur. Facit etiam gratias agere per Spiritum ad Deũ conuersum, & agnoscentem vnde venit donum hoc: & facit frangere panem in frusta, siue fragmenta, cùm integer edi nõ posset. Nam Apostolus vult prædicatorem, qui rectè secet verbum veritatis: & Propheta: *Paruuli, ait, petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Et ita panis multiplicatur, ita vt supersint septem sportæ, id est, vniuersitas incomprehensibilium mysteriorum, quæ seruantur perfectioribus hic, vel beatis in patria edenda, sicut de agno Paschę fieri à Domino iuxta spiritum præcipitur.

Cuius prædicatio contemnatur.

Prędicatorem qualem Apostolus requirat. 2.Ti. m2.

Thren 4.

Septem sportæ quę mysticè

Exod 12.

Iuuant autem ex parte nostra multa, vt hoc miraculum fiat à Domino. Tùm quia turba erat destituta pastore, qui non habet manus ad curandum, vel ad dandum panem, benè autem ad tondendum oues: & propter turbam datur verbum, vel tollitur prędicanti. Erat etiam turba multa, & ideò proportionem ad magnam Dei misericordiam habebat. Erat etiam cum Iesu, hoc est, per fidem audiens verbum, & quærens sanari in deserto huius mundi: in quo nihil satiare potest, quia omnia agrestia & insuauia sunt. Adhæc quia triduo expectauerat Iesum in deserto, & consumpserat panem suum: quemadmodum manna non est datum Israëlitis, nisi post consumptam farinam Ægypti, hoc est, obiecta triplicis concupiscentiæ. Primus dies est, bonorum fortunæ consumptio, & tempori subiectorũ, quæ ad se trahunt cor hominis, & implent solicitudinibus. Vnde Dominus dixit: *Qui non renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus:* & Apostoli: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*: vt imitemur Christum medicum, qui cùm sanus esset, propter nos tamen infirmos non voluit edere, nisi quę infirmorum sunt. Cùm enim ipse non solùm sine peccato, sed etiam magno cum merito vti diuitijs potuisset, illis

Quę res nobis hoc signum multiplicationis panum à Domino extorquere valeant.

Exod.16. Quid tridui expectatio turbæ in deserto significet.

1.Ioan.2.

Luc.14. Matth 19.

Christi charitas in nos, quanta, & paupertas.

destitui voluit propter nos, vt fidem exerceamus, ea, quæ sub aspectum cadunt, relinquendo propter bona æterna quæ non videntur, & vt discamus non sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui pręstat omnia vobis abundè ad fruendum. Discamus etiam charitatem, cuius effectus est ea bona quæ diligimus, largiri amico, id est, Christo in pauperibus petenti. Secundus dies est, consumptio delectationis carnis, quæ hostis domesticus, & continuus est. Mũdus enim tantùm per modum obiecti tentat, & ignorantes tantùm decipit: quia opinio vulgi aurum, argentum, gemmas, & alia huiusmodi pretiosa facit. Dæmon etsi potens sit, non vincit nisi volentem. Caro tamen magnus est hostis, cuius affectibus, quasi vinculis, & funibus quibusdam, trahimur dulciter à dæmone ad eius voluntatem præstandam. Ideò offeramus corpus nostrum Christo, & possideat vnusquisque vas suum in sanctificatione & honore: quia summum, & deplorandum malum est, ex membro Christi, fieri membrũ meretricis. Tertius dies, est destructio propriæ voluntatis per obedientiam Deo in se, & in Pręlatis pręstitam mactatæ. Omnium enim malorum, tùm animæ, tùm corporis, atq; adeò inferni caussa & origo propria voluntas est, quæ magno cum merito nostro subijcitur Deo: quæ facit, vt, sicut Paulus apertis oculis nihil videbat, sed ad manus trahentium deducebatur, ita nec nos apertis oculis à Deo non dijudicemus superiorum præcepta, sed pro voluntate tantùm superiorum operemur.

2.Cor. 4.

1.Tim.6.

Charitatis proprium quid sit. Qualis mundi tentatio.

Dæmon non vincit nisi volentem.

Caro hostis quàm potens. 1.Thess.4.

1.Cor.6.

Malorum omnium origo atque fons quinam sit.

Act 9.

Rectè etiam triduum possumus interpretari fidem Trinitatis, vel triduum pęnitentiæ, quæ præparat ad accipiendum panem. Post triduum ergo, quia longè distat à nobis dom⁹ gloriæ, quæ patria nostra est, Dominus succurrit potissimùm longè venientibus, vt prodigo prospexit venięti de regione longinqua. Nec est ꝙ quis glorietur ex hoc, cùm mera sit Dei misericordia: nec quod alij non ita è longinquo venientes murmurare debeant. Adhæc oportet sedere super terram, & carni mortificandæ vacare: nec prius est matrimonio copulanda Rachel, quàm Lia: *Non est,* inquit Laban ad Iacob, *in loco nostro consuetudinis, vt minores antè tradamus ad nuptias.* Ideò ante Rachel, id est, ante contemplationis donum, septem opera misericordiæ perficienda, & octo beatitudines prius implẽdæ sunt. Talesq; sunt quatuor millia: quia firmi & quadrati, & in oculis suis diminuti sunt, vt numerus quatuor diminutus est, & quemadmodũ numerus millenarius abundans est.

Altera tridui significatio.

Luc.15. & seq.

Gen.29. Lia & Rachel sorores quid mysticè.

Matth.5.

Quaternarius numerus qualis sit, contrà millenarius.

Et tales

Psal.144. Gratia libero arbitrio quid conferet.

Et tales sanantur, & pascuntur à Domino, & eructant præ satietate, secundùm illud: *Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabūt, & iustitia tua exultabunt.* Talesque dimittit Christus liberos, & sinit vti talento: quia gratia non aufert liberum arbitrium, sed perficit. Habet etiam Ecclesia suos panes, septem scilicet Sacramenta, quibus pascere nos minimè posset, nisi hæc ipsa distribuisset, & adhuc distribueret Christus. Per se quidem gratiam, ad sanctificandum homines, & satiandū porrigens; per ministros verò adhibens materiam, & formam, siue elementum, & verbum. Et vt prædicatores nō debent proponere populo panem suū, vel à se inuentum, sed acceptum de manu Christi, & conditum pisce charitatis, ita nō debent porrigere Sacraméta more Lutherano, vel Sacramentariorum, vel Anabaptistarum, vel quocunque alio ritu hæretico: quia tales panem dæmonis, & nō Christi ministrarent, sed Sacramenta Christi secundùm ritum, & modum ab Ecclesia Romana præscriptum. Pauci pisciculi, sunt Christus, & Maria, & alij insigniter electi, qui pro alijs in fide pascendis ignem, tormenta, & mortem patiuntur: *Omnia*, inquit Apostolus: *sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur*, quæ est in Christo Iesu cum gloria cœlesti, cui cum Patre, & Spiritu sancto reddatur honor, gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.

Septem panes Ecclesiæ mysticè qui. 2.Cor.5.

Panem populo proponere concionatores qualem debeant, & quomodo.

Pauci pisciculi iuxta spiritū qui sint.

2.Tim.2.

TRACTATVS XXXII.

In quo agitur de cæco sanato in Bethsaida à Domino, de quo tantùm loquitur Marc.c.8.

SIGNVM hoc à solo Marco descriptum, neque longum est, neque obscurum: ideò à nobis breuibus erit perstringēdum. Ait ergò Marcus: *Et veniunt Beth-saidam: & adducunt ei cæcum, & rogabant eum vt illum tangeret.* Lustrabat Dominus diuersas ciuitates vt vbique benefaciendo corporibus se per fidem proderet animis hominum. Bethsaida, patria est Petri, Andreæ, & Philippi: qui omninò à cōciuibus suis degenerauerant. Apparet enim populum in illo castello fuisse satis incredulum; dixit enim per Matthæum Dominus: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, &c.* Adducunt autem ei cæcū: cæci enim ducatu egebant, vt venirent ad Christum: & inter infirmos quidam per se ipsos veniebant ad Dominum, quidam verò adducebantur, quidam etiam deportabantur: ad quosdam etiam Dominus pergebat, interdum per seipsum, interdum verbo tantùm: veniebant per se tantùm leprosi, atque alij: adducebantur cæci, & muti, & à dæmonio oppressi, quos dęmon impediebat ne ad Christum venirent: deferebantur verò in lectis, & grabatis paralytici; vel claudi, vel alijs morbis affecti, qui eos ingredi prohibebant. Proficiscebatur verò Dominus ad eos, qui vita functi erāt, suscitandos, vt ad puellam filiam Iairi, & ad adolescētem filium viduæ, & ad Lazarum. Et iuxta spiritum, quidam sunt, qui fide sani, & charitate languentes se ipsos Deo offerre possunt, vt adolescens prodigus. Alij verò sunt, qui per alios adduci egent, vt sunt Hæretici, qui fidei oculis destituti, vt cæci, & malè docentes, & nihil sanum, & orthodoxum tradentes, tanquam muti, & à diabolo oppressi adducendi sunt ad Iesum, vt per eorum, qui adducunt, fidem, & merita, reditum ad Ecclesiam, & fidem Catholicam impetrare valeant. Et quia isti rationibus persuadendi sunt, & Scripturis conuincendi; propterea duci dicuntur. Quidam verò non ducuntur, sed portantur, & hi sunt graues peccatores, & magnis flagitijs contaminati: quos tamen Ecclesia tolerat, & eorum infirmitates sustinet, vt aliquando illi (de quibus dicit Paulus: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*) eos ante Christum proponant, & pro eorum deportatione, & emendatione, & sitis salutis suæ spiritualis ingerenda desudent. Atque huiusmodi infirmos Dominus, propter aliorum merita & charitatem sanare consueuit. Postremò, sunt alij, ad quos Christus proficiscitur, vel per se ipsum, vel verbo suo tantùm; vt illi, quos à morte reuocauit, & illi, ad quos, vt ouem perditam recuperet, pastor proficiscitur. In quo significantur magni peccatores, & deplorati, vt sunt Infideles, vel apostatæ, de quorum salute omninò actum esse putamus. Sed ad hos partim pergit Christus per se ipsum, ministerio Sacramentorum eos ad vitam gratiæ suscitando, & Ecclesiæ incorporando; partim verò non per se, sed verbo suo venit, vt ad filium Reguli, vel ad seruum Centurionis, & ad filiam Chananæam à dæmonio liberandam: in quibus significantur illi, qui per fidem citra vllum ministerium Sacramentorum (quod eis recipiendis tempus, aut locus non suppetierit) Christi gratia, & fide in eum seruati sunt. Vt ita in varietate curationum corporum, liceat nobis mirabilem diuersitatem, qua in animabus ad salutem æternam promouendis vtitur, contemplari; sicut deinde in varietate

Varia loca cur lustraret Dominus. Ioan.1.

Homines è Bethsaida quā erant increduli, & ingrati Christo largitori.

Matth.11.

Varia languidorum genera quos Dominus curabat.

Matth.9. Luc.7. Ioan.11. Luc.15.

Quinam tanquam dicuntur adduci ad Christum vt adducantur, egent.

Qui sint secundum spiritum qui portantur, non ducuntur ad Iesum.

Gal.6.

Ad quos Christus per se venit ipse. Luc.15.

Ioan.4. Matth.8. Infra 15.

infirmo-

infirmorum, diuerſitaté peccatorum (quæ morbi ſunt animorum) cogitare compellimur.

Adhæc circa modum petendi, conſidera, quoſdam fuiſſe, qui pro ſe ipſis tantum peterent: & inter hos, quidam tantum verbo, vt leproſus: *Domine, ſi vis, potes me mundare:* quidam etiam voce extenſa, & clamore, vt cæci, & decem leproſi: quidam occulte, & furtim, vt hæmorrhoyſſa, quæ ſecretè tetigit fimbriam veſtimenti Chriſti. Alij vero ſunt, qui pro alijs petebant: & inter hos, Maria Deipara petente, editum fuit primum ſignum. Alij rogantes facile exaudiebantur, vt Apoſtoli pro febricitante ſocru Petri. Alij cum difficultate, vt Chananæa deprecans pro filia liberanda à dæmonio: ſed hoc factum eſt, quia Gentilis erat, & vt proderetur eius fides. Alij vero pro ſuis rogantes, interponebant alios magis acceptos & gratos, vt Centurio ſeniores Iudæorum, & amicos. Alij rurſus ſunt, qui exauditi pro ſe ipſis, & ſanati, vt Maria Magdalena à ſeptem dæmonijs, & Martha à fluxu ſanguinis, vt teſtatur Ambroſius: quos poſtea pro alijs precatos fuiſſe, à ratione non eſt alienum, vt recte precatæ ſunt pro reſuſcitatione fratris Lazari. Alij contra, nec rogantes pro ſe ipſis, nec alios interpellatores pro ſeipſis conſtituentes ſigna obtinuerunt, vt filia archiſynagogi, & adoleſcens filius viduæ à Domino ſuſcitati, & duplex ſaturatio turbę in deſerto illud abunde teſtatur, ſicut & transfiguratio Domini, quam diſcipuli non ſolum non petebant, ſed nec expectabant quidem, quemadmodum nec ſuſcitationes, aut ſaturationes dictas. Et inter hos quidam excitabantur à Chriſto vt crederent, & peterent ſignum, vt paralyticus ad piſcinam. Alij, ne excitati quidem ſunt à Chriſto intus, vel extra: & tunc ipſa noſtra indigētia, ſiue miſeria, & charitas eius erga nos, ſigna à Chriſto extorquebant: quemadmodum cōſtat ex paralytico funibus per tegulas demiſſo, qui nec ipſe quicquam petijt, nec illi qui eum portabant, vel demittebant. Idem etiam conſtat in eis, quos proijciebant ad pedes eius ſedentis in monte, vt Matth. teſtatur: intelligebant enim ob id deportari infirmos, & ſiſti ante eum, vt ipſe ſanaret eos, ſecundum illud: *Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet.*

Iam quid dicam de modo præſtandi ſigna? qui valde varius fuit. Interdum enim ſolo verbo vſus fuit, vt cum eijciebat ſpiritus verbo, & imperabat mari, & ventis: aliquando ſolo contactu, vt cum apprehendit manum ſocrus Petri febricitantis: aliquando clamore, vt cum ſuſcitauit tres mortuos aliquando verbo ſimul, & tactu, vt cum tetigit leproſum, & dixit, *Volo, mundare:* aliquando non tangens, ſed tactus, vt cum hæmorrhoyſſa fecit: aliquando verbo in præſentia, vt ſæpius faciebat, & communiter: aliquando vero in abſentia, vt cum decem leproſos miſit ad Sacerdotes: qui in via mundati ſunt, & ſeruum Centurionis, & filium Reguli, quos abſentes curauit. Et aliquando quidem præſentes, ſiue abſentes ſtatim ſanabat, id eſt, à tempore, quo Chriſtus verbo beneficium conferebat: interdum vero cæremonias multis adhibebat, vt ita diſponeret, & adiuuaret eorum, quos ſanabat, fidem: & horum nonnullos ſtatim ſanabat, vt ſurdū, & mutum, de quo Marcus, alios vero non ſtatim, ſed interuallo temporis, vt conſtat de cæco nato luto inuncto, & miſſo ad natatoria Siloe, & de iſto cæco ad Bethſaidam, de quo eſt ſermo in hoc Tractatu, qui primo vidit imperfecte, deinde perfecte. Et hæc eſt inſignis, & illuſtris gloria Chriſti, quod nullus ad eum acceſſerit, & ſanitatem, vel aliud beneficium poſtulauerit, qui repulſam paſſus fuerit: vt ſuperiori Tractatu annotauimus. Virtus enim de illo exibat, & ſanabat omnes, &, quotquot tangebant eum, ſalui fiebant.

Et rogabant eum vt illum tangeret. In hoc oſtendit Euangeliſta quam parua fide præditi eſſent, qui manum imponi rogabant, non credentes illius imperio poſſe cæcum curari. ¶ *Et apprehenſa manu cæci, eduxit eum extra vicum.* Quod eduxit extra vicum, ſiue pagum, id eſt, Bethſaidam, quæ parua ciuitas erat, non ſine cauſa factum eſt, nempe vt ſe gloriam huius mundi declinare, & nobis declinandam doceret, vel quod ciues indigni erant qui viderēt hoc miraculum, quod citius calumniaturi, quam probaturi fuerint, & incredulitate, & calumnia deteriores futuri.

Et expuens in oculos eius, impoſitis manibus ſuis, interrogabat eum ſi quid videret. In huius cęci curatione vtitur Ieſus cęremonijs, quibus vſus fuerat in curatione ſurdi, & muti, ſiue linguam impeditam habentis. Neque ex textu colligitur non fuiſſe cæcum à natiuitate, vt Caietanus ſine cauſa collegit, quod etiam in ſanando cæco nato, vt dicitur apud Ioannem, ſimilibus cæremonijs vſus fuerit: etſi id quod dixit, *Video homines velati arbores, ambulantes,* indicet ſe noſſe homines, & arbores. Sed hæc non multum euincunt: apparet enim quod in his, quæ erant faciliora miracula, IESVS difficilius curabat. Mortuos namque ſuſcitabat ſolo verbo,

Marginalia (left): Morbi animorum qui ſint. — Varia genera petitionum. — Matt. 8. — Luc. 17. — Matth. 9. — Ioan. 2. — Luc. 4. — Matt. 15. — Luc. 7. — Infra 8. — Ambroſ. — Ioan. 11. — Matth. 9. — Luc. 7. — Infra 9. — Matth. 15. — Infra 17. — Ioan 5. — Matth. 9. — Infra 15. — Pſal. 36. — Quot modis & quam varijs ſigna faceret Chriſtus. — Matth. 8. — Ibidem. — Infra 14. — Supra 8.

Marginalia (right): Luc. 7. — Infra 8. — Ioan. 11. — Matth. 8. — Infra 9. — Luc. 17. — Matt. 8. — Infra 15. — Ioan. 4. — Marc. 7. — Ioan. 9. — Marc. 8. — A Chriſti beneficentia excluſus nemo vnquam fuit. — Luc. 6. — Matt. 14. — Quare hunc cæcum à ſe curandum extra vicum Chriſtus eduxerit, vt illum ſanaret. — Marc. 7. — Caietan. in Marc. — Ioan. 9. — Cur in ijs, quæ erant faciliora miracula, Ieſus difficilius curaret.

verbo, & his minimis adhibebat tot cæremonias, vt intelligamus quod non ex impotentia Iesu hoc proueniret, sed ex defectu fidei alienæ: nam huius cæci nulla legitur fides. Nec rogauit Dominum pro se, & ita imperfectam fidem habenti, imperfectum visum primo restituit, vt sic aucta fide perfectus omnino redderetur. Docuit etiam Dominus, eas curationes, quæ procedunt de imperfecto ad perfectum, non omnes tales naturalibus causis adscribendas, sed quandoque etiam diuinæ gratiæ peculiariter opitulanti tribuendas, cum ad Deum siue Sanctos confugimus nuncupatis votis, siue minime nuncupatis. Adhæc ostendit, humani cordis cæcitatem raro nisi per gradus quosdam posse tolli, & curari: & Apostolis suis formam exhibuit, quantopere laborandum esset eis, vt ad veri cognitionem adducere possent eos, qui in errore aliquo inueterauerunt, vt sunt infideles doctrinis huius seculi instructi, & hæretici.

Hunc cæcum Iesus cur primum imperfecte illuminauerit.

Et aspiciens, ait, Video homines velut arbores, ambulantes: Græcè clarius dicitur: *Et recepto visu, ait, video, &c.* Hunc ergo cæcum imperfecte curauit, vtpote imperfecte credentem: ideo etiam interrogauit eum, si quid videret, vt qui parum adhuc respiciebat, per modicum aspectum crederet perfectius, ac sanaretur perfectius. Erat enim sapiens medicus, vt ait Euthymius. Et quod dicitur: *Video homines velut arbores*: Græcè est, *Video homines, quoniam velut arbores video ambulantes*. Imperfecte enim videbat, quoniam nesciebat an homines essent quos videbat veluti homines: conijciebat enim homines esse quos ambulantes videret. Ambulantes autem, non debet referri ad arbores, quæ Græcè δένδρα in neutro genere, ambulantes vero masculini est generis περιπατοῦντας.

Euthy. c. 23. in Marc.

Quomodo accipiendum illud: Video homines, velut arbores, ambulantes.

Ad quid cæco Dominus imposuit manus super oculos eius.

Deinde iterum imposuit manus super oculos eius, & cœpit videre. Noua ergo, & inusitata medicandi ratione, & quæ propius accedit ad naturam, quæ ad perfectum ab imperfecto procedere solet, Dominus vsus est, propter infirmitatem fidei huius cæci, cum tamen solitus esset vnico verbo totum hominem sanum facere. Sed hac ratione erudimur, vt progressus in fide indies faciamus maiores, vt digni simus qui perfecte exaudiamur à Domino. Nec enim perfectissima dona congruum est recipi in corde imperfecto: quia illis abuteretur in sui & aliorum ruinam. Ita ex misericordia Dominus nobis elargitur dona gratiæ suæ, & prudenter illa dispensat secundum mensuram fidei, vt ait Apostolus. Voluit etiam Dominus, vt discerent discipuli, quod etiamsi imperfectum signi opus ederent, non desisterent, sed iterum morarentur, & sacra adhiberent, quo perfectam eliciant fidem.

Ioan. 7.

Perfecte exaudiet nos Dominus quando.

Rom. 12.

Signum vsque quo aliquod prosequendũ exemplo Christi.

Et misit illum in domum suam, dicens, Vade in domum tuam: & si in vicum introieris, nemini dixeris. Etsi Græca litera aliquantulum diuersa, & varia sit in diuersis codicibus, nostra tamen Latina purior, & præstantior videtur. Quod ergo illum in domum suam mittit, & interdicit illi, si in vicum Bethsaidæ intrauerit (quo indicauit illum non esse eius ciuem, sed aliunde adductum) ne quicquam loquatur: vel ad humilitatem Christi hominis referendum est, qui gloriam humanam per signa venari non volebat, vel ad imbecillitatem huius cæci sanati, quem testem suæ virtutis esse noluit, ne, si miraculum prædicaret, inueniret aduersarios, qui se opponerent, qui signum eleuarent: quia non statim sanatus est, sed tempore, & quodam veluti conatu: atque ita id quod habebat fidei amitteret. Noluit ergo hæc minima annunciari, ne diuina gloria minueretur. Vel potius nolebat eos testes habere, quos parum fideles agnouerat: non enim omnium vti voluit testimonio, sed testibus tantum præordinatis à Deo, vt docet Petrus. Et hactenus literam expediuimus.

Cur Dominus præceperit hunc hominem, vt signum occultaret.

Act. 10.

Iam mysterium exponendum est. In cæco enim illo designatur genus humanum, siue quiuis nostrum. Primo quidem iuxta allegoriam, humanũ genus, quod primum vt conditum est, clare vidit omnia, vtpote in statu innocentiæ constitutum: sed postea malitia dęmonis excęcatum est. Quod vt sanaret Dominus, primum eduxit extra vicum, subducens à multitudine, vt sibi populus esset peculiaris: dedit leges, & mandata, quæ faciens homo incipiebat videre: deinde rursus imposuit ei manus Dominus, cum incarnatus est, & lumen perfectum fidei recepit.

Quid sit [illegible] velit homo cæci curatio.

Deinde cæcus iste præfigurauit quemuis nostrum: quem vt commode sanet, prius est aliorum precibus, & meritis ad Dominum adducendus, vel ad eos, qui vice Christi funguntur in terris, & ministerium habent reconciliationis. Dominus vero eduxit de pago isto, id est, de mundo, in quo animo cæci sumus: educti autem è mundo, & secularibus negotijs à Christo sanamur saliua sapientiæ Euangelicæ, & manibus meritorum Christi nobis ad videndum applicatis per Sacramenta. Et primum quidem baptismo veluti primo contactu cæcitas tollitur, Confirmationis ve-

Idem cæcus quorum qui typum gesserit.

2. Cor. 5.

ro Sacramento, quod fit manuum impositione, veluti secundo contactu claritas restituitur. Sanatis autem præcipit, ne vltra reuertantur in pagum mundi huius, vbi peccatis visus amittitur spiritualis, sed in domum: domus enim cuiusq; , cœlum est. Vel primo quidem contactu facit homines videre quasi arbores (est enim homo planta inuersa capite per terram ambulās, & pedibus sursum erectis, & tales sunt omnes peccatores) quia videmus nunc per speculum in ænigmate. Secundo autem contactu in resurrectione præstabit visum perfectum: *Quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est*, gratia, & meritis Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto in ęternum reddendus est honor, gloria, imperium, & gratiarum actio in secula seculorum, Amen.

Quales sint omnes peccatores.

1. Cor. 13.

1. Ioan. 3.

TRACTAT. XXXIII.

In quo agitur de signo Transfigurationis Domini: quod describitur Matt. 17. Marc. 9. Luc. 9.

Singulare fuit hoc mysterium Transfigurationis: quia semel tantum à Domino factum est, & in secessu non solum à turba, sed etiam ab alijs omnibus Apostolis præter tres, & in monte excelso peractum, & nocturno tempore, & dum Dominus preces ad DEVM Patrem funderet: quare vndique illustre, & insigne fuit hoc spectaculum Domini transfigurati. Legimus apud Poetas, Iouem ob amorem obscœnum & spurcum nunc in aurum, nunc in bouem, nunc in aquilam fuisse transformatum: sed hoc ab illis confictum fuit dęmonum opera, vt tanti Dei exemplo vitijs carnis, & impudicitijs patrocinarentur. Christus autem, ob singularem, & purissimam eius charitatem indicandam, semel tātum coram discipulis transformatus est, & non in aliud quam in idipsum quod erat, & non in totum, sed in quantum Apostoli capaces eius esse potuerūt. Quod mysterium vt melius intelligamus, & degustemus, quædam sunt, quæ hoc ipsum miraculum præcedunt, quędam vero comitantur, quędam vero illud subsequuntur. Pręcedit in primis prædictio, siue promissio huius signi: nam paulo ante dixerat: *Sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.* Nam præter communem legis præludentis ad mysteria Messiæ catechismum, & illa pollicentis, promisit ipse atque prædixit Iesus quæcunque magna facturus erat, vt passionem, mortem, resurrectionem, ascensionem, Sacramentum Eucharistiæ, vt cum dixit: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita:* Promisit Petro claues, siue pastoratum, & præfecturam Ecclesiæ, vt postea cum facta sunt, & à Domino exhibita, à nobis facilius credantur. Et ad horum numerum referendum est hoc altissimum Transfigurationis mysterium: prædictum enim fuit, vt cum post resurrectionē factum esse prædicaretur, quia à paucis visum fuerat, fictum non videretur, sed fide integra susciperetur. Dicitur autem Dominus venire in regno suo, id est, habitu conuenienti Regiæ maiestati: & talis fuit habitus gloriosus, quem ostendit transfiguratus, & suscitatus à mortuis, de quo: *Dominus regnauit, decorem indutus est.* Dixit autem: *Sunt quidam.* Non omnes: quia res erat secreta, & ad tempus celanda, & post prædicanda. Quia alta capacioribus, & maioribus reuelanda sunt, & solidus cibus non nisi perfectis communicandus. Vt visa, perfectius prædicaretur, & meritum fidei illorum, qui non videntes crediderunt, non tolleretur, & vt nos etiam consolaretur: nam quis est nostrum qui tali spectaculo non libenter adesse voluisset? Sed nullam iustam querelam obtendere possumus, cum ex Apostolis nouem illud non viderint.

Quale sit hoc transfigurationis mysterium.

Iouem filius impurissimi omnium mortalium amores impudici, à Poetis cur fuerint conficti, celebratique.

Vbi hoc mysterium à Domino fuerit prædictum, atque promissum.

Matth. 16.

Ioan. 6.

Matt. 16.

Quid est, Dominum venire in regno suo.

Psal. 92.

Ad quid Dominus dixerit: Sunt quidam de hic stantib. &c. non omnes.

Causa autem, cur non omnibus sit ad videndum propositum, non fuit indignitas Iudæ: quia poterat pro emendis cibis emitti, vt alias putabant Apostoli, & quia saltem poterant sex assumi. Sed quia hæc erat gratia gratis data, ideo magis dignis tātum communicanda fuit: alias enim nō esset ita secreta. Et dotem subtilitatis ostendit Dominus, quando venit ad Apostolos ambulans super mare: quia omnes liberandi erant. Et minus excellens est, nec afficit, aut acuit gustum ęternæ glorię, vt claritas. Sed agilitas primo quidem timorem, postea admirationem peperit: ideo agilitatis dotis spectandæ plures fuerunt capaces, quam claritatis. Non expressit numerum certum suis verbis Christus, scilicet duos, vel tres, vel quatuor visuros Filium hominis venientem in regno suo, ne suspicarentur de magis familiaribus, vel minus familiares se exclusos putarent. Nam quia erant turbæ præsentes, quādo Domin⁹ dixit: *Sunt quidam de hic stantibus*, Apostoli non putabant se exclusos, imo nec turbæ, quæ existimabant de regno temporali omnibus communi Dominum loqui. Non præno-

Cur Apostolis tantum tribus hoc signum transfigurationis à Domino videre sit datum.

Ioan. 13.

Matt. 14.

Dotium corporis gloriosi inter se comparatio.

Quare Christus numerū certum eorū qui præsentes esse debebant huic mysterio, non assignauerit.

Cur eos Dominus qui hoc signum visuri erant no-

minibus non expresserit suis. *Matt. 20.*

minauit personas, ne alij instarent, & togarent, vt spectatores essent mysterij, vel videntibus inuiderent, vt olim decem indignati sunt in duos filios Zebedæi ambientes primas sedes, vel ne retrocederent, sicut vndecim tribus recesserunt à Dauid, quia fauebat plus tribui Iudæ, & dixerunt: *Non est nobis pars in Dauid, neq; hæreditas in filio Isai: reuertere in tabernacula tua Israel.* Sic etiam discipuli retrocesserunt à CHRISTO, quia verba eius de carne sua manducanda non intelligebant, sed dicebant: *Durus est hic sermo.*

2. Reg 20.

Ioan. 6.

Idem quid significare voluerit, his verbis, Non gustabunt mortem, &c.

Quod autem dictum est: *Non gustabunt mortem*: significare voluit priuilegiũ, quod viuentes videbunt, quod tantum videbũt mortui: quia cernere Christũ in specie gloriosa, spectat ad futurum gloriæ statum. Est autem gustare mortem, nihil aliud quam mori, vt Dominus apud Ioannem, & Apostolus ad Hebræos hoc dicendi charactere Hebræis familiari, insinuant. Quod vero dicitur: *Et post dies sex*: intellige ab illa prædictione transactos. Quod vero Luc. octo dierum meminit, & Matthæus sex, facilè videri potest dissonantia. Quæ sic fere ab omnib. soluitur, vt dicamus, Matthæum, & Marcum intermedios tantũ connumerasse dies, Lucam vero etiam duos extremos dies, & illum, scilic. quo Christus locutus est, & illum quo transfiguratus est in monte. Verum non est necessarium huc confugere, cum non dicat Lucas absolute octo dies, sed fere dies octo, vt significet quod non post integros octo dies hæc erãt facta, sed post sex dies integros, & duorum dierum extremorum aliquam partem. Et post sex dies, significat mystice sex ætates mundi, quarum septima est à tẽpore animarum separatarum, vt ab occisione Abel, vel beatarum, & in regnum Dei receptarum, vt à tempore passionis Christi: atque hanc septimam sequitur octaua ætas mundi, in qua resurrectio, & glorificatio corporum complebitur. Post sex dies etiam laboris, in quibus debemus opera nostra facere, sequitur Sabbathum quietis, & gloriæ. Cito ergo Transfiguratio post sex dies impleta fuit, vt missio Spiritus sancti intra decem dies. Non tardat ergo Dominus promissionem suam, vt Petrus ait. Noluit autem Dominus statim hanc gloriam ostendere Apostolis, sed post interuallum sex dierũ, vt interim se præpararent ad rem tam magnam, & ne esset occasio inuidiæ in separatione trium ab alijs. Vbi non assignauit certum diem, ne omnes expectarent se visuros, & non videntes putarent promissionem illam non impletam. Ideo in longum promisit rem tam propinquam, de qua dixit: *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem*, ne putarent non impletam promissionem, si non regnauit temporaliter, vt ipsi existimabant, dicebant enim: *Nos sperabamus quia ipse esset redempturus Israel*: & Dominus dixerat, Filium hominis (secundum hanc promissionem) venturum in regno suo. Simile est, si putassent aliquam excellentiam, quæ tamen postea non apparuit, transacta momẽtanea transfiguratione.

Gustare mortem, quid. *Ioan 8.* *Heb 2.*

Matth. 17. *Marc. 9.* *Luc. 9.* Trium Euangelistarum in numero dierum, post quos transfiguratio Domini accidit, conciliatio.

Sex dies quid mystice.

Gen. 4.

Ioan. 9.

2. Pet. 3. Cur post sex dies Dominus transfiguratus sit.

Luc. vlt.

Cur tres tantũ Christus assumpserit.

Præcedit etiam hoc mysterium, quod IESVS assumpsit Petrum, & Iacobum & Ioannem fratrem eius: quia hoc mysterium ad tempus celandum, & suo tempore propalandum erat. Sed quia ardua, & res alta est gustatio gloriæ, tres esse voluit, vt in ore duorum, vel trium staret omne verbum. Et electi sunt perfectiores, & futuri vertices Apostolorum, & magis dilecti: quia illis tribus mutauit nomen, in signum excellentioris dilectionis. Hi tres gustaturi erant plus mortem, ideo illos imminẽte passione sua in hortum, vt sibi proximos, admisit. Erant etiam relatores insigniores gloriæ Christi, vt Petrus, qui dixit: *Tu es Christus Filius Dei viui*. Et dixit, *Domine, si percutimus in gladio?* Et primus introiuit in sepulchrum, & natando peruenit ad Christum existentem in littore. Iacobus autem, & Ioannes dixerunt: *Domine, vis dicimus vt ignis descendat de cœlo, & consumat illos?* Et isti duo affectarunt primas sedes in regno Christi. In his etiam tribus intelligimus tria testimonia exhibita signis, sanguine, & doctrina. Signis coruscauit Petrus: Sanguinem primus fudit Iacobus pro Christo: doctrina illustris fuit Ioannes, qui propterea dicitur Theologus. Significantur etiam in his tribus omnes electi, Fide, Spe, & Charitate præditi. In Petro quidem, credentes, & insigni fide conspicui: in Iacobo, mundum, & carnem, & diabolum propter spem vitæ æternæ supplantantes: vnde primus per sanguinem ad regnum Christi peruenit. In Ioanne vero dilecto, & virgine, & custode Virginis Mariæ, significantur omnes, qui charitatis dono fulgent: quæ in causa est, vt diligamur à Domino, & custodire promereamur virginitatem. Et quia charitas nunquam excidit, recte adumbratur in Ioanne, qui nondum vita functus à multis existimatur.

Deut 17. *Matth. 18.*

Quare hos tres potius quam alios Christus delegerit ad hoc mysterium.

Ioan. 1. *Mar 3.* *Infra 14.* *Matt. 16.* *Luc. 22.* *Ioan. 20.* *Infra 21.* *Luc. 9.* *Matt.* [...]

Apostoli tres quid figurauerint.

Act. 5. *Infra 12.* Ioannes Euangelista quare Theologi cognomentum sortitus.

Ioann. 19.

1. Cor. 13.

Illud ad literam aduertendum, hunc Iacobum, quia ponitur frater Ioannis filium fuisse Zebedæi, non autem Iacobum Alphæi Iustum, & fratrem Domini nuncupatum,

Quis fuerit hic Iacobus cũ Petro & Ioanne à Christo assumptus.

cupatum, quia magna vitæ sanctitate præditus fuit, & qui Ierosolymitanam rexit Ecclesiam: etsi aliter dixerint Ambrosius super Lucam, & Augustinus in expositione epistolæ ad Galatas: sed illud tribuendum est vel lapsui memoriæ, vel, quod est verisimilius, locuti videntur ex sententia aliorum.

mbr libr. in Luc. 10 5. Aug. tom. 4. fin.

Quod ait: *Duxit illos in montem*, Græcè dicitur, ἀναφέρει, pro ἀνέφερε, id est, sursum duxit, siue subduxit. Quando autem subduxit illos, manebant Apostoli cum turbis: quemadmodum cum descendit, inuenit eos cum illis, vt ait Marc. Alij putare poterant quod ibat ad orandum, sicut ibi etiam re vera orauit: & illi tres, ne solus esset, eum comitabantur. Et ita alij non sunt indignati, neque moleste tulerunt. Nec alij quæsierunt quo iret, quia non ita ausi fuissent ab eo, quem in magna veneratione habebant, rationem petere eorum quæ agebat. Non putabant etiam rē tam cito futuram, nec rem absconditam, & spiritualem existimabant, sed mere temporariam. Vnde illæ voces: *Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram, in regno tuo.* Rursus: *Nos sperabamus quia ipse esset redempturus Israel*: & in die Ascensionis dicebant discipuli, *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Ex quibus omnibus colligitur, illos semper sibi promisisse, & somniasse, regnum Christi esse temporarium. Et licet putarent regnum spirituale, non tamen raptim, vel occulte ostendendum.

Marc. 9. Luc. 9. Qua ratione cæteris Apostolis celari potuit Dominica transfiguratio mysterium. Matt. 20. Falsa Apostolorum opinio de regno Christi. Luc. 24. Act. 1.

Duxit illos in mōtem excelsum seorsum. Non exprimitur quis fuerit ille mons: ex traditione tamen habemus, illum montem fuisse Thabor, clarum victoria Barac, & Deboræ: qui & Itabyrius, seu Itaburius à Iosepho dicitur: qui distat à Nazareth per duas leucas ad Orientem. Petrus in epistola sua canonica vocat illum, Sanctum, propterea quod calcatus sit sanctis Christi pedibus, & mysteria magna in illo peregerit. Nam sermonem illum insignem, qui in Monte habitus dicitur, in eo Dominus tradidit: ait enim Petrus: *Hanc vocem* (nempe, *Hic est Filius meus dilectus*, &c.) *nos audiuimus de cælo allatam, cum essemus cum ipso in monte Sancto.* Thabor enim interpretatur, purus, vel electus: quod autem purum est, sanctum est. Et re vera ille mons electus fuit, & sanctus, vt in eo mysteria Christi peragerentur. Gloriantur Græci in suis mōtibus, vt in Olympo, Parnasso, Ossa, atque alijs. Romani in Capitolio, Palatio, & Quirinali, Auentino, & alijs collibus: quos Poëta celebrare solet, cum de Roma canit:

Quod fuerit ille mons Thabor in quo transfiguratus est Dominus. Iudic. 4. Ioseph. lib. 5. Antiq. c. 3 & li. 4. de bell. Iud. c. 2. 2. Pet. 1. Thabor montem, sanctum cur vocet B. Petrus. Matt. 5. 6 & 7. 2. Pet. 1. Thabor quid sonet. Quib. montibus excellat mons Thabor. Virgil.

Scilicet & rerum facta est pulcherrima Roma,
Septem quæ vna sibi muro circumdedit arces.

Iactant Hebræi suos montes, Sina, Sion, Hermon, Sanir, Libanum, & mōtem Samariæ. Christiani vero magnum gloriæ pondus reponūt in montib. à Christo frequentatis, vt in monte Tentationis, monte Thabor, monte Caluariæ, & Oliuarum, & montibus, in quibus bis pauit turbas.

Christiani qui bus de montibus merito glorientur. Matt. 4. Infra 27. Supra 26. Supra 14. Infra 15.

Christus ergo ascendit in montem excelsum, vt res esset secreta, & symbolum esset cœli Empyrei, quo nemo ascendit nisi gratia Dei assumptus, & signum esset eleuationis animi à terrenis ad bene orandū requisitæ. Et addit Seorsum: quia non erant alij extranei in monte. ¶ *Et, transfiguratus est ante eos.* Hactenus diximus quæ præcesserunt, nunc explicāda transfiguratio, & quę eam comitantur. Ibat ergo Christ⁹ sub vesperam cum trib. discipulis, & ibat in montem orare, vt ait Luc. quemadmodum tempore passionis tres discipulos secum duxit, tum voluit preces fundere ad Patrem. Est autem mysterium transfigurationis noctu factum: tum quia solitus erat in monte orare, & ibi pernoctare in oratione Dei, vt dicitur à Luca, tum quia Lucas ait, dum CHRISTVS transfiguratus est, Apostolos fuisse grauatos somno, tum quia subdit Lucas: *Factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte.* Ex quibus patet, illum pernoctasse in oratione, & idcirco amœnissimum, & suauissimū fuisse spectaculū in medijs tenebris cernere Iesum plus Sole splendentem. Et ita visio hæc maximè impressa fuit mentib. Apostolorū, & maxima dulcedine affecit eos. Non ita autem grata fuisset, vel non in tanto pretio habita ab Apostolis.

Cur in montem excelsum Christus ascenderit. Luc. 9. Matt. 26. Transfigurationis mysteriū cur noctu peractum sit. Luc. 6. Infra 9. Quale spectaculum fuerit transfiguratio nis Domini.

Iam vero transfiguratio explicanda est, & quid sit, quod ad vocem attinet, & quid, quod ad rem ipsam, deinde quorsum sit transfiguratus, & quare in tēpore quo preces fundebat. Quod ad vocem attinet, trāsfigurari nihil est aliud, quam ire de figura in figuram, quemadmodum transformari, est ire de vna forma in alteram: & vtroque modo vertitur ab interprete nostro verbū Græcum μετεμορφώθη. Hic quidem, transfiguratus est, alibi vero idem verbum vertit voce transformandi, vel reformandi. Vnde Apostolus inquit: *In eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem*, vbi Græcum verbum est μεταμορφούμεθα. Et ad Romanos: *Reformamini in nouitate sensus vestri.* Et quāquam figura minus sit quam forma, quia omnis figura forma est, non tamen è conuerso: parum tamen ab se inuicem distant, & vnum pro altero ponitur. Vnde Suetonius in Nerone: *Puerum Sporum exectis*

Transfiguratio nomine tenus quid sit. Transfigurari idem quod transformari est. 2. Cor. 3. Rom. 12. Forma & figura differunt. Sueton. c. 28. vita Neron. Neronis spurcitia.

testibus, etiam in mulierem naturam transfigurare conatus est. Et Plinius in historia naturali scribit: *Sole cancri signum transeunte, & ipsorum* (scilicet cancrorum marinorum, de quibus est sermo) *cum exanimati sint, corpus transfigurari in scorpiones, narratur in sicco.* Quanquam Græcè transfigurare dicatur propriè μετασχηματίζειν, de quo Apostolus: *Hæc autem, fratres, transfiguraui in me, & Apollo:* & ad Philippenses: *Transfigurabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ:* pro quo nos habemus, reformabit. Et passiue in posteriori ad Corinthios: *Ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis.* Et ex illo testimonio ad Philippenses habemus, idem esse prorsus trāsformari, quo verbo vsus est Euangelista, atq; transfigurari, quo verbo vsus est Apostolus, cum de vna atq; eadem re sit sermo, nempe de glorificatione corporum nostrorum, quæ futura est instar illius Christi. Et hæc de voce Transfigurationis, quæ hic dicitur metamorphosis, vox Latinis Poetis notissima, ob illas humanorum corporum, siue deorum mutationes in alias figuras, quas innumeras penè finxerunt Poëtæ: de quib. Naso poeta 15. libros edidit. Et ad has, & similes transformationes alludens B. Petrus in sua epistola, vbi habet sermonē de hac admiranda Filij Dei metamorphosi, ne illam esse aliquam confictam fabulam, quemadmodum sunt illæ Poetarum, existimaremus, sed rem euidentissimam, atque certissimam, dixit: *Non enim doctas* (vel arte compositas) *fabulas secuti, notam facimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem, & præscientiā, sed speculatores facti illius magnitudinis:* & quæ sequuntur.

Plin. lib. 9. cap. 31. Cancri marini, vt ait Plin. quando transformentur in scorpiones in sicco.
1. Cor. 4.
Philip. 3.
Vbi Scripturarum transformari, & transfigurari idem sint.
2. Cor. 11.
Metamorphoses quæ vanæ.
2. Pet. 1.
Diuina Christi metamorphosis.

Quantum ad rem vero, dicendum est, duplicem esse transformationem: alteram apparentem quidem, sed re ipsa non subsistentem, alteram vero, quæ non solū appareat, sed etiā re ipsa subsistat. Prior similis est existenti in naui, quæ dum è terra soluit, terram moueri putat, & à se discedere, cum reuera ipse à littore discedat, & motu à littore elongetur. Similis est etiam ebrio, qui geminas candelas, & pocula duo esse existimat, vbi vnum tantum est poculum, & vna candela. Et hoc vel quia oculi eius detinentur, vel quia medium est aliquo colore affectum: vt qui respicit per vitrum crystallinum rubeum, vel viride, omnia existimat rubea, vel viridia. Et quandò fumis quibusdam, & vaporibus perfunditur cubiculum, omnes trabes videntur serpentes: vel per illusionem dæmonis facientis apparere quæ non sunt, vel aliunde motu, qui sensu aliquo percipi non potest, res aliquas afferente, vt sunt fere oēs Poetarum metamorphoses. Quia, vt testatur Augustinus libro de ciuitate Dei, vel ex illusione oculorum fiebāt, vel opera dæmonis magna celeritate flores, aut plantas, aut animalia aliunde asportantis. Et de hac metamorphosi apparenti, & non existēti, hoc loco non est sermo.

Transformatio duplex est.
Apparens trāsfiguratio quæ sit.
Quanam ratione fiat, vt quæ simplicia per se sint, duplicia interdū appareant.
Quales Poetarum metamorphoses sint omnes.
Aug. li. 18. de ciu. Dei, c. 18. tom. 5.

Alia vero est re ipsa subsistens transformatio: & hæc duplex est, altera ab intrinseco, altera vero ab extrinseco prodiens. Vtriusque exemplum est arbor, quæ dum est ab extrinseco pallida, significat radicem arboris exaruisse, & propterea vniuersa folia pallorem contraxisse: si vero sit ab extrinseco, ex eo pallida videri potest, quia vniuersa ei⁹ folia pallido colore ab aliquo sint tincta. Rursus sit aliqua fœmina pulcherrima ex bona corporis dispositione, & habitu interno, quæ pulchritudo naturalis est: sit vero alia pulcherrima, & gratiosa non quidem natura, sed arte adhibente pigmenta, fucos, colores, & alia aurea, & pretiosa ornamenta. Vides in his exemplis arborē pallidā natura, & pallidam arte: mulierem venustā natura, & ab intrinseco, formosam etiā arte, & ab extrinseco. Illa enim Moysi splendida, & gloriosa vultus facies ex colloquio cum Deo aduenit, vt ait Damascenus, & illa Stephani velut Angeli facies ab extrinseco fuit, sicut & illa Heliæ: quia nondum eorum animi immortali gloria fruebantur, vt inde oriri posset, sed à gratia Dei superaddita: sicut Satanæ, & ministrorum eius, vt ait Apostolus, & omnium hypocritarum facies, vel ad captandam gloriam, vel ad imponendum hominibus, ab extrinseco est: & falsa transfiguratio, in qua ostendunt quod non habent. Illa vero Christi transformatio ab extrinseco fuit, & ideo ostēdit, quod habuit (sicut de Ecclesia eius sponsa dicitur: *Omnis gloria filiæ regis ab intus:*) quia anima beata in momento debuit assumptum corpus gloria illustrare. Sed hoc ad tempus impeditū fuit, vt pro nobis sanguinē fundere, & mori, & holocaustum Deo acceptissimum offerre posset. Cum autem hoc non fecerit retentio illius gloriæ, quę in corpus natura effundi debebat, miraculū fuit. Cum vero illud miraculum suspendit, & permisit animę gloriam in corpus effluere, miraculum reputatum fuit, cum tamē reuera esset cessatio miraculi: licet illud miraculum, quia continuū erat, miraculi rationē amittebat, & cessatio miraculi, quia rarum quid fuit, signi rationem indueret. Atque ita transfiguratio in monte facta, illustre, & insigne miraculum habitum est. Claritas ergo illa talis

Vera, ac per se subsistens transformatio qualis, & hæc duplex est.
Exemplum prioris.
Posterioris exemplum.
Exod. 34.
Damasc. in orat. de transfig. prope fin.
Act. 6.
4. Reg. 2.
2. Cor. 11.
Qualis fuerit Christi transfiguratio.
Psal. 44.
Vnde anima Christi vsque ad transfigurationem suam claritatem non in corpus effuderit.
Cur hęc transfiguratio rationem miraculi induat.

talis fuit, qualem nunc habet in cœlo, vel quam habebit in iudicio: quia dixit, *Donec videant Filium hominis venientem in Regno suo.* Non fuit ergò fictitia, vel imaginaria ob immutatum organum oculi, vel visa tantũ in aëre circumstanti, sed in ipsa facie & corpore Christi intus opaco, extra lucido, vt sunt stellę, & speculum. Et prouenit ex anima Christi illustrata lumine gloriæ, quæ cũ voluit, illud lumẽ gloriæ ostendit per illud corpus, vt lumen candelę per laternam vel vitrum conspicitur, ablato impedimento opaci corporis, & sicut apertio palpebræ, quæ tegeret lucidissimum carbunculum.

[Margin: Vnde hæc claritas corporis Christi aduenerit.]

[Margin: Quid in Christo transfiguratum sit, an diuinitas, an anima, an corporis forma & figura.]

Cùm ergò gloria corporis, quæ oculis Apostolorum spectata fuit, sit ab intrinseco: meritò quęrendum est, quid in Christo mutatum fuerit: an Diuinitas, an anima, an corporis forma, & figura. In primis Deitas immutabilis, & inaspectabilis est oculo corporis: nam lucem habitat inaccessam, quam nullus hominum vidit, sed neq; videre potest. Et rursus: *Ego Dominus*, inquit, *& nõ mutor.* Etsi enim oculo intellectus vncto lumine gloriæ, & eleuato, possit Deus ex gratia videri, secundùm illud: *In lumine tuo videbimus lumen*; non tamen oculo corporis, licèt quidam scioli, quibusdam paralogismis decepti, existimauerint. Nõ enim Deitas figuram, aut formam habet, vt oculo corporis conspici possit.

[Margin: Minimè mutatam fuisse Christi diuinitatem ostenditur.]

[Margin: 1. Tim 6. Malach. 3. Qua ratione sola videri Deus possit. Psal. 35.]

[Margin: In eos, qui Deum humanis posse oculis cerni somniarunt.]

Quòd si obijcias, Paulũ dicere de Christo: *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius*, vel vt Græcè significantiùs dicitur, character hypostasis, siue subsistentiæ eius: hoc nõ dicit, quasi Deitas splendorem habeat, sed metaphoricè vobis per illa verba repræsentatur Verbi ex Patre generatio, quod Verbum per omnia coæternũ est Patri, vt & splendor luci, homusios, siue consubstantialis: quemadmodum impressio sigilli in apta, & commoda materia per omnia perfectè repræsentat sigillũ. Sed hoc non arte, sed natura Pater Filium generando præstitit: contra morem eorum, qui habentur apud nos celebres pictores, qui melius alios, quàm seipsos depingunt: nam se ipsos aliter pingere non possunt quàm spectantes in speculo per radios reflexos, & refractos; alios verò per radios rectos. Cõtra verò De⁹ se ipsum perfectissimè depinxit natura generando infinitum Verbũ, alia verò omnia arte figurauit: & ideò finita sunt. & longè distantia à magnitudine artificis, siue pictoris. Nõ ergò fuit Deitas, quæ oculis Apostolorum conspecta fuit.

[Margin: Hebr. 1.]

[Margin: Quomodo Christus verbum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris, secundum Apostolum.]

[Margin: Diuina Verbi ex Patre generatio quam differt ab artificiali.]

Nec etiam anima ipsa, quæ oculo corporis conspicabilis nõ est, cùm luce aliqua corporea, aut colore non constet: estque anima oculo nostro, quod sonus oculo, aut auribus nostris color. Prætereà substantia corporis minimè fuit mutata, aut cõspecta oculis Apostolorũ: quia idem Christus qui natus est de Virgine, & qui immolatus fuit in Cruce, & qui nunc est in cœlo, erat tunc quando transfiguratus est. Et vt ait B. Lucas: *Facta est, dum oraret, species vultus eius, altera*, siue Græcè ἕτερον εἶδος, non ἄλλο, id est, alia: alietas enim substantiæ eius, sicut alteritas accidentis, vt Philosophi loquuntur. Nulla ergo mutatio fuit in substantia corporis Christi. Postremò forma, vel figura non fuit in eo mutata, sed eadem remansit, quæ anteà, & idem color. Est autem figura qualitas quædam cõsurgens ex qualitate linearum, & superficierum: quæ in Christo non est mutata. Impropriè verò dicitur color vestis vel habitudo, quę aliquo modo possunt dici mutata. Sed accessit lumen internum, & splendor in faciem, & obumbrauit colorem, & figuram suam, non aliter atque fax magna nihil perdens de suo, obumbratur à Sole meridiano. Et homo, qui ante per infirmitatem pallidus, & macilentus erat, accedente sanitate, & robore, retinet eandem formam & figuram, quã prius, sed pinguem, rubicundam, lætam, & plenã, & obumbratur pallor, & debilitas prior. Ita similiter in Trãsfiguratione factum est: adueniente enim luce interna in faciẽ, & seruante eandem formam, & figuram, adiunxit splendorem micantem, & figuram eius aliquo modo obumbrantem. Idcircò Hieronymus rectè intellexit hanc transfigurationem, scribens hoc loco: *Quod dicit, transfiguratus est ante eos: nemo putet pristinam eum formam, & faciem perdidisse, vel amisisse corporis veritatem, vel assumpsisse corpus, vel spirituale, vel aereum; sed quomodo transformatus sit, Euangelista demonstrat, dicens: Et resplenduit facies eius sicut Sol. Vbi splendor faciei ostenditur, & candor describitur vestium, non substantia tollitur, sed gloria commutatur. Resplenduit facies eius sicut Sol. Certè transformatus est Dominus in eam gloriã, qua venturus est postea in regno suo. Transformatio splendorem addidit, faciem non subtraxit.* Sic magnus ille Pater.

[Margin: Quòd anima Christi non fuerit transfigurata.]

[Margin: Quod nec corporis Christi substantia fuerit immutata]

[Margin: Luc. 9.]

[Margin: Formam vel figurã in Christo non fuisse mutatam. Figura quid.]

[Margin: Modus Dominicæ transfigurationis propriè qualis fuerit.]

[Margin: Hieronym. in Matth. lib. 3. tom. 9.]

Quòd si dicas, quomodo illa gloria animę cùm spiritualis esset, cerni oculis hominum potuit? Respondemus, verissimam esse illã sententiam Philosophorum, omne quod recipitur, per modum corporis recipientis recipi: atque ita gloria illa, quæ in anima spiritualis erat, in corpus diffusa proprietatem corporis induit, vt videri potuerit. Et quemadmodum animã rationalem in se ipsa cernere non possumus, illã tamen in actibus suis ratiocinandi, & dispu-

[Margin: Quomodo animæ Christi gloria, cùm spiritualis esset, oculis spectari potuerit humanis.]

[Margin: Axioma Philosophorum.]

[Margin: Rationalis anima à nobis cerni quomodo possit.]

 tandi,

tandi, & varijs modis discurrendi videmus: ita illam gloriam animæ non in seipsa per modum habitus, sed in effectis suis in faciem diffusam cernere promeruerunt Apostoli. Aliç autem tres dotes nec in seipsis nec in actibus suis sub aspectum cadunt, & ideò terrent potiùs, quàm delectent. Claritas tamen aspectabilis est, & gaudium simul, & admirationem procreat. Diuinitatem autem non viderunt nisi per coniecturas ab excellẽti illa corporis gloria persuasi.

Claritas à cæteris dotibus tribus gloriosis quid differat.

Et resplenduit facies eius sicut Sol: vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Melior est hæc lectio, quam illa, quæ habetur hic in codicibus quibusdam Græcis: *Facta sunt alba, sicut lux:* quia Marcus apertè habet: *Et vestimenta eius facta sunt splendentia, & cãdida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere.* Et Lucas: *Et vestitus eius albus & refulgens*, vel, vt Græcè dicitur: *Effulgurans.* Duas apponit metaphoras, alteram Solis, non stellæ, quç lumen à se non habet, & tenebras admittit. Corpus autem Christi, & beatorum erunt maximè clara, claritate alterius generis, quæ tñ Solis luce magis vniuocè repræsentatur, & de iustis dixit Dñs: *Tunc iusti fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorũ.* Quanto magis ipse Dominus, & author Sanctorum? Ac licèt omnes sancti comparentur Soli; tamen vt ostendatur inter eos inæqualitas, comparãtur Stellis. Vnde Daniel ait: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti* (hi sunt docti in se ipsis, qui firmamento minus lucido comparantur. Et subdit de alijs, qui non tantùm in se docti sunt, sed etiam alios docent) *& qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Lux tribuitur beatis, sicut dæmoni & damnatis tribuuntur tenebræ exteriores.

Mar. 9. *Luc 9.* *Christi, ac beatorum corpora qualia sint futura.* *Matth. 13.* *Sancti cur Soli, deinde etiã Stellis comparentur.* *Dan. 12.* *Qui sint docti in seipsis, quique in alijs.* *Matth. 8.* *Infra 22.* *Infra 15.*

Vestes etiã resplenduerunt in hac transfiguratione, ne putaremus quòd in gloria sola facies esset glorificanda, sed vt intelligamus etiam totum corpus. Ita vt si esset vestitum, vt corpus Christi nunc erat, redundaret tamen in vestes: sic ex anima in corpus. Atq; hunc vestium candorẽ Christus miraculo effecit: tùm quia corpus intus non fulgebat præter faciem, tùm quia, etiam si fulgeret, non albedinem, sed fulgorem faceret. Fulgor etiam non transit in corpus opacum, id est, vestes, quç non sunt gloriæ capaces. Addidit esse candida sicut nix, vt significaretur quòd noluit ostendere gloriam in vestibus, quia non erunt in gloria, sed ob corpus, cui adhærebant, ita apparuerunt. Deinde ostendebantur candidæ, quasi essent ex redundantia animæ beatæ, & significaretur corpus gloriosum, & ita minus lucidum, quàm anima. Adhæc vt ostenderetur res vera, non phantastica, quod videri poterat, si vestitus eius non haberet colorem, vt hic habuit. Postremò, ob honestatem nostram apparent beati vestimentis albis induti, vt constat ex Marco & Ioanne, Lucaq; in Actis, atq; ex Matthæo, qui ait: *Erat aspectus eius sicut fulgur: & vestimentum eius, sicut nix:* quia nihil niue candidius. Nec tantùm participans lucem, erat enim quasi supernaturalis quædã albedo quosdam veluti radios emittens, id est, fulgida: quo enim perfectior est color, eo magis lucem participat, ita vt radios emittat vt nix, quæ propterea oculos offendit: alia autem sunt quidem alba, sed non ita splendentia. Quòd si Christus veste alba vtebatur, miraculo facta est ita intensè candida, vt naturalis ars fullonis ad eum candoris gradũ peruenire nõ posset, vt ait Marcus: sed postea redijt ad solitum albedinis gradum: si verò vestis Christi erat alterius coloris, miraculo illo perditus fuit ad tempus, & offuscatus, & albedo in illa creata, quæ poterat naturaliter manere, sed miraculo ablata est, & similis omninò colori priori redijt, numero tantùm à priori differens.

Cur etiã Christi vestimenta splenduerint. *Hic vestiũ candor an naturalis fuerit nec ne.* *Quare vestimenta dicantur facta esse alba, sicut nix.* *Beati cur nobis in vestib. albis soleant apparere.* *Mar. 6.* *Ioan. 20.* *Act. 1.* *Matth. vlt.* *Marc. 9.*

Quorsum verò transfiguratus fuerit, explicandum est: tam magnum enim mysteriũ non sine magnis causis diuina sapiẽtia operata est. Inprimis vt ostenderet se posse remunerare omnes eos, qui crucem post se baiulant: ad quam gestandam paulò antè hortatus fuerat, & vt qualitatẽ pręmij per tribulationes quærendi indicaret: ad quod hortatur Apostolus, dicens: *Saluatorẽ expectamus, Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Deinde vt ostenderetur Christi gloria, neq; frangerentur, aut debilitarẽtur Apostoli Christi passione aut morte. Ad hæc vt confirmaretur sententia Petri, dicentis: *Tu es Christus, Filius Dei viui,* per sententiam Patris, qui dixit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipsum audite.* Præterea, vt diuinitatis eius, quæ ita immutauit corpus, & vocauit Mosen & Heliam, argumentum certissimum exhiberetur. Etsi autem quoduis signum certò comprobaret, potestatem remunerandi Christo infuisse; non tamen propterea sequeretur, miracula alia fuisse vana, vel superflua: & erant probatio obliqua, quia non probabant quomodo res se habeat, sed ex accidenti tantùm, quia Deus mentiri non potest. Esset etiam medium, siue argumentum extra genus rei, & commune ad omnia, & nõ ita sedans animum:

Quam ob causam fuerit Christus transfiguratus. *I. Ratio.* *Matth. 16.* *Phil. 3.* *II. Ratio.* *III. Ratio.* *Matth. 16.* *Infra 17. & Supra 3.* *IV. Ratio.* *Heb. 6.*

Iudæorum de resurrectione opinio, maximè Sadducæorum.

hic autem signo vniuoco qualitatem præmij indicauit. Euidentia ergò gloriæ corporis Christi, eiusdem generis est cum resurrectione nostra. Atque hæc est vltimus finis actionum, ac proinde debet esse notissimus. Maximè quia articulus resurrectionis non erat determinatus Iudæis, qui non puniebant Sadducæos; qui tamen nō dubitabant nisi de qualitate, id est, gloria, & duratione resurgentium, non de hoc, quòd ad vitam mortalem mortui possent resurgere. Nam Christus cum eis argumétans, alijq; Iudæi, eos experientia quorundam mortuorum ad vitam suscitatorum mortalem conuincerent. Ideò vltra resurrectionem mortuorum opus fuit transfiguratione: quæ vnica fuit, quia tantùm ad ostendendam potentiam coram tribus Apostolis instituta: alia signa etiam ad vtilitaté erant, & vt multa per illa suaderentur.

Matth. 22.

Quare Christus inter orādum trāsfigurari voluerit.

Postremò, illud addendum, quam ob caussam in oratione transfigurari voluit. Orabat autem hoc quod obtinuit: nam etsi ipse sciret voluntatem Dei, suo tamen nos exemplo instruebat, vt omnia ad Deū referamus, nec enim ipse propter seipsum precibus egebat. Obtinuit ergo, vt in splédore nouæ formæ visibile suæ Deitatis speculum præberet. Non tamé protìus Christus se exhibuit visendum discipulis, qualis nunc est in cœlo; sed gustum immensæ eius gloriæ exhibuit, & qualem ipsi capere poterant. Sic olim Deus patribus apparuit, non qualis in se erat, sed quatenus immensos eius splendoris radios ferre poterant. Chrysostomus scribit, minimum beatum maiorem gloriā habuisse, quàm ea fuerit, qua Christus cum discipulis glorificatus est: quia pro captu suorum se ipsum ostendit. Et quod ex humilitatis forma in diuinam & cœlestem illam sit mutatus, indicium erat, statum eum, in quo tunc erat, nō fuisse æternum, sed mutabilem. Deinde inter orandum transformatus ostendit, nos orantes in deos quodāmodò transformari: quod nos ad preces auidius fundendas allicere deberet. Tunc enim illę ecstases, & mentis captus contigerunt, quos inter orādum legimus habuisse sanctos viros, vt Petrus habuit: & Danieli oranti apparuit Angelus instruens de futuris: Cornelio oranti facta est apparitio Angeli, & Paulo, cùm oraret, fit visio Ananiæ imponentis sibi manus, & Paulus de seipso scribit: *Factum est reuertenti mihi in Ierusalem, & oranti in templo, fieri me in stupore mentis, & videre illum dicentem mihi, Festina, & exi velociter de Ierusalem, quoniam non recipient testimonium de me.* Oratio enim si feruenter fiat, planè hominem

Aliter in trāsfiguratione Apostolis, aliter in gloria beatis apparebit Dominus.

Chrys. ho 57. in Matt. to. 2

Quando in deos quodāmodò transformamur.

Act. 10. Dan. 9

Act. 10. Supra 9. Infra 22.

Precatio feruens quid efficiat.

transfigurat, & ex tristi reddit consolatū, & ex debili fortem, & ex perplexo intelligentem, & ex arido sapientem, & degustantem diuina.

Quomodo se transfigurare Episcopi debeant exemplo Christi. I. documentū.

Ex his ergo, quæ hactenus de hoc mysterio philosophati sumus, habent fructum quem colligant Episcopi Ecclesiarum, & pastores. Debent enim exemplo Christi inter negotia, & curas, quæ animum obruunt, subducere se ad tempus ad orandū, & reddendum Deo ius suum, & ad præstādum animę nostrę cibum spiritualem, quo possit alacrior ad labores reddi; & ad bonū exemplum proximo, & subditis præstandum. Deinde discant à Christo, vt testes semper habeant suæ innocentiæ, & castitatis, ne quid sinistri de pastore solitario, & per habitum transfigurato cogitetur: sed si Episcopus orat, vel sacrificium peragit, vel diuinis literis vacat, habeat penes se, non quidem omnes, sed saltem paucos aliquos qui eius exempla imitentur, & qui testari possint de sanctitate, & puritate vitæ. Ad hæc docet Christus in oratione tādiu perseuerare, donec immutemur in viros alteros: quia hæc est immutatio illa dexteræ excelsi. Nam si in igne positi, ignis proprietates induimus, & in Sole illas lucis & carnes, vel pisces modica conditura condiuntur, vt in longum tempus seruentur: mirum est, Sacerdotes, & Pastores animarum tot precibus, sacrificijs, diuinis officijs, & Scripturarum meditationibus non immutari in deos, & diuinum spiritum non spirare. Prælatus debet esse in monte, vt Moses erat, & precari Dominum, vt populus sibi creditus dæmones, & peccata vincat, quéadmodum populus Dei Amalechitas: & dum alij stertunt, & dormiunt, debet ipse vigilare, & precibus instare, & instar gallinę quæ incubat ouis, permanere in oratione, donec excludat pullos; nec se frequenter mouendo, aut elongando ab illis. Atq; ita necessaria est assidua residéria, non paucorum dierū: quia nec excluderētur pulli, nec viuerent oues. Et vt dictū est: *Vade ad formicam, ô piger,* ita dici potest, Vade ad gallinā, ô pastor, & considera qua ratione oua in pullos transfiguret. Deinde vbi exclusit oua, alit magna diligentia pullos fouendo: ita pastor habere debet clamoré prædicationis: debet oues ad se adducere. Tertiò, præcedit in omnibus gallina pullos, quos post se trahit quasi voce quadā: ita Episcopus populum post se ducere debet, vt ad vitam ipsius tanquā ad sonum citharæ moueatur. Adhęc opponit se miluo aui rapaci pro defensione pullorum, vt Prælatus caueat ne sibi objiciat Spiritus sanctus: *Non opposuistis vos mu-*

II. documen.

III. documentū. In oratione perseuerandū sit quandiu. Psal. 76.

Simile.

Exod. 17.

Episcopo & Prælato quām sit necessaria residentia. Prou. 6. Verus Pastor animarum gallinæ proprietates quemadmodum in se ipso exprimere debet.

Episcopi non se opponant murum pro domo Israel quando.

Ezech. 13.

vos murum pro domo Israel, id est, contra hæreses,& peccata publica, quæ ex officio iniũcto debebatis præuenire,& à vestris ouibus arcere. Postremò gallina interfecta,& apposita mensæ benè olet, & melius sapit: ita beati sunt Episcopi,& Pastores, qui pro ouibus suis animas posuerunt: nemo ergo satis esse putet ad pastoris munus rectè præstandum transfigurari in amictum candidum,in vestem longam,in annulos aureos in digitis, in seruorum, & iumentorum multitudinem, & mensam amplam,& otium venationis,& lusus: nam hæc transfiguratio mundanorum est, siue hypocrytarum,& ab extrinseco est: sed si verum Dei amorem habeant,ille est, qui reuera transfigurat, & reddit animæ faciem lucidam, & vestes albas, id est,familiam doctam,& honestam, quæ honestat Episcopum. Debet etiam extendi hæc transfiguratio,vt videatur à Petro,Iacobo,& Ioanne, id est,à Canonicis,& clericis, vt illi inprimis imitentur,& alijs annuntiantes,alios inuitent ad Episcopi sui consectanda vestigia, quatenus ille Christi imitator est Domini nostri,cui cum Patre,&Spiritu sancto est sempiterna laus,& benedictio, ac gratiarum actio impendenda ab vniuersa creatura per infinita seculorum secula. Amen.

Beati Episcopi qui.

Transfiguratio Episcopi vera quæ sit.

TRACTATVS XXXIV.

In quo de Transfigurationis Christi mysterio disseritur.

QVONIAM altũ est,& mysterijs multis prægnans hoc Transfigurationis arcanum,commodum,& gratum lectoribus esse duximus, si in plures Tractatus distribueretur, quo & lectoribus fastidium legendi imminueremus,& singula Euangelistarum verba luculentius, & pressius tractare valeremus. Explicuimus ipsam transfigurationem, quid esset: iam quæ illam comitantur,explananda veniunt.

Subdit ergo Matthæus,& Marcus: *Et ecce apparuerunt illis Moyses & Helias cum eo loquentes.* Hoc ipsum apertiùs Lucas describit: *Et ecce*, inquit, *duo viri loquebantur cum illo: erant autem Moyses,& Helias, visi in maiestate: & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem. Petrus verò, & qui cum illo erant, grauati erant somno. Et vigilantes, viderunt maiestatem eius, & duos viros qui stabant cum illo.* Opportunum fuit,&necessarium etiam ad plenam fidem faciendam,quòd Iesus esset Christus ille Dei, quem dudum Petrus fuerat confessus, vt alia quoque signa adhiberentur, præter illam sui corporis glorificationem: quorum vnum fuit, hæc duorũ virorum præsentia, alterum ipsius Patris vox. Hi duo viri, locupletissimi testes esse potuerunt Christi maiestatis. Nam Moyses,qui gẽti Hebrææ legem tulit, maximus habebatur apud eos, qui ad Christum veniens ipso aduentu fatebatur illum se esse maiorem: at Mose maior ab Israëlitis non expectabatur alius, quàm Messias, id est, Christus:quem Moses,ac reliqui Prophetæ venturum prædixerant. Cùm ergo cernerent discipuli hũc ad Iesum venisse, euidẽs erat Iesum esse Christum filiũ Dei. Helias etiam inter Prophetas celeberrimus,quiq; viuens curru igneo raptus erat in cœlum, quia expectabatur, vt olim veniret,& restitueret omnia tanquam alter legislator confirmans legem;adfuit,& ipso Christo testimonium sua præsentia præbens, vt ex illorum aduentu Apostoli colligerent Iesum esse Messiam Dominum legis, & Prophetarum,& vt appareat quòd non sit legi, vel Prophetis aduersarius. Non enim Moses astitisset suo aduersario: neque Helias tantus zelotes ipsum tulisset. Præterea, vt suspicionem tollat eorum,qui ipsum Heliam aut vnum ex Prophetis dicebant. Et quia Moyses mortuus erat,Helias verò viuus raptus erat, ostendit se Iesus Dominum vitæ & mortis,viuorum & mortuorum. Et quia dicebãt excessum, quem completurus erat in Ierusalem, confirmabant Apostolos in fide passionis & mortis Christi,quã à Christo auditam non capiebant. Præter has rationes,voluit se ostendere legis, & Prophetarum Dominum se illis minimè cõtradicere:sed de illa Iesu doctrina & operib. testimonium egregiũ perhibere. Hinc Apostolus testatur iustitiam Dei in Euangelio manifestatam,testificatã esse à lege,& Prophetis:& Philippus: *Quem scripsit Moyses in lege,& Prophetæ: inuenimus Iesum filium Ioseph, à Nazareth.* Et Dominus frequenter legem cum Prophetis cõiungit, vt cùm ait: *Hæc est enim lex,& Prophetæ*:&, *Omnes Prophetæ,& lex vsque ad Ioannem prophetauerunt.* Ad hæc, vt testatur Hieronymus, vt ostẽderet se posse dare signum de cœlo, si vellet, cùm Moses, & Helias admirabiles in signis etiam de cœlo extiterint. Similes etiam fuerunt in ieiunio quadraginta dierum, & Iesu ieiunium præfigurârunt: vterq; vidit gloriam Domini post dictum ieiunium, vt Moses,in facie lucida & splendenti, Helias cùm raptus est in curru igneo. Vterque se morti exposuit (quia de morte Christi hic loquebantur) Moses quidẽ coram Pharaone; Helias verò corã impio Achab, vt discipuli animarẽtur ad ponendas pro Christo animas. Moyses conspi-

Luc. 9.

Cur Moses & Helias adfuerint transfigurationis Christi mysterio.

Quare potius Moyses & Helias, quam alij Prophetæ adfuerint.

4. Reg. 2.

Matth. 17. & Marc. 9.

Matth. 16.

Deut. vlt. 4. Reg. 2.

Luc. 18.

Quam conueniens fuerit Mosen, & Heliam Christo adstitisse transfigurato.

Rom. 3.

Ioan. 1.

Deut. 18.

Matt. 7.

Infra 11.

Hier. lib. 3. in Matth. 12.

Exod. 14.

3. Reg. 19.

Matth. 4.

Exod. 34.

3. Reg. 19.

4. Reg. 2.

Exod. 4. 5. & seq.

3. Reg. 18.

Num. 12.

3. Reg. 19. conspicuus fuit mansuetudine; Helias, illustris zelo, & tales esse contendere deberent Apostoli, vt iniurias mitissimo, & fortissimo animo perferrent, & ad Dei iniurias, vel auditu minimè ferendas magno zelo arderent.

An Moyses & Helias vere Christo asstiterint transfigurato.

Verè autem venerunt, & apparuerunt non tantùm eorum effigies, aut spectra, sicut sæpè Prophetis obiectę sunt rerum absentium visiones, & figuræ, vt quidam putant: quia periret fides Scripturæ, quæ asserit Moysen, & Heliam apparuisse. Deus etiam corpora, & animas in sua manu habet, vt possit quos velit, ad tempus in vitam restituere. Et quanquam Helias rapi in curru igneo visus fuerit ab Helisæo, tùm vt agnosceretur eius gloria, tùm vt sciret Helisæus se obtinuisse duplicem spiritum: hic tamen non debuit videri veniens, sed Angelus in corpore assumpto eum subitò portauit, quemadmodum deportauit Habacuc in Chaldæam. Moyses verò nõ adfuit in corpore suo, quia opus esset resurrectione, & non surrexisset, tam citò iterum moriturus. Nec item veniebat ad testandam resurrectionem, quemadmodum illi qui surrexerunt, de quibus Matthæus, sed ad loquendum, & testimonium Christo perhibendum, ad quod satis erat anima in corpore assumpto (etiamsi aliter hic doceat Hieronymus, & autor lib. de mirabilibus sacræ Scripturæ, qui tribuitur Augustino) quod post transfigurationem dimisit, & sine portitore ad Limbum rediјt, sicut venit. Secus de Helia mortali ab Angelo etiam in suũ locum reducto.

4. Reg. 2.

Helias quomodo venerit ad locum Domini transfigurationis.

Dan. vlt.

Moyses vti adfuerit in trãsfiguratione Dominica.

Matth. 27.

Hieron. ibid. Aug. lib. 3. de mirabilib. sacra Script. ca. 10. tom. 3.

Non desunt tamen Patres quidam antiqui, vt Ambrosius libro de Cain & Abel, & Hilarius in Matthæum, & Iosephus lib. Antiquitatum, qui asserunt Mosen reuera non fuisse mortuum. Verba Iosephi sunt hæc: *Cumq; post mutuos complexus Eleazaro Põtifici, ac Iesu vltimum vale diceret, inter loquendum repentina nube circundatus in vallem quandam est ablatus. In sacris autem voluminibus scripsit se mortuum, veritus ne propter excellentem eius virtutem à Deo raptum prædicarent.* Hilarius portò sic habet: *Quanquam vltra Euangelicam veritatem non necesse sit opinari* (Moysen scilicet adhuc viuere) *tamen si quis conditionem & mortis, & sepulchri Moysi diligenter aduerterit, & secretarum Scripturarum, secundùm Apostoli veritatem, cognitionem adeptus sit, intelliget omnia ita esse tractata, vt Moyses potuerit iam videri.* Ambrosius verò ita inquit: *Moyses mortuus quidem legitur, sed per Verbum Dei mortuus, per quod facta sunt omnia, Verbo autem Dei cæli firmati sunt. Per verbum igitur non lapsus operis, sed firmamentum est. Non ergo tanquã relapsus in terram deprehenditur corporis solutione, sed tanquam verbi cælestis operatione donatus, & munere, vt quietem magis caro eius, quàm bustum acceperit.* Hæc ille. Quæ si vera sint, vt nonnulli arbitrantur, non esset asserendum, Moysen in corpore proprio suscitatum, vel in corpore alieno assumpto Domino transfigurato adfuisse, sed quoniam sacræ literæ apertè tradunt, Mosen seruum Domini, in terra Moab iubente Domino mortuum fuisse, & sepultum fuisse in valle terræ Moab, & neminem cognouisse sepulchrum eius, & Iudas in epistola Canonica tradidit Archangelum Michaëlem cũ diabolo disputantem altercatum fuisse de Moysi corpore: & Iudæi obiecerunt Domino: *Nunc cognouimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, & Propheta, & tu dicis, Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum. Nunquid tu maior es patre nostro Abraham qui mortuus est, & Prophetæ mortui sunt?* Ex his omnibus colligimus Moysen reuera mortuũ fuisse. Vt interim omittam multos Doctores, qui constanter de Moysi morte conscripserunt.

Amb. lib. 1. de Cain & Abel. c. 2. to. 4. sub fin.

Hilar. can. 20 in Matth. post med.

Ioseph. lib. 4. antiq. c. vlt. in fin.

De Mose adhuc viuente quorundam opinio.

Deut. vlt.

Iudas in Catholica sua.

Psal. 32.

Mosen mortuum fuisse probatur.

Deut. 34.

Moses vbi sepultus.

Ioan. 8.

Gen. 25.

Mosen adhuc viuere dicentium argumẽta soluuntur.

Nec euincit quòd fuerunt in corporibus proprijs, eo quòd dicantur viri visi in maiestate: quasi non sit qui careat corpore. Nam in Genesi dicitur: *Et ecce vir luctabatur cum Iacob:* & Lucæ vltim. & Ioan. 20. & Act. 1. *Duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis,* qui tamen Angeli erant, & vero corpore non constabant, vt homines, sed assumpto. Ideò nihil verisimilius dici potest, quàm Moysen in corpore assumpto adfuisse.

Luc. 9.

Gen. 32.

Iam illud sequitur, vnde nouerũt Apostoli esse Moysen, & Heliam, viros qui apparuerunt? Respondemus, illud vel ex reuelatione Domini, vt Ambrosius rectè docet, qua in illorum cordibus illud detexit, vel ex ipsorum colloquio cum Domino, & inter se, vt Theophyl. tradit. Fortassis enim alter quidem dicebat, nempe Moyses: Tu es, cuius ego passionem præfiguraui, occiso agno, & perfecto Pascha. Alter autem Helias: Tu es, cuius resurrectionẽ ego præfiguraui in viduæ filio: & talia quædã. Non autem ex picturis, aut imaginibus, quarum vsus non erat apud Iudæos. Imperfectè etiam sic agnouissent: nec sufficeret ad certã euidentiam testimonij eorum notitia. Isti ergò astiterunt, non tam vt lætarentur videndo claritatem Christi, quia ipsi etiam visi sunt in maiestate, id est, gloria; sed vt fidem facerent Apostolis de Christi magnitudine contestata à Lege, & Prophetis; & vt constanter prædicarent Euangelium, & vt dicerent excessum eius, quem completurus

Vnde Apostoli nouerint esse Mosen, Heliam cum Domino loquentes.

Ambr. li. 7 in Luc. c. 2. to. 5.

Theophylact. in Matth.

Num. 7.

3 Reg. 17. & seq.

Picturis & imaginibus Mosen, & Heliam ab Apostolis cognitos non fuisse.

Luc. 9.

Ibidem.

Excessus quid sit, & significet.

pleturus erat in Ierusalem. Excessus Græcè dicitur ἔξοδος, hoc est, exitus: exitus autem apud bonos autores, vt testis est Laurentius Valla, mortem significat: sicut alibi dicitur transitus ex hoc mundo. Similiter excessus eleganter mortem significat. Quare Ælius Spartianus in Hadriano scribit, exercitum in Germaniam superiorē missum, ex qua festinauit ad Traianum, vt primus Neruæ nuntiaret excessum. Et Cicero absolutè excessum accipit pro morte, ait enim lib. de Legib. *Post excessum suum Romulus dixit se esse Deum.* Est autem Latinis excessus vox æquiuoca, & interdum accipitur pro ecstasi, interdum verò pro excellentia, ac præstantia, quam Græci ἐξοχὴν, aut ὑπεροχὴν, vocant. Sed hoc loco planè est accipienda pro morte, vt sæpè significat. Complendi verò verbum, ad Prophetias, & ad veritatē Dei pertinet, vt quod Deus promisit per Prophetas, & præfigurauit per Moysen de isto excessu, compleretur. Loquebantur ergo de Cruce, & morte, quæ diuinitùs instituta fuit, vt in Ierusalem fieret, & ibidem resurgeret. Ideò post resurrectionem, legē, & Prophetas exponit Dominus, & inquit: *Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die,* vt habes apud Lucam.

Laur. Valla. Ioan. 13. Ælius Spartianus. Cic li. 1. de legib. prope ini. Excessus Latinis duo significat. Quo de excessu hic sermo sit. Luc. vlt.

Quare Moyses & Helias de excessu loquerentur. Supra 22. Euthy c. 34. in Matthæū. Theophylact. in Lucam. Crucem & passionē, excessum, & exaltationem, cur Christus appellauerit. Ioan 12. Supra 8. Supra 3. Num 21. Quot modis excessum suū compleuerit Christus. 1. Petr. 1. Phil 2. Ioan. 15.

Et discipulis fortè dicebant excessum, vt crederent articulum mortis, & ad patiēdum Christum hortarentur, quemadmodum Angelus fecit. Euthymius annotat, quosdam codices habere Græcè δόξαν, id est gloriam: & hanc lectionem solùm sequitur hoc loco Theophylactus. Nā Crux Christi propter gloriam resurrectionis inde sibi orituram, & propter nos, vt minus affligeremur, gloriam, siue exaltationem, siue excessum vocabat. Vnde dicebat: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Cùm exaltaueritis Filium hominis, tūc cognoscetis, quia ego sum:* &, *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto; ita exaltari oportet Filium hominis.* Vnde habes, frequenter vsum Dominum voce excessus siue exaltationis, vt duritiem, & asperitatem mortis molliret. Cæterorum enim hominum mors potiùs decessus esse solet, quàm excessus. Excessit porrò Dominus in pretio, quo redemit nos: quod Petrus ponderans, ait: *Scientes quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati.* Excessit & in obedientia, qua factus est obediens vsq; ad mortem, mortem autem Crucis: & in charitate, quia maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam quis ponat pro amicis suis: & tamen illum gradum superauit, moriendo pro impijs, & inimicis. Excessit & in patientia: quia tanquam agnus coram tondēte se, obmutuit, & non aperuit os suum, vel vt se excusaret, vel vt contradiceret, & remalediceret maledicentibus: quia habebat pro se plus quā duodecim legiones Angelorum, si voluisset. Docuitque nos suo exemplo, aliter non posse nos excessum facere, quàm moriēdo pro Christo, aut ita viuendo, vt affectibus nostris, & appetitionibus immoriamur. Christiana enim vita, professio quædam mortis mundi est, cuius initium fecimus in baptismo abrenuntiando Satanæ, pompis, & operibus eius, vt Apostolus ait: *Mortui enim estis: & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.*

Rom 5. Esai 53. & 1. Pet. 2. Matth 26. Hoc suo excessu in Ierusalē complendo quid docuerit nos Christus. Coloss 3.

Sequitur in textu: *Petrus verò, & qui cum illo erant, grauati erant somno. Et euigilantes, viderunt maiestatem eius, & duos viros qui stabant cum illo.* Christus cœpit orare, & discipuli somno correpti dormierunt, atque eis dormientibus transfiguratus est Dominus, & venerunt Moyses & Helias: tumque expergefacti Apostoli, & sono verborum Moysi & Heliæ fortasse excitati euigilauerunt, & viderunt Christum cum Moyse, & Helia in gloria: & Petrus tunc præ gaudio locutus est. Ita secuta est nubes ex parte superiori versus terram descendens, eosq; tanquam vestis operiens: & in nube formata est vox: qua territi, ceciderūt in facies suas: eisque non videntibus, recessit nubes, & fulgor Christi, & euanuerunt Moyses, & Helias. Hic est syncerus, & simplex historiæ transfigurationis ordo, quem præcipuè nobis verba Lucæ indicant. Dormiunt hi tres primarij Apostoli, sicut in horto capiendus à ministris, dum oraret Christus dormiebant. Hæc illorum erat infirmitas; & tamen ab ipso non abijciuntur, sed tolerantur. Si autem ante somnum vidissent Dominum in gloria, nō dormiuissent: quia maior delectatio impedire solet minorem. Dormiebant Apostoli, tum ex labore conscensi montis, tùm ex prolixitate orationis Christi, tùm ex somno à Domino immisso, ne viderent initium fulgoris Christi, vel aduentus Moysis, & Heliæ, vel recessum eorum, ne fortè vidētes initium, putarent omnia phantastica. At è somno expergefacti, & illa videntes putarent Deū illa esse operatum: quemadmodum immisit soporem in Adam, & in castris Saulis. Nec talis somnus erat propriè stupor ex visione factus: quia dicitur quòd erāt grauati somno, & quòd euigilauerunt. Et si esset stupor ex claritate, non esset iocunda visio, sed ingrata, & ab ea fugerēt, quemadmodū

Luc 9. Quare Apostoli exper[ge]facti fuerint in transfiguratione. Christi patientia. Matth. 26. Cur dormie[rint] Apostoli in transfiguratione. Gen 2. 1. Reg 26. Hic somnus qualis fuerit. Luc. 9.

Exod. 34. Moysem lucidum, & splendentem, cùm descendit de monte, fugiebant filij Israel. Lux etiam quæ supra naturam est, non lædit, neque stuporem efficit, sed lætitiam, & suauitatem: alioquin testes idonei transfigurationis non essent. Noluit etiam vt viderent initium, & finem transfigurationis; ne videntes, subitò fulgorem rem phantasticam putarent, vt initium & finem excellentiorem existimantes, rem magis venerarentur: nam simplices melius est quædam ignorare; & ne de se præsumerent, putantes se tenere rem, & modum rei, sc. quomodò inducta est claritas. Non viderunt etiam Heliam, & Moysen venientes, vel recedentes: quia aduentus & recessus illorum fuit simul cum accessu, & recessu fulgoris; & ne videntes venire per aera, vel subitò stare, putarent phantasmata: vt quando viderunt Dominum super mare ambulantem, & quando viderunt eum intrantem post resurrectionem ianuis clausis. Ne scirent etiam Apostoli, vnde Moyses & Helias venirent, aut quò recederent; recessus Moyses, & Heliæ simul fuit cum Patre incipiente loqui, & cum aduentu nubis, & auditu vocis. Sed recesserunt quando cœpit loqui, vt ait Lucas: *Et factum est, cùm discederent ab illo, ait Petrus ad Iesum, Præceptor, bonum est nos hic esse*. Licet intenti ad Christum, non viderũt illorum recessum, donec oculos leuarunt, & neminem viderunt, vt inquit Matthæus, nisi solùm Iesum: propterea dicebat: *Faciamus hic tria tabernacula*.

Proprium lucis supernaturalis quid.

Initium, & finem transfigurationis quare Apostoli non viderint.

Cur Apostoli Mosen & Heliam venientes, vel recedentes in transfiguratione nō viderint.

Matt. 14. Ioan. 20.

Luc. 9. Quādo Petrus dixerit: Bonum est nos hic esse.

Matt. 17.

Et factum est; cùm descederent ab illo, ait Petrus ad Iesum, Præceptor, bonum est nos hic esse: faciamus tria tabernacula, vnum tibi, & vnum Moysi, & vnum Heliæ. Ita habet Lucas; vt ex illis colligas, quòd paulò antè diximus, Petrum locutum in discessu Moysi, & Heliæ. Quod ergo ait Matthæus: *Respondens autem Petrus, dixit*, &c. vel latè sumitur verbum Respondens, pro eo quod est, Loquens, sicut plerumque capitur in Euangelio, vt cùm Marcus inquit: *Et respondēs ficulneæ*, id est, loquēs. Fortassis autem audiens Moysen & Heliam loquentes de morte Domini, quasi parum gratam cantilenam audiret, respondit: *Bonum est nos hic esse*: quemadmodum aliàs audita morte Christi, volens illam impedire, dixit: *Absit à te Domine: non erit tibi hoc*.

Luc. 9.

Hebraismus in verbo Respondendi.

Marc. 11.

Mat. 16.

Petrus autem solus locutus est; quia feruentior cæteris, & alios, & siue id desiderantes, siue non desiderantes, suo responso præuenit. Non autem ex conuentione quia territi conuenire nō potuissent. Dixit ergo: *Bonum est nos hic esse*, ex gustu mirabili quem sentiebat, & putans inchoari regnum prædictum, & vt passionem & mortem Christi declinaret: quasi dicat; *Bonum est nos hic esse*: Moyses virga sua tot signa stupenda coram Pharaone operatus est: Helias bis quinquaginta milites cum eorum ducibus, igne de cælo impetrato, interfecit: proinde bonum est nos hic esse, quia tuti & securi erimus. Heliam pauerunt corui: Moyses obtinuit manna de cælo per quadraginta annos, impetrauitq; coturnices, eduxit aquas de petra: nihil ergo ad vitam honestè sustinendã hic deerit, bonũ ergo nos hic esse. In mortem Mosis conspirarunt Ægyptij, & Hebręi lapidibus eum petere voluerunt, & tamen euasit. Heliam tentauit interficere Iezabel, & tamen nō præualuit: ita ergo etsi tu quæsitus es ad mortem, & nos tecum in Ierusalem, hic tamen tuti erimus: & ex his verbis colligimus, Petrum veritum esse, ne ipso discessu intercideret beatum illud, & suaue spectaculum.

Cur Petrus solus locutus sit.

Quare dictum sit a B. Petro: Bonũ est nos hic esse.

Exod. 7. & seq.

4. Reg. 1.

3. Reg. 17. Exod. 16. Ibidem. Inf. 17. Num. 11. Exod. 2. Num. 14.

3. Reg. 19.

Perpende etiam discrimen glorię Euangelicæ, & gloriæ Veteris Testamenti. Nam populus ille gloriam Dei Legem ferentis, vel vocem eius ferre non valuit, & dixit: *Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur*: imò nec gloriam vultus Mosaici ferre poterat nisi velamine posito. Populus verò Christi nō solùm gloriã visam non horret, vt eius perpetui cupiant esse sectatores: in Euangelio si quidem Deus se magis amandum, quàm timendum exhibet; in Lege verò illa timoris, omnia erant terribilia magis, quàm amanda. ¶ *Et faciamus tria tabernacula*. Fuerunt in illo mōte tria extructa monasteria, extantque hodie eorum ruinæ, vt ferunt, in signum horum trium tabernaculorum, quę petebat Petrus fieri: sed vt Marcus & Lucas addunt, nesciebat quid diceret. Et Marcus addit causam: *Erant enim*, inquit, *timore exterriti*. In primis igitur nesciebat quid diceret: quia si diuinitùs debebant fieri tabernacula, poterat sine domo protegere: & in tali gloria non egebant domo, quemadmodum nec in paradiso terrestri aliquæ domus fuerunt. Quòd si illa eguissent, cibis quoq; indiguissent, qui magis ad vitam sunt necessarij: de quibus si Deus prospiceret; ergo non indigerent domo. Quod si ipsi extructuri essent tabernacula, vt verba sonant (dixerunt enim: *Faciamus hic tria tabernacula*) ipsi laborarent, & tempore egerent, & expensis: & non poterat latere hoc bonum, quod Petrus occultum esse volebat, & etiam interrumperetur sæpè propter labores corporis. Non enim petijt à Christo; Domine, fac hic tria tabernacula, sed putabat quòd ipse cum socijs suis esset fabricaturus. Vnde Ambrosius in Lucam ait: *Petrus non laudasse contentus, non solùm*

Euangelij gloria ab illa Veteris Legis quantum differt.

Exod. 20. Infr. 34.

In monte vbi Christus trãsfiguratus est, tria monasteria olim extructa cur fuerint.

Marc. 9. Luc. 9.

Quare dictum sit, quod Petrus nesciebat quid diceret.

Ambr. li. 7. in Lucam. c. 2. 10. 5.

affectu, sed etiam factorum deuotione præstantior, ad ædificanda tabernacula tria impiger operarius communis obsequij ministerium pollicetur. Hæc ille.

Si pro Petri voluntate tabernacula tria facta essent, qualia absurda sequerentur.

Ad quod tamen multa absurda sequerentur: quia, vt dictum est, interrumperetur illa visio per labores corporeos, & multorum dierum esset occupatio, si ædificandum esset, & fieret res manifesta: & multi confluerent ad montem, vt viderent quid ibi fieret. Sed vt dici solet, Dato vno incõuenienti, plura sequuntur: ita imprudens Petri responsum multa absurda subsecuta sunt, sicut in hoc, quòd volebat fieri tria tabernacula, Christo vnum, Moysi alterum, & Heliæ tertium; cùm vnum tabernaculum pro omnibus sufficeret.

Cur fieri tantùm tria Petrus tabernacula postulauerit.

Quòd verò tria tantùm assignauit; cogitabat se cum alijs duobus Apostolis ad tabernaculum Christi pertinere, quia semper cum eo manere soliti erant: sed inconsideratè loquebatur, quia vna opera priuabat Moysen & Heliam illius visionis suauitate, & Christum eorum honorificentia.

Moysi & Heliæ duo tabernacula cur Petrus assignauerit.

Moysi verò & Heliæ duo tabernacula assignauit: quia Helias, & Moyses nunquàm duxerunt vitam familiarem, cùm non fuerint sub eodem tempore, & longè antè fuerit Moyses, quàm Helias; cùm tamen idem tabernaculum sit pro his, qui vitam familiarem habent. Deinde Moyses & Helias non erant sibi inuicem subiecti; ideò cuilibet vnum tabernaculum assignauit; ne videretur vnus alteri subiectus.

Quare Petrus rursus nesciebat quid diceret.

Nesciebat ergo quid diceret, quia nesciebat finem visionis fuisse, vt ex ore Moysis & Heliæ audirent instare tempus mortis Christi. Errabat, quia æquabat dominum seruis, assignando illis perinde atque Christo vnum tabernaculum.

Eius similes qui videri queant.

Ita plerique faciunt, qui alicui Sancto nimium afficiuntur, quem cum Christo conferre, & exęquare contendunt. Sed in omnibus debet esse sal; & sapere ad sobrietatem, Apostolicum est. *Rom. 12.* Hæretici contra in aliud extremum impungunt, omnem cultum & venerationem Sanctis adimentes.

Tertius Petri error.

Errabat etiam, cùm hominibus in excelsiorem gloriam receptis caduca tabernacula construere vellet. Et Christus tabernaculis manufactis non indiget; sicut nec anima Moysis.

In quibus prætereà Petrus errauerit, tria petens fieri tabernacula.

Adhæc cùm regnum illud Christi viginti, aut triginta passuum angustijs esset inclusum; errabat, putando Christum egere auxilio Moysi, vel Heliæ, qui dominus est omnium Prophetarum. Errabat, diuidendo tabernacula Moysis & Heliæ à Christo: nam Lex & Prophetæ vnum sunt cum Christo, & sibi mirificè consonant: non plura tabernacula, sed vnum, de quo Ioan. in Apoc. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus: & habitabit cum eis, &c.* non plures Ecclesię: *Vna est columba mea: perfecta mea, vna fides, & vnũ baptisma: vnũ ouile, & vnus Pastor.* Errabat; quia gloria non est in terra, & sine morte non possidetur. Postremò errabat, hanc ratione impedire volens passionem Domini. O Petre, nescis quid dicas: oportet Christum pergere in alium montem, Caluarię scilicet, & ibi transfigurari, & reputari vt leprosum, vbi non erit facies lucida, & splendens, sed plena sputis, & sanguine; de qua Propheta. *Non est species ei, neque decor.* Vestes non erunt albæ quas habebit, & super quas milites mittent sortes. Non erit in medio Moysis & Heliæ, sed in medio duorum latronum. Non aderis illi, quem tu, ô Petre, negabis: & à quo Iacobus, aut Ioannes in principio fugient. Non erit vox Patris, qui derelinquet, secundùm illud: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me.* Non erit nubes lucida, sed tenebræ super vniuersam terram. Ibi ex ferro, & ligno Crucis fabricandum est solidius tabernaculum, quo salutem omnes consequantur.

Apoc. 21. *Cant. 6.* *Ephes. 4.* *Ioan. 10.* *Esa. 53.* *Ibidem.* *Ioan. 19.* *Psal. 21.* *Matt. 26.* *Ibidem.* *Inf. 27.* *Psal. 21.* *Matth. 27.*

Qui dicunt cum Petro, Domine, bonum est nos hic esse, verè importunè, & imprudenter nimis.

Vt ergo Petrus nesciens quid diceret, ausus est asserere: *Bonum est nos hic esse*; ita qui immoderato huius seculi affectu capiuntur, & vitę dulcedine deliniuntur, cùm dicunt, *Bonum est nos hic esse*, nesciunt quid dicant. In quos ait Bernardus ser. de Ascensione Domini: *Quomodò ergo iam bonum est nos hic esse? Imò verò molestum est, graue est, periculosum est. Nimirum vbi malitia plurimum, sapientia modicum, si tamen vel modicum inuenitur; vbi viscosa omnia, omnia lubrica, operta tenebris, obsessa laqueis peccatorum: vbi periclitantur animæ: vbi spiritus affliguntur sub Sole, vbi tantùm vanitas & afflictio spiritus est.* Hæc ille.

Bern. serm. 6 de Ascens. Domini. Quàm malum sit nos hic esse, teste Bern. *Ecclesi. 1.*

In cœlo esse, quàm sit bonum.

Aspiremus igitur ad solidas illas & æternas cœli mãsiones, in quibus est omnis securitas, malitia nulla, sapientia maxima, omnia lucida, omnia amœna, & suauia: vbi nil corruptibile, nihil momentaneum, sed firma omnia, integra omnia, æterna omnia delectantia spiritum, inebriantia affectum: Christus est omnia in omnibus: cui cum Patre & Spiritu S. benedictio sit, & claritas & sapientia, & gratiarum actio, honor, & fortitudo, in secula seculorum, Amen. *1. Cor. 15.*

* * *

TRA-

TRACTATVS XXXV.

In quo adhuc agitur de signo & mysterio Transfigurationis.

QVONIAM hoc mysterium multa habet recondita, quæ seria meditatione indigere videbantur, consultum putauimus, vt illa omnia non vno tractatu, qui valde prolixius esset, sed pluribus absolueremus. In primis Dominus homines ad confirmationem suæ transfigurationis sapienter adduxit, non Angelos: quia etsi Angeli gloriam spiritualem possideant, quia tamen illa ostendi viatoribus non poterat, sed tantùm illa corporis; ideò non opus fuit Angelis, sed hominibus testibus, nam Angeli non conuersantur cum hominibus, sed homines, qui hanc transfigurationis veritatem prædicarunt. Vt autem Petro conuenienter testarentur transfigurationem, & per eum alijs Iudæis, maiores autoritate erant apud eos Moses & Helias, quàm Angeli: quia Iudæi maiorem fidem præstabant Scripturis.

[Quare Christus homines potiùs quam Angelos habere voluerit trãsfigurationis suæ testes.]

[Moysi & Heliæ quantum crederent Iudæi.]

[Matth. 17. Petro dicenti: Faciamus hic tria tabernacula, &c. cur Dominus responsum non dederit.]

Sequitur in textu: *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida.* Christus non respondit Petro, quia imprudenter locutus est, & quæstionem inutilem conueniebat silentio dissolui: factoque non manendi satis ei respondit. Hieronymus: *Quia imprudenter interrogauerat; propterea responsionem Domini non meretur; sed Pater respondet pro Filio.* Hæc ille: Nec fuit exaudire, dare nubem; quia non fuit facere tria tabernacula.

[B. Hieron. in Matth. lib. 3. tom. 9.]

Nubem opponere solet Deus suæ præsentiæ; vt nos humiles reddat, nec temerè in arcana Dei irrumpamus, ne nimium, sed ad sobrietatem sapiamus; vt tollat superbiam, & curiositatem. Lucem enim habitat Deus inaccessam. Et ita consueuerat Deus præsentiam suam ostendere populo suo sub Mose, & Aaron: nam sub nube in tabernaculo apparebat: & Dauid inquit: *Qui ponis nubem ascensum tuũ*, siue, vt Hebræa veritas habet, currum suum. Et iterum: *Nubes, & caligo in circuitu eius:* & Dominus in nube susceptus ad cælos ascendit: & rursus in nube rediturus est, vt Euangelium testatur: & in Apocal. in nube apparet: &, *Nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera:* vt Paulus testatur. Nubes non erat naturalis, quia non tam lucida à natura efficitur, nec terræ iuncta inuenitur, nec tam citò solueretur: ideò miraculo facta est, & descendit è loco aliarum nubium. Et quia ad operiẽdum Christum, & discipulos fama erat; dicendum est, quod esset concaua & in modum domunculæ, vt intus eos reciperet. Nubes autem deserti, columnę formã habebat, vt ob longitudinem videri posset à tanti populo: ob strictam crassitiem ostenderet viam.

[Nubem cur Deus opponere soleat præsentiæ suæ. Rom. 12. 1. Tim. 6. Exod. 33. Num. 12. Psal. 103. Psal. 96. Act. 1. Matth. 25. Apoc. 1. 1. Thes. 4. Hæc nubes qualis esset. Exod. 13.]

Fuit autem hæc nubes, vt aliquo modo concederetur Petro quod petebat, ac doceret quòd gloria erit tabernaculum in cælo; & ne viderent cessationem fulgoris Christi, nec loquentem, nec illa instrumenta, quæ vocem formabant. Ideò semper in veteri Testamento de nube, vel caligine loquebatur Dominus. Denique vt innueretur, Christum æqualem Patri, qui de nnbe olim loquebatur. Fuit autem lucida; quia omnia in gloria sunt lucida; & quia non erat ad terrorem incutiendum: Tenebræ enim quia occultant omnia, & in illis creditur malum, terrorem incutiunt. Ideò etiam in Veteri Testamento, quando Dominus volebat terrere, nube obscura vtebatur, sicut fecit cum Ægyptijs insequentibus Israel, & cum tulit Legem in monte Sinai, ac de medio ignis & fumi loquebatur, vt habes in Deuteronomio. Et iste fumus, & caligo spissa, dicitur nubes densissima: aliàs vtebatur Dominus nube lucida, vt columna. Vt autem esset lucida, opus erat vt esset densa, sicut stellæ, quo densiores, eo magis lucent. Et sic quia densa erat, etsi lucida, organa vocis occultaret: sicut columna ducens filios Israel lucida erat; & tamen Deus de ea loquebatur. Quanquàm ergo lux esset in concaua, & conuexa superficie nubis: quæ tamen in profunditate essent opaca, non viderentur: & fortè concaua superficies non erat lucida.

[Cur nubes apparuit in Christi transfiguratione. Exod. 33. Num. 12. Exod. 20. Deut. 4. & 5. Hæc nubes quare fuerit lucida. Tenebræ vnde terrere non soleant. Exod. 14. Infra 19. Deut. 4 5. Exod. 19. Sap. 13. Vt nubes esset lucida quid opus fuerit. Inf. 40. Exod. 13. Num. 12.]

Obumbrauit eos. Quidam dicunt ad mitigandum illum transfigurati Christi splendorem, quem ferre non poterant, quemadmodum Virgini dictum est: *Virtus altissimi obumbrauit tibi*; & ad declarandam beneficentiam Dei, quã Dominus ipsos contemplari volebat. Nam obumbratio Dei symbolum est Diuinæ protectionis, & acceptationis, vt Dauid ait: *Scapulis suis* (siue alis) *obumbrabit tibi*: & ob alias rationes superiùs productas, nostro quidem iudicio solidiores. Nam splendor ille Christi non lædebat, nec offuscabat oculos discipulorum, sed perficiebat potiùs, & oblectabat.

[Hæc nubes cur Apostolos obumbrarit, secundum aliquos. Luc. 1. Obumbratio Dei quid designet. Psal. 99.]

¶ *Et ecce vox de nube.* Et tamen nec corpus, nec facies vlla visa est; ne putent Deum corporeum, & sub aspectum cadere, vt in Deuteronomio dicitur. E nube vox formata est; vt credatur à Deo venire. Et ne sit mutum spectaculum; additur Dei verbum: vt Christo baptizato aperitur cælum, descendit

[Deut. 4. Vox è nube cur facta sit.]

Matth. 3.
Ioan. 1.

ſcendit Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ: & vox de nube docet quid deſignet ſpectaculum. Idem etiam in Sacramento eſt obſeruandum: nam ſemper elemento adijcitur verbum Dei. Et hic conſiderandum, Deum hunc morem ſeruaſſe, vt de occulto ſemper loqueretur: vnde in Propitiatorio ſpatium erat, in quo organa vocis denſa erant, velatum tamen alis Cherubim, vt in Exodo dicitur:& nube, & fumo Sacerdotis, vt in Leuitico. Extra tabernaculum etiam de nube loquebatur, vt Exodus, & liber Numerorum tradit; ne, ſi aliqua effigies videretur, Deus talis exiſtimaretur, ac figuraretur, & adoraretur, vt dicitur in Deuteronomio; & vt Deus quanto occultior, tanto eſſet in maiori veneratione.

Quare Deus olim ſemper de occulto loqueretur.

Exod. 25.
Leuit. 16.
Exod. 33.
Num. 12.
Deut. 4.

Quod verò dicitur in Exodo, quod viderunt Deum Iſrael, & ſub pedibus eius quaſi opus lapidis Sapphirini, & quaſi cælum cùm ſerenum eſt. Dicendum, quòd Deus nunquàm ſe oſtendit Iudæis videndum. Dixit enim Moſi petenti videre faciem eius: *Non videbit me homo, & viuet*: & Chriſtus apud Ioannem: *Qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me: neq; vocem eius vnquam audiſtis, neq; ſpeciem eius vidiſtis.* Sed dicitur, viſum fuiſſe, ab Iſraelitis; quia oſtendit aliquid quod repręſentabat ipſum, nempe aliquam nubem lucidam, & glorioſam, quæ ſolet vocari gloria Domini, de qua in libro Numerorum fit mentio. Quæ nihil aliud fuit, quàm ſpecialis fulgor apparens in nube, qui prius non ſolebat videri:& bis apparuit, quando volebant occidere Moyſen, & Aaron. Et ita dicitur quòd viderunt Deum Iſrael, id eſt, nubem glorioſam.

Exod. 24.
Infr. 33.
Ioan. 5.
Deut. 4.
Quo ſenſu dicatur olim Deus viſus ab Iſraelitis fuiſſe.
Num. 14.
Infr. 16.
Ibidem.
Exod. 24.

Illud verò: *Sub pedibus eius quaſi opus lapidis*, &cæt. non ſignificat, effigiem aliquam humanam Deum repræſentantem ibi adfuiſſe, quia nulla talis fuit; ſed quod dicitur ſub pedibus, referendum eſt ad nubem illam glorioſam, cuius pars ſuperior erat veluti caput, & inferior, veluti pedes. Quia ſi interiùs deliteſceret homo; in ſuperiori parte haberet caput, & in inferiori pedes. Et hanc partem inferiorem nubis, quæ veluti pedes eius erant, viderunt filij Iſrael.

Explicatur illud: Et ſub pedibus eius (ſc. Dei) quaſi opus lapidis Sapphirini, & reliq.

Iam quæritur à quo fuerit illa vox formata. Et dicendum; Angelos quando parua annuntiant negotia, quæ conuenienter fiunt per miniſtros, in perſona ſua apparere conſueuiſſe, & loqui, vt ſcribitur de Angelo, qui apparuit Agar, & de tribus Angelis qui venerunt ad Abraham; & de duobus etiam Angelis qui venerunt Sodomam, conſtare poteſt. Quando verò Angeli magna annuntiant, loquuntur loco Dei, eiuſque perſonam induunt, ſicut in liberatione de Ægypto, cùm dixit: *Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob.* Et in lege ferenda, cum dixit: *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de Terra AEgypti.* Magna autem erant beneficia, liberare populum de Ægypto, & tradere illi Legem. Et tunc Angelus ob periculum idololatriæ aſpectabilem ſe nequaquam præbebat. Si enim Angeli tunc apparerent ex parte Dei, populus rudis videns Deum, nihil magnum vnquam, nihil præclarum de eo ſentiret. Et ideò opus fuit, vt ipſe terribilia aliqua facere diceretur: vt contigit in apparitione rubi, qui ardebat, & non comburebatur, & in tonitruis, & coruſcationibus, & fumo montis, quæ fuerunt in traditione Legis. Deinde tota gratiarum actio populi in Angelos, per quos operabatur, retunderetur: putarent enim nimis Angelis obſtringi, quòd per eos talia beneficia acciperent: cum tamen Deus ſit Zelotes, neminem in cõſortium ſuæ diuinitatis adſciſcens, & qui dicebat: *Videte quòd ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me: ego occidam, & ego viuere faciam.* Id eſt, Ego ſum, qui ſolus mirabilia magna facio, & mihi debetur omnis gratiarum actio. Tertiò, ne eſſet occaſio errandi circa Angelos: nam ſi hæc magnalia dicerentur Angeli feciſſe, & dixiſſe, quæ Scriptura refert, cum Hebræi nulla maiora facta vidiſſent, neſcirent diſtinguere inter poteſtatem Dei & Angelorum, & Deum putarent paulò maiorem Angelis. Poſtremò hoc faciebat vt Deus alliceret ſibi populum ad ſe colendum: quod colloquio, quo eos dignabatur, efficiebat, & dicebant: *Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes ſibi, ſicut Dominus Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris.*

A quo fuerit formata hæc vox: Hic eſt Filius meus, &c.
Gen. 16.
Infr. 18.
Inf. 19
Exod. 3.
Inf. 20.
Magna Dei beneficia ... in populum Iudæorum collata.
Cur Angelus loco Dei loquens minime videbatur
Sup. 3.
Inf. 10.
II. ratio.
Infra 20.
Dei propria ...
Deut. 32.
Pſal. 71.
Pſal. 85.
Pſal. 135.
III. Ratio
IV. Ratio
Deut. 4.

Hæc autem vox dicitur Patris; quia in eius perſona formata eſt. Sed non ab eo: quia vt dixit Dominus Iudæis, *Neque vocem eius vnquam audiſtis, neque ſpeciem eius vidiſtis.* Adhæc ſi loqueretur Pater, etiam Filius & Spiritus ſanctus loquerentur, quia vnica eſt tantùm trium locutio, cùm opera Trinitatis extra ipſam ſint indiuiſa. Adhæc cum locutio ſucceſſionem habeat, Deo per ſe conuenire non poteſt. Dicitur autem vox Patris, ſicut in epiſtola Petri ſecunda ſcribitur: *Accipiens enim*, inquit, *à Deo Patre honorem & gloriam, voce delapſa ad eum huiuſcemodi à magnifica gloria, Hic eſt Filius meus dilectus.* Et propterea non poterat eſſe

Hæc vox ... Patris dicatur.
Ioan. 5.
2. Pet. 1.

esse vera hęc vox, si ab alio diceretur quàm à Deo Patre, tanquam ex nomine proprio: secus si quis loco Dei Patris, vt nũtius eius illa verba diceret, falsa nõ essent: sicut procurator, cùm assumit personam domini, & loquitur loco eius. Ita Angelus fecit, & hic & in baptismo, quia in persona Dei locutus est.

Matth. 3.

Quid fuerit in causa Angelus vt tanquã Dei nuntius non diceret: Hæc dicit Deus Pater, quod hic est Filius meus.

Sed cur Angelus non dixit quasi nuntius Dei. Hæc dicit Deus Pater quod hic est Filius eius? Respõdeo inprimis id factum, quia tanta fides adhiberetur verbis eius, quanta erat autoritas Angeli: & quia autoritas Angelorum non erat maxima, cùm magis credatur Scripturis, quàm Angelis; & magis ea quæ prædicata sunt ab Ecclesia, quàm ea quæ prædicata sunt ab Angelis, sint accipienda, vt docet Apostolus. Ideò non debuit Angelus in persona propria loqui, sed in persona Dei Patris.

Galat. 1.

Qualia fuerint Angelorum de Christi Resurrect. & Ascensione testimonia.

Luc. 24.
Act. 1.

Quòd si obijcias, de Resurrectione testatos fuisse duos Angelos in albis, qui dixerunt mulieribus surrexisse Christum: & in Ascensione duos Angelos astitisse discipulis, dicentes: *Viri Galilei*, &c. Dicendum est, ibi quidem fuisse conueniens testimonium Angelorum, non autem hic: tùm propter rei magnitudinem, de qua testimonium reddebatur: nam Resurrectio, & Ascensio, & Aduentus ad iudicium, res sunt sensibiles, de quarum veritate sensus iudicare potest, saltem quando res ipsæ fiunt. At quòd Christus sit Flius Dei, res est altissima, quæ sub sensum non cadit, imò & intellectus Angelorum illud plenè non intelligunt, sed solus Deus Pater, qui illud comprehendit, & qui solus genuit, potest firmum testimonium perhibere. Tum deinde, quia in Resurrectione & Ascensione accipitur testimonium Angelorũ non tanquam præcipuum: nam post illorum testimonium fuit maius & firmius à Christo exhibitum, qui se videndum mulieribus & discipulis præbuit. Deinde in Ascensione discipuli viderunt Christum ascendentem, ad quod non opus erat Angeli testimonio: neque ad credendum quòd esset venturus ad iudicium, quia iam Dominus hoc de se testatus fuerat. Planum etiam erat quòd posset descendere quando vellet: quia difficiliùs est ascendere, quàm descendere. At hoc testimonium, quod ex voce habitum est post testimonium Moysis & Heliæ, vltimum erat, & magis præcipuum: & ideò non debuit esse testimonium Angelicum, sicut fuit in Resurrectione, & Ascensione. Deinde non debuit esse vox Angeli, qui tanquam Angelus loqueretur: quia tunc non occultaretur in nube, sed appareret in corpore assumpto. Est enim regula certa: Quandocunque Angelus loquitur in persona Dei, latet in nube, & non videtur effigies loquentis: quando autem loquitur tanquam nuntius Dei, in propria persona apparet; & corpore assumpto, vt ex Genesi, & libro Iudicum constat. Et ita in Nouo Testamento: nam Angelus apparuit Virgini, quando locutus est ei, & sæpè dicuntur venisse in vestibus albis. Vbi autem loquitur in persona Dei, non apparet, sed potius vel de igne loquitur, vel de nube, vel de fumo, & caligine.

Dei Patris de Filio testimoniũ quale sit.

Matth. vlt. & seq.

Matth. 25.

Cur interdum Angeli loquẽtes in persona Dei, in nube lateant, quãdo autem tanquam nuntij Dei, in propria persona tantum appareant.

Gen. 16.
Infra. 18.
Infra 19.
Iudic. 2.
Infra 6.
Infra 14.
Luc. 1.
Infra 24.
Ioan. 20.
Act. 1.
Exod. 3.
Infra 33.
Num. 12.
Exod. 19. & 20.

Ad quid vtilis fuerit hęc vox facta de nube.

Vox autem fuit, vt doceretur Christus Filius Dei, & audiendus ab omnibus, & vt audiret eum Petrus, non se ipsum, & quia solus Pater comprehendit Filium, & solus de eo conuenienter testari potest. Quòd esset Deus, constabat id ex modo loquendi Deo consueto, & familiari, id est, quia loquebatur de nube: & ex terrore, quem cum voce emisit, quia Apostoli ceciderunt in facies suas præ timore, quia ostendit gloriam, siue nubem gloriosam, in qua loquebatur, de qua ait Petrus: *Accipiens à Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapsa ad eum huiusmodi à magnifica gloria:* nubem lucidam & gloriosam vocans magnificam gloriam.

2. Pet. 1.

Moses & Helias quid de Christo testati fuerint.

Et Moyses quidem & Helias testati sunt de his, quæ complenda erant per eum hominem in Ierusalem, quæ scripta erant in Lege, & Prophetis, id est, de morte, & Resurrectione. Paterna autem vox de his non est testata, sed de Filio in natura ipsa Diuinitatis, dicens, *Hic est Filius meus dilectus.* Adhæc Moyses & Helias nutibus & signis testabantur Iesum Dominum suum: vnde Petrus Dominum eum vocauit, & ad eum direxit sermonem, & primum ei tabernaculum assignauit. Et si Iesum Dominum Legis, & Prophetarum (quæ ob Messiam sunt) testificabantur, ergò Messiam etiam testabantur. Vox autem, non Dominum, sed Filium testata est. Pater autem ostendens Filium, docuit eum verè, & non phantasticè alios posse glorificare; & quia Deus & Prophetæ non attestantur mendacio. Vnde Leontius Episcopus scribit: *Visi sunt Moyses & Helias in gloria, vt ostendat multos Sanctos sic spectandos in multa gloria.*

Deus & Prophetæ non attestantur mẽdacio.

Leontius Episcopus.

Quare visi sint Moyses & Helias in gloria.

Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite. Subest pulchra in his verbis comparatio Moysi & Heliç cum Christo. Iubetque Deus discipulos vnico Filio esse contentos, quasi dicat: Nolite dolere de discessu Moysis & Heliæ: omnia habetis in Magistro vestro Christo, &

Hæc vox Dei Patris: hic est Filius meus dilectus, &c. quam pulchrã & elegantem Christi cum Moyse & Helia cõparationem cõtineat.

ſto,& vnico Filio meo, in quo ſolo beneplacitum eſt meæ voluntatis,id eſt,redemptio mũdi eſt poſita,& ipſe alacrius & plenius tradet omnia, quàm Lex & Prophetæ,qui in præſentia Chriſti euaneſcent, & ceſſabunt,ſi modò adſit fides audiens.

Matth.16.

Repetit Pater quod Petrus confeſſus erat; *Tu es Chriſtus Filius Dei viui*;vt addat verbum,*In quo mihi complacui.* Et,*ipſum audite*,vt oſtendat,eum poſſe homines beare; & clarius, quàm per reuelationem Petri,quæ obſcura fuit,ſi cum hac reuelatione conferatur, Filius Dei eſſe perciperetur.

Cur eadẽ vox Patris audita in Chriſti baptiſmo.
Supra 3.
Gen.41.

Idque quia arduum, bis reuelatum eſt,hic,& in baptiſmo, in ſignum firmitatis, vt Ioſeph dixit de inſomnijs. Et quia Petrus non capiebat, quæ ex illa reuelatione ſequebantur: ideò reprehendebat Dominum, de morte ſua inſtanti loquentem.

Matth.16.

Abſit, inquit, *à te, Domine:non erit tit tibi hoc.* Ideò enim repetebat ſigna, & verba ob nouos auditores. Deus autem repetit vocem in baptiſmo editam,vt confirmet illam, quia fortè eius obliti erant, & vt addat, *Ipſum audite*: & quia diſcipuli non adfuerunt baptiſmo Chriſti.

Iob 33.
Eius dicti Iob: Semel loquitur Deus & ſecundò id ipſũ non repetit, qui ſenſus ſit.

Quod verò dicitur à Iob: *Semel loquitur Deus, & ſecundò id ipſum non repetit*: ſenſus eſt: Semel reſpondet eidem de eodem negotio. Quia ſi ei ſemel loquenti non crederetur,minueretur eius autoritas: ſecus autem de locutione etiam de eadem re, ſed diuerſis perſonis, ſicut initio creationis,& poſt diluuium dixit:

Gen.1.& 9.

Creſcite,& multiplicamini,& replete terram. Quia enim Iob conquerebatur quòd non reſponderet ad obiecta,idcircò dixit: Aduerſus eos contendis,quòd non ad omnia verba reſponderit tibi? *Semel loquitur Deus*,&c.

In baptiſmo Chriſti quare dictum ſit:Hic eſt Filius meus dilectus&c.

Hic autem non erat non reſpondere, quia nemo quærebat ab eo, ideò repetere poterat verbum. In baptiſmo fuit neceſſaria vox, vt actiones Chriſti, quæ incipiebant, haberentur in autoritate,& honore, vt Ioannes eum cognoſceret: hic verò,vt cognoſceretur poſſe beare. In baptiſmo efficimur filij Deo ſimiles,ſed imperfecti; at in gloria in transfiguratione adumbrata, tunc perfectè ſimiles ei erimus.

1.Ioan.3.

In baptiſmo, credimus; in gloria verò credita videmus. Teſtante autem Patre, tota Trinitas teſtatur: quia quod ſcit vna perſona,ſciunt & aliæ.

Matth.3.
Ibi vt fuerit Trinitatis oſtenſio.

Quia verò in baptiſmo venit Spiritus ſanctus ad teſtificandum de Chriſto, ideò ibi fuit Trinitatis oſtenſio. Hic autem quia tantùm oſtenditur Chriſtus Filius Dei, nihilque de Spiritu ſancto dicitur, non cogimur aſſerere Spiritum ſanctum in nube apparuiſſe: quanquam Patres nonnulli nubem lucidam Spiritui ſancto eleganter accommodent.

Nubes lucida quid myſtice.

Filius, inquit, *meus dilectus.* Nam maior dilectionis gradus excogitari non potuit, quàm dare ei eſſe hypoſtaticum Verbi.

Chriſtus Patri Filius quàm dilectus.

Et idcircò dilectus filius, propter quem alij ſerui qui adoptantur,diliguntur. Et ſi dilectus eſt, non eſt timendum, quòd ſine cauſa patiatur, vt Petrus putabat.

Matt 16.
In eo quàm ſibi bene complacuit Pater.

¶ *In quo mihi complacui.* Quia idem placitum erat Patris & Filij,& quia mihi obediens eſt, & propter cuius obedientiam mihi placituri ſunt quotquot ſeruantur.

Deut 18.
Quare dixerit, Ipſum audite, non Petrum, Moyſen vel Heliam.
Pſal.115.
Exod 4.
3.Reg 17.
4.Reg 1.

¶ *Ipſum audite.* Quod olim dictum fuit per Moyſen: *Prophetam de gente tua,& de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus:ipſum audies*, repetit. *Ipſum ergo audite*: non Petrum, quia neſcit quid loquatur. Et omnis homo ſuaptè natura eſt mendax;Chriſtus autem,prima veritas eſt,quę fallere,vel falli nequit. Non audite Moyſen balbum,& impeditæ linguæ: quia iam Lex finita eſt. Non audite Heliam qui nimio zelo claudit cælum, & ignem vrentem de cœlo deſcendere facit; ſed Chriſtum Filium audite, qui verba vitæ æternæ habet,qui cœlum verbo aperit; qui ignem Spiritus ſancti in corda veſtra deſcendere facit. *Ipſum audite*, quia ipſe pro me loquetur.

Ioan.6.
Act.2.

Audire in Scripturis duo ſignificat.

Eſt autem audire in Scripturis non tantùm verba auditu ſuſpicere, ſed etiam credere,& obedire, & opere quod mandatur præſtare. Ipſum ergò audite. Melius quàm olim Moyſes:

Exod 19.

Iam nunc, inquit, *veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te,& credat tibi in perpetuum.* In quibus innuitur Meſſias, tum etiam Lex & Prophetia abolenda.

Cur hic, non autem in baptiſmo dictũ ſit, Ipſum audite.
Matth 3.

Hic autem,& non in baptiſmo dictum eſt,*Ipſum audite*: quia per baptiſmum gratiam conferre, hic verò tantùm gloriam oſtendere volebat. Tunc non erant diſcipuli,nec prædicauerat, vt modò. Et quia circa gloriam poterant emergere dubia, in quibus IESVS docens audiendus erat, ibi ſolùm Chriſtum filium oſtendit: hic etiam audiendum docet. Ipſum ergò audite,tum in ſe,tum in Apoſtolis, tum in Eccleſia loquentem.

Tripliciter loquitur Chriſtus.

Etſi enim CHRISTVS venit,vt Legi & Prophetis fidem aſſerat: ſi tamen occupat ſummum gradum ſplendoris, vt fulgore ſui Euangelij abſorbeat ſcintillas illas, vel ſtellulas, quæ in Veteri Teſtamento micabant.

Malach.4.
Si Chriſtus nobis audiendus quid iubemur audire Doctores.

Eſt enim Sol iuſtitiæ, cuius aduentu plenus dies illuxit. Nec his verbis minuitur autoritas Doctorum, qui quotidie mittuntur, de quibus Apoſtolus loquitur ad Epheſios: ita

Epheſ.4.

tamen

tamen, vt Christus sit vnicus Doctor, & Magister, cuius verba & doctrinā isti proponunt,& explicant. Sicut Ecclesia ordinauit pastores,qui singulas diœceses regāt: sed ita vt vnicus Christus Pastor, cuius locum & vices hi tenent.

Ioan. 10.

Quare discipuli audientes vocem hanc, ceciderint in faciem suam.

Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam,& timuerunt valde. Etsi vox potuisset esse suauior,facta tamen est sonora, & terrorem incutiens: ob quam causam cadere in faciem suam coacti sunt, imò putauerunt se morituros. Ita enim fuit, quando data est Lex Iudæis in monte Sinai: nam timuerunt nimis, & dixerunt ad Moysen: *Loquere tu nobis,& audiemus: non loquatur nobis Dominus,ne fortè moriamur.* Et rursus aiebant: *Si audierimus vltra vocem Domini Dei nostri,moriemur. Quid est omnis caro, vt audiat vocem Dei viuentis,qui de medio ignis loquitur, sicut nos audiuimus,& possit viuere?* Voluit ergò terrorem incutere,ne putarēt se comprehendisse totam Dei maiestatē, cuius ne vnam quidem vocem ferre possent. Deinde vt discipuli adhuc imperfecti & carnales per terrorem illum in officio continerentur: & ne,cadentes,finem transfigurationis viderent. Non fuit terror ob errorem Petri, quia solus cecidisset, nec ob maiestatem Christi, quia in baptismo, & Pentecoste non ceciderunt.

Exod. 20. & seq.
Deut. 5.

Dei maiestas nobis incomprehensa.

Matth. 3.
Act. 2.

Vox audita in baptismo vt hæc,quare terribilis non fuerit.

In baptismo vox fuit solùm ad ostendendum Christum: ideò terribilis non est formata. Nec sufficit ad differentiam terroris in transfiguratione, & non in baptismo solitudo loci, altitudo montis, silentium præcedens,& admiratio: quia saltem aliquis timor fuisset in baptismo. Deinde quia in Lege ferenda fuit multitudo, & silentium,& tamen territi sunt. Vel in baptismo solus Ioannes audiuit vocem, quem non conueniebat cadere in faciem, ne populus eum dæmonium habere putaret, vt ei imponebant,cùm dicebant: *Venit Ioannes neque manducans,neque bibens:& dicunt, dæmonium habet.* Vox Legis non fuit ita terribilis,vt vox Transfigurationis: quia licèt prolixior illa Legis, non tamen ceciderunt in faciem. Et initio non erat ita terribilis,sed paulatim crescebat: si enim esset ita terribilis, decalogum minimè audire potuissent, & Legem vt intolerabilem non acceptassent. Gloria autem ostendi debuit ingens & intolerabilis. Et ne viderent Transfigurationis initium, vel finem. Cùm ergò cognouissent quantum per sensum cognosci de gloria potest, venit vox ostendens, quod non poterat sensu capi. Sicut in Lege danda quando voluit Deus loqui,fuit vox tolerabilis: quando autem voluit cessare, terribilem edidit sonum, vt peterent ab eo vti vox cessaret.

Quæ ratio fuerit Ioan Baptistam nō perterrefaciendi in baptismo illis verbis: Hic est Filius meus dilectus &c.

Matth. 3.
Ioan. 1.
Matth. 11.

Quo debuerit vox Legis vox Dei in trāsfiguratione minùs esse terrifica.

Exod. 20.

Et accessit Iesus,& tetigit eos,dixit.q; eis: Surgite,& nolite timere. Voce & manu erigit, vt possimus sisti coram Deo,& audire vocem eius. Quasi diceret; Hæc vox,quam audistis,non est irati, sed placati, & beneuoli Dei. Et ostendit nihil superesse terribile, vt putabant, ob quam caussam oculos non leuabant;& vt ostenderet potentiam dantem vires, vt super pedes statim erigerentur,non tantum super genua, vt Angelus apud Danielem: & vultus Danielis hærebat terræ, vt ibidem dicitur. Et nō timens, sed Filium Dei ostendens. Et causam casus tollit,scil. timorem impedientem, ne audirent monita salutis. ¶ *Leuantes autem oculos suos,neminem viderunt, nisi solum Iesum.* Vt intelligerent Legis & Prophetarum temporalem fuisse gloriam, & solum CHRISTVM conspicuum manere. Nam finis Legis & Prophetarum est Christus, ad cuius misericordię & gratię Dei gustum euanescit omnis creaturarum respectus, & omnis Sanctorum splendor: sed vt ab illo respectus creaturarum, & virtus, ita Sanctorum gloria proficiscitur: & vt testimonium Patris esset certò de Christo, & non de alijs intelligendum. Atque oculi in cœlum eleuati, & non in mundum hunc depressi, non vident nisi salutem suam & Iesum. Tunc ergò primò viderunt Apostoli recessum factum antequàm dicerent, *Bonum est nos hic esse.* Volebant etiam Apostoli videre,si aliquod esset terribile, vel vocem formans:propterea Marcus dixit, *Circumspicientes.*

Ad quid Christus discipulos tetigit in trāsfiguratione.

Dan. 10.
Supra 9.

Ob quam causam discipuli leuantes oculos, neminem viderint, nisi solum Iesum.

Oculi soli qui videāt Iesum.

Mar. 9.

Et descendentibus illis de monte (nempe die sequenti, vt ait Lucas) *præcepit Iesus, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.* Quia res ardua erat,& annuntiatores debiles,atque infirmi, & alij Apostoli maximè dolerent, quòd non interfuissent, inter quos maximè Iudas turbaretur; vel ne impediretur passio Domini, vel ea veniente, non credidissent tam magna præcessisse;præcepit ne cui dicerent, nisi post resurrectionem creditam, in qua prædestinatus est, siue declaratus Filius Dei in virtute secundùm Spiritum sanctificationis. Et vt rebus illustrioribus & potioribus fidem inueniret, & fructum reuelatio. Et Apostoli tunc per Spiritum sanctum confirmati magis erant habiles ad annuntiandum. Non vult ergò sepulta manere sua miracula,sed tantum,cùm tempus aduenerit, vult esse manifesta. Et hæc ratio, vbi de similibus

Luc. 9.

Causæ occultandi Dominicam Transfigurationem quænam illæ.

Rom. 1.

Signa sua quādiu occultari Dominus volebat.

In eo quid docuerit nos.

prohibitionibus est sermo, accommodabitur. Docentur omnes, quicunq; habent donum cœlestium contemplationum, aut visionum, non eas facilè detegere, nec in eis gloriari, sed de monte descendere ad Crucis doctrinam, & cogitare quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Paulus per annos quatuordecim reuelationem & raptum in Paradisum, de quo in posteriori ad Corinthios, nemini patefecerat: Maria conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.

Rom. 8. 2. Cor. 12. Luc. 2.

Subiungunt autem Marcus & Lucas: *Et ipsi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quicquam ex his quæ viderant, conquirentes quid esset, quum à mortuis resurrexerit.* Quibus verbis indicatur, Apostolos plenam obedientiam Christo præstitisse. Quòd verò discipuli disputant quid sit hoc, cùm à mortuis resurrexerit, sic se habet, Boni discipuli etsi sæpiùs audiuissent Christum mortem subiturum: non potuerant tamen adduci vt crederent futurum esse: maximè cùm vidissent illius magnitudinem, & paternam vocem ex cœlo de Filio testantem audissent. Et aliàs non facilè credimus, quod illibenter audimus.

Marc. 9. Luc 9.

Quid est quod discipuli conquirerent inter se quid esset: Quum à mortuis resurrexerit Dominus.

Quid non facilè creditur de more.

Hactenus pro tenuitate explicuimus Euãgelicam literam, in qua planè de multis erudimur. Est enim hæc visio singularis, fidem, spem, & charitatem nostram, atque adeò timorem sanctum nobis ingenerans, ac fouens: traditque nostram spiritualem transfigurationem. Fidem quidem de multis quæ creduntur mysterijs, siue articulis nutrit. Nam hic ostenditur Trinitas in Filio, nube, voce: Incarnatio in Filio dilecto, doctrina eius, & prædicatio in verbo, *Ipsum audite:* Passio, siue mors in excessu, quem completurus erat in Ierusalem: Resurrectio & gloria non tantùm Christi, sed etiam nostra in ipsa transfiguratione, quæ futura est in octaua Resurrectionis. Abrogatio Legis, & Prophetarum: Nouum Testamentum in illis verbis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite.* Docet infernum, siue Limbum, vnde venit anima Moysis: Paradisum terrestrem, ex quo Helias venisse creditur, & cœlum, ex quo vox audita: & Ecclesiam militantem ex virgine Ioanne, continente Iacobo, & coniugato Petro constantem, & per consequens omnia probata legitimis testimonijs. Testimonio de cœlo vnde vox: & de inferno, siue Limbo, vnde Moyses: & de Paradiso terrestri, siue cœlo, vnde Helias. Et quod est regula credendorum Patrum, siue procerum Ecclesiæ consensus. Tunc enim impletum est verbum Prophetæ: *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham: quoniam dij fortes terræ, vehementer eleuati sunt.*

Qualia nobis, & quanta in hac historia Dominicæ transfigurationis mysteria deteguntur.

Luc. 9.

Psal. 46.

Nutrit ergò fidem hæc visio: alit & spem gloriæ, quæ ostenso præmio accenditur. Ideò Stephano lapidationi proximo datum est videre cœlos apertos, & Iesum à dextris virtutis Dei, vt alacrius pugnaret pro tanto præmio obtinendo. Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt. Ostensa est etiam gloria Dei diffundi in Moysen & Heliam, qui visi sunt in maiestate; vt ita certior fiat spes & fiducia nostra. Dando autem confidentiam Diuinæ gloriæ obtinendæ, exhibet certam fiduciam Diuinæ gratiæ, ac ob id remissionis peccatorum impetrandæ, citra quam spes cœlestis gloriæ concipi non potest. Tertiò, nutrit hæc visio charitatem, tùm ostendendo dilectionem Patris ad Filium, de qua dixit: *Hic est filius meus dilectus*; tum dilectionem Christi ad nos in excessu illo suæ mortis nobis indicato. Nam vt Apostolus ait: *Vix enim pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori.* Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam si cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est. Atque ita amor eius non fuit verbo & lingua, sed opere & veritate indicatus, imò supremo opere, quod præstare potest: maius enim charitatis argumentum ostendi non potest, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Hæc autem dilectionis forma seruata fuit etiam à Moyse & Helia, qui pro zelo Dei & populorum sibi commissorum salute non dubitarunt morti se exponere. Imò & vnus ex his ausus est ex charitate erga proximum dicere: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Quartò, hæc visio nutrit sanctum Dei timorem: nam iudicia Dei abyssus multa. Rogatus Dominus, si pauci sunt qui saluantur: respondit; *Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt. Multi vocati, pauci verò electi. Messis quidem multa, operarij autem pauci.* Noë solus iustus cum domo sua, tempore diluuij inuentus est: Loth solus in Sodomis sanctus

Primus fructus huius mysterij transfigurationis. Act. 7.

2. Cor. 4.

II. fructus. Luc. 8.

III fructus.

Matt. 17. Luc. 9.

Rom. 5. 1 Ioan. 3.

Amor Christi erga nos qualis fuerit.

Ioan. 15. Moyses & Helias quibus in rebus commendentur. Exod. 32.

IV. fructus transfigurationis.

Psal. 35. Luc. 13.

Matth. 20. Supra 9. Gen. 6.

Infra 19.

cum suis ab instanti periculo liberatus est: ex omnibus filijs Israel de Ægypto egressis, tantummodo duo, Iosue, & Caleb, in terram promissionis ingressi sunt. Tantummodo Rahab, siue cauponaria, siue meretrix, propter meritum fidei periculum in Iericho euasit. Tres pueri in Babylone statuam Regis non adorauerunt. Tres solum assumpsit Iesus ex duodecim Apostolis, in signum quod non omnes, qui Christi nomen profitentur, saluantur, quod non ex defectu Dei, sed nostro vitio accidit. Primum, quia non sinimus nos assumi: vt enim primum mobile rapit omnes orbes inferiores, qui illi non resistunt, ita Domini est assumptio nostra, & sancti Israel Regis nostri, si tamen illi non reluctemur. Nam reluctantur inflati, & tumidi, id est, superbi, qui non sinunt se assumi: renituntur spinosi, id est, iracundi, & ex odio sanguini insidiantes: labiles vero & lubrici tanquam anguillæ de manibus elabuntur, hoc est carni & impudicitiæ vacantes: quemadmodum etiam parui nimis, & exigui, quales sunt timidi, & pusillanimes. Deinde quia Petrus, Iacobus, & Ioannes, hoc est, fide signa edente, & spe mundum hunc supplantante, & charitate Dei gratuita, qua à Deo dilecti diligimus, conspicui & illustres non sumus. Tertio, quia nolumus montem vitæ, ac legis Christianæ, cuius gradus sunt octo beatitudines, conscendere, iuxta illud: *Quis ascendit in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius?* & respondet: *Innocens manibus, & mundo corde, &c.* At illi qui hæc præstant, rarissimi & paucissimi sunt. Vt ergo ex illis esse mereamur, etsi loquendum sit vt multi, tamen non tantum sentiendum est vt pauci, sed etiam viuendum vt paucissimi. Quinto, hæc transfiguratio tacite exigit, & nutrit nostram spiritualem transfigurationem: ante peccatum enim homo ad imaginem & similitudinem Dei factus, faciem habebat lucidam, & vestimentum candidum. Erat enim circa animam in facie repræsentatam, plenus luce sapientiæ & gratiæ Dei, & instar Solis cuiusdam splendebat super cuncta animantia: nam præter dona naturalia, & habitus scientiarum, tam ad praxim, quam ad theoriam spectantes, & virtutum aliarum chorum, ornatus erat donis Spiritus sancti, & virtutibus infusis. Quod ad corpus attinet in vestimento designatum, candorem habebat, quia alienum erat ab omni rebellione carnis in spiritum, sine vlla macula corruptionis, ex fame, aut ex siti, aut ex labore, aut ex dolore prouenientis. Erat etiam immortalitatis dono vestitum.

Num. 14. Iosue 6. Dan. 3. Matt. 17. Cur pauci ex ijs, qui Christi nomen profitentur, salutē consequantur. I. Ratio. Psal. 88. Christo qui repugnare censeantur. II. Ratio. III. Ratio. Matt. 5. Psal. 23. Aliter loquendum, sentiendum, aliter denique viuendum. Quintus fructus. Gen. 1. Homo ante lapsum qualis esset & animo, & corpore.

Veruntamen, suadente Satana, in serpentem transfigurato, homo in montem superbiæ, qui seorsum est, & longè à Deo, & post sex dies creationis conscendit, & ita pessimè transfiguratus est sub arbore scientiæ boni & mali. Et facies quidem denigrata est, & obscurata, ablato omni ornamento gratiæ, & donorum cœlestium. Corpus etiam non tantum cupiditati & fomiti per quem insurgit in spiritum, sed etiam passioni, labori, & dolori, & omnibus calamitatibus, & morbis, atque adeo morti ipsi obnoxium, & expositum. Atque ita transfiguratus non ascendebat, sed cadebat in vallem inferni tenebrosam, licet homo nesciens clamaret, *Bonum est nos hic esse*, mundani gaudij pomum edendo. Et vt ille per peccatum in bestiam est transformatus, secundum illud: *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis:* ita etiam quiuis Adæ filius per peccatum proprium, & personale, non in monte Thabor, sed in monte Gelboe maledictioni exposito: in quo non est CHRISTVS, sed Antichristus, non nubes lucida, sed caligo infernalis, infeliciter transfiguratur.

Opus ergo est alia meliori transformatione, qua, obolita Satanæ & veteris Adæ facie, mens ipsa renouetur, & vestimentum corporis candidum reddatur. De qua transfiguratione loquitur Paulus, cum ait: *Nolite conformari huic seculo: sed reformamini in nouitate sensus vestri:* siue, vt Græce dicitur: *Transformamini per renouationem mentis vestræ:* & iterum, *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis:* atque in hac trāsformatione facies animæ splendet per gratiam, vt Sol CHRISTVS per gloriam. Vestis olim pellicea, id est, caro bruta, animæ gratia vestitæ subijcitur, & naturam spiritus paulatim induit, & indies fit illi minus rebellis, & efficitur sicut nix frigida, mitigato fomite. Et quanquam aliqui rebellionis motus aliquando insurgant, tamen illi nihil nocent, si mens illis non consentiat. Huic transfigurationi applaudunt Lex, Prophetæ, Euangelium, & exempla vitæ omnium Sanctorum, qui dicunt: *Bonum est nos hic esse.* Bonum non tantum vtile Deo, sibi, & proximo, hic & in futurum & honestum, quia anima efficitur virtutis pulchritudine honestissima, sed etiam delectabile, quia per illam liberamur à tot molestijs, & communicantur nobis tot gaudia. Fauet huic tran-

Gen. 3. Qualis vero post lapsum infelix homo. Gal. 5. Gen. 3. Psal. 48. 2. Reg. 1. Qua ratione optima transfigurari homo possit, & debeat. Rom. 12. 1. Cor. 15. Gen. 3. Hominis secundum spiritum transfigurationi quæ faueant.

transfigurationi Spiritus ſanctus, ſua nube concupiſcentiam noſtram refrigerans: Filius Sol illuminans, & calefaciens charitate: Pater corrobans, & nobilitans adoptione: *Hic eſt*, inquit, *Filius meus dilectus: ipſum audite*, non tantum ore, ſed etiam factis, & moribus filio Dei conuenientibus loquentem. Et tantum eſt bonum, quod Petrus, id eſt, fides neſciat quid dicat, id eſt, nō comprehendat, ſed tantum credat. Adeſt etiam Iacobus, qui interpretatur luctator, ſiue ſupplantator, nimirum ſpes veræ, & ſolidæ gloriæ, quæ omnia vitia ſupplantat, & cum carne quaſi cum fratre quodam, vt Iacob cum Eſau luctatur. Adeſt etiam Ioannes dilectus, id eſt, charitas, qua dilecti diligimus. Debet adeſſe Moſes, id eſt, manſuetudo legem obſeruans: debet adeſſe Helias, id eſt, zelus contra Baal. Licet autem hæc transfiguratio fiat in monte, quia tamen eſt ſanctus, & Thabor, id eſt, electio, ſiue puritas, quæ ſignificat eminentiam iuſtitiæ Chriſtianæ, ſecurus eſt homo à caſu, & deſcendit in vallem humilitatis, & diſciplinæ mortificantis carnem, vt aliquando reſurgat.

Petrus, Iacobus, & Ioannes quales illi teſtes eiuſmodi transfigurationis.
Gen. 27.
Spes veræ, & ſolidæ gloriæ quid efficiat.
Supra 21.
Moſes quid, & Helias.
3. Reg. 18.
2. Pet. 1.
Eminentia iuſtitiæ Chriſtianæ quæ nam ſit.
Signa transfigurati Chriſti, ſiue noſtræ transfigurationis ſpiritualis plura percenſentur.

Signa autem viſi Chriſti transfigurati, ſiue noſtræ transfigurationis ſpiritualis, quæ niſi adſit, illam Chriſti vix capit, multa ſunt. Primum eſt, aſſumi à Chriſto, & cum eo montem cōſcendere. Deinde cum Chriſto orante non dormire, ſed preces fundere: quibus orationem Chriſti nobis reddamus efficacem. Tertium, videre Moſen, & Heliam in maieſtate, id eſt, legem, & Prophetas ob Chriſtum, quem continent lucidos, & glorioſos, & loquentes de exceſſu mortis Chriſti. Quartum, audire Chriſtum loquentem per ſe, vel per ſuos miniſtros, qui os eius ſunt. Quintum, obumbrari à nube Spiritus ſancti, & cadere in faciem præ humilitate, & reuerentia myſteriorum Chriſti. Poſtremum, neminem videre, niſi ſolum Ieſum: nam vt qui vidit Solem in rota, alia eo die non poteſt cernere, ita qui Ieſum nouit, omnia alia obſcura, & ſtercora illi videntur, quemadmodum Paulo videbantur.

Videre Ieſum quid iuuet.
Philip. 3.

Ad hanc autem adipiſcendam transfigurationem, opus fuit, vt Chriſtus pluries transfiguraretur, primo per incarnationem faciem Deitatis lucidam carne peccato ſimili tegens, vt Adam peccato eam texit. Deinde veſtis humanitatis alioquin clara, & candida per coniunctionem ad verbum, denigrata fuit: nam ſatietas famebat, fons ſitiebat, riſus lugebat, & verè Deus erat abſconditus. Deinde opus fuit Dominum transfigurari per mortem, vbi vultus eius quaſi Leproſus reputatus eſt: *Non eſt*, inquit Propheta, *ſpecies ei, neque decor*. Atque hoc, vt tolleret noſtras animarum ſordes: propterea in veſtibus ſordidis, & ſanguine tinctis ipſe ſicut fullo, ſiue herba fullonis, abſtulit, quatenus homo: & ſicut ignis conflans, quatenus Deus eſt. Atq; hæc transfiguratio facta eſt in monte Caluariæ, quemadmodum prior facta eſt in monte Thabor. Tertio, Dominus transformatus eſt per reſurrectionem ex mortuis, vbi cœpit faciem diuinitatis ſuæ, ſuæ, & corpus glorioſum oſtendere, & id quod erat, Apoſtolis in monte Galilææ, & in monte Olіueti, vnde cœlos aſcendit, indicare. Quarto, transfiguratus eſt in Euchariſtia, factus panis in alimentum animarum: atque hoc ad conſeruandum nos in hac forma, & imagine, quam per ſpiritualem transfigurationem accepimus: *Qui manducat*, inquit, *meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo*.

Vt homo tráſfiguraretur ſecundū Deum quot modis opus fuerit Chriſtū transfigurari.
Gen. 3.
Eſa. 45.
II. Modus.
Infra 33.
Malac. 3.
Matt. 27.
III. Modus.
Infra vlt.
Luc. vlt. & Act. 1.
IV. Modus.
Ioan. 6.

Has Chriſti transformationes conſequitur, vt Spiritus ſe in flatum transformauerit, vt Dominus Ieſus ſpiritum labiorum ſuorum interficiat impium, id eſt, ad remittenda peccata, ſeu ad tollendam primam figuram dæmonis. Deinde, & in ignis formam ſe commutauit ad augmentum virtutum, & in igneam linguam, vt Apoſtoli efficaciter docere poſſent, & alios ad Chriſtum adducere.

In flatum, & ignis formam cur transfiguratus ſit Spiritus ſanctus.
Eſai. 11 & 2 Theſſ. 2.
Act. 2.

Transfiguratus eſt & Pater bis: ſemel quidem in primam vocem in baptiſmo, cum dixit: *Hic eſt Filius meus dilectus*, ſcilicet paruulus, & incipiens per remiſſionem peccatorum, Deinde in vocem ſecundam, cum inquit: *Hic eſt Filius meus*, id eſt, magnus, & per incrementa virtutum loquens. Atque iſtæ tres perſonæ ſunt, quæ noſtram transformationem ſpiritualem efficiunt, dum reparant in nobis imaginem, & ſimilitudinem ſuam, & transformabunt ſuo tempore corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis Chriſti.

Matt. 3.
Quomodo transfiguratus ſit ſe Deus Pater.
Infra 17.
Philip. 3.

Transfigurantur etiam nobis Angeli in aſſumptis corporibus: & paſtores, qui velut Proteus quidam ſpiritualis ad ſalutem noſtram ſpiritualem promouendam in omnes ſe figuras vertunt: & modo blandiuntur, vt matres, modo præcipiunt, vt patres, nunc terrent vt iudices, nunc ſuggerunt quæ facienda ſunt, vt pædagogi, nunc corrigunt vt Dei nuntij, nunc rogant, vt fratres. Denique tam pulchra eſt transfiguratio, vt etiam dæmones ſe transforment in Angelos lucis, & miniſtri eius,

Angeli quoque & paſtores humanarum cur ſeſe transforment.
2. Cor. 11.

eius:& hæretici non alia ratione magis Catholicis imponunt,quàm falsa quadam,& in speciem apparenti transfiguratione. Hypocritæ etiam omnes hac ratione laudem, & gloriam venantur ab hominibus veniunt enim ad nos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Fœminę etiam fuco,& pigmentis iuuentutis,& pulchritudinis laudem consequuntur, vt ita possint iuuentutem incautam ad se pellicere,& in nassam perditionis attrahere: vt vel hinc agnoscas, quãtum referat alienam personam induere. Certe Deus gloriosus nos in propria forma,& figura, nisi induamus imaginem Christi,vix agnoscet. Nam vt Iacob nisi in vestibus Esau benedictionem non accepit, ita nos benedictionem æterni Patris,nisi figuram Christi,& virtutum eius vestimenta induerimus, minime percipiemus. Nam & ob hanc causam magna sua sapientia, & Sacramenta instituit, & virtutes infundit,& charismata confert, & flagella vndiq; immittit, vt tandem exuta humanitatis nostrę forma, incorruptam, & gloriosam induamus figuram Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre,& Spiritu sancto reddatur omnis gloria, honor, imperium,& gratiarum actio in secula seculorum, Amen.

[Margin: ...ur se transfigurant hæretici, & hypocritæ. Matth. 7. ...eminarum transfigurationes quo tendunt. ...antum referat alienam personam induere. Gen. 27.]

TRACTATVS XXXVI.

De signo pueri Lunatici, & liberati à dæmonio, quod discipuli eycere non potuerunt. Et habetur Matth. 17. Marc. 9. & Luc. 9.

HANC historiam sequenti die post transfigurationem accidisse, enarrat Lucas, ait enim; *Factum est autem in sequenti die descendentibus illis de monte, occurrit illi turba multa, & ecce vir de turba exclamauit, dicens, Magister, obsecro te, respice in filium meum, &c.* Marcus vero latius hoc miraculum describens, ait: *Et veniens ad discipulos suos, vidit turbam magnam circa eos, & Scribas conquirentes cum illis.* Post secessum in montem ad orationem, & contemplationem, rursus Dominus se dimisit ad inuisendos alios discipulos,& turbas, & ad intermissa pascendi populum officia per prædicationem,& sanitatum beneficia, quæ cumulate conferebat erudiens suo exemplo Episcopos, & Euangelicos præcones, quales se debeant, & ad Deum,& ad greges sibi creditos præstare.

[Margin: ...uius historiæ tempus. Luc. 9. Marc. 9. Quales se Episcopi, & prædicatores ...rere debeãt exemplo Christi.]

In primis ergo aduerte, Dominum dimissa turba cum nouem Apostolis, montem, tribus secum assumptis, conscendisse, atque ibi turbam cum dictis Apostolis in sequentem vsque diem mansisse. Expectabant enim reditum Christi in monte, quibus etiam adiuncti erant alij: nam pater pueri lunatici sibi adfuisset, ante ascensum in montem non perijsset signum à discipulis. Inuenit etiam Scribas disputantes cum discipulis. In quo dolus eorum detegitur, qui cum Domino congredi non audebat, diuexare rudes Apostolos, ipso absente, instituerant, quo vel speciem victoriæ contra veritatem apud imperitam plebem obtinerent. Nam simili ratione, & simili in causa hæretici incautos & simplices solent adoriri: contra quos suas hæreses defendere audent.

[Margin: Scribarum cũ discipulis disputatio vnde orta. Hæretici quã similes Scribis.]

Non declarat autem Euangelista, qua de re esset disputatio inter eos inita: & si aptè intelligi possit de hoc quæstionem fuisse motam: quare ipsi, cum essent discipuli Christi, sanare dæmoniacum, qui in medio erat positus, nõ possent. Ideò detrahebant virtuti Christi, & obijciebant, quod vanè Iesum sequerentur. Quod videns Dominus, ne scandalizaretur turba illa magna; interrogauit Scribas, quid esset quod inter se disceptarent: non quod ipse quicquam ignoraret, sed vt omnib. esset notum quid ageretur. Cum ergo discipuli pudore, quòd frustra tentassent dæmonium eijcere,& Pharisæi, qui nomen Christi apud discipulos inefficax calumniabantur, timore obticescerent, quidam ex turba, qui dederat huic disputationi occasionem rem ipsam, vt erat, exposuit: respondens, (vt ait Marcus, nam se putauit interrogatum) *Magister, attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum, &c.*

[Margin: Cum Christus quid Scribæ inter se conquirerent, nõ ignoraret, quid illos interrogat? Marc. 9.]

Sed prius aduerte, Marcum enarrare: *Et confestim omnis populus videns Iesum, stupefactus est, & expauerunt, & accurrentes salutabant eum.* Considera hic quanto in honore & reuerentia populus haberet Christum, quem statim gaudio, alloquio, & salutatione dignati sunt: Scribæ vero, quasi hostes eius, cum non salutauerunt. Deinde aduerte, populum obstupuisse viso Christo: siue propter inopinatum eius aduentum cum nescirent vbi fuisset, aut vnde venisset, siue, vt exponit Euthymius, propter accessus opportunitatẽ, quasi præcognouerit Scribarum inuasionem, ideoque ad discipulorum auxilium aduenerit, vel propter splendorem aspectus eius. Etenim verisimile est à transformatione gratiam quandam contractam esse, quemadmodum & Moysi de monte descendenti:

[Margin: Quanto in honore, & reuerentia à populo Christus haberetur. Eius de viso Domino stupor vnde. Euthy. c. 25. in Marc. Exod. 24.]

Scribarum arrogantia, leuitas.

Et interrogauit eos, Quid inter vos conqueritis. Id est, Quid disputatis? Marcus iuxta Græcam literam habet. *Et interrogauit Scribas, Quid conquaritis cum illis?* nempe discipulis, notans Scribas, quod ipsi Scripturarum cognitionem sibi promittentes, cum his qui discipuli essent, & in Scripturis rudes, disputarent. ¶ *Et respondens vnus de turba.* Scilicet pater pueri: quia putauit se interrogatum, & magnopere optabat filij sanitatem. ¶ *Magister, attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum: qui vbicunque illum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit: & dixi discipulis tuis, vt eycerent illum, & non potuerunt.* Lucas addit illum fuisse vnicum filium. Matthæus vero ait, patrem genibus prouolutum ad Iesum accessisse, & dixisse: *Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, & malè patitur: nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam.* Puer autem nihil petijt, quia mutus erat, vt ait Marcus, & arreptitij nunquam leguntur petere, quia impediuntur à dæmonio, sed tantum ducuntur ad Dominum, vt ex Matthæo constat, & quando veniunt, rogant dæmonia ne eijciantur, vt idem Matthæus refert. Et Christus quandoque non petenti sanitatem dabat, vt Paralytico ad piscinam, quandoque vero petenti pro se ipso, quandoque roganti pro alio ad se pertinenti.

Luc 9. Matt. 17. Matt. 9. & 12. Supra 8. Ioan. 5. Matt. 8.

Lunaticus qui sit: & vnde is morbus proueniat.

Perpendenda sunt verba Matthæi: *Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, & malè patitur: nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam.* Quoniam vero lunaticus Latinis dicitur, qui morbo Comitiali, vel caduco oppressus laborat, sic denominatus, vel quod eum putatur morbum pati, qui interlunio natus est, vel quod pro mutatione Lunæ, quæ in omnibus humoribus dominatum tenet, is morbus augmentum, vel decrementum suspiciat, cum is morbus à medicis naturalis habeatur, in dubium venit, quomodo lunaticus iste à Marco dicatur habere spiritum immundum, qui efficiebat surdum, & mutum? Dicendum est, non esse probabile vocatum lunaticum, eo quod omnes morbi & infirmitates sint, vt quidam docent, immissiones Angelorum malorum, alludentes ad illud Dauidis: *Immissiones per Angelos malos:* Quia si id esset, omnis languens diceretur habere spiritum immundum. Et constat dæmonium verè solitum ingredi in hunc puerum, & non exterius manens vexare: quia Dominus dicebat: *Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo: & amplius ne introeas in eum.* Videtur ergo lunaticus dictus, quod similia paterentur, atque illi, qui tali morbo corripiuntur, quia non semper, sed certis temporibus affliguntur, cadentes, spumantes, & se se colligentes. Vnde Hieronymus in Matthæum: *Non verè lunaticos,* inquit, *sed qui putabantur lunatici, &c.* Aut dicendum est, morbum Comitialem non semper esse purè naturalem, sed interdum à dæmonio certis temporibus affligente. Atque ita Caietanus docet hunc puerum præter ægritudinem naturalem, à qua dicebatur lunaticus, habuisse etiam spiritum immundum, qui eum surdum, & mutum reddebat. Nam quæ Matthæus tribuit lunatico, quod cadit in ignem, & aquam, eadem tribuit Marcus dæmoni: *Frequenter,* inquit, *eum in ignem, & in aquam misit, vt eum perderet.* Et in curatione huius apertè Matthæus meminit vtriusque, nempe, ægritudinis, & dæmonis, ait enim: *Et increpauit illum Iesus: & exijt ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora.* In quem sensum scribit hoc loco Chrysostomus: *Non turberis, si lunaticus est appellatus: patris enim dæmoniaci hæc vox fuit. Cæterum, & Euangelista multos lunaticos curatos fuisse alibi ait, à communi omnium consuetudine ipsos nominans: vt enim elemento illi ac luminari dæmones detrahant, secundum lunares cursus aggrediuntur, & remittunt homines. Vnde hæc falsa opinio apud multos inualuit, quod Luna varietate sui cursus operetur: quod minime verum est.* Similia ante hunc scripsit Origenes, qui explicans hunc locum, docet: *Primum,* inquit, *quæramus, quare lunaticus appellatur, qui à spiritu immundo vexatur, & quare passio ipsa nomen accepit à Luna, quæ post Solem magnum luminare vocatur? Medici ergo loquantur sibi quæ volunt, qui nec immundum spiritum arbitrantur, sed corporalem aliquam passionem: & dicunt humida moueri in capite secundũ aliquam comparationem ad lumen lunare, quod humidam habet naturam. Nos autem qui Euangelio credimus, dicemus hanc passionem immundum spiritum in hominibus operari. Obseruat enim quædam schismata Luna, & sic operatur, vt ab obseruatione Lunæ pati homines mentiantur, & per hoc culpabilem Dei creaturam ostendit: vt omnes iniquitatem in excelso loquantur, qui existimant ex efficacia Stellarum consistere causam omnium infirmitatum, siue generalium, siue specialium.* Hæc ferè Origenes. Ex cuius, & Chrysostomi, & Hieronymi verbis patet dictos lunaticos, eo quod dæmones certis temporibus iuxta cursum Lunæ magis, vel minus vexent, non autem quod verè lunaticus esset. Et ideo non est opus cum Caietano asserere veram fuisse, & naturalem infirmitatem, sed à dæmone effectam

Vnde lunaticus iste dicetur spiritum habens surdũ, & mutum. Prima ratio quorundam, sed inepta.

Psal. 17. Marc. 9.

Hieronym. in Matt. c. 4. in fin to 9. Secunda ratio

Caietanus. Matth. 17. Marc. 9. Chrys. ho. 58. in Matt. to. 2. Matt. 4. Orig tract. 4. in Matt. to. 2. Gen. 1. Lunatici qui Medicis, secundum Orig. Psal. 72.

ac pro arbitrio dæmonis vexantis, & operantis, quæ morbus Comitialis operari solet. Erant quidem arreptitij duplicis generis: quidam simpliciter vexabantur ab spiritu immundo, alij vero non nisi certis cursus Lunæ temporibus. Priores, dicebantur dæmoniaci, posteriores, lunatici vocabantur ab hominibus putantibus Lunam nouam noxiam esse, aut dæmonem nonnisi eo tempore posse nocere. Hinc est, vt lunatici, & dæmoniaci distincti ab Euangelistis ponantur, etiamsi vtrique essent arreptitij, & à dæmoniacis obsessi.

Duplex genus arreptitiorum

Matth. 4.

Iam expende mala, quæ operabatur in obsesso dæmon. Ait enim Marcus: *Qui vbicumque eum apprehenderit* (non enim semper, sed quandoque vexabat, addit Lucas: *Subitò clamat*, id est, vocem inarticulatam emittit, quia Marcus vocat eum spiritum mutum) *allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit.* Quatuor enarrat, primum est, allidit, scilicet spiritus, id est, in terram eijcit, & misere conuellit, siue, vt verbum Græcum significat, lacerat, & Lucas ait, elidit, & dissipat eum cum spuma, &c. In alijs tribus verbis spumat, stridet, arescit, suppositum debet esse puer, casum enim & conuulsionem sequitur spuma, quæ signum esse solet morbi Comitialis: deinde est stridor dentium præ frigore: postremo arescit, id est, sine sensu efficitur impos suorum membrorum, ac vexatione tanta contabescens. Lucas addit morbi diuturnitatem. ¶ *Et vix*, inquit, *discedit dilanians eum.* Quod vero Beatus Matthæus breuitati studens, istis omnibus omissis: dixit, *Sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam:* ex Marci narratione colligitur non in primo isto sermone patris dictum, sed in secunda responsione: quam omittens Matthæus, coniungit quædam responsionis dicta cum dictis in prima, nihil in hac veritati ipsi præiudicans. Subdit: *Et obtuli eum discipulis tuis* (quia scilicet te præsentem non inueni) *Et rogaui* (ait Lucas) *discipulos tuos vt eijcerent illum, & non potuerunt.* Aduertenda est Dei prouidentia, qui permittit puerulos innocentes in manibus capitalis inimici nostri Satanæ: quod mouebat etiam Beat. Augustinum: *Quid enim peccauit* (dicebat Pater ille) *si intelligas peccatum Adæ? At illud sublatum est Sacramento. Cur ergo eius remaneat pœna?* Si intelligas peccatum posteriorem parentum, quia dicitur: *Visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorũ qui oderunt me.* Opponetur dictum Prophetæ: *Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij.* Dicendum est, quod non propria peccata puerorum puniuntur, nec illud originale, sed parentum proximorum, quorum filij quodammodo sunt portio. Et quod dicitur: *Filius non portabit iniquitatem Patris*: ad futurum iudicium pertinet, & nõ ad id quod fit super terram.

Lunaticum quam male haberet dæmon. Marc 9.

Luc. 9.

Quemadmodum spiritus lunaticum elidebat; idem cur spumabat, stridebat, arescebat.

Signum comitialis morbi quod.

Quid hoc loco Matthæus neglexisse videatur a reliquis enarratum.

Quonam Dei consilio ac prouidentia par uuli nullo suo demerito à dæmone torqueantur. B. August.

Ezech. 18. Illud: Filius non portabit iniquitatem patris: quem sensum habeat.

Potest tamen Deus hæc permittere, vt glorificetur ipse liberando, vt dicitur de cæco nato, & de Lazaro, vnde & hic dicitur quod stupebant in magnitudine DEI. Permittit etiam hæc, vt agnoscamus, non esse adeo magnum malum vexationem dæmonum, ex quo maius bonum valeat prouenire: peccare, magnum malum est, torqueri à dæmonibus, si æquo animo feratur, non tantum non nocebit, sed etiam apud Deum satisfaciet. Vnde Paulus tradidit incestuosum Corinthium Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fieret. Quod si vexeris à dæmonio, & non propter peccatum tuum, meritum est tibi ad lucrum, & humilitatis seges, vt de Stargi rio Monacho arreptitio tradit Chrysost. lib. de Prouidentia. Sunt etiam quidam, qui existimant credibile esse pueros talia patientes nonnullam habere compensationem à Deo, cuius sunt filij, cum indigne torqueantur.

I. Ratio. Ioan. 9. Infra 11. Luc. 9. II. Ratio.

1. Cor. 5.

Chrys. li. 3. de prouiden. to. 5

Quod si dicas, quomodo possent mereri, qui propria voluntate destituuntur? Respondent: id Ecclesiæ merito fieri, quæ sicut supplet pro ipsis actum fidei in baptismo, ita & actum voluntatis in huiusmodi vexationibus. Membra enim sunt CHRISTI, & in CHRISTO patiuntur, & ob id ab Ecclesia iuuari posse tradunt: quod ego tamen asseuerare non audeo. ¶ Quod vero ait: *Sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam*: intellige proiectus à dæmone vt eum perderet. Ex quo apparet miseria, siue calamitas huius pueri, crudelitas, siue sæuitia dæmonis, Dei præsentia, & fauor seruans omni dæmonis inuasione. Dæmon enim in corpus hominis existentis in Christo nihil iuris habet, nec in capillum quidem, nisi quantum Deus ad eorum meritum, & vtilitatem permittit, vt patet in Iob, cum tamen in alios infideles, vt in suos, maius ius habeat & dominetur in eos. Et ratio est in promptu: quia Dominus superauit eum, & eripuit eius spolia. Quod vero Apostoli expellere illud dæmonium nõ potuerint, idque frustra tentauerint: mirum non est, etiam si legamus datam eis potestatem eijciendi omnia dæmonia. Nam data est, seruatis tamen conditionibus, vt enim obtineat quis hoc beneficium, opus est credere quod Deus possit id facere, &

Quomodo pueri propria voluntate destituti possint mereri apud Deum.

Matth 17. Lunatici casus in ignem, & aquam vnde erat. Mar. 9.

Iob. 1. & seq. Infra 2.

Luc. 11. Quare Apostoli hominem lunaticum, mutum spiritum habentem, eiirare nequiuerint. Matth. 10.

Vt quis habeat, dęmones ejiciendi potestatem ei quid necessariũ sit.

confidat quod volet per talẽ facere. Rursus qui id præstat, credere debet, Deum posse,& velle per se facere:& vtrumque id deficiebat. Vnde Christus, vt integram rei causam exponeret, vtrumque increpuit, patrem quidem pueri, dicendo: *Si potes credere*,& Apostolos, cum ait: *Ob incredulitatem vestram.* Et inuocato nomine Iesu, vt solebant, videbant non exire, quia torquebat, & signa exitus non dabat: sic dabitur Deus credentibus potestatem dedisse filios Dei fieri: quod intelligitur, si perseuerauerint in fide. Quin & ipse dicitur non potuisse edere signa in patria sua Nazareth, ob incredulitatem eorum, vt Marcus testatur. Dedit ergo Apostolis potestatem eijciendi spiritus, si fidem integram habeant. Nec ex malitia hæc proposuit Domino pater pueri, quasi vellet accusare Apostolos, sed ex simplicitate.

Luc. 9. & 10.
Act. 16.

Ioan. 1.
Credentes qui tantum filij Dei fiant.

Mar. 6.
Quo animo huius pueri lunatici pater Domino proposuerit discipulorum in sanando filio impotentiam.

Respondens autem Iesus, ait, O generatio incredula & peruersa, quousq; ero vobiscum? Vsquequo patiar vos? Marcus habet: *Qui respondens eis, dixit.* In Græco codice, & Syriaco habetur, *Ei*, non, *Eis*, vt etiam quidam ex Latinis habent. Recte tamen dici potest, Dominum omnibus respondisse, eo quod pater pueri omnium nomine causam disputationis, de qua Dominus interrogauerat, exposuerat, & quia incredulitas patris & ipsorum discipulorum in causa fuit, quo minus eijceretur dæmonium. Idcirco Dominus ansam accepit in genere redarguendi Iudaicam incredulitatem: reijciens etiam impotentiam discipulorum, de qua pueri pater querebatur, in ipsum qui querebatur. Etsi vero Dominus indignatus, & tædio affectus non solum ad patrem pueri, sed etiam ad discipulos, & Iudæos omnes, quos increpauit, occasione habita, quod in similibus olim peccauerint: & nunc conquirentes cum discipulis, vt Marcus inquit, forte turbarunt discipulos ne crederent: nõ tamen ob illam eorum peruersitatem auertitur à sua benignitate, vt annotauit Hieronym. neque iusta illa indignatio superat bonitatem eius. Dans in hoc exemplum maioribus, & magistris, qui indociles, & crassos habent discipulos, non adeo indignari, vt illos contemnant & auertantur à docendo, sed discant improba, ac beneuola patientia eos sustinere, quosque fructum aliquem vix vi expresserint.

Quibus Dominus dixerit: O generatio incredula, & peruersa, quousq; ero vobiscum, &c.

Mar. 9.

Hieron. supra citatus.
Præpositi ac magistri quo se gerant modo cũ ijs, quos in moribus ac doctrina instituunt exemplo Christi.

Generatio ergo incredula fide, peruersa moribus, nec se ad meliorem frugem tot visis signis & flagellis excitata conuertens. Et videtur alludere ad verba Moysi: *Generatio praua, atque peruersa, haccine reddis Domino, popule stulte, & insipiens?* quod videlicet nec inaudita illa portenta, & prodigia, quæ in salutem suam facta viderunt, eos ad fidem erga DEVM permouerunt. Et ex propassione hac dixit: vnde & se promptum ad curandum offert: *Vsquequo*, inquit, *patiar vos?* Quasi dicat, onerosum est, diu vos sine fructu ferre. Tacite significat se ab eis propter incredulitatem aliquando abfuturum. Non ergo dubitat Dominus, quanto tempore sit cum illis conuersaturus, sed tantum explicat se moleste, & cum dolore ferre eorum pertinacem incredulitatem. Vnde per Esaiam ait: *Laboraui sustinens:* & in Actis Paulus ait: *Per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto.* Et teste Beda in hæc verba, locutus est in similitudinem Medici, qui ægrotum videns contra sua præcepta se gerere, dicit, vsquequo accedam ad domum istam? quousque artis meæ perdam industriam, me aliud iubente, & te aliud perpetrante?

Iudæi quomodo erant generatio incredula, & peruersa.
Deut. 32.

Quo affectu Christus hoc dixerit.
Id: Quousque ero vobiscum, vsquequo patiar vos, quo sensu dictum sit.

Esai 1.
Act. 13.
Exod 16.

Beda in Mat. & Marc. 10.
Ea Domini locutio qualis, teste Beda.

Afferte huc illum ad me. Et increpauit illum Iesus. Ostendit Dominus se non hominibus, sed vitio illorum iratum. Et quod ait, *Afferte huc illum ad me*, qui tamen absentem curare poterat: non quidem ob captandam gloriam, sed vt magnitudo morbi innotesceret, pro defensione discipulorum à Domino dictum est. Quod vero increpauit, intellige dæmonem, non puerum, qui ab infantia erat arreptitius, vt Marcus refert. Et nullo suo personali peccato in illum morbum inciderat: & Deus solet tales infantes consolari. Increpauit autem dæmonem, vt potestatem, de qua erat dubium, ostenderet, quemadmodum alibi fecit: & in dæmonem vi exeuntem indignatus est. Sed ante hanc increpationem adijcit Marcus, quod interrogauit Iesus Patrem, *Quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit?* Quod etsi Christus sciret, voluit tamen per eum detegi, vt magnitudo miraculi magis constaret, & vt patris incredulitas prius tolleretur, quæ impedimentum dabat miraculo. Pater autem respondit, *Ab infantia*, vt ostenderet iam inde in illo contractum ab eo domicilium, vnde illum eijcere factum esset supra modum difficile. Et adiecit, quod ipsum frequenter eiecerit in ignem, & aquam, vt ipsum perderet. Quare pater existimans ob id postulasse Dominum de tempore, vt nota diuturnitate morbi, crederetur sanitas impossibilis, adiecit, *Si quid potes, adiuua nos, misertus nostri.* Vbi vides quod inferior fuerit fide illo, qui etsi diuturno morbo esset oppressus, dixit, *Domine, si vis, potes me mundare:* & quod fidem firmam, & indubitatam

Quare Christus hunc puerũ lunatic. ad se adferri iusserit, cum absentem sanare posset.

Mar. 9.

Cur Christus dæmonem increpuerit.

Supra 8.
Redditur ratio interrogationis patris a Christo de diuturnitate morbi, quo filius tenebatur.

Quam fuerit diuturnam.

Quare Christus dixerit: Si quid potes, adiuua nos, misertus nostri.

non

Matth. 8.
Christi respon sio: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti, quam dulcis & amabilis.

non haberet. Et vt alibi alludens ad verba petentis, respondit: *Volo, mundare*: ita hic alludens ad verba petentis: *Si quid potes, adiuua nos, misertus nostri, Iesus respondens, dixit ei, si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Non dicit, possum certe, sed indignus es, cui præstem, sed summa modestia vsus, suam potentiam aliorum potentiæ quodammodo subijcit: imo suæ potentiæ oblitus omnia fidei tribuit. Non enim dixit, Possunt certe, si potes credere, sed, si potes credere, scito omnia esse possibilia credenti: simul modestiam, & fidei energiam nobis commendans: & illud, *Si potes credere*, perpendendum est, si potes credere id, quod sine omni labore, & sumptu præstare potes. At pater pueri agnoscens omnia ex fide pendere, & suam infirmam, & imbecillam fidem agnoscens, dixit, *Credo Domine, adiuua incredulitatem meam.* Et ne sit contradictio in eius verbo, dicendo credo, & incredulitatem meam, intellige per incredulitatem imperfectam, & infirmam fidem. Nec videtur orasse, vt olim Apostoli, dicentes Domino, *Adauge nobis fidem*; sed vt sua potentia suppleret id quod fidei suæ deerat, quasi dicat: Crede Domine te posse: sed si quid adhuc fidei deest, tu quæso tua bonitate, & potentia supple. Precatio sane omnibus nobis pernecessaria, qui propter fidei nostræ imperfectionem frequenter non impetramus quod volumus. Sed remedium est, vt agnoscamus fidei nostræ defectum, & à Domino adiuuari petamus, vt sic petita obtineamus. Porro ex hoc loco potes elicere, actum fidei esse quidem à nobis, & vt à nobis est, infirmum esse, & inualidum: ideo ait: *Credo Domine.* Sentiebat enim se credere, sed perfectam fidem in se non agnoscebat, quæ omnem formidinem expelleret, & videbat omni conatu suo se non posse illam exculpere: ideo dixit: *Adiuua incredulitatem.*

Pater lunatici credebat quod aiebat, Adiuua incredulitatem meam.

Luc. 17.

Quare à Deo sæpe non exaudiamur.

Actus fidei vt à nobis est, qualis ille sit.

Hinc docemur assidue pro augmento fidei Dominum deprecari, vt Apostoli, qui dicebant Domino, *adauge nobis fidem*, & Ecclesia quæ orat: *Da nobis Fidei, Spei, & Charitatis augmentum.* Hinc etiam elicere potes, quod homo explorator est sui cordis: potest enim fidem videre, si credat, & non esse, si non credat: quemadmodum egregiè docet Augustin. lib. de Trinit. Iste enim pater pueri vidit in se non solum fidem, sed etiam fidei suæ infirmitatem. Et illis verbis: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti,* correxit dictum parentis pueri, dicentis: *Si quid potes, adiuua nos*, quasi dicat Dominus, mihi nihil est impossibile: sed quæ possum, non facile ostendo, nisi credenti.

Pater lunatici his verbis Adiuua incredulitatem meã, quid nos doceat.

Posse hominem cor suum & fidem agnoscere.

Aug. li. 13 de Trin cap. 1. tom. 3.

Sequitur in Marco: *Et cum vidisset Iesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi, Surde, & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo: & amplius ne introeas in eum.* Hæc comminatio, est illa increpatio, de qua Matthæus: *Et increpauit illum Iesus.* Vbi obseruandum, quod Dominus non puero, sed dæmoni imperat, & comminatur: sic & qui peccantem emendare desiderat, vitium vtique & increpare, & execrari debet, hominem vero amando fouere. Et declarando quibus verbis comminatus fuerit, vel increpauerit, explicauit Marcus, dixit enim Dominus, *Ego* (quem tu bene nosti) *præcipio tibi.* Et præcepto cogit illum ad exeundum: præcepta enim nonnisi ad intelligentes diriguntur. Et ex industria alloquitur dæmonem, ad confutandum negantes huiusmodi ægritudines à à spiritu malo quandoque proficisci: quanquam eiusmodi infirmitates nonnisi per intermedias causas naturales efficiant. Rursus dixit: *Et amplius ne introeas in eum:* quia præuidebat futurum, vt dignus esset propter suam incredulitatem, vt rursum ad eum reuerteretur. Prohibet eum regredi, ne cuiquam videatur quod prius non fuerat eiectus. Et hinc agnoscitur dolus dæmonis, qui vel eiectus regreditur, vel fingens se egredi, delitescit, nec egreditur. Iosephus libr. Antiquitatum docet, Salomonem docuisse artem eijciendi dæmonia: & Cantica quædam dicenda, ne dæmon semel expulsus reuertatur. In hoc autem, quod immundum spiritum ab homine expellit, & simul ne amplius regrediatur, imperat, ostendit, eum vere esse sanctum, qui pœnitentiam ita agit, & propositum amplius non peccandi induit, vt ad peccata pristina non reuertatur.

Matt. 17.

In peccante quid arguendum ac detestandum sit.

Præcepta ad quos tantum dirigantur.

Cur dæmonem alloquatur Christus: eiq; præcipiat ne iterum introeat in obsessum.

Dæmonis astus.

Ioseph. lib. 8. Antiq. c. 2. post dimid.

Eijciendi dæmones artem, eosdemque ab iterato introitu prohibendi docuit Salamon, teste Iosepho.

Vere sanctus quis.

Sequitur in Marco: *Et exclamans, & multum discerpens eum, exijt ab eo: & factus est sicut mortuus, ita vt multi dicerent, Quia mortuus est, Iesus autem tenens manum eius, eleuauit eum: & surrexit.* Dæmon exclamans, & multum discerpens egreditur. Illa participia Græcè sunt præteriti temporis, id est, cum exclamasset, & multum eum dilaniasset, exijt ab eo. Ostendit ergo quam inuitus egrediatur, & hominem relinquat quem torquere amplius volebat. Et Iesus permittebat hæc fieri, vt euidentia miraculi magis elucesceret. Et ostendit, sæpe dum conuerti ad Dominum post peccata conamur, quod maioribus, nouisque antiqui hostis pulsamur insidijs. Quod propterea callidus facit aduersarius, vt vel o-

Quare dæmon in puerum istum sæuire tantopere permissus sit.

Cur dæmon sæpe eos, qui ad Dominum conuerti post peccata co-

dium virtutis incutiat, vel expulsionis suæ vindicet iniuriam. Quod vero Christus apprehensa manu, erexerit eum, significat non tãtum Christum à nobis pellere vitia, & peccata, sed etiam virtutes infundere, quibus coram eo stare possimus. Quod vt faciat, apprehendit manum nostram, & nos illam ei præbere debemus: quia nonnisi volentes iustificamur.

nantur, maioribus ac nouis pulset insidijs. In eo quod Christus apprehensa manu pueri eum erexit, quid indicauerit.

Sequitur apud Matthæum: *Et curatus est puer ex illa hora*, addit Lucas: *At tradidit illum patri eius. Stupebant autem omnes in magnitudine Dei.* Nihil hic est quod annotemus, nisi quod dicitur puerum tradidisse patri, qui prius erat non parentis, sed, vt ait Cyrillus, dæmonis occupantis illud mancipium. Solebat autem Dominus (vt cum adolescentem filium viduæ, & puellam à morte suscitauit) eos pro singulari dono tradere parentibus. Quod vero stupebant omnes in magnitudine Dei: hoc ad humanam naturam referendum est, quæ ad res supernaturales stupere, & terreri solet. Et magnificentiæ Dei tantum donum tribuebant, quia solo imperio tam diuturnum, & potens malum abstulerat, de qua dicit Propheta: *Sanctimonia & magnificentia in sanctificatione eius*

Matth. 17. *Luc. 9.* Quid est quod dicitur Christus patri puerum tradidisse, non, reddidisse. *Cyrill. allegatus à B. Tho. in caten. to. 11* *Luc 7.* *Infra 8.* Quæ causa stuporis omnium fuerit in magnitudine Dei, vt ait Euangelista. *Psal. 95.*

Iam quæ sequuntur ex Matthæo adiungemus. Ait ergo: *Tunc accesserunt discipuli ad Iesum, secreto, & dixerunt, Quare nos non potuimus eijcere illum? Dixit illis Iesus, Propter incredulitatem vestram, &c.* Quod dicuntur tunc accessisse discipuli, &c. Intellige paulo post, & domi, vt docet Marcus: quia seorsum, & semotis arbitris solitus erat illis dubia edisserere, vt habes apud eundem Marcum. Et hi discipuli alij fuerunt ab illis tribus, qui adfuerunt transfigurationi. Accesserunt autem, admirati quod non potuerint, vt olim, pellere, & discere causam, & modum eijciendi volebant. Dubitabant etiam, nam illo facto Dominum offendissent, & expirasset potestas signa faciendi. Secreto autem accesserunt, ob verecundiam, & pudorem, quia reputabant defectum suum, & quia diuinabant Christum culpam in eos reiecturum: & quia nouerant Christum turbis secreta non aperire, vt ex Matthæo colligere licet. Respondit autem Dominus, duas exprimendo causas, alteram ob eorum incredulitatem, alteram, quia id genus dæmoniorum non eijceretur nisi in oratione, & ieiunio. Circa primam ergo respondet, illud accidisse ob eorum incredulitatem, id est, diffidentiam, & fidei imbecillitatem: quam coram alijs non expressit, eo quod futuri essent vniuersi orbis magistri. Tacet autem alio-

Matth. 17. Quando discipuli ad Iesum dicantur accessisse. *Mar. 9.* *Supra 4.* *Matt. 17.* Accessus illorum causa. Quare discipuli ad Christum accesserint secreto. *Matt. 13.* Quod discipuli liberare hic puerum à dæmonio non potuerint, vnde factum sit.

rum infidelitatem, ne eorum defectum imminuat, & vt acrior sit reprehensio. Quanquam enim olim non tantum Petrus, & Iacobus, & Ioannes, sed omnes etiam Septuaginta duo discipuli habuerint fidem ad expellendos dæmones: nunc accidit, vt fides minueretur, non ex absentia Christi, quia in præsentia eius signa non edebant: sed vel quia cernebant, & ex patre audiebant mali magnitudinem, vel quia timebant ne eis potestas data amplius non competeret, nisi dum esset in legatione, aut quia, vt tradit Hilarius, Christo in monte demorante, & cum Apostolis cum turbis remanentibus, tepor quidam ob Domini absentiam eorum fidem retardauerat. Ex turbatione ergo mentis non exeuntis in actum fidei necessarium, accidit fidei defectus in Apostolis, quia distracti erant, & parum in se ipsos collecti: vt iratus olim Helisæus ex zelo, fecit adduci psaltem canentem, per quam facta est super eum manus Domini.

Luc. 10. Discipuli quando signa non edebant. *Hilar. ca 17. in Matth.* *4 Reg 3.*

Perturbatio autem noue Apostolorum fortasse orta erat ex inuidia trium assumptorum ab eo in montem, & disputatione Scribarum cum eis, vt ait Marcus. Ex Christi etiam permissione, vt viderent Iudæi Apostolorum potestatem à Christo pẽdere, & vt discipuli humiliarentur, & nos instrueremur de fidei necessitate, reprehenderentur Iudæi de incredulitate, & erudirentur Apostoli habere fidem, orationem, & ieiunium in futurum.

Vnde Apostolis noueia perturbatio fuerint. *Mar. 9.*

Nunc autem fuit hæc permissio, & non tunc, quando misit eos ad prædicandum: quia tunc Christi doctrinæ non supplenti defectum potestatis derogaretur, & saltem alios non deficientes in potestate signorum à Christo pendere non putarent. Ideo expediens fuit omnes Apostolos potestate edendi signum caruisse, Christumque coram turba suppleuisse defectum, vt potestas reduceretur ad vnum Christum, non ad Deum immediate: sicut Propheta non ab alio Propheta, sed à DEO habet prophetiam. ¶ *Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, &c.* Non loquitur hic Dominus de fide Theologica, qua propositis ab Ecclesia articulis firmo assensu eorum, quæ de Deo, & CHRISTO sunt credenda, assentimur, & vocamur fideles, & de qua Apostolus: *Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc*: sed de fide gratis data, aut dona Dei, quo confidimus quod petimus, vel optamus, certo fieri. Et hæc est fiducia impetrandi, vel faciendi signa, cum opus est, aut vtile, inuocato Christi nomine. De

Matt. 10. Cur nunc potius, quam alias permiserit Christus discipulos in fide deficere. Cum dicitur Si habueritis fidem sicut granum sinapis, &c. de qua fide sermo sit. *1. Cor. 13.*

qua Apostolus, enumerás eius generis gratias: *Alteri*, inquit, *fides* (scilic. datur) *in eodem Spiritu, alij gratia sanitatum, &c.*

2 Cor. 12.

Fides Theologica, & gratuita inter se quid differant. I. Discrimen.

Differunt autem inter se: quia prima fides est de articulis credendis, & limitatis, & certis, vt de Trinitate, Incarnatione, Sacramentis, &c. Secunda vero est de agibilibus, vel de his quæ ad actionem pertinent, & quæ limitari non possunt, sed vt occurrit gloria Dei, aut salutis necessitas.

II. Discrimen.

Deinde differunt: quia prima tantum assentitur, quod Deus v.g. possit sanare hunc hominem, secunda vltra illud confidit, quod Deus velit sanare, sine vlla hæsitatione petentem, alias nihil obtinebit: Qui enim hæsitat, ait B. Iacobus, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur & circumfertur. Non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid à Domino. Ait quoque Dominus apud Matthæum: *Amen dico vobis, Si habueritis fidem, & non hæsitaueritis*, & reliq. Et hæc fides non est in potestate nostra, sed opus est Deo permouente cor, vt determinate confidat rei in se indeterminatæ, vt illam postea concedat. Deus tamen absque demerito nostro, & nobis volentibus, non dat quandoque hanc fidem saluti minime necessariam: secus primam, quam secunda ponit, & quæ sine secunda esse potest: vt in omnibus fere Christianis, & Apostolis, antequam signa facerent, perspici potest.

Iacob. 1.

Diffidentiæ morbo laborans cui similis, teste Iacobo.

Quæ fides nõ sit in potestate nostra.

III. Discrimen.

Episc. Abul. in Matt. c. 17. q. 165 sub initium.

In prima fide, vt docet Episcopus Abulensis, non est dare magis, aut minus, quatenus si quis vnum aliquod vel non credat, vel de eo deliberate dubitet, confestim eam perdat: nihil etiam deintegro credit, quod ante implicite non credidisset. Quam Abulensis Episcopi doctrinam ita intelligo, vt intendi, & augeri indies in corde magis possit eiusmodi assensus, seu actus fidei Catholicæ, sicut & habitus, de qua precatur Ecclesia: *Da nobis Fidei, Spei, & Charitatis augmentum*: & Paulus Thessalonicensibus, *Gratias agere debemus semper Deo pro vobis, fratres, &c. quoniam supercrescit fides vestra.* Vbi de Catholica fide est sermo: secunda tamen, id est confidentia obtinendi petita, intendi potest, & remitti. Vnde Christus de Centurione: *Non inueni*, inquit, *tantam fidem in Israel*: & Chananææ, *O mulier magna est fides tua*, & discipuli, *Adauge nobis fidem*: & Apostolus, *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam.* Maior ergo est, quæ ad maiora se extendit, quam quę ad minora: vt Iudæi seniores credebant per tactum posse sanari seruum Centurionis; hic vero, quod posset curare verbo sine tactu, Archisynagogus Christum

2. Thess. 1.

Matth. 8.

Infra 15.

Luc. 17.

1. Cor. 13.

Maior fides quæ censetur.

Luc. 7.

Matt. 9.

credebat filiam suam posse sanare, sed non defunctam ad vitam reuocare. Et circa eandem rem, feruentior, & magis radicata fides illa est, quæ non tollitur ob impedimenta oblata, vt illa Chananææ: difficilius illa, quæ minor est: maior etiam facilius, & breuiori tempore, atq; oratione impetrat quam minor.

Quæ item feruentior sit fides.

Infra 15.

Comparauit Dominus hanc fidem grano sinapis, non: vt quidam volunt, quasi significare voluerit fidem etiam paruam sufficere ad montes transferendos: qui sensus vel ex hoc loco refellitur. Nam vel paruam saltem fidem habebant discipuli, quos propter diffidentiam, vel incredulitatem dicit Dominus fuisse impotentes. Diuus quoque Hieronymus ostendit illum sensum refelli ab Apostolo, qui ad hæc Domini verba alludens, & illa explicans, fidei perfectæ, & maximæ tribuit transferre montes. *Si habuero*, inquit, *omnem fidem* (id est, totam, siue perfectam fidem) *ita vt montes transferam.* Sicut igitur regnum cælorum grano sinapis comparatur, quod cum minus sit omnib. seminibus quæ sunt in terra, crescit tamen in arborẽ magnam: ita hic fides confertur grano sinapis, propter qualitatem eius, id est, efficaciam, & acrimoniam. Vna ergo, & eadem res propter diuersas proprietates comparatur diuersis, vt leo, propter fortitudinem, Christo Domino assimilatur, propter sæuitiam vero, dæmoni. Et idem de serpente, qui ob prudentiam comparatur Christo, ob venenum vero, & ingenium, quo ex insidijs aggreditur, comparatur Satanæ. Ita sinapi ob quantitatem paruam assimilatur regno cœlorum, ob qualitatem, siue acrem virtutem eius comparatur fidei. Meminit etiam huius fidei alibi Christus, cum ait: *Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, non solum de ficulnea facietis, sed etsi monti huic dixeritis, Tolle, & iacta te in mare, fiet.* In quibus sententijs translatio montium à Domino habita est iuxta vulgus, vt res omnium difficillima, & impossibilis. Proinde hic, & alibi apud Matthæum, & in priori ad Corinthios, vt magnũ quid ponitur translatio montium, qua tamen maior est suscitatio mortuorum: sed subijcitur regula post exemplum montis, qui oculo erat præsens, quod omnia poterunt: *Et nihil*, inquit, *impossibile erit vobis*: at alio lòcò de arbore præsente exemplum posuit. ¶ *Dicetis monti huic, Transi hinc illuc, & transibit.* Significat; Dicere poteritis quicquid postea facere volueritis. Et cum ait, *monti huic*, non de dæmone hoc dixit, qui expulsus, non erat amplius præsens, vt alibi, vbi

Fidem cur Dominus grano sinapis comparauerit.

Ratio quorundam minus idonea.

Hieron. in Matt. tom. 9.

1. Cor. 13.

Mar. 4.

Altera congruentior, & aptior.

Apoc. 5.

1. Pet 5.

Vna & eadem res diuersas vni de suscipit cõparationes.

Ioan. 3.

Matt. 21.

1. Cor. 13.

Magna miracula quæ sint.

Luc. 17.

His verbis Domini: Dicetis monti huic, trãsi hinc, &c. de quo monte sit sermo.

dæmon non erat amplius præsens: id ponit, vt Matth. 21. vt rarum, quod non est de dæmone. Ergo intelligitur de monte materiali, quem ante oculos habebat. An vero hoc signum de monte transferendo aliquando per sanctos editum fuerit, dubitant quidam. Certe Eusebius Cæsariensis Gregorium Neocæsariensem virum Apostolicum tradit, rupem quandam vicini montis, quæ constructioni cuiusdam Ecclesiæ impedimento erat, suis precibus se mouisse tantum, quantum opus erat ad condendam Ecclesiam: idq; per alios fortassis etiam est factum. Suidas namque in verbo ἀγαπητός. Agapetus Episcopus Synadon (quem vehementer laudat Eusebius) referens ingentia miracula ab ipso fuisse patrata, quod videlicet montes & flumina è proprijs locis ab ipso dimota & alio translata sunt. Faber quoque Stapulensis testatur, se legisse in historia Tartarorum iuxta Baldacem, Montem Diuina virtute translatum esse, oratione cuiusdam viri sancti, cum improperarent Tartari Christianis illud Euangelij: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis.* Nihil tamen vetat etiam iuxta spiritum intelligere cum Beato Hieronymo, per montes, homines superbos, & in potestate constitutos, qui indigne opprimunt pauperes, & vexant: qui piorum precibus, & fide insigni præstantium detertentur, & alio declinant onera. Sunt etiam diaboli montes, iuxta illud: *Ecce, ego ad te mons pestifer, ait Dominus, qui corrumpis vniuersam terram:* qui similiter feruenti sanctorum precatione, & fide à loco expulsi, alio suum pondus detorquent. Et notandum est, Dominum hac sententia non tantum voluisse commendare nobis faciendi, vel impetrandi miracula confidentiam, ne ad nos eam parum, vel nihil spectare putemus, sed in genere fiduciam quiduis impetrandi à Deo, quod ad eius gloriam & nostram salutem spectet. Hinc Dominus postquam similia verba produxit, subiunxit: *Et omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Hinc cum quid petendum est à Deo, ante orationem homo colligat magnam in Deo fiduciam, sine qua nihil profutura esset oratio, saltem quod ad impetrationem spectat.

Montem orando qui transtulerint.
Euseb. Cæsar. lib. 7. c. 25. in fin. to. 1.
Suidas historicus.
Faber Stapulen.
B. Hieron. in Matt. 21. to. 9.
Montes qui mysticè.
Ierem. 5.
Matt. 21.
A Deo aliquid postulaturi qualem prius in Deo confidentiam concipere debeat.

Et dixit illis, Hoc genus (scilicet dæmoniorum) *in nullo potest exire, nisi in oratione, & ieiunio.* Hæc est altera causa, cur non potuerint eijcere dæmonium. Sed occurrit dubium, de quo genere dæmonum Dominus hic loquatur? Chrysostomus de omnibus in genere dæmonijs intelligit hanc sententiam [illegible] quæ expellenda multum valet oratio, & ieiunium. Sed certè Domini verba de certo genere dæmonum loquuntur, quia ait, hoc genus, & quia Apostoli dæmonia expulerant sine oratione, & ieiunio. Theophylactus intelligit de omni lunaticorũ dæmonum genere. Quia tamen illis sunt omnia dæmonia nocentiora, & peiora; ideo rectiùs de genere dæmonum pessimorum, & qui longo tempore hominem possederint, quale erat prædictum, quod ab infantia puerum obsidebat.

Mar. 9.
Cum Christus ait: Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, &c. Quo de genere dæmonum loquatur. Primus sensus qui reijcitur.
Chrys. ho. 58. in Matt. to. 2.
Alius sensus Theophylacti in Marc.
Tertius sensus, accommodatior.

Alterum dubium in his verbis occurrit, Quomodo Dominus exigat ad expulsionem quorundam dæmonum, orationem, & ieiunium, cùm superiùs solam fidem, siue fiduciam perfectam sufficere ad omnia significauerit? Dicendum, Dominum in prioribus verbis id, quod ad omnia signa edenda est generale, nimirum fidem, hic vero id quod est peculiare, & proprium ad expulsionem quorundam dæmonum requisiuisse. Nec illud generale excludit istud peculiare: quia non est dictum, solam fiduciam sufficere, sed fiduciam perfectam esse necessariam, & sine ea signa non fieri: cui nõ obstat quandoq; esse ieiunandum, vel orandum ad certa quædam miracula perficienda. Adhæc oratio, & ieiunium, quæ Dominus exigit, ex perfecta fiducia oriuntur, & ob id requiruntur, vt eam magis augeant, & excitent. Qui enim perfectam habet in Deo fiduciam, non dubitat ardentibus precibus vacare, donec quod vult impetret: & qui precibus incumbit, requirit ieiunium, & abstinentiam ab omnibus delitijs, vt faciliùs impetret. Ad hæc per orationem homo agnoscit se nihil esse, & nihil posse: per ieiunium vero luget, & cruciatur caro. Voluit ergo Dominus, vt qui dæmones de corporibus expellunt, agnoscant se ex seipsis nihil efficere, sed Deum, etsi possit macerare corpus, & affligere.

Quomodo ad expulsionem quorundam dæmonum Dominus exigat orationem, & ieiunium, cum superius solam fidem ad omnia satis esse significauerit.
Oratio, & ieiunium vnde ortum habeant.
Oratio & ieiunium quid prosit homini.

Ad rem ergo redeundo, intellige, varia esse dæmonum genera: vnde quidam delectantur facere mutos, alij surdos, alij lunaticos, & luxuriæ deditos: ideo dicuntur surdi, muti, lunatici, & immundi. Vnde philosophrasti sunt, non philosophi, qui negant hæc posse facere dæmones, quod est asserere, illos morborum causas ignorare, & seipsos dæmonum calumniatores, hoc est, diabolos facere. Quidam autem sunt dæmones, qui non eijciuntur nisi in oratione, & ieiunio: vt erant isti, qui hoc exigebant: non quasi natura potentiores, & ob id magis resistentes, quia non agunt vt possunt, sed vt permittuntur.

Quot dæmonum genera.
In eos, qui dæmones in homine varios morbos efficere posse negant.

Vnde

Iob. 2.

Vnde illorum vni dictum est: *Animam illius serua*, id est, vitæ parce, ne occidas. Ideò minor potentia potest plures vexare, si permittatur. Deinde, quia nesciretur quis esset minoris potentiæ, nesciretur quando esset orandum, vel ieiunandum: causa igitur est, quòd Iudæi maximum signum putabant, tales spiritus diu obsidentes ab infantia, & qui efficiunt mutos, & surdos, atque acerbè vexantes eijcere. Vnde aliàs vno simili eiecto dixerunt: *Nunquam apparuit sic in Israel.* Et rursus altero eiecto stupebant omnes turbæ, dicentes, *Nunquid hic est filius Dauid?* Non ita autem de alijs expulsis mirabantur. Hinc Christus vt suam potestatem Iudæis ostenderet, sibi soli, qui nullis regulis est astrictus, verbo eijcere eiusmodi dæmonia, seruabat; alijs autem sine oratione, & ieiunio præmissis, non dabat fidem eijciendi: quam si haberent, sine illis ea eiecissent: quia omnia possibilia sunt credenti, & habenti fidem vt granum sinapis. Et ob incredulitatem non eiecerunt: sed incredulitas fuit, quia non præmiserunt ieiunium, & orationem. Hæc autem duo voluit Christus, quia volebat eijcientem bene esse dispositum ad obtinendum: quod oratio quidem immediatè facit, ieiunium verò (vt sic dicam) mediatè, ac remotè. Oratio siquidem dæmoni admodum terribilis est: hanc autem efficaciorem & valdè potētem efficit ieiunium. Atque hæc duo opera speciatim frequentabant Iudæi religiosi, vt habes in Luca. Eleemosyna autem non ponitur, quia disponit ad proximum. Qui ergo illis armis orationis, & ieiunij instructi sunt, formidabiles sunt dæmonibus: at verò illis destitutos, etiamsi nomen Dei, & Christi inuocetur, non formidant. Hinc Iudæi quidam exorcistæ, cùm tentarent nomine Christi inuocato, quem Paulus prædicabat, dæmones eijcere, quia orationem, & ieiunium non colebant, respondens spiritus nequam, dixit eis: *Iesum noui, & Paulum scio; vos autem qui estis? Et insiliens homo in eos, in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborũ, inualuit contra eos, ita vt nudi, & vulnerati effugerent de domo illa.* Et quanquam Chrysostomus, & eius discipuli, Theophylactus, & Euthymius, doceant necessarium esse orationem, & ieiunium, non solùm eius qui sanat, sed etiam eius qui patitur: verius tamen est, & hoc Origenes apertè docet, & ratio magis suadet, vt hoc requiratur ex parte tantum eijcientis: quia obsessus à dæmone plerunque impeditur à precibus & ieiunijs: quanquam si adessent in illo, facilius dæmon eijceretur. Verba Origenis

Quorum dæmonum eiectio Iudæis signum maxi mũ videbatur

Matt. 9.

Infra 12.

Marc. 9.

Quæ fuerit incredulitas discipulorum: quam propter eijcere dæmonium à Luna ico nequiuẽ e.

Oratio quę dæmoni valde terribilis existat.

Ioan. 5. Orationem, & ieiunium qui colebãt Iudęi.

Dæmonibus formidabiles qui sint.

Act. 9.

Chrysost. vt supra.

Theophylact. Euthym. c. 35 in Matth.

Orig. tract. 4 in Matt. to. 2

Exorcistæ ne an verò arreptitij debeant orare, & ieiunare, vt eijciatur dęmoniũ.

hæc sunt: *Hoc genus non eijcitur nisi in ieiunijs & orationibus; etsi aliquando oportuerit nos circa curationem tale aliquid patientium permanere, non adiuremus, neque interrogemus, neque loquamur quasi audienti spiritui immundo, sed permanentes in orationibus & ieiunijs, impetremus patienti salutem à Deo, & abigamus ieiunijs, & orationibus nostris spiritus malignos.* Hæc ille.

In huius verbis perpende, non prohiberi dæmonum adiurationes, vel loqui cum ijs, quia Dominus vel in hoc ipso signo adiurauit, interrogauit, & locutus est cum dæmone, sed tantùm prohibet, ne illis solis fidamus, non adferentes orationum, & ieiuniorum subsidia. Oratio igitur & ieiunium in eijciente requirũtur. Discipuli autem nondum ieiunabant, nec iugiter orabant, quia adhuc Sponsus erat cum eis, qui orabat, & ieiunabat pro ipsis. Christus autem nunc ab oratione descendebat de monte, & magnam diei partem transegerat ieiunus: quibus non vacabant discipuli in multitudine versantes. Ipse autem hic loquitur de eo, qui per potestatem participatam eijcit dæmonia, non autem per propriam, vt Dominus eijciebat. Certè Eusebius Emyssenus homilia de initio Quadragesimæ: *Quam quidem vitam Apostolis suis Iesus insinuauit, vt requirentibus quod remedium ei qui à dæmonio vexabatur, possent adhibere, responderit. Hoc, inquit, genus dæmonis non eijcitur, nisi per orationem, & ieiunium. Vide quid commodi circa propriam operetur salutem, quod alio ieiunante interdum etiam ad alienam pertinet sanitatem, vt homo per abstinentiam, Angelicam possit expugnare naturam.* Hæc ille. Etsi ergo ad signa patranda, opus sit fide in edente signum, & in illis qui recipiunt illa, vel saltem in illis, qui pro eis petunt, vt constat in mortuis suscitatis, & isto sanato propter fidem patris: tamen oratio & ieiunium communiter necessaria sunt edentibus signa, non autem illa suscipientibus, vt putat Caietanus. Neque hic quicquam dicitur, quod lunaticum de carne tentaret, ad quam opus sit oratione, & ieiunio: quia non est quæstio de victoria tentationis carnis, sed de expulsione dæmonis. Et tentans de superbia expelli debet ab obsesso per contraria opera: & tamen aliàs Discipuli in solo nomine Iesu spiritus eijciebant. Apostoli etiam, vel arreptitius nunc minimè tentabantur; & ideò ait de præsenti, nõ eijcitur. Et nescirent expellentes de quo vitio tentarentur obsessi ad eijciendum spiritum malignum. Nisi fortè dicatur, quòd ea quæ valent ad vincendũ tentationem, eadem accommoda sunt ad expellẽdum

Quo sensu dęmonum adiurationes fieri Origenes vetuerit.

Luc. 5.

Vbi Dominus ieiunauerit, & orauerit, vt à lunatico dæmonium expelleret.

Euseb. Emyssen. hom. 1. de initio Quadrages. in princip.

Virtus abstinentiæ.

Quibus cõmuniter sit oratio & ieiuniũ necessaria in eiectione dæmonum.

Matth. 9.

Luc. 7.

Ioan. 11.

Caietanus.

Improbatur sensus dicentium, lunaticũ fuisse de carne tentatum à dæmone.

Luc. 9.

dum dæmonia: quod probabile non est. Hic etiam obseruanda est ieiunij virtus cõtra dæmonem, quam dæmones atque hæretici eorum ministri se odisse mirificè testantur.

Odiosum quibus ieiuniū sit.

In hoc spiritu lunatico surdum, & mutū efficiēte quid spiritaliter sit intelligendū.

Et quanquam hæc vera sint, quę ad literam diximus: mysticè tamen, & iuxta spiritum in hoc spiritu lunatico surdum & mutum efficiente, & qui ab infantia corripuit puerum, rectè intelligimus fomitis cupiditatem, siue carnis infirmitatem, quam ab infantia contraximus. Proni enim sunt sensus hominis ad malum ab adolescẽtia sua. Hæc carnis petulantia lunaticos efficit homines, quibus illud competit: *Stultus sicut Luna mutatur*, dum eos instar Lunæ moueri facit, & nunc ad hanc, nunc ad illam concupiscentiam exaturandam impellit: & nunc proijcit in aquam luxurię, nunc in ignem iracundiæ, & ambitionis: nunc mutos efficit ad loquendum bona, ad detractionem verò vocalissimos, surdos ad audiendum Dei, ad turpia verò, & lasciua verba impensè auritos. Spumat cũ stulta, & quicquid in buccã venerit, euomit: stridet dentibus, cum iracundia percitus impetum facit in obuium quemque. Arescit verò, cùm aliena felicitate cruciari, & erubescere facit. Hæc est infirmitas, quam Apostoli sanare nesciuerunt, & nequiuerunt: Christus verò solo verbo curat.

Gen. 8.

Eccles. 27.

Carnis petulantia quales homines efficiat.

Quisque autem Apostolorum, & quisque nostrûm si fidem adferat cum oratione & ieiunio coniunctam, facilè tantæ infirmitati medebitur. Vnde Hæretici, qui de fide gloriantur, cùm ad reprimendos lasciuos motus carnis, fidei virtutem non habeant, atque arma precandi, & ieiunandi acceperint, ab hoc dæmonio minimè liberabuntur, sed ab eo perpetuo obsidebũtur. Catholici verò, qui orthodoxã fidem tenent, si illi coniungant precandi, & macerandi carnem studium; & à molestijs carnis liberi erunt, & gloriosum de hoste suo capitali triumphum reportabunt, suffragãte Domino nostro Iesu Christo Dei Patris virtute, ac sapientia, in vnitate sancti Spiritus per omne seculum, Amen.

Fomes concupiscentiæ qua ratione curandus sit.

1. Cor. 1.

TRACTATVS XXXVII.

De signo Stateris argentei inuenti in ore piscis à Petro: & habetur Matth. 17.

Series historię

QVod nunc enarrandum est signum, proximæ historiæ connexum est, vt tres Euangelistæ tradunt, etiamsi solus Matthæus enarret quæstionem de censu à Christo Petro propositam: Matthæus autem, & Marcus, & Lucas scribunt post hoc signum prædixisse mortem suam imminẽtem. Ait ergo Matthæus: *Conuersantibus autem eis in Galilæa.* Marcus ait: *Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam: nec volebat quemquam scire*, scilicet quod immediatè subiungunt de passione, & morte eius. Vel nolebat quenquam scire, quòd iam iter faceret per Galilæam eam derelicturus, & profecturus in Ierusalem, ne videlicet eius profectio, aut retardaretur, aut impediretur à Galilæis, qui eum maximè diligebant, & retinere apud se exoptassent. De quo ait Lucas: *Ponite vos in cordibus vestris* (Græci habent, *in auribus vestris*) *sermones hos*: hoc est, applicate aures vestras, & attentos animos adhibete, non ad humanas laudes, quibus homines me commendant, sed ad ea, quæ maximè vox refert scire, nempè de passione, & morte mea. Quod ægrè, & cum difficultate Apostoli audiebant, & auditum multo minùs intelligebant: tantùm occupauerat corda discipulorum affectus, & amor erga Christum.

Mar. 9.

Quare Christus hunc sui discessum neminem voluerit scire.

Luc. 9.

Apostoli quid ponere debebant in cordibus suis.

Subdit ergo Matthęus: *Dixit illis Iesus, Filius hominis tradendus est in manus hominum: & occident eum, & tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer.* Marcus addit iuxta textum nostrum, licèt in Græcis non habeantur: *At illi ignorabant verbum, & timebant interrogare eum.* Sed etsi in Marco deesset, nihil referret, quia Lucas apertè ait: *At illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos, vt non sentirent illud: & timebant eum interrogare de hoc verbo.* Iam tertiò Dominus prædicit illis passionem suam, vt credant, quia incredibilis videbatur, vt intelligant, nec parabolam esse putent: quia nec tertiò intelligebant, vt Marcus, & Lucas tradunt, vt confirmentur, & minùs telis præuisis, debilitentur, vt ostẽdat se crucem amare, de qua sæpè loquitur. Nunc autem, quia putabant ob transfigurationem non esse passurum, iterum prædicit. Et tradendum se vocat in manus peccatorum, id est, Iudæorum per Iudam, & Gentilium per Iudæos. Ipse etiã se tradidit iudicanti se iniustè. Meminit enim resurrectionis, quia maiori opus est instructione in eo articulo: quia non fuit ab omnibus conspecta, vt passio, sed tantùm credita. Contristati autem sunt discipuli, quia Christum secundùm carnem amabant, & propterea contristabantur: etsi scirent vtilitatem passionis Christi, & intelligerent resurrectionem, quæ tamẽ fortè non cognoscebant.

Luc. 9.

Cur toties passionem suam Christus prædixerit.

1. Pet. 2.

Cur Dominus hic meminerit resurrectionis.

Vnde Apostoli fuerunt contristati audita Christi passione, & morte.

Quod autem dicitur à Luca, & Marco,

Qui verum sit Apostolos verbum Crucis, & passionis intellexisse.
Ioa n 12.
Psal. 88.
Quales simus natura.

hæc verba ab eis non fuisse intellecta, intellige quantum ad modum: non enim capiebant quo modo stare posset Deum mori vel Christum obnoxium esse morti, cùm non ignorarent illud verbum: *Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum.* Vel corticem tantùm intelligebant, nó autem an propriè, an metaphoricè Christi verba essent accipienda: vtcumque tamen aliquid triste latere putabant. Tales enim sumus natura omnes, nisi Spiritus nos doceat, vt ea quæ Christi sunt, & Crucis eius, nisi auxilio Dei subleuemur, minimè capere valeamus.

Cur venerit Christus Capharnaum.

Iam sequitur historia soluendi censùs. *Et cùm venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, &c.* Capharnaum, metropolis est Galilææ, in qua fortè census, & tributa Galilææ colligebantur: in qua sita erat Nazareth subiecta Capharnaum metropolitanæ ciuitati, vt vult Hieronymus; siue quia Dominus habitabat cum suis in Capharnaum, adeò vt dicatur ciuitas eius. Nec ita cogebantur ad proprias vrbes, vt censerentur, quemadmodum in prima descriptione Cyrini sub Augusto factum est.

Hieron. lib. 2 in Matt. to. 9
Luc. 2.
Quare nunc primò, & non antè, à Christo didrachma quæsitum sit.

Et quia Christus à secundo anno prædicationis suæ cœperat esse caput familiæ, ideò nunc primo petitum est ab eo didrachmum. Nam si priùs fuisset petitum, & solutum, non opus erat nunc de ea re disputare. Si verò postulatum esset, sed non solutum, & caussas allegasset Dominus immunitatis, idem nunc faceret: vel si de scandalo tunc non curasset, nec nûc etiam curaret.

Ad Petrum potiùs, quã Christum, cur accesserint ministri pro soluendo didrachma.

Accesserunt, inquit, *qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei, Magister vester non soluit didrachma?* Ad Petrum primò occurrentem, & magis notum, quia domicilium ibi habebat, & inter alios præcipuum accesserunt, non ad Christum, ob timorem ne noceret, quem nouerant miraculis illustrem, & ob eius reuerentiam, & vultus maiestatem, & quia nondum soluerat censum.

Illud: Magister vester non soluit didrachma interrogatiuè, an affirmatiuè legendum sit. Altera solutio probabilior.

Et quod aiunt, non soluit, affirmatiuè intelligendum quidam esse contendunt. Cogitabant enim omninò vt solueret, aliàs scandalizarentur. Sed certè hoc non est pronuntiandum, affirmatiuè per expostulationem, quasi telonarius cũ Petro expostulet, quòd Magister hactenus non soluerit didrachma: sed per quæstionem, siue interrogationem legi debet. Nam Græcè, soluit, de præsenti est οὐ τελεῖ: & οὐ particula nihil hic negat, sed vim habet interrogandi, vt num: quo aduerbio negatum esse volumus id, de quo interrogamus. Quasi dicerent, Soluit ne Magister vester didrachma? vult ne, aut, solet ne soluere? Quod similiter absque signo negatiuo dicere consueuimus; vt, Soluis tu vectigalia? Vel, Pendis tu tributũ? Et licèt ipsi publicani melius nossent, qui artem suam non ignorabant: tamen modestè, & secretò cum Petro loquuntur. Non autem volebant facere, vt Dominus repugnaret Cæsari: quia publicè vt Herodiani, dixissent.

Matth. 22.

Et notandum, legendum esse in plurali neutrius generis didrachma: nam Græcè dicitur τὰ δίδραχμα: declinatur enim didrachmum didrachmi. Et significat duas drachmas, sicut tetrachmum, quatuor drachmas. Non est autem in fœminino genere, & in accusandi casu dicendum vel legendum, didrachmam, vt quidam corruptè legunt.

Didrachmum quid.

Est autem magna differentia inter voces quasdam pronuntiatione valdè similes, sed literis diuersas, nempè drama, dragma, & drachma. Drama enim, est fabula, siue actio, aut repræsentatio fabulæ, in qua plures sunt personæ, & quisque agit suam personam absque poëtæ interlocutione, vt sunt tragœdiarum, vel comœdiarum. Atque in hoc sensu de B. Virgine canit Ecclesia: *Ante torum huius Virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis.* Dragma verò cum g. significat rapinam, vel manipulum, hoc est, quantum vna manu comprehendere possumus. Et hac voce vtuntur Septuaginta Interpretes, Gen. trigesimoseptimo, quando Ioseph vidit somnium, & putabat se videre manipulos in agro, & suum consurgere, & stare, & aliorum manipulos suum adorare: dragma manipulum vocans: & in vtraque significatione est tertiæ declinationis, & generis neutrius. Drachma verò per χ siue per ch, fœminini generis est, & secundæ declinationis δραχμή: estque octaua pars vnciæ, & minæ Atticæ centesima, vt tradit Iulius Pollux. Porrò mina Attica genus est ponderis, ac proinde monetæ libram Romanam superans in quatuor drachmis: nam Græca continet centum, Romana verò nonaginta sex.

Drama, dragma & drachma quid inter se differant.

Iulius Pollux lib. 9.

Similiter etiam drachma præter rationem ponderis, genus est monetæ argenteæ, quæ pendebat, vt diximus, octauam partem vnciæ: sic enim docent Iosephus, & Hieronymus. Verba Hieronymi super Ezechielem, hæc sunt: *Siclus autem, id est, stater; habet drachmas quatuor. Drachma autem octo Latinam vnciam faciunt.* Hæc ille. Cum quibus parum videntur conuenire, quæ in Quæstion. super Genesi. 24. scripsit, vbi didrachmum interpretatur esse semuncium, & siclum vnciæ pondus habere. Cùm reuera siclus, siue

Ioseph. lib. 3. Antiq. c. 9.
B. Hieron. in Ezech. c. 4. post med. pag. so, tom 5.
Siclus quot drachmis constet, teste Hieronymo.
Idem tom. 3.

stater,

ſtater,ſiue tetrachmũ nonniſi ſemiunciam faciat: ſicut ſemiſiclus, vel didrachmus quartam partem, drachma verò octauam tantùm partem efficiat.

Quarta pars ſtateris quod idem ſit ac drachma.

Quod ergo dicitur 1.Reg.9.quarta pars ſtateris argenti,ſiue vt Hebræa habent, ſicli argenti, reuera aliud non erat quàm drachma. Et Chaldæus ibi Paraphraſtes habet:*Ecce inuenta eſt in manu mea zuza vna:* quæ vox quoque in Euangelio Syriaco in id verbum Lucæ: *Si perdiderit drachmam vnam,*reperitur: & hoc loco habet idem Syrum Euangelium pro didrachma theren theren zuzin daceſeb riſa: id eſt,bina bina zuzim ex argento capitatim, ſiue binas drachmas argenti capitatim. Quæ diligenter ſunt annotanda, quia vſui erunt futuris diſputationibus. Et interim hinc accipias, drachmam Græcè, & zuzam Syriacè idem eſſe, & eſſe quartam partem ſicli, vel ſtateris: & illam ſolui ſolitam viritim, ſiue per ſingula capita, non domeſticatim per ſingulas domos,ita vt ſolus pater familiàs numerare deberet; & Helias Hebræus norat, idem eſſe zuzam, & denarium,& fuiſſe monetam non æream, vel auream, ſed argenteam: Quia verò nunc octaua pars vnciæ argenteæ efficit nummũ, quem Romani Iulium,Hiſpani Regale, Veneti Marcellum vocant: efficitur vt didrachmum paulò minus quàm duos Iulios, aut duos Carlinos contineat. Vnde Græcè Διδραχμοι dicũtur apud Thucydidem, qui pro duabus drachmis locant operas ſuas diurnas:& Διδραχμον vocanr rem,quę duabus drachmis vænijt. Hoc autem genus nummi,illud idem eſt cum eo, quod Dominus alibi dixit: *Oſtẽdite mihi numiſma cenſus.*Habet autem Syrum Matthæi Euangelium: *Oſtendite mihi denarium argenti capitis,* id eſt,cenſus capitatim ſoluendi.Eſt autem didrachmum,ſiclus ille dimidius, ſiue dimidius ſtater, quem ſoluebant omnes filij Iſraël, qui aſcendebant ad 20.annum, vt profiterentur ſe à Deo eſſe redemptos, vt traditur in Exodo,& decẽ obolos valebat.

Luc.15. — Zuza quid Syriacè. — Drachmam qui ſoluerent. — Helias Hebręus autor. — Διδραχμοι qui Thucydides. — Matth.22. — Didrachmum quid illud, cur ſoluerent Hebræi. — Exod.30.

Nec obſtat dictis,quòd ſiclus,quem diximus Hebræis eſſe idem quod Atticis ſtaterem,dicatur in Scripturis viginti obolos valere,drachmam verò dicimus valere ſex obolos: vnde fit vt ſtater comprehendat vigintiquatuor obolos:quia oportet intelligere obolos, in quo diuiditur ſiclus Hebræis, in Scripturis fuiſſe maiores obolis Atticis. Eſt ergo drachma numiſma Atticum, idem valens quod denarius numiſma Romanum, vel minima erat differentia. Et ſicut denarius Romanis dicebatur, eo quòd valeret decem aſſes ęreos,ita eiuſdem ferè põderis nummus dicebatur Atticis drachma, eo quòd octaua eſſet pars vnciæ argenteæ. Nam drachma propriè erat ponderis nomen, quæ diuiditur in terna ſcrupula, & horum ſingula in binos obulos.

Ibidem. Num.18. — Stater quot obolis conſtet. — Denarius vnde diceretur apud Romanos. — Atticis nummus cur drachma dicebatur.

His igitur poſitis, iam diſſerendum eſt, qua de cauſa publicani iſti in Capharnaum didrachmum exigerent. Et in primis dicendum,non fuiſſe vectigal, quod penditur pro mercium tranſitu,vel traiectu:quia Chriſtus nõ erat mercator,qui merces traijceret. Secundò, Chryſoſtomus hoc loco exponit,didrachma à Chriſto exactum ſecundùm legem Moyſi, tanquam à primogenito: de qua lege eſt ſermo Numer. 18. Verùm hæc non ſolidè dicuntur:quia pretium primogeniti ſemel tantum perſoluendum,idque paulò poſt menſem à natiuitate: & Chriſtus iam perſoluerat in die Præſentationis ſuæ in templo.Deinde pretium pro primogenito non erat didrachmum,vel ſiclus, vt vult Chryſoſtomus,ſed quinque ſicli.Adhæc minimè tale pretium exigeretur in Capharnaum, ſed Ieroſolymis:& Petrus non erat primogenitus, ſed Andreas frater eius ſenior erat illo. Tertiò B. Hilarius in hunc locum opinatur, didrachmum hoc perſolui ſolitum ſecundùm legem Exodi,in qua traditur, vt viri aſcendentes vigeſimum annum, & ſupra, &qui veniebant ad numerum,pro redemptione, & propitiatione ſua, dent in vſus tẽpli dimidium ſicli: de quo Ioſephus lib. Antiquitatum ita ſcribit: *Siclus,nummi genus eſt apud Hebræos,quales ſunt tetradrachmi Attici.* Vnde idem eſſe conſtat didrachmum, & dimidium ſicli. Sed hanc ſententiam veram non eſſe,ex multis colligi poteſt.Non enim hæc didrachma ſecundùm legem colligebantur, ſed ſecundùm præceptum Romanorum,quibus erant Iudæi facti tributarij:petijt enim Dominus à Petro, *Reges terræ à quibus accipiunt tributum,vel cenſum? &c.* Ergo hæc didrachma pro tributo & cenſu Romanis debito exacta ſunt. Lyrani ergo ſentẽtia non poteſt ſtare, vel aliorum qui eum ſequuntur, qui putauit, tantum quemlibet domus patrem familias ſoluiſſe annuatim hoc didrachmi tributum, cùm conſtet viritim, non domeſticatim conſtitutum,vt olim ſemiſiclum pendebant oẽs viritim,qui tranſibant ad numerũ. Deinde ſi in vſus tabernaculi colligerentur, non in Capharnaum,ſed in templo Ieroſolymorum acciperentur:nec pro duobus, Chriſto,& Petro, ſed pro omnibus,& ſingulis Apoſtolis, qui excederent annum vigeſimum:quia,vt habet Euangeliũ Syriacum, viritim,

Cur iſti publicani in Capharnaum didrachmum exigerent. Primo opinio, quę refellitur. — Chryſoſt. ho. 58 Matth. tom. 2. — Secundus verò minus probabilis. Luc. 2. — Chryſoſt. ibidem. — Tertia opinio. Hilar. Can. 17. in Matth. Exod. 30. — Ioſeph. lib. 3 Antiq. c. 11. ... Impugnatur duplici ratione. — Contra Lyranum.

viritim,siue capitatim erat pendendum,& Christus iam per plures antè annos pendisset,quia erat in tricesimo vitæ suę anno cōstitutus.Ruunt ergo omnes illæ sententiæ, & illa etiam Origenis in Matthęum,qui vtrumque membrum complexus scribit fuisse pretium,vel primogenitorum, vel eorum qui ascendebant ad summam viginti annorum.

Tertia opinio. *Orig. tract. 4 in Matt. 10.2*

Statuendum ergo est vt solidum, fuisse annuum quoddam tributi genus impositū in singula capita, vt tyrannis penderent, quod olim vni Deo soluebant:& in eo soluendo profitebantur se subditos Cæsari: quod intolerabile Iudæis esse, multi, qui seditiones de huiusmodi excitabant, contestabantur, & quòd exuerent subiectionem,quam erga Deum habebant. Incertum tamen,quando,& à quo primum hoc tributum didrachmi cœperit à Romanis imponi Iudæis.

Quarta opin. acceptione dignissima.

Quando,& à quo primum hoc tributum didrachmi à Romanis cœperit Iudæis imponi.

Quidam putant à Pompio cœpisse, qui vt Iosephus scribit, Ierosolyma fecit Romanis obnoxia tributo. Alij verò (quibus libēter subscribo) verisimilius existimant, ab Augusto in descriptione vniuersi orbis facta initium sumpsisse.Quod ex eo etiam redditur probabile, quia Pompeius non legitur Galilæam fuisse tributariam, sed Iudæam tantùm, siue Ierosolymam. Et quare hoc didrachmi tributum sit Iudæis impositum,explicat Iosephus lib.de bello Iudaico:*Stipendium*,inquit (siue,vt est Græcè,φόρον,id est,tributum) *vbicunque degerent, Iudæis indixit : binasq; drachmas singulis annis deferre in Capitolium iussit, ita vt ante hac Ierosolymorum templo pendebant.* Sic ille. Non enim Vespasianus tunc primùm tributum illud Iudæis indixit,sed quod Iudæis priùs Iudæam inhabitantibus fuit indictum à Pompeio,vel Augusto, idem ipse extendit in Iudæis, vbicunque terrarum agerent: vel etiam quia Iudæi propter rebellionem & bella gesta excusserant iugum illius tributi antiqui, Vespasianus illud renouauit, & instaurauit,vt ante bellum extiterat. Et fortassis Attico nomine hoc tributi genus didrachmum vocatum est : quod numisma Romanorum eius ponderis non haberet proprium nomen Latinum. Sed hæc coniectura est, quia Domino exigenti sibi ostendi numisma census, obtulerant denarium,nisi hic duplex, siue geminatus fuisset:vt quidam non improbabiliter existimant, vel obtulerunt denarium, addentes, illud duplum esse numisma census, quod pendebatur, & propterea Christus petijt numisma census apud Matthæum, cuius pars nempè denarius,ostensa est: &

Ioseph. lib 14. Antiq c. 8.
[...]l opinio.
Luc. 2.
Cur hoc didrachmi tributum fuerit Iudæis impositum.
Idem lib 7. de Bell Iudai. c. 26. in fine.
Vox didrachmi vnde sumpta.
Matth. 22.

Marcus,& Lucas dicūt à Christo petitum, petito scilicet numismate duos denarios continente.Et fortassis de hoc didrachmate loquitur Ioseph. cùm in lib. Antiq.scribit,quod in Neardam Babyloniæ, & Nisibim, ciuitates munitissimas in Mesopotamia Iudæos sacrum didrachma,quod Deo offerre ex more solebant, cæteramq; votiuam pecuniam,in his vrbibus, quasi in cōmuni ærario seruandā deponebant,vt inde suo tempore transmitterēt Ierosolyma. Est ergo didrachmum,census, qui pēdebatur Romanis, de quo Lucas,& Matthæus meminerunt : qui tantùm soluebatur pro capite cuiusuis.Vnde dixerunt: *Magister vester non soluit didrachma. Ait, etiam.* Quo verbo non vult Petrus indicare, Magistrum soluisse tributum, sed tantū de solutione exactores certos facit.Propter quod & Domino voluit in domo seorsum existenti rem proponere:quod & fecisset, si non ab eo fuisset præuentus: declarans se omnia prænoscere,& talem, qui meritò tributis,homini soluendis obnoxius esse non debeat.

Idem Ioseph. lib. 18. Antiq. c. 12. initiô.
Exod. 30.
Iudæorum Babyloniæ degētium pietas in templū Ierosolymitanum.
Luc. 2.
Matth. 22.

Et cùm intrasset in domum, præuenit eum Iesus,dicens:Domi, & non in via voluit Petrus rem proponere, ob honestatem, quia res seruilis erat censum soluere, & iniustum videbatur exigere à Christo. Ideò nesciebat quid responsurus esset, nisi prius cōsulto Domino. Dominus autem,vt se filium Regis,id est,Dei facto ostēderet, præuenit eum, ne de eo tanquam subdito Regibus discipuli scandalizarentur: *Quid tibi videtur Simon?* Id est, Petre, scio quid habes in animo,scio quid à te exegerint in via thelonarij, scio & quid mihi volueris proponere. Non ergo quærit, vt petat consilium,quia scit quid sit facturus,vt aliàs fecit:nec vt instruatur de his,quę in animo habebat,quia sciebat quid vellet dicere,& agere: & propterea præuenit eum. Nec rursus vt alij scirent tantùm, quemadmodum tentauit Abraham,& Philippum, quo alijs Abrahæ fidem,& Philippi infirmitatem notam faceret:sed interrogauit,vt ex concessis ab eo sine labore persuasionis inferret quod volebat:nam ex suis quisque magis suadetur, quàm ex alienis probationibus.

Cur Petrus domi,& non in via de censum soluendo Dominū certiorē fecerit.
Quo tendat hæc Christi interrogatio: Quid tibi videtur,Simon?
Ioan. 6.
Gen. 22.
Ioan. 6.

Direxit autem præcipuè sermonem ad Simonem, quia res speciatim ad eum spectabat,ad quem venerant exactores, & ille solus,non autem alij,scire posset, Christi videre cor. Aliàs autem ad omnes loqui solet. Et Simonem vocat, non Petrum, quia nōdum vt vicarium ,sed vt subditum, & priuatum habebat. Maior enim Petri super alios gradus sæpè signatus fuit vsq; ad passionem,vt Lucas indicat, contēdebant

Quæ caussa fuerit Petrum interrogandi potiùs,quàm alios Apostolos.
Quare Simonem non Petrum,vt aliàs Christus vocauerit.
Luc. 22.

enim amplius quis eorum videretur esse maior.

Reges terræ, à quibus accipiunt tributum, vel censum, à filijs suis, an ab alienis. Et ille dixit, Ab alienis. Tributum, significat collectam, quæ secundùm quantitatem facultatis Principi pẽdebatur: vectigal autem, erat illud quod pro his, quæ intra vrbem, vel extra portabantur, & alio nomine dicitur à Cicerone portorium, soluebatur. Et hæc distinguit Apostolus ad Romanos, cùm ait: *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.* Census autem distinguitur ab illis duobus, quia soluebatur pro capite cuiusuis, siue viritim, & non pro ratione facultatum. Et hic filios pro veris, & naturalibus accipit, non vt sumi solent filij, id est, subiecti naturales, & antiqui, prout opponuntur populis vi armorum subactis. Nam falsa alioqui fuissent Christi responsio: Ergò liberi sunt filij, qua voluit docere, se Regis esse filium. Et quia nec ipsi Romani ciues à tributo vel censu erãt immunes, vt testatur Dionys. difficile videtur, & obscurum, quo tendat Dominus per hanc conclusionem, nempe quod ab alienis, & subditis Reges exigant census, & tributa, non à filijs. Certum tamen est, Reges terræ, qui dominatum exercent, tributum à filijs nõ exigere, sed ab alienis, quos habent pro subditis, & seruis, sed quid hoc ad rem, vt ipse, & sui liberi censeantur ab illis tributis Cæsaris, cùm non essent filij Cæsaris, sed omninò alieni. Et Christus quasi filius Dauid non erat liber à tributo, etsi filij Regis etiam in alieno regno (non hostis tamen) liberi sint. Christus etiam non erat immediatus Dauidis Regis filius, & omnes tunc erãt sub Romanis. Ideò diligenter percipe quò tendat. Vt enim Reges Gentium hanc habent prudentiam, vt filios non vexent censibus, & tributis, sed illos tantum, quos vt subiectos habent: ita Rex Regum, cui omnes gentes lege naturæ tenentur flectere genua, habet in sua sapientia, vt non vexet filios suos, sed alienos tãtum. At quo pacto non satis vexat illos Dominus, permittens id Regibus, vt eos vexent? Reges enim ministri sunt Dei, & quod ipsi faciũt, Deus facere videtur. Respondeo: Permissio hæc sapientia Dei est, vt in omnibus per patientiam sui in hoc mundo lucrentur. Nec propterea Deus dicitur facere, quod fieri permittit: quia quod bonum est, tantum ipse facit.

Tributũ quid significet.
Vectigal verò quid sit.
Cicero ad Q. fratrem, & alibi sæpius.
Rom. 13.
A tributo, & vectigali, quid differat cẽsus.
Filiorum nomine non soluentium tributa, hoc loco qui veniant.
Dionys. lib. 4. Antiquit.
Quare Christus dixerit, Reges terræ ab alienis, id est, subditis census exigere, non à filijs.
Si liberi filij sunt, quomodo filij Dei, & quidem grauiter interdũ vexari regnũ, ac tyrannorũ exactionibus permittuntur.

Si dicas; Qui sunt hi filij Regis liberi ab hoc onere tributorum? Respondeo, in primis Christus ipse Filius Dei, qui hic protestatur se liberum ab onere pendendi censum, ne discipuli existimarẽt eum facto negare se filium Dei, & Messiã: maximè quia Iudæi illicitum putabant subdi Gentibus, & pẽdere illis tributum, & Messiam ab eis liberaturũ. Hinc Iudas Galilæus, & Theudas excitarunt rebelliones. Et tanquam ad inconueniens deducere volebant Iudæi Dominum ad confitendum, licere Cæsari dare censum in disputatione illa Christo proposita à Matthæo descripta. Dicendum ergò, quòd cùm Dominus infert, Ergò liberi sunt filij, non intelligit filios Dei, sed vt habet August. liberi sunt filij Regis cuiuslibet in regno ipsius.

Quinam sint filij Regis liberi ab hoc onere tributorum.
Act. 5.
Matth. 22.
August. lib. 1. quæst. Euag. qu. 23. to. 4.

Aliam Dominus hic suppressit conclusionem, nempe, ego liber sum, cùm sim filius Regis regni istius, & omnium regnorũ mundi: quam quidem cõclusionem à nobis magis voluit intelligi, quàm à se exprimi. Loquitur enim de filijs naturalib. propriè dictis. Ergò suo iure Dominus ipse liber fuit, vtpotè filius naturalis Regis æterni Dei; non autem Apostoli, aut Christiani, etsi sint filij Dei per adoptionem.

Per hæc Domini verba: Ergo liberi sunt filij, nequaquã Christi fideles a censu Principibus vel infidelib. dando immunes esse censendos
Rom. 8. & Galat. 4.

Quod verò dixit Petro: *Vt autem non scandalizemus eos, vade, &c.* quasi videatur Petrus non nisi vitandi scandali gratia pro se censum persoluere debuisse: non euincit non fuisse Petrum debitorem, nisi ratione scandali: nam dici potest, Dominum de se solo in plurali locutum fuisse. Deinde scandalum Christi non pendẽtis censum, in Petrum recideret, vt qui eius negotij administer fuisset. Sed producitur Augustinus lib. Quæst. Euangel. dicens: *Quod dixit: Ergo liberi sunt filij: in omni regno intelligendum est liberos esse regni filios, id est, non esse vectigales. Multo ergo magis liberi esse debent in quolibet regno terreno, filij regni illius, sub quo sunt omnia regna terræ.* Sic ille, liberans filios Dei per gratiam adoptionis à solutione tributorum. Nec satis hoc soluitur dicendo tales esse liberos à seruitute peccati, & dæmonis, cùm constet sermonem Augustini esse de libertate à seruitute corporea, & tributorum. Nec rursus aptè respondetur Augustino, dicendo filios summi Regis intelligi posse Episcopos, Presbyteros, & Clericos, eo quòd tales præsunt in regno Dei tanquam Regis filij constituti ab ipso ad suum regnum gubernandum, & promouendum. Verius ergo, & solidius dici potest Augustinum, dum dicit filios supremi Regis liberos esse, loqui de filijs naturalibus, vt quod dicit de pluribus, tantùm locum habeat in Christo: habiturum etiam in pluribus, si plures essent filij naturales. Nam si de his loquitur, qui quouis modo sunt filij Dei, omnes homi-

Petrum alio etiã iure quã scandali vitandi, tributũ soluisse debuisse.
August. lib. 1. Quæst. Euãg. qu. 23 eod. to.
Quo sensu Augustinus non dixerit, filios Dei, nempe Christianos, à tributis soluẽdis liberos esse.
Alter sensus, sed ineptus etiam verborũ Augustini rejectus.
Tertius verus atq; germanus.

homines asseruisset liberos, cùm omnes aliquo modo, saltem ratione creationis sint filij Dei. Non ergo liberi sunt à censu, qui ad Christum pertinent, atque per fidem, & Sacramentum Christum sunt induti.

Dices; neque census ille Cæsareus tunc licitè exigebatur à viris iustis & sanctis, qui erant filij Dei: & inter Christianos pariter hæc censuum exactio minimè liceret. At contrarium Dominus probauit in Pharisæos, cùm dixerit: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* & Paulus: *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* Denique vbique Reges hoc tanquam iustum exigunt, & accipiunt. Sicut ergo Theudas, & Iudas Galilæus, vt rebelles, & seditiosi de medio sublati sunt, negantes tributa pendi debere Regibus infidelibus, siue Assyrijs, siue Græcis, siue Romanis: ita insulsi sunt, & phanatici nostri seculi Anabaptistæ, qui verba hæc Domini ad omnem politicum statum euertendum sub prætextu Christianæ cuiusdam libertatis retulerunt. Sed hoc loco considerandum, multos abusus accidere posse circa tributa, & primò causam imponendi tributa iustam esse debere, cõstantissimum esse debet. Quia enim omnis benè instituta politia eget gubernatore, ac Rege, pluraque contingunt, & imminent Reipublicæ incommoda, & pericula, quibus obuiam ire necesse est, idque proprium, & Regum, & Principum est munus, necessaria est pecunia. Quòd si ærarium fisci non abundet; tunc necessarium est excutere priuatorum crumenas. Atque hinc oritur iusta tributorum impositio. Est enim sæpè periculum ab externis hostibus, & periculum à latronibus, vt necessum sit habere præsidia, & militem paratum. Opus est frequenter instaurare ædificia publica, mœnia, & templa, construere vias & pontes. Et quia nemo absque mercede laborat, & consuetæ pensiones ipsi Principi non satis sunt, vt dignè, & iuxta gradum suum degere possit, vt honoraria, & salaria officialibus pendat, oportet concurrere ciues ad contribuendum, & Principes ad rectè dispensandum.

Peccatur ergo, quoties causa imponendi nulla, aut ficta est, aut si fuit iam omninò euanuit: & cùm existente causa modus exceditur: & cùm forma (vt quisque videlicet pro quantitate facultatum suarũ soluat) non obseruatur, sed qui minus possunt, sæpè magis grauantur. Fiunt & in exactionibus per ministros multæ fraudes, & extorsiones in pauperes: quare hos, quorum interest punire in his, & similibus peccantes, & non puniunt, puniet grauissimè Deus. Peccatur etiam, cùm impositiones istæ extenduntur ad eos, quos ipsa rei natura & conditio facit ab his oneribus immunes, vt sunt clerici, & sacerdotes seruientes diuino cultui. Vnde terra sacerdotum in Lege Naturę libera fuit à tributo pendendo, vt constat ex Genesi tempore Pharaonis, & in lib. 1. Esdræ edictum Regis Artaxerxis habet: *Vobis notum facimus de vniuersis Sacerdotibus, & Leuitis, & cantoribus, & ianitoribus, Nathinæis, & ministris domus Dei huius, vt vectigal, et tributum, & annonas non habeatis potestatem imponẽdi super eos.* Ex quibus omnibus, & ex verbo Domini, nempe: *Ergo liberi sunt filij*, elicimus; clericos, & sacerdotes liberos esse à tributis. Nam etsi Episcopi, & sacerdotes, ac religiosi non sint per se, & immediatè liberi à seruitute tributorum, quia non sunt naturales filij Regis supremi, vt Christus erat: Apostoli tamen, veluti de curia, & familia filij Regis (filius enim Regis cum tota suâ familia & aula liber esse solet in quolibet regno) ac eorum successores, vt Episcopi, sacerdotes, & religiosi, liberi erunt ex ęquitate quadam naturali, & verborum Domini extensione. Nec obstat Christum pro se, & pro Petro solui pręcepisse: quia priùs declarauit se soluere, non quod iure deberet, sed tantùm ad amouendũ scandalum exactorum, non ex malitia, sed ex ignorantia oriturum: nondum enim Dominus declarauerat illis maiestatem suã. Neq; hîc magnopere contendam, an hęc eorum immunitas, & exemptio iure diuino sit debita, an verò naturali: an rursus humano iure, quod diuino, & naturali iure valdè sit consentaneum, præcepta. Quæ sententia postrema magis mihi probatur, vt responder Papa in c. *Quãquam*, de censib. lib. 6. *Ecclesias*, inquit, *& Ecclesiasticas personas, ipsarumq; res non solùm humano sed & diuino iure à secularium exactionibus immunes declarauimus.* Hæc ibi ad sensum, vbi per ius diuinum & humanum, intelligo ius Cæsareum, siue ciuile: & diuinũ, hoc est, Canonicum, siue Pontificium.

Nec obstat verbum Apostoli: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*: quod frequenter Euangelici nostri sęculi in gratiam Principum occinunt, quo illi derogãtes immunitati personarum Ecclesiasticarum, & Ecclesiarum ipsarum, & rerum, habeant suæ impietatis patronos, & defensores. Sed certè alia est ratio Principũ fideliũ, alia infideliũ: quia enim in infideles nullũ ius habet; ideò Ecclesiastici debent illis subiectionem, & suæ subiectionis iura, quãdiu in illorum ditionibus viuunt. Aliud est de Principibus fidelibus, quorum cõcessione

Marginalia (left): ure viros etiam iustos, & sanctos didrachma Cæsari persoluisse. *Matth. 22. Rom. 13.* — *Act. 5.* — Quantoperè desipiant Anabaptistæ, dum negant Regibus atq; Principibus census esse soluendos. — Quæ iusta vectigalium impositio atque legitima vectigalium necessitas. — *Matth. 10. & Luc. 10.* — Vectigalia quænam iniqua, ac minimè ferenda videantur.

Marginalia (right): Ab exactionũ onere qui censeantur immunes, ac liberi. — *Genes. 47. 1. Esdr. 7.* — Qua ratione Episcopi, ac sacerdotes, & religiosi à censu dando exẽpti intelligantur. — Ecclesiæ personarum immunitas quonam iure sit debita. Diuino, an Humano. — *Rom. 13.* Illud Apostoli: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: quo sensu dicatur. — In quos Ecclesia nullum ius habeat.

clerici suam immunitatẽ in naturali æquitate fundatam habent: quæ etiã legibus canonicis est confirmata. Verũ de hoc tributorum genere non hîc loquitur Dominus: nec sunt liberi Christiani, nisi rei diuinę seruiant, aut quos summa paupertas excusat.

Principum filij ac potissimum filij Dei, quibus minimè vectigalibus sint obnoxij.

Est autem aliud tributi genus, quod pro voluntate à Principe imponitur in signum dominationis eius, & argumentum subiectionis eorum, qui illud pendunt: & ab hoc censu liberi sunt filij Principũ, & magis filij Dei. Talis erat census à Cæsare imperatus, vt apparet ex eo, quod tantundem omnes soluebant. Etsi verò Reges, & Principes iustè sibi hoc Regium ius arrogent, vt populi fiunt illis rebelles, vel cum aduersarijs suis vniuntur: tũc enim, vt alieni efficiuntur: sed hoc delictum non cadit in filios Dei, qui omninò non sunt Regibus rebelles, sed eos timent & reuerenter colunt, quemadmodùm Deus imperat. Potest & hoc contingere, vt ob alia peccata mereatur populus hac plecti pęna à suis principibus: nõ quòd in eos peccauerit, sed in Deum ipsum deliquerit, vt per blasphemias, hæreses, fraudes, iniurias, & immunditias. Licèt enim Principes ipsi iniustè populos suos premãt per censuũ impositiones, & tyrannicas exactiones: ipse tamẽ populus iustè vexatur ob ea scelera quæ in Deum patrauit. Et in his causis licèt filij Dei, id est, filij innocentes & reuera iusti sint, ac ob id immunes: tamen exemplo Christi subdere se debent, & innocentiam vitæ non prætendere, idq́; propter scandalũ vitandum: quod onus si citra scandalũ vitare possent, minimè peccarent, sed ferè semper est periculum in scandalo: oportet enim in huiusmodi nõ contendere cũ Principibus sed humiliari, & pati. Vnde Christus dixit: *Vt autem non scãdalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies staterem: illũ sumens, da eis pro me, & te.* Ostẽdit se non cogi ad tributa pendenda: docet tamen quare illud pendere velit, nẽpe tollendæ offensionis, & scandali gratia. Quod nõ videbatur negligendũ, vt illud scandalum Pharisæorum natum ex eo quod dixit: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem*: quia nõdum exactoribus cognita erat caussa libertatis ipsius. Ideò nõ dixit, vt annotat Caiet. Vt autẽ nõ scandalizentur illi, sed: *Vt autem non scandalizemus eos*, dando suspicionẽ seditionis, vel rebellionis, quasi autores simus perturbãdi regni & populũ permouẽdi: Innuens, non tãtùm acceptũ, sed etiam datũ scandalum futurum, si is qui ignorabatur esse Filius Dei, tributum non penderet.

Luc. 2.

Iusta horum vectigalium causa duplex.

Innocentes, ac filij Dei in exactionibus iniustis quomodò se gerãt exemplo Christi.

Quale ob scandalum vitandum Christus soluerit didrachma.

Matth. 15.

Caietan. in Matthaeum.

Est igitur fructus huius historiæ, quòd Christus pendendo tributum, subiectionẽ vltrò testatus est, sicut formam serui induerat: simul tamen verbis, & miraculo ostendit non iure, & necessitate, sed libera, & volũtaria submissione se ita esse exinanitum, vt eum iudicaret mundus quasi vnũ quemlibet ex populo. Hinc Hieron. hoc loco ait: *Dominus noster, & secundùm carnem, & secundùm spiritum filius Regis erat, vel ex Dauid stirpe generatus, vel omnipotentis Verbum Patris: ergo tributa quasi Regum filius non debebat: sed qui humilitatem carnis assumpserat, debuit adimplere omnem iustitiam. Nosq́; infelices, qui Christi censemur nomine, & nihil dignum tanta facimus maiestate. Ille pro nobis, & crucem sustinuit, & tributa reddidit, nos pro illius honore tributa non reddimus, & quasi filij Regis à vectigalibus immunes sumus.* Vides in his Hieron. verbis immunitatem Ecclesiasticam suo tempore fuisse à Christianis Principibus meritò, ac iure in Christi honorem cõcessam: *Nos, inquit, pro illius honore tributa non reddimus.* Nos scilicet clerici, & ministri altaris quasi filij Regis à vectigalibus pendendis liberi sumus.

Ex hac historia quem fructum spiritualem capere valeamus.

Philip. 2.

Hierony. in Matth. c. 17. tom 9.

Matth. 3.

D. Hieronymi tempore clerus facer Principum liberalitate, Ecclesiastica immunitate gaudebat.

Petrum mittit, qui primus erat, & pro se, & pro ipso solui volebat: & feruentior erat ad credendum, piscem inueniendum cum statere, & exactores illum allocuti fuerant. Mittit autem illum ad mare, voluit enim signo edito soluere censum, quia fortè in loculis tunc pecunias nõ habebat vnde solueret: quas si habuisset, iustè potuisset ex eleemosynis soluere, quia ipse pauper erat, & simpliciter ei eleemosynæ dabantur, & non sub ratione depositi tradebantur, quãquam Hierony. aliter sentiat, ait enim: *Quòd si quis obijcere voluerit, & quomodò Iudas in loculis portabat pecuniam? Respondebimus: Res pauperum in suos vsus conuertere, nefas putauit, nobisq́; idem tribuit exemplũ.* Sic ille. Sed quod priùs diximus, videtur probabilius. Deinde, vt se maiorem Cæsare, miraculo ostenderet, & latiùs se dominari quàm omnes Reges terræ, vt qui pisces haberet sibi tributarios: & se non esse illi subiectum minimè soluendo de suo, sed de alieno declararet. Stater argenteus idem valet quod tetradrachmũ, siue quatuor drachmæ, quæ cõtinebant vigintiquatuor obolos, sicut siclus argenteus continebat viginti obolos, vt in Exod. dicitur. Et ideò siclus & stater non erat idẽ pręcisè genus nũmi: nisi obolos Hebræorum efficias paulò maiores illis Græcorũ, vt suprà diximus. Et quòd stater quatuor drachmas valeret, docet 1. Regum liber, vbi puer, qui comitabatur Saulem, dixit: *Ecce inuenta est in manu mea quarta pars stateris argenti: demus homini Dei, vt indicet nobis viam nostram.* Vbi Hebraicè pro statere, habetur siclus.

Cur Petrum potius quàm aliũ Christus miserit ad mare pro statere ex ore piscis sumendo.

Quare Christus cum soluere tributum alia ratione posset, hac maluerit.

Hieronymi solutio.

Ioan. 12 & 13

Stater argenteus quanti valoris sit.

Exod. 30.

1. Reg. 9.

Erat

Argẽteus ſtater in ore piſcis à Petro inuentus an fuerit tunc creatus, necne. Res quæ amiſſa eſt, vt ſit inuentoris, quid tantùm requiratur.

Erat autem hic ſtater ipſius Chriſti non tantùm quatenus Deus eſt, ſed etiam quatenus homo, etiamſi non eſſet creatus tunc in piſcé, ſed ab aliquo perditus. Quia vt res ſit inuentoris, ſatis eſt quòd habeatur pro derelicta, vel non habeat, vel habere nõ putet dominum. Quòd ſi recens creatus fuit in piſce; hoc ipſum magnum eſt miraculũ. Si habebat aliunde, mirum erat id Dominũ ſcire; ſed non miraculum; quia dæmon id poſſet cognoſcere. Scire autẽ quòd primus aſcendens ad eſcam, haberet ſtaterem in ore, quia futurum erat cõtingens à ſolo Deo ſciri naturaliter poterat. Hinc Hieron. *Quid primùm mirer in hoc loco, neſcio: vtrùm praſcientiam, an magnitudinem Saluatoris. Praſciẽtiam, quòd nouerat piſcem habere in ore ſtaterẽ, & quòd primus ipſe capiendus eſſet. Magnitudinem, atque virtutem, ſi ad verbũ eius, ſtatim ſtater in ore piſcis creatus eſt, & quod futurum erat, ipſe loquendo fecerit.* Hæc ille.

Hieron. ſuprà citatus.

Quare Chriſtus pro ſe, & Petro, non etiam pro cæteris Apoſtolis ſolueri ſolui didrachma. Primus ſenſus qui reijcitur. Chryſ. ho 59. in Matt. to 2. Secundus ſenſus, abſurdus & ille. Titelmannus in Matthæũ. Alij ſenſus probabiliores producuntur.

Illum ſumens, da eis pro me, & te. Quare iuſſerit pro ſe, & pro Petro reddere, & nõ pro alijs Apoſtolis ſuis, dubium eſt. Nec poteſt dici quod Chryſ. ait, Petrum fuiſſe primogenitum, nec quod Chriſtus eum cõſtituiſſet veluti ſuorum Apoſtolorum ducem ac principem, & tributũ hoc per capita familiarum eſſet ſoluendum, quia diximus & probauimus quòd viritim pendeletur. Vana etiam eſt Titelmanni ſuſpicio, putantis hoc tributum exigi ſolitum à tranſeũtibus ciuitatem Capharnaum, & vnum tantùm didrachmum ſoluendum ab eo qui ſolus trãſiret: duplex, ſi aliquo comitatu ſtipatus. Non enim hoc à tranſeuntibus ſoluebatur, ſed ab habitãtibus, vt diximus. Ergo pro ſe, & pro Petro pendere iuſſit, quia tunc ſolus Petrus erat cũ eo. Vel potius Chriſtus, qui caput erat familiæ Apoſtolicæ, pro Petro, quia ibi habitabat in Capharnaũ, & habebat domum, vxorem, & filios: ideò obligatus ad cenſum erat; aliàs Dominus non curaſſet facere Petrum tributarium. Vel quia ad illum, vtpote Vicarium Chriſti futurũ, & caput, hoc maximè pertinebat ſcire: atq; ita eius primatum aliquo modo indicauit. Vnde confeſtim ſecuta eſt contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior.

Quartus ſenſus.

Quintus ſenſus.

Matth. 8.

An aliorum Apoſtolorum didrachma Chriſtus ſoluerit.

Etſi autem exactores non ab alijs, ſed à ſolo Chriſto didrachmum exegerint: tacitè tamen dicentes, Magiſter veſter non ſoluit didrachma? vſi ſunt numero plurali dicentes, Magiſter veſter; quaſi pro ſe, & pro ſuo comitatu duo didrachma poſtulauerint, & propterea Dominus duo didrachma, ſiue ſtaterem Petro præcepit ſoluere, vnum pro ſe, vt patrefamilias, alterum pro Petro & ſocijs, vt familia Chriſti. Et ita quod dicitur: *Pro me, & te*: intellige, pro te, ac ſocijs tuis, liue pro me, & pro te ſolo, alludens ad eius principatum, & primatum ſuper alios Apoſtolos. Quod ſententijs Patrũ maximè confirmatur. Scribit enim Orig. propterea ortã fuiſſe contentionem inter diſcipulos, quis eorum eſſet maior, quòd videretur Dominus Petrum ſibi æquaſſe in cẽſus ſolutione. Hieron. etiam, & Chryſoſt. in eadem verba Matthæi, & B. Auguſt. lib. Quæſt. Veter. & Noui Teſtamenti, & gloſſa ordinaria idem tradunt. Scribit enim Auguſt. *Saluator cùm pro ſe & Petro dari iubet, pro omnibus exoluiſſe videtur: quia ſicut in Saluatore erant omnes cauſa magiſterij, ità & poſt Saluatorem in Petro omnes continentur: Ipſum enim conſtituit eſſe caput eorum, vt paſtor eſſet gregis Dominici.* Gregor. Nazian. ad Iulian. tributorum exæquatorem, propè fin. ex hoc facto colligit, Petrum diſcipulorum omnium fuiſſe chariſſimum. Hæc conſultò protuli, quia Hæretici mirè hîc inſaniunt riſu, & cachinnis has ſanctorum Patrum meditationes irridentes, & vt putida, & vana cõuellentes commenta. Inter quos Muſculus arrodens dicta veterũ, ait: *Si Chriſtus in non dando tributo, vſus ſua prærogatiua, & libertate Petrum ſibi coniunxiſſet, magis feciſſet ad declarandum eius primatum.* Sic ille. Verùm nos non negamus quòd ſic eius futurum principatum declarare potuiſſet: nec etiam negamus, quin in eo quod ſibi illum ſolum in ſoluendo coniunxit, præ cæteris eius quoque primatum inſinuare voluerit. Ne autem paupertate premente impoſſibile eſſe Petrus cenſeret his muneribus ſatisfacere, confirmandus in fide fuit prouidentia Dei nihil hæſitans quod eiuſmodi in rebus etiam per viam miraculi Dominus ſolet ſuccurrere.

Alter ſenſus

Orig. tract. in Matt. to. 2

Hieron. ibi Chryſoſt. vt ſupra. B. Auguſt. In Petro poſt Saluatorem omnes cauſſ magiſterij continentur

Ioan 21. Gregor. Nazianzenus. Petrus diſci pulorum ch riſſimus, teſ Nazianz.

Muſculi hær ticij homini in hũc locu Matthæi bla phemia con futatur.

Iuit ergo ad mare, & miſit hamum, & cepit piſcem. In quo quod erat in Eccleſia futurum, prodebat. A piſcatione enim Petri, & promiſſione bonorum cœleſtium, quæ per hamũ & eſcam ſignificatur, illud quod euenit, planè innuitur: videlicet ſubminiſtrandum eſſe aurum & argentum Eccleſiæ ad redimendas vexationes ſuas, & Chriſti: ſed hoc nobis Chriſtus ſua egeſtate comparauit, qui tam egenus fuit, vt non haberet vnde tributum ſolueret: & hoc exemplum eſt ad ſolatium pauperum proponendum.

In eo quod Petrus eun ad mare mi hamo piſcen cepit, quid prælusum fu rit.

Diſcamus igitur ab hoc tanto Chriſti exemplo, non licere Chriſtiano propter tẽporale aliquod commodum reſiſtere poteſtati, ac ſeditionẽ mouere. Et quia alibi non curat ſcandalum, vt cùm dixit: *Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum*: quãdo videlicet doctrinæ Chriſti manifeſtè, & malitioſè reſiſtitur: idem ipſe ſcandalũ puſillorum vitari

Fructus hu miraculi q tuor.

Matth. 15. Secundus f ctus.

Infra 18. Tertius fructus.

iubet, & in publicam potestatem ob tẽporalia commoda seditionem incitari vetat. Illud etiam notandum, Petrum pecunias piscaturum hamo tantùm vti; at piscaturus mysticè homines, laxare retia iubetur. Nũc autem contrario modo fit: nam ad piscandas diuitias, lata retia extendimus, ad piscãdum homines vix hamo vtimur. Deniq; hoc tali ac tanto signo declarauit Dominus magnitudinem potentiæ suę, & futurorum omnium præscientiam, & se, atq; suos successores omnes, siue omnes ad diuino cultui vacãdum promotos liberos esse ab omni onere census, & tributi secularibus Principibus pendendi: & tamẽ, si caussã incideret, qua ex negato cẽsu, vel tributo scandalum oriretur, etiã vndecunq; quęsita pecunia: quæ si fortè deesset, signo à Domino prospiceretur, numerãdum esse tributũ; vt ita charitas, iustitia, & pax locum potiùs habeant inter Christianos, quã tumultus propter bona temporalia, & seditiones: quod totũ in gloriam doctrinæ, & vitæ Iesu Christi cedit, cui cum Patre & Spiritu sancto honor semper reddatur, gratiarum actio, & imperium in secula seculorum, Amen.

Quartus, & postremus.

TRACTATVS XXXVIII.

In quo agitur de signo, quo Dominus decem leprosos in itinere sanauit, & habetur Luc. 17. *Et factum est, dum iret in Hierusalem, transibat per mediam Samariam, & Galilæã. Et cùm ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, &c.*

Huius Domini è Galilęa in Iudæam profectionis, de qua nunc Lucas, vbi cæteri meminerint Euangelistæ, atque id vnde constet.

HANC profectionem Domini è Galilæa in Iudæam, siue in Hierusalem, eandem omninò esse cum ea, de qua mentionem facit Matthæus c. 19. & Marcus c. 10. & cum eadem quam Ioannes scribit in principio 7. capitis propter festum Scenopegiæ, ex eo probatur, quòd post vtramq; profectionem è Galilæa nunquam legitur Christus è Iudæa reuertisse in Galilęam, etiamsi diuersas indicent Euangelistæ migrationis huius caussas. Nam Ioannes festiuitatis gratia, at verò illi mortis in Iudæa subeundæ caussa Dominum significant è Galilæa ascendisse in Iudæam.

Eius profectionis caussæ duæ.

Vbi eandem profectionem Domini commemoret Lucas è Galilæa in Iudæam. *Luc. 9.*

Deinde statuendum est, hanc Domini è Galilæa profectionem eandem esse, cuius & Lucas meminit, dum post quæstionem illam inter Apostolos habitam, quis eorum videretur esse maior, subdit: *Factum est autẽ, dum complerentur dies assumptionis eius, & ipse faciem suã firmauit vt iret in Hierusalem.* Secũdùm quem intellectũ erit tempus sex mensium, aut circiter, quo poterat intelligi facta missio, & reuersio septuaginta discipulorum, & alia pleraque, quæ Lucas posteà recenset. Quanquam nõ sit necesse, omnia quæ posteà vsque ad finem 18. cap. enarrat Lucas, intelligere contigisse post hæc; cùm probabile sit pleraque esse per recapitulationem à Luca commemorata. Duo enim sunt in Luca cõsideranda, ne lectorem perturbet eius enarratio, à fine c. 9. vsq; ad finẽ c. 18. Primùm, quòd cùm circa finem c. 9. dicat, Dominum, completo tempore assumptionis suæ, firmasse faciem suam vt iret in Hierusalem (quo satis significat Dominum mox profectum rectã Hierusalem) & capitibus sequentibus frequenter profectionis Domini in Hierusalem faciat mentionem, vt circa finem ca. 10. circa medium 13. circa medium 17. circa finem 18. non scribit autẽ eum venisse in Hierusalem, nisi in fine c. 19. Ne ergo hæc narratio quẽquam perturbet, aduertendum, illos locos, quibus dicitur à Luca, Dominum iuisse in Hierusalem, non accipiendos de vna & eadem profectione, quæ tunc completa fuerit, cùm id est factũ, quod describitur c. 19. Post migrationem enim illam è Galilæa, patet ex Ioãne, Dominum bis aut ter venisse in Hierusalẽ, aut Iudæam; & tamen solius aduentus in Hierusalem Lucas mẽtionem fecit, quo insidens asinæ, vrbem intrauit.

Infra 11 & seq.

Quæ duo ad claram & dilucidam huius historiæ Lucæ notitiam Lectorem adducent.

Luc. 19. Alterum documentum.

Secundum obseruandum in Luca: quòd postquàm cœpit narrare, Dominũ, relicta Galilęa, instituisse iter in Hierusalem, & tamen multa illius menti occurrerent dicta & facta ab illo in Galilæa, quæ in sua narratione prætermiserat, atque vtile esset ea cognoscere, indicauit, illa ante passionis descriptionem per recapitulationem inserenda esse. Hinc est, quòd tam multa commemorat sine alicuius ordinis, & cohærentiæ significatione, quæ priùs in Matthæo & Marco sunt habita: etsi verisimile sit, etiam quædam eorum ab illis per præoccupationẽ narrata fuisse, quædam etiam bis à Domino dicta, & eo loco, ac tempore, quo scribunt illi: & rursus eo tempore, vel loco, quo Lucas reponit.

Quæ ratio fuerit signum curationis decem leprosorum hoc loco reponendi.

Cùm igitur hoc miraculum decem leprosorum in tali profectione contigerit, meritò inter miracula hic locus ei datur: nam reliqua post Domini profectionem contigerunt. In primis igitur in hoc signo percurremus sensum literalem; deinde mysteriũ explicabimus. ¶ *Et factum est* (inquit) *dum iret in Hierusalem.* Ibat ad passionem Dominus in qua quasi leprosus reputatus est, sanaturus spiritualem omniũ hominum lepram, qui ex Adam nati lepram peccati contrahunt.

Cur iret nunc Christus in Hierusalem. *Esai 53.*

Quo magis tempore cruciebatur Dominus, & quo modo.

hunt. Et quanquàm à conceptione Dominus mente passus sit, quia nos voluit pretio suæ Passionis redimere, vt saltem amantem redamaremus: propinquus tamen Passioni magis dolebat, & cruciabatur: quemadmodum holocaustum in fine magis comburitur, quia agens est fortius, & patiens infirmius.

Christi per mediā Samariam & Galilæam transitus quid mystice.

Transibat per mediā Samariam, & Galilæam. Per medium duarum prouinciarum, in quibus sæpè prædicauerat, & signa ediderat, & non tam vt per medium terrarum, quàm vt per medium cordium transiret: Deus enim medium semper tenuit, & corda diligit; quia solus animæ illabitur: nos verò per superficiem, & circum circa ambulamus. Cæterùm ne superbos Iudæos scandalizaret Dominus; per hos Gentiles transibat: qui pertransijt omnibus benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo. Et si verum est, vt superiùs diximus, Dominum in hac profectione expulsum fuisse à quodam castello Samaritanorum, vt dicitur à B. Luca; miram Domini benignitatem licet contemplari, qui cum ingratis atque eum expellentibus eos beneficijs vincire certabat, atque hæc est Dei vindicta. Rursum notum est odium inter Iudæos, & Samaritanos, de quo apud Ioannem fit mentio: Iesus tamen per vtrosque transijt, quia apud neutram partem manere poterat, & vt vtramque Deo reconciliaret, in hunc mundum venerat. Er quanquàm in Galilæa maiorem fructum ediderit, & plus operæ in prædicatione & signis ad illos lucrifaciendos posuerit: vnde Apostoli & mulieres eum sequentes, & ministrantes de facultatibus ex Galilæa erant, & per consequens melius tractaretur apud eos: voluit tamen in Hierusalem locum Passionis & mortis venire, vt doceat nos prospera mūdi huius fugere, Crucem verò & aduersa sectari, & meditari, si volumus pertingere ad cœlestem Hierusalem. Sed nos cōtra facimus: transimus enim non sine murmuratione per Hierusalem, & libenter mansionem facimus in Galilæa.

Act. 10.
Luc. 9.
Quemadmodùm Christus Samaritanorū de repulsa sibi ab introitu in castellum eorum facta vindicauit iniuriam.

Ioan. 4.

Quare Christus in Hierusalem potiùs, quàm in Galilæam venerit.
Luc. 8.

Ad cœlestem Hierusalem quomodò perueniemus.

In castellum cur Dominus ingressus sit.

Et quum ingrederetur quoddam castellum. Non exprimit quodnam fuerit, quia nihil referebat. Ingressus est autem, vel vt diuerteret, & quiesceret, vel vt prædicaret, & hoc signum ederet. Non enim dedignatur vel vnam ouiculam, qui pro quauis mori, & sanguinem fundere dignatus est: maximè quia, vt dixit Propheta, audiuimus eam in Ephrata; & inuenimus eam in campis syluæ; & in ciuitatibus, ad quas concurrunt improbi, & hypocritæ, fidem vix inueniebat; & ob diuitias, & luxum, & honorem nolunt opere exprimere, quæ fide nouerunt. Ideò Dominus visitat castellum; quia melius est vni Samaritanæ prędicare, etiam occultè, quàm multis Scribis & Pharisæis. Occurrerunt autem, non postquàm ingressus est castellum, sed antè, nempe cùm iam prope esset ingressurus. ¶ *Occurrerunt ei decem viri leprosi.* Leprosi secundùm legem vrbibus excludebantur, & quia exclusi vt exules; ideò simul eranr decem: atque hoc ob morbum contagiosum, ne quenquam inficerent. Nam ille morbus abominabilis erat, & incurabilis: vnde Rex Israel dixit: *Nunquid Deus ego sum, vt occidere possim, & viuificare, &c. vt curem hominem à lepra sua?* Vtinam hoc exemplum sequerentur illi, penes quos summa rerum est, vt scilicet omnes à quibus damnum tam spirituale quàm corporale sanioribus est timendum, reijcerent in suos angulos, qui scilicet vel prauo exemplo, vel malo sanè cōsilio, vel deprauata doctrina seducunt, atque corrumpunt. Ita enim & fidei & bonis operibus esset consultum, ne scilicet, iuxta Pauli prouerbium, modicum fermēti totam massam corrumperet.

Psal. 131.

Ad ciuitates, nō ad castella (vt Christus) qui veniant.

Ioā. 4. & seq.
Quando occurrerint Christo decem viri leprosi.
Leui. 13. & 14.

Cur isti decē viri leprosi simul essent.

4. Reg. 5.

Lepra morbus qualis olim habebatur.

1. Corin. 5.
Gal. 5.

Circa numerum aduerte, decem reuera fuisse mundatos solo verbo, sicut priùs vnus tantùm, & contactu Christi, & verbo. Quod verò constitutio apud Clementem Apostolica ait: *Cùm Dominus leprosum vnum curauisset, posteaq; nouem alios, dixit priori, Vade & ostende te Pontifici, & offer munus quod recepit Moses in testimonium ipsis: nouem verò illis rursum: Ite, & ostendite vos Sacerdotibus:* videtur ab Euangelica Christi veritate dissonare, quæ habet decem. Et volunt quidam, vt hæc concilient, decem fuisse reuera leprosos mundatos tātùm, sed de primo vno loqui tantùm Matthæum & Lucam c. 5. quòd gratus extiterit: & Lucas tantùm nouem meminisse, qui non redierunt. Quod ex Epiphanio in hæresim Manichæorum volunt ostendere. Sed reuera nequaquàm rectè conciliari potest constitutio Apostolica cum Euangelio: nam Euangelium vt distincta miracula narrat vnius, & decem Luc. 5. & 17. Tempore etiam differunt: quia prior illa vnius accidit post completū sermonem in monte, antequam ingressus Capharnaum, sanaret puerum Cēturionis; illa verò longè posterior fuit, postquam scilicet deliberauit vltimò ascendere in Hierusalem mortis causa pro nobis subeundæ. Locus etiam videtur distinctus: quia illa prior sanatio fuit in ingressu Capharnaum metropoli Galilææ; posterior verò in ingressu cuiusdam castelli, siue, vt Gręcè dicitur, εἰς κώμην, id est, in quendam pagum,

Hi viri leprosi an decem fuerint, an nouē vt Apostolica habet diataxis.
Matth. 8.
Clem lib. 6. const. Apost. cap 19.
Leuit. 14.
Quorundam solutio non omnino solida ac firma.

Epiph in hær. 66. in catalo. initiū versus.
Hæc historia de viris decē leprosis ab illa Luc. 5. in quibus differat.

Matth. 8.
Secundum discrimen.

Tertium discrimen.

videlicet Samariæ: quia reuersus vnus ex decem non erat nisi Samaritanus. Adhæc vnus venit ad Sacerdotes, iuxta Christi pręceptum; decem verò in via sanatis, vnus tantùm ex eis reuersus est ad Christum, cæteris ad Sacerdotes abeuntibus. Vnus dixit, *Si vis potes me mundare*; decem verò, *Iesu præceptor, miserere nostri*. Epiphanius verò prædicto in loco tantùm ait: *Euangelistam propterea quòd ille alienigena intellexerit beneficium, & propter grati animi significationem, vnius pro decem mentionem fecisse*. Sic ille, quanquam non satis ad rem. Nam si ille significat decem, quorsum ille præ cæteris laudatur, & alijs nouem antefertur.

Quartum discrimen.

Epiphan.

Ergo, ne ex duobus signis vnum efficiamus, in quo Christi gloriæ & Euangelij veritati maximè derogatur, & ex vndecim leprosis sanatis decem faciamus; dicendum est, duo diuersa extitisse signa: in primo vnius; in secundo decem. Licèt constitutio vocet nouem; propterea quod illi ingratos se Domino reddiderint, non reuersi ad gratias agẽdum. Nisi velis dicere, nouem tantùm seruasse mãdatum eundi ad Sacerdotes, sed vnum illum in spiritu agnouisse verum templum Dei, & magnum Sacerdotẽ Iesum Christum.

Constitutionis Apostolicæ cum Euangelio conciliatio magis accommoda.

Qui steterunt à longè. Ob Christi reuerentiam; & quia lepra morbus est fœtidus, immundus, & contagiosus. Dominus autem, qui humilis erat, & Medicus, non verebatur etiam leprosos tangere, quia supra Legem erat, vt Matthæus testatur; cùm Helisæus nec videre quidem voluerit Naaman Syrum leprosum. Hi longè steterunt, & leprosus vnus ille apud Matthęum prope venit vt tangi posset. Sed hic Dominus ingrediebatur castellum, in quod ipsi non poterant per Legem ingredi; ille verò in campo existens prope Iesum accessit. ¶ *Et leuauerunt vocem.* Hoc est, fortiter clamauerunt, quantum leprosis datum est clamare. Erãt enim longè corpore, sed oratione prope: quia prope est Dominus omnibus inuocãtibus eum. Et desiderium sanitatis corporeæ dissimulari nequit propter doloris vehementiam. ¶ *Dicentes, Iesu præceptor, miserere nostri.* Breuis est hæc precatio, dulcis, humilis, spiritualis, cõmunis & confidentia plena. Breuis quidem, quia quatuor verbis constat, etiamsi multũ habeat succi & virtutis, vt res ipsa testata est. Dulcis fuit, quia incipit à dulci nomine Iesu, quod est melos in aure, mel in ore, iubil⁹ in corde, de quo Propheta: *Psallite nomini eius, quoniam suaue est.* Et iustũ erat, vt qui Iesus est, siue Saluator, à miseria magna lepræ, & incurabili sanaret. Humilis fuit petitio, quia ei tanquam præceptori, in omnibus obedire volunt. Spiritualis fuit, quia misericordiam, non iustitiam, gratiam, non debitum petunt: non pecuniam, sed misericordiam, qua sanati possint verbum Dei audire. Nam leprosi non poterant inter alios versari, & lepra pro peccato infligebatur iustè in Lege, vt patet in Maria sorore Moysi, & Ozia Rege thurificare volente, & Giezi seruo Helisæi: sed ex misericordia mundanda erat. Et petere misericordiam à Christo, perinde est, ac dicere Igni, vre; Luci, illumina; Aquæ, Laua: tam propria est ei misericordia, quàm nobis propria est tùm corporis, tùm animæ miseria. Communis etiam fuit deprecatio, quia pro se inuicem orant: *Orate*, inquit frater Domini, *pro inuicem, vt saluemini.* Nam generalis oratio gratior est, & exauditione dignior apud Deum, qui vult omnes homines saluos fieri. Fuit autem confidentia & misericordia plena, quia dixerunt: Iesu præceptor: id est, Saluans solo præcepto, & imperio, & cui parent dæmones, & morbi omnes. Ex quo patet fides, quæ etiam audaces fecit ad petendum.

Cur steterint longè isti leprosi.

Lepra morbus qualis sit.
Matth. 8.
4. Reg. 5.

Matth. 8.
Leuit. 13. & 14.
Hi leprosi quare clamarint.

Psalm. 144.

Hæc precatio: Iesu pręceptor miserere nostri, qualis sit.

Iesu nomen quale sit.
Psal. 134.
Iesu propriũ.

Quos percuteret lepra Dominus.
Nume. 12.
2 Paral. 26.
4. Reg. 5.
Quam propria sit Christi misericordia.

Iacob 5.

Quæ preces à Deo facilius exaudiantur.
1. Tim. 2.

Virtutes fidei quæ.

Quos vt vidit, dixit: Ite, ostendite vos Sacerdotibus: Videndo commiseratus est. Et hoc est verè misericordem esse, simul atque rogatus fueris, statim egenti succurrere: nam qui citò dat, bis dat, & vt ait Paulus, hilarem datorem diligit Deus. Et quia in potestate Sacerdotum non erat leprosos mundare, sed tantùm de illorum mundiria, vel immunditia iudicare: & quia, vt habetur in Leuitico, nõ se ostendebant Sacerdotibus, antequàm lepra essent mundati; constat Christum his verbis insinuasse eis, quòd in via mundarentur, & tacitè ab eis fidem exegisse, vt etsi se viderent leprosos, crederẽt tamen se esse mundandos. Quòd illi gratia Dei crediderint, manifestum est: quia aliàs non iuissent, vt à sacerdotibus cum opprobrio pellerentur.

Verè misericors qui sit.

2. Corint. 12.

Vnde constare possit decẽ leprosos in via fuisse mundatos, eosq; credidisse mundandos.
Leuit. 14.

Tu autem hìc diligenter considera, quã difficulter Christus aliquid de Lege Veteri remiserit: non enim venit soluere Legem, sed adimplere, qui sub Lege est factus. Deinde docet reuerentiam præstare Sacerdotibus, vtcunque Sacerdotes impij fuerint: officio enim suo honorem tribuit, etiamsi Sacerdotum impietatem, luxum, & auaritiam non probauerit. Ita de Magistratu sentiendum est: nam etsi omnis potestas à Deo sit; non tamen omnis Princeps, vt docet Chrysostomus. Tertiò ad Sacerdotes misit; vt vel sic cogerentur laudare miraculum, & Christi potentiam, atque in illum credere. Quartò, vt se maiori

Quam ægre & difficile Christus aliquid de Veteri Lege remitteret.
Matth. 5.
Galat. 4.
Sacerdotes, quicunque illi sint, honore esse & obsequio dignos, vnde perspicuum sit.
Rom. 13.
Chrysost.
Cur missi ad Sacerdotes fuerint illi leprosi.

virtute

virtute præditum, quàm Lex, & Vetus Sacerdotium, facto ipso ostenderet: nam illi lepram quidem cognoscebant, sed mundare non poterant.

Quomodo hi leprosi in via mundati sint.

Et factum est, dum irent, mundati sunt. Non itineris, vel profectionis gratia, sed virtute verborum Christi, & fide ipsorum mundatio facta est: nam captiuantes intellectum suum, & contra spem in spem credentes, optatum donum obtinuerunt. Dices, Cur cæcus ille à natiuitate non ante vidit, quàm lauit, & nō in via illuminatus est, vt leprosi hi sanati? Respondetur: Ibi ad visionē præcipiebatur lauatio, sicut Naaman leprosus nō mundatur ante lauationem: hîc autem promissa est tacitè sanitas, antequam Sacerdos eos videret: nō enim fas erat ostendere se Sacerdoti, nisi sanum: vt constat ex Lege Leuitici.

Cur cæcus natus non vt hi leprosi in via illuminatus sit. *Ioan. 9.* *4. Reg. 5.* *Leuit. 14.*

Deinde ostenditur eorum obedientia, qua nondum impleta sanati sunt: nam hoc erat futurum, si irent, vt mundarentur, non enim ad Sacerdotes misisset, nisi vt mundati iudicarentur. Et maiorem fidē ostenderūnt isti, quàm olim Naaman Syrus verbis Helisæi: quia detrectabat ire ad lauandum se in aquis Iordanis; isti verò simplici crediderunt Christi sermoni. Tertiò innuitur, quòd non Lex, sed gratia mundat; & quod nos per viam mandatorum ambulantes, in locum laudis & visionis pacis, id est, cœlestis Ierusalem mundamur à reliquijs peccatorum, & à difficultate benefaciendi, & à praua consuetudine malè operandi. Adhæc diximus, quòd Christus est, qui liberat à morbis corporeis, nobis euntibus, id est, quod in nobis est, facientibus: sed præcipuum sæpè est, quòd ipse precibus interpellatus sanitatem præstat per gratiam suam, quam plerunque Medici vt deploratam habebant. Prætereà mittit Christus eos quos sanat, ad Sacerdotes, hoc est, ad suos ministros, quorum est legem Domini interpretari, & ex quorum ore Lex Dei petenda est, & reconciliationis ministerium dispensandum.

Decem leprosorum erga Christū obedientia. *4. Reg. 5.* In eo quod Christus leprosos à se curatos misit ad Sacerdotes, quid insinuet. Christus quādo nos sanet à morbis corporeis: nosque mittat ad Sacerdotes, ceu decē leprosos. *Malach. 2.*

Vnus autem ex illis vt vidit quia mundatus est. Non quod alios non plenè curauerit, aut se mundatos non viderint, sed quod nō omnes viderunt, hoc est, non omnes agnouerunt, nec ex æquo ponderarunt, à quo tantum beneficium accepissent: vnde videre, hoc loco, aptè & tempestiuè pro agnoscere accipitur. ¶ *Regressus est, cum magna voce magnificans Deum.* Si magna voce petijt, cùm esset leprosus; maiori iam sanatus debuit clamare, ob fidem magnam, & deuotionem quæ accesserat. Et ad plura obligatur sanus, quàm infirmus: *Sacrificium*, inquit, *laudis honorificabit me: & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.* Magnificabat autem Deum ob magnam beneficium acceptum, sed præcipuè quod Deus tam magnum mundo miserit Seruatorem: sicut & B. Virgo agnoscens mysterium, dixit: *Magnificat anima mea Dominum.*

Samaritanus ille leprosus vt viderit se mundatum. Voce ille bonus Samaritanus quam magna Deū magnificauerit. *Psalm. 49.* Hic leprosus alienigena cur magnificaret Deum. *Luc. 1.*

Et cecidit in faciem ante pedes eius, & gratias agens. Prius cùm esset leprosus, longè stetit, quia longè à peccatoribus salus: iam mundatus verò appropinquat Iesu, qui habitat in cordibus iam iustificatorum. At vide humilitatem: nō cecidit retrò, vt Heli Sacerdos, & milites, qui cū Iuda venerunt comprehendere Christum; sed in faciem, humilia cogitando, vt eum Deus exaltaret. Et cecidit ad pedes, id est, ante Humanitatem Christi, cui omnia accepta refert, cuius meritis sanatus erat: & quia illis pedibus iter egerat; & illis occurrerat. Gratias verò egit; agnoscens beneficium singulare; & vt ad locum vnde exeunt flumina, illuc reuertantur, vt iterum fluant. Scribit autem Tertullianus libro aduersus Marcionem, hunc non iuisse nisi ad templum vt faceret orationem, sed tāquam Christianum factum; ad Christum, tanquam ad verum templum & verum Sacerdotem redijsse, vt veram oblationem offerret, & hostiam pacificam gratiarum actionis, & laudis.

Quid est quod ille cecidit in faciem ante pedes Iesu. *Psalm. 118.* *Ephes. 3.* *Ioan. 18.* Pedes Christi qui mysticè. Idem cur egerit gratias Deo. *Eccl. 1.* *Tertul. lib. 4. aduersus Marcionem.* Quid quod ille ad templū gratias Deo acturus non redijt, sed ad Christū, teste Tertulliano.

Et hic erat Samaritanus. Nempè ex Gente Iudæis exosa, quibuscum nihil commercij haberent Iudæi. Et ita innuitur, alios nouem, Iudæos fuisse: qui nō agunt gratias: quia exclusa est Iudæa, & saluata Gentilitas. Et Samaritani excedunt Iudæos in fidei facilitate, vt docet exemplum mulieris Samaritanæ, ac eius ciuium; & in pietate, ac misericordia quam fecit Samaritanus sauciato in via; denique in beneficijs agnoscendis, & gratijs pro illis agendis, vt exemplum hoc docet. Vt videamus verbum Petri verum: *In veritate comperi, quia nō est personarum acceptor Deus; sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.*

Samaritani Iudæis quales. *Ioan. 4.* In quibus excedeient Iudæis Samaritani. *Ibid. & seq.* *Luc. 10.* *Actor. 10.*

Respondens autem Iesus, dixit, Nonne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt? Cur voluit hos nouem redire, & dare gloriam Deo, an voluit vendere beneficium? an eget Deus laude nostra? an non est beneficium nolle sibi gratias agi, vt beneficium sit beneficium? an non regula est benefacientis, obliuisci beneficij impensi, sicut beneficium accipientis est semper recordari? An non Comicus dixit: *Isthæc commemoratio, quasi exprobratio est immemoris beneficij?* Sed voluit eos redire non propter se, qui bonorū nostrorū haud indiget, sed primò propter Deum, cui omnis debetur gratiarum actio, & laus

Quare Christus nouem leprosos à se mundatos voluerit accepti beneficij memores esse? Dantis, vel accipientis beneficium, lex quæ sit. *Terent.* *Psalm. 15.* Prima ratio.

Secunda ratio.

laus pro beneficijs. Deinde propter alios, vt constaret de beneficio per Christum accepto, & nō per Legem: & vt viderent turbæ euentum tantæ fidei, cùm vidissent non cōtemptum aliquo, sed fidenter reuersos, vt redijt Naaman curatus ad Helisæum. Tertiò, propter ipsos leprosos: erat enim eis honorificum, ne leuiter credidisse viderentur, & vt gratum animum ostendentes, maiora beneficia perciperent, nempè doctrinam Fidei, vt Samaritanus. Et præceptoris est docere suos, ne, postquam sanati sunt, ingrati fiant. Et ideo ipse recordatur dati beneficij: quia nos obliuiscimur. Gaudet autem Christus benefaciendo, & ita in hominibus gratis tuetur beneficium antiquum, nouo beneficio illud cumulans.

4. Reg. 5. — *Tertia ratio.* — *Officium boni præceptoris quod.*

Quòd si dicas, Quare cōtulit beneficium in illos nouem; quos sciebat ingratos futuros; Dicendum est, Dominū libenter contulisse beneficium; quia rogarunt; & quia Dominus gratiam suam non impertitur intuitu futurorum bonorum operum, & vt ostendat se in nos omnes diffundere dona gratiæ suæ; etiamsi illis nostro vitio abutamur. Postremò fieri potuit, vt hic Samaritanus alios in gratiarum actione præuenerit. Et conquestio illa: Et nouem vbi sunt? magnam habet significationem amoris erga nos: non enim venerat ad sananda corpora propter ipsa, sed propter animas: itaque volebat vt redirent ad maiora percipienda bona: Volebat item & illos redire; ne videretur ipse tātùm alienigenæ contulisse sanitatem, & non suis.

Quare Christus nouem leprosos mundauerit, quos sciebat tanti beneficij immemores esse futuros. — *Christus quatenus venerit sanare corpora nostra.*

Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Nō obscure se his verbis Deum indicauit, à quo est omnis medela, & omne bonum. Et per alienigenam reprehendit Iudæum, vt olim, cùm dixit: *Non inueni tantā fidem in Israel.* Quemadmodum nos Christianos per Indos, vel Turcas Fidē amplexantes confundere solet: sicut Religiosos & Ecclesiasticos per seculares. Porrò ad illā Christi vocem: Et nouem vbi sunt? nō respondit quicquam Samaritanus; quia venit vt gratias ageret Christo, nō vt fratres suos neglecti officij accusaret. Et Dominus se cordium secreta cognoscere ostendit, dū & reliquos nouem mundatos esse significat, & cuius quisque gentis esset, cognouisse se demonstrat, etsi id ex vestitu deprehendi poterit.

Omnis medela, & omne bonum vnde sit. — *Matth 8.* — *Quid est quod Christo interroganti: Et nouem vbi sunt: nihil Samaritanus respondit.* — *Proprium Christi & Dei.* — *Psalm 7. & alibi.* — *Ioan. 4.*

Nota etiam, quòd cum Iudæis Samaritani non couterentur, vt Ioannes inquit: morbi tamē communio cum illis cōiunxit, quia omnes erant leprosi: vt intelligamus, nullum hominum esse à nostro consortio repellendum, quia omnes vnum sumus in Christo: nullus etiam habet, vnde in alterū infletur, quia omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. ❡ *Surge, vade: quia fides tua te saluum fecit.* Ecce exaltatio humiliati Samaritani. Vade, inquit, securus de beneficij accepti perpetuitate. Vade etiam, inter omnes versando vt sanus. ❡ *Quia fides tua te saluum fecit.* Tùm in corpore, tùm in anima, non natura nec ars, nec Lex, sed gratia Fidei: ideo serua fidem, quæ te gratum Deo in æternum reddet. Nec fides sola est, sed cōiuncta cum obedientia eundi ad Sacerdotes, & gratiarū actione in reditu, & humilitate in casu ante pedes Christi, & prædicatione gloriæ Dei, quia clamauit voce magna. Et quod Christus sua virtute præstitit, ipse Dominus pro modestia sua fidei alterius tribuit, dicendo illud suum elogium: Fides tua te saluum fecit. Atque ita erudimur, vt grati simus Deo de beneficijs acceptis, & meminerimus vineæ ablatæ à malis cultoribus, & locatæ alijs, qui reddent ei fructus in tempore suo. Neque infernus pro alijs puniendis magis est, quàm pro ingratis: neque Christus tam acerba & dira sustinuit, nisi vt in multitudine beneficiorum omne ingrati animi vitium extingueret. Scipio Africanus, qui tanta in Rempublicam merita sibi comparauit, exilio de vrbe Roma pulsus, dixisse fertur: *Ingrata patria, nec ossa quidem mea habebis.*

Samaritanos Iudæi cū horrerent, vt sese nouem leprosi Iudæi Samaritano coniunxerunt. — *Rom 3.* — *Supra 5.* — *Samaritanum vt fides sua saluū fecerit.* — *Quæ fides eū saluum fecerit.* — *Deo pro beneficijs acceptis gratos esse Samaritanos vt doceat nos.* — *Matth. 21.* — *Qui gratiam atque acerbius puniuntur apud inferos.* — *Scipionis Africani de vrbe Roma expostulatio.*

B. Bernardus sic ad gratiarum actionem adhortatur: *Diligenter,* inquit, *considera quæ tibi apponuntur; vt nulla videlicet Dei dona debita gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocra, non pusilla. Deniq; iubemur colligere fragmenta ne pereant; id est, nec minima beneficia obliuisci. Nunquid non perit, quod donatur ingrato? Ingratitudo inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio. Ingratitudo ventus vrens, siccans sibi fontem pietatem, rorem misericordiæ, fluentia gratiæ.* Idem sermone de septem misericordijs: *Ingratitudinem prorsus odit anima mea. Peremptoria siquidem res est ingratitudo, hostis gratiæ, inimica salutis. Dico ego vobis, quoniam vro meo sapere, nihil ita displicet Deo præsertim in filijs gratiæ, in hominibus conuersionis, quemadmodum ingratitudo. Vias enim obstruit gratiæ, & vbi fuerit illa, iam gratia accessum non inuenit, locum non habet.* Et infrà: *Putas ergo quia maior illi detur gratia, & non magis etiam quod videtur habere, auferatur ab eo?* Hæc ille: Et hactenus de litera diximus.

B. Bern. serm. 51 super Cantic. circa med. — *Modus gratiarum actionis, secundum Bernardum.* — *Ioan. 6.* — *Eiusdem in ingrati animi vitium inuectiua.* — *Idem serm. 2. de septem misericordijs, initio.* — *Ingrati animi pernicies.*

IAM Mysterium explicandū est. Nam lepra olim non tam Medicis, quàm Sacerdotibus commissa est in Lege, hæresim, siue peccatum designat: quæ abominabilis est morbus, & varius, quia varia est

Elegans hæresis in lepra delineatio. — *Leuit. 14.*

hæresis, & multiplex peccatum. Est etiam à solo Deo curabilis: *Ego sum*, inquit, *ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me.* Et lepra quidē alia facilis erat Sacerdoti cognitu, alia difficilis: facilis est, vt hæresis, quæ negat Dei prouidentiam, vel animorum immortalitatem. Ideo excommunicantur Principes cognoscentes de hæresi, de qua solum est cognoscere Sacerdotum maiorum. Peccatum etiam manifestum est, vt furtum, adulterium, homicidum. Alia verò subtilissima est hæresis, vt sunt speculatiuæ omnes, & quædam peccata, quæ vix agnoscuntur, vt superbia, ingratitudo, & iudicium temerarium, & similia. Decem verò leprosi illi sunt, qui mortiferè in Decalogum delinquunt; à quo qui deficit vel in vno, factus est omnium reus. In primam tabulam peccatur per hæresim, sequendo Deos alienos, id est, noua dogmata, & assumendo nomē Dei in vanum: nam allegant sæpè hæretici vanè Scripturas: & sanctificando Sabbatum modo suo. Ideo significatur in lepra Oziæ Regis, qua percussus est in fronte ex superbia thurificans.

Hæresis qualis morbus, quā varius. *Esai 43.* De hæresi cognoscere quem ad solū pertineat. Hæreses subtilissimæ quænam, & vitia cognitu difficilia. *Iacob. 2.* Decem leprosi quos denotent *Exod. 20.* *2. Paral. 26.*

Qui verò patri vel matri nō seruit, leprosus est. Et eius lepra adumbratur in quatuor illis leprosis, qui erant in obsidione portæ Samariæ: qui comederunt, & biberunt, & tulerunt aurum, & argentum. Occidens autem proditoriè, incurrit lepram Ioab: cui, ob occisum sub prætextu pacis & osculi Abner, dixit Dominus, *Non recedet de domo tua lepra.* Qui verò fornicatur, & obscœnis actibus inseruit, in leproso Naaman Syro diuite figuratur. Eius autem lepra adhærens seruo Helisæi Giezi denotat eum, qui accepit mercedem pro spiritualibus. Dicens falsum testimonium, siue proximo suo detrahens, in lepra Mariæ sororis Moysi murmurante in fratrem, repræsentatur. Qui verò concupiscunt aliena, aut vxorem proximi, pulchrè denotantur in lepra Simonis Leprosi, & in lepra manus Moysi, quæ in sinu leprosa erat, & extra sana. Lepra verò ingratorum omnium significata est in his nouem leprosis, qui mundati ad Dominum non sunt reuersi.

4. Reg. 7. *2. Reg. 3.* *4. Reg. 5.* *Num. 12.* *Ioan. 12.* *Exod. 4.*

Omnes verò hi leprosi sanantur, primò occurrendo Christo, secundò, stando longe, tertiò, clamādo: quartò, respiciente eos Iesu: quintò, eundo ex obedientia Domini ad Sacerdotes. Habita verò sanitate, conseruatur, & augetur: primò, redeundo ad Christum: secundò, cadendo in faciem ante pedes eius: tertiò, clamādo voce magna, & gratias agendo: quartò, oportet esse Samaritanum, vel alienigenam: postremo, seruādo fidem, & per eam viuendo. Quantum ad primum igitur, oportet Christo occurrere, quando eius ope adiuti fugimus peccata, & facimus bona quæ possumus. Stamus longè, dum cōsideramus quā longè simus à Deo, à quo propria peccata nos elongârunt: quorum rubore oculos nō audemus eleuare in cœlum. Clamamus ad Iesum, vt soluat ab infirmitate peccati. Inuocamus Præceptorem, vt illuminet ab omni ignorantia. Imploramus misericordiam, vt liberet à summa & quauis miseria peccati. Respicit Iesus, dum confert lumen contritionis & charitatis, vt fecit cum Petro negante. Postremò præcipit, vt ostendamus nos Sacerdotibus, inspirādo vt ad tribunal conscientiæ, siue confessionis, actu, vel voto accuramus, vt tandē mundemur. Nec enim potest dissolui nodus, nisi manifestus reddatur, nec curari vulnus ignotum: quia quod ignorat Medicina, nō sanat: nec potest in causa perplexa & obscura sententia proferri. Nam peccatum est in anima, velut vermis in ligno, qui delitescit: & quāquam vermis per potionem amaram contritionis moriatur; nō tamen eijcitur mortuus vermis nisi per vomitum confessionis. Debet ergo homo etiam iustus Ecclesiæ reconciliari, & hæreticus mittendus est ad Sacerdotes, vt abiuret hæreses, & consentiat cum Patribus Catholicè sentientibus.

Spirituales morbi animi nostri hā dicti, in lepra signati, quomodo sanentur. Qua ratione adeptam sanitatem augere, conseruareque valeamus. *Matth. 26.* Quem morbum Medicina non sanet. Vermis peccati ex anima eijciendi modus quis.

Sed cauendum est iam mundatis, à duplici stultitia. Altera est, existimare quod post mundationem nō poterit peccare: altera est, credere quod si peccauerit, peccata non imputantur. Sed vtrunque falsum est dogma. Ideo opus est, vt mundatus redeat à sui ipsius cognitione; ad quam faciendam à Christo missus fuerat ad Christi, cuius auxilio sanatus est, salutarem notitiam. Secundò opus est humiliari, & cadere in faciem ad pedes Iesu: quia humilitas seruat virtutes, quas superbia destruxerat. Adhæc opus est magna voce, non tantùm oris, sed etiam cordis, & operis ad magnificandum Deum coram Angelis, & hominibus, & agendas pro beneficijs meritis Deo gratias; & nō tantū verbo, vt Pharisæus ille, sed opere. Denique oportet esse Samaritanum, id est, custodem cordis, & Dei in illo inhabitātis, iuxta illud: *Omni custodia serua cor tuum.* Oportet esse alienigenā, id est, peregrinum, nulli rei corde adhærentem, & de mundo tenuem tātum victum, & vestitum sumentem, & in cœlis corde conuersantem; vt audire mereatur: Surge ab his terrenis, & vade, progressus indies maiores faciēdo: quia fides tua te saluum fecit, & fructus fidei, qui est visio Dei, in æternum saluum te reddet. Demus igitur operam, vt postquā ex decem

Mundati à lepra peccati cauere duplicem stultitiam debent. Humilitas virtutum custos. *Luc. 18.* *Prouerb. 4.* Alienigena quis mysticè. *Philip. 3.* Fructus Fidei.

Matth. 20.

non nisi vnus inuentus est, qui gratias ageret, & multi inueniuntur ingrati, vt simus de numero paucorum, qui soli salui fiunt, suffragante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre & Spiritu sancto ab vniuersa creatura habeatur omnis gloria in secula seculorum, Amen.

TRACTATVS XXXIX.

In quo agitur de signo caci nati, & à Christo curati: de quo solus Ioan. loquitur cap. 9.

Euangelij Ioannis scopus quis.

SCOPVS Ioannis Euangelistæ, vt diximus, in conscribendo Euangelio potissimum ad diuinitatẽ Christi comprobandam & confirmandam spectat. Hinc quæ ab alijs tribus cõscripta sunt, aut pertransit, aut leuiter attingit. Quæ verò ab alijs prætermissa sunt, & maximè quæ Diuinitatem stabiliebant, illa suo Euangelio inseruit, vt sunt miraculum nuptiarũ in Cana Galilææ, vbi aqua in vinũ conuersa est, filij reguli in absentia curatio, Samaritanæ cõuersio, paralytici ad piscinam sanatio, cæci nati restitutio; & Lazari suscitatio. Quæ quidẽ quia valdè nota erant, & Lazarus, & cæcus natus, qui vnus ex septuaginta duobus dicitur fuisse, & Celidonius nomine vocatus esse traditur, & Samaritana, adhuc viuebant, ab alijs prætermissa sunt. Tempore verò Ioannis, qui vltimus omnium scripsit, quoniam hæc incipiebant à memoria hominum deleri, cõsilio Spiritus sancti suis scriptis commendare decreuit.

Quæ Christi signa, vtpote ab alijs Euangelistis prætermissa, solus Ioannes perscripserit. Ioan. 2. Infra 4. Ibid. & seq. Infra 9. Infra 11. Cæci nati à Christo illuminati nomẽ proprium.

Ait ergo: *Et præteriens Iesus vidit hominem cæcum à natiuitate.* Commemorat paulò ante Ioannes in fine cap. 8. longã disputationem Christum habuisse cũ Iudæis in templo, quam disputationẽ Iudæi excæcati, ac crudeles, cum rationibus destituerentur, lapidibus terminare voluerunt. Sed Dominus cedens eorum furori, abscondit se, & exiuit de templo. In quo egressu hoc signũ tam grãde atque euidens suæ Deitatis testimonium operatus est: atque hic lapis fortissimus fuit, quo Dominus Pharisæorum grauissimè percussit frontem. Propterea ergo dicitur: *Et præteriens.* Vbi coniunctio *Et*, vel superfluit more Hebræo, vel vim habet connectendi quæ sequuntur, cum præcedentibus, quasi dicat. Cùm exiret de templo; vt furor Pharisæorũ mitigaretur, occasione quadã factus est obuiam huic cæco.

Iudæorũ cæcitas, inuidia, sæuitia.

Quo tempore hoc miraculũ factum sit.

Mira Christi charitas.

Considera autem hoc loco stupendam Christi charitatem, qui à tantis conuitijs & iniurijs ad benefaciendum excitatus est: nam curauit vnum ex Iudæis, qui insigni cæcitate laborabat. Docens nos quomodo certandũ sit cum capitalib^9 inimicis, nempè beneuolentia & beneficijs. Nunc autem cõtra fit: nam odium in vnum aut alterum, compellit nos ad odio totam aliquam nationem prosequẽdam. Præteriens ergo, accessit animo ad cæcum corpore, sed magis curabilem: attamen quæ nobis videtur casu euenire, respectu Dei sunt summæ prouidentiæ. Etsi ergo abscondetit se, & exiuerit de templo; non tamen vllo metu, aut impotentia sua deterritus, qui ita hunc cæcum natum curare potuit, vt ostenderet se nõ blasphemasse, dicendo: *Antequam Abraham fieret, ego sum*, vt illi putarunt; & indicaret quales homines venit Christus sanare, non rebelles, aut refractarios, quales erant Iudæi, sed eos, qui cæcitatem suam agnoscunt, & monita Medici non contemnunt. Et vt Lazarum suscitaturus, dixit: *Ego sum resurrectio, & vita*; ita cùm superius dixisset: *Ego sum lux mundi*, hunc cæcum illuminare voluit: & in volentes se iniustè & sine causa lapidare, hunc cæcum à natiuitate à se sanatum, tanquam firmissimum lapidem dulciter & salutariter, atque ad resipiscentiam percutientem in Iudæos proiecit. Præteribat ergo Iesus instar Solis motu suo omnia collustrantis; tanquam verus peregrinus, nulli creaturæ per amorem hærendo, omnem etiam iniuriam patienter tolerando, & tanquam verus Hebræus verum Pascha pro nobis facturus in Cruce, in quo lucem mundo imparititurus erat. Et quia hîc pertransijt benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo; etiam in æterna vita transiens ministrabit nobis, transire nos faciens à terrenis ad cœlestia, ab humanis ad diuina, & à creaturis ad Creatorem, qui solus omnia implet.

Cum inimicis nostris vel acerrimis quomodo sit decertandum.

Quam ob causam Christus absconderit se, & exiuerit de templo.

Ioan. 8.

Quales homines venerit Christus sanare.

Ioan. 11.

Supra 8.

Iesus quomodo præterierit.

Exod. 12.

Actor. 10.

Luc. 12.

Ierem. 23.

Vidit etiam oculo commiserationis, ab eo nõ visus: quia etiam non petentẽ præuenire debemus eleemosynæ beneficio. Vidit etiam quemadmodũ speculum à te visum ad te cõuertitur: ita peccator ad Deum conuerti debet, qui se in eo speculabatur. Adhæc vidit oculo columbæ bonum naturæ nostræ, & miseriam eius, vt subleuet; nõ autẽ malum, id est, peccatum. Nam si iniquitates obseruaueris, Domine, Domine, quis sustinebit? Oculo denique quo vidit Matthæum in telonio, Petrum negantem in atrio. *Respice*, inquit Propheta, *in me, & miserere mei*; quasi dicat, Satis est te videre, vt miserearis. Vidit autem cæcum à natiuitate, ac ob id natura incurabilem. Natura enim exigit materiã in opere suo, etiamsi sit informis: quemadmodum ars materiam forma-

Iesus vt viderit hominem cæcum à natiuitate.

Psalm. 129.

Matth. 9. Infra 26. Psalm. 85.

Quò Natura pertingere non possit in

operãdo, sicut tàtùm Deus.

formatam, Deus verò neutrum. Ideo natura non potest facere vt Sol generet hominem sine homine, vel generare metalla intra viscera terræ sine certa materia: ars etiam non efficit vestem sine panno, neque pistor panem sine grano vel farina: Deus autem vtrunque potest, etiam nulla supposita materia, vt ostendit in hoc cæco nato: de quo infrà dicitur, *A seculo nõ est auditum quia quis aperuit oculos cæci nati.* Sensus visus nobilissimus est, & plures rerum differentias demonstrans: ideo maximè diligitur, vt Scriptura dicat: *Custodi nos vt pupillam oculi.* Propterea cæcitas magnum malum reputatur. Quanquam quidam oculis priuati magnos progressus in disciplinis fecerint, quemadmodum Didymus Alexandrinus, & Democritus magnus Philosophus oculos sibi eruisse scribitur, vt melius philosophari posset. Diocletianus Imperator omnes Catholicos Episcopos altero oculo ex odio priuauit: quod posteà in eorum cessit gloriam. Nam Constantinus ad Fidem conuersus, eorum oculos non sine magno venerationis testimonio osculatus est, vt qui propter Fidem re chara & pretiosa spoliari se tulissent. Sed maximum donum est, cùm quis à natiuitate cæcus visum recuperat, vt isti accidit.

Sensus visus qualis sit.

Psalm. 16.

Qui se oculis priuauerint ob contemplationem.

Diocletiani in Episcopos Catholicos sæuitia; Constantini in eosdem eximiæ argumentum pietatis.

Et interrogauerunt eum discipuli eius. Videbant Christum oculos in cæcum intendisse; propterea interrogant, *Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur?* Non videtur admodum occulta quæstio ex hac parte, quia dicit, hic, qui ante natiuitatem peccare nõ poterat, vt ait Theophylactus: nec post natiuitatẽ, vt cæcus nasceretur, sed occasionẽ habens ex dictis paralytico: *Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deteriùs tibi aliquid contingat:* & ex Scriptura etiam, quæ per peccatum introiuisse in mundũ mortem, plagas, infirmitates, & labores tradit. Ideo Lex talia peccatoribus comminatur: & ex amicis Iob, qui cum eo disputantes, pœnã non infligi nisi culpæ personali putabant: & Pharisæi dixerunt: *In peccatis natus es totus, & tu doces nos?* Pharisæi enim credebãt transmigrationem animarum, seu palingenesiam cum Herode, quam illi vocant Gilgul, vel cum Pelagianis puniri homines ob præuisum peccatũ futurum: quorum neutrum est verum, vel Catholicum dogma. Ex alia parte tamen videbant Abelem, Iobum, Tobiam, & Dauidem iustos & sanctos viros afflictos, & vexatos. Propterea quærunt de parentibus; quia in primo præcepto dixit se visitaturum peccata parentum in filios. Et non satis est Originale peccatum: quia si eius ratio habenda esset, omnes cæci nascerentur. Atque ex hac parte etiam oculata non erat hæc quæstio; quia mali parentes interdum bonos filios habent, & boni quandoque malos.

Quanam occasione Apostoli Christum interrogauerint de cæco nato Rabbi, quis peccauit, &c.

Theophylact. in Ioannem.

Ioan. 5.

Rom. 5.

Ioan. 9.

Pharisæorum & Pelagianorum errores.

Luc. 9.

Gen. 4.

Iob. 1. & 2.

Quare de parentibus discipuli interrogauerint num illi peccassent vt filius cæcus nasceretur.

Exod. 20.

Iam aduerte responsum Christi: *Neq; hic peccauit, nec parentes eius.* Non absolutè intelligas (sed vt subiungit) *Vt cæcus nasceretur.* Et Iob non negat se peccasse, sed vt ita puniretur. Quo loco illud aduerte, ex libris Recognitionum Clementis quosdã colligere; Petrum, tradidisse, quòd Deus ab initio prospera bonis, aduersa malis tribuerit. Deinde cum hæc Dei prouidentia cunctis innotesceret, vt illam celaret, tradidisse bonis aduersa, malis bona, ac læta. Rursus vt Diuina prouidẽtia magis delitesceret, tam prospera, quàm aduersa vtrisque concessit. Vnde Salomon: *Sunt iusti atq; sapientes, & opera eorum in manu Dei:* & tamen nescit homo vtrum amore, an odio dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta, eo quod vniuersa æquè eueniant iusto & impio, bono, & malo, mundo & immundo.

Cæcus natus quatenus ille nõ peccauerit.

Iob. 6.

Clem. lib. 3. & 4. Recogn. prope init.

Petri Apostoli doctrina de diuina prouidentia.

Eccl. 9.

Deinde aduerte, filium non puniri pœna æterna pro delicto patris, quia scriptum est: *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij.* Et rursus: *Vnusquisq; onus suum portabit;* & iterum: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi; vt referat vnusquisq; propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.* Secus in temporalibus pœnis filiorum, in quibus quandoque pater punitur. Quia enim homines communicant in corpore, & pueri portio quædam parentum sunt, puniuntur plerunque parentes in filijs: vt constat de filijs Heli Sacerdotis, quos propter delictum parentis interfecit, & de filio Bersabe interfecto ob adulterium Dauid. Modò etiam habentes filios spurios, siue nothos, in illis lege humana puniuntur: quia tales nõ possunt vel succedere in bonis primogenituræ, vel promoueri ad Sacerdotium, & beneficia. Interim tamen quod patri pœna est, filio est vel solutio debiti naturalis, vel medicina: ne pueri imitentur iniqua facta parentum; vel ansa, vt filij ad virtutem, & insignia, & heroica opera promoueantur.

Filios nequaquam puniri gehenna ob demerita parentum.

Ezech. 18.

Gal. 3.

2. Cor. 5.

Cur plerunq; parentes in filijs puniantur.

1. Reg. 4.

2. Reg. 12.

Spurij filij quibus pœnis sint obnoxij.

Sed vt manifestentur opera Dei in illo. Particula *Vt*, cõsecutionis est potius, quàm causæ, vt illud: *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci; vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.* Et rursus illud: *Lex subintrauit vt abundaret delictum.* Opera autem Dei sunt, primò quidem interius generatio Verbi, exterius verò creatio mundi ex nihilo, Incarnatio, Passio, Sacramentorum vis, & sanctificatio, subuentio miserorum, mira-

Psalm. 50.

Rom. 5.

Opera Dei interna, & externa quæ.

miraculorum operatio, reductio hominis vt videat Creatorem, stabilitas hominis in fide contra hostes suos, hoc est, Mundum, Carnem, Diabolum. Hæc autem omnia suó modo in hoc opere ostensa sunt, vt posteà dicemus. Formatio enim oculorum ex luto, quia in cõfesso erat corpus Adæ ex puluere constitutum; teste Irenæo lib. aduersus hæreses Valentini, opus Dei arguit. Ait enim in hæc verba Theophylactus: *Nam sicut sæpè architectus domū partim quidem elaborat, partim relinquit imperfectam; vt si quis fortè ei non credat, quod ipse non sit ille qui partem extruxerit, possit per hoc quod conditum est, & imperfectum, ostendi quod & ipse extructi opifex sit: ita & Deus noster Iesus excæcata membra sanans, & in suam naturam constituens, ostendit quod ipse sit qui & alia membra condidit.* Hæc ille. Deus ergo potest priuare aliquo membro, aut aliquo sensu creaturam, vt eam ad gloriam suam perficiat; si Princeps potest aliquid expendere honoris sui illustrandi gratia.

Posteriorum operū Dei in illuminat one cæci nati repræsentatio. *Gen. 2.* *Iren. lib. 5. aduer. hæreses.* *Theophylact. in Ioannem.* *Christus Dominus noster qualis artifex.*

Solatur etiam hoc verbum omnes eos, qui à natiuitate vitium aliquod contraxerunt, vt si quis sit deformis, si balbus, si gibbosus, si cæcus, si cocles, si mutus, si nimium breuis, aut nimium procerus quis sit, si denique aliquo membro sit destitutus. Non enim licet argumentari, eiusmodi, vel eorum parentes aliquod delictum admisisse: quia interdum Deus hæc finit, vt manifestentur opera sua per gratiam curationum, ad ædificationem Ecclesiæ. Gregor. Turonensis, qui suo tempore in opinione magna fuit, cùm ante Gregorium Magnū Pontificem consisteret, & ob paruitatem corporis maximè miraretur Pontifex, & risum vix tenere posset; dixit Gregorius Turonensis: *Pater sancte, ipse fecit nos, & non ipsi nos.*

Quos soletur cæcus natus ille benè fortunatus. *De filijs monstrosis qui malè ratiocinentur.* *Gregorij Turonensis magni in primis & præclari viri, sapienter & acutè dictum.* *Psalm. 99.*

Me oportet operari opera eius qui misit me donec dies est. Dies in Scripturis significat tempus operandi, siue ministrandi: quia dies negotijs est destinatus, iuxta illud: *Ortus est Sol, & congregati sunt.* Et subdit: *Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsq; ad vesperam.* Et hic dies est totum hoc seculum ad benè operandum nobis cõstitutum: ergo me missum ad reparādum, & ad sanandum oportet non propter opificis indigentiam, sed hominis, quē amo, salutem, etiam si nullus roget, vel signa petat. ¶ *Operari opera eius qui misit me.* Id est, agere negotia Patris, vt, dicere, & signis confirmare doctrinam, dum viuo diem mihi assignatum. Vel vt exponit Theophylactus; oportet eadem opera, quæ Pater facit, me operari, quia ego & Pater vnū sumus. Nam vt Filio sapientia, & Spiritui sancto bonitas, ita Patri potētia adscribitur, ex qua operatio miraculorum prouenit. Vnde dixit Christus: *Opera quæ dedit mihi Pater vt perficiam ea; opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, &c.* Atque hoc est, *Donec dies est*: id est, Dum præsentiam meam sensibilem huic mundo exhibeo. Quia statim subdit: *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.* Quidam tamen exponunt: Donec dies est gratiæ. Christus enim vt Sol quidam illuminat, calefacit, & viuificat omnia, diem ab Incarnatione ad iudicium vsque faciens: in quo est tempus acceptabile, & dies salutis. Et de hac die ipse dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem seculi.* Hac autem die peracta, sequitur nox: quia Sol iustitiæ reprobis amplius non dabitur. In vita æterna autē quia non est opus generationibus, aut corruptionibus, id est, transmutationibus, quia tempus amplius non erit: & tunc non erit Sol, neque Luna, vt ait Ioannes in Apocalypsi, sed lucerna, illuminans quidem, sed non transmutans erit agnus. Tunc etiam Diuinitas spectanda proponitur: respectu cuius Humanitas lucerna erit.

Dies in Scripturis quid. *Psalm. 103.* *Dies à Deo cur condita.* *Theoph. ibid.* *Ioan. 10.* *Diuinitatem attribuere personam.* *Supra 5.* *Operādi signa virtus vnde procedat. Illud: Me oportet operari donec dies est, quid sibi velit. Alter sensus.* *2. Cor. 6.* *Matth. vlt.* *In æterna felicitate locus transmutationibus non erit vllus.* *Apoc. 21.*

Venit nox, quando nemo potest operari. Ad literam simpliciter intellige vitam illam post seculi finem, quando non solum ipse Deus cessabit ab operibus talibus, sed etiam nemo poterit quicquam operari eorum, quæ ad suam, vel aliorum pertinent salutem. Nec huic sensui obstat Paulus, qui præsens seculum, noctem; futurum verò, diem vocat. Nam ille hanc vitam noctem vocat, propter errores, & ignorantiam; diem verò futuram, quòd tunc omnia quæ modò latent, erunt manifesta. Dominus alia ratione diem præsentem vitā vocat ob operationis facultatem, & noctem futuram, ob cessationem ab opere.

Cùm dicitur Venit nox, quando nemo potest operari, nox ad literā quid significet. *Rom. 13.* *Quare Apostolus præsentem vitā, noctem, futuram vero diem nominet.* *1. Cor. 4.*

Quòd si tempus suæ corporalis præsentiæ in mundo diem vocauit, & noctē, tempus suæ absentiæ, quia subdit: *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi*: possit aliquid obijci: Quia multa potuit Christus mortuus operari. Nā sanctos Patres ex inferno liberauit, eosque suo aspectu beatos reddidit, & de tam tetro carcere liberauit: sua potentia à mortuis resurrexit: apparuit pluries discipulis, & in fide eos cõfirmauit: docuit illos per dies quadraginta: edidit nõnulla signa, & ipsis videntibus eleuatus est, & cœlos penetrauit. Sed hæc omnia Christus fecit, quia nō erat in nocte, sed in summa & clarissima die. Dicitur autē, in nocte neminem operari posse: quia Christus nō publicè docebat, neque edebat signa, vt prius, & extra tempus meriti erat: cuius post mortem neque tempus, neque locus fuit.

Quomodo verum sit, Christu tantùm dū viueret, quæ Patris sui erant perfecisse: cum etiā post mortem plurima sit operatus. *Zach. 9.* *Actor. 1.* *Ibidem.* *Idem vt nequiuerit operari in nocte.*

Quis à Christo oporteat illuminari. An Christus cum in cœlo est, sit etiam lux mundi. *Euthym. c. 10. in Ioan.*

Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. Idcirco eos qui excæcati sunt, oportet per fidē illuminari, priusquā à mundo transeam. Sed dices; Cùm in cœlo est, nonne est lux mundi? Sed vtique, vt ait Euthymius, sed num de conuersatione sua in terra dicit, simul & ad Fidem adhortans, & propinquā esse mortem suam significans. Et quod ait, *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi*, nō tollit quòd post Ascensionem desineret esse omninò lux mundi, sed quòd desineret sic prælucere hominibus, per se docendo, & miracula edendo. Et quomodo post ipsum lucere cœperunt Apostoli, quibus ob id est dictum: *Vos estis lux mundi.* Nos etiam diem nostram habemus, in qua operemur, de qua: Et quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi, vt operemur opera Dei, id est, opera charitatis, quæ Deus nobiscum operatur, & vos cum illo. Et instar mercenarij, cui toto die incumbit operari, vt mercedē sub vesperam recipiat. Nam militia est vita hominis super terram, & sicut dies mercenarij, dies eius. Dum tempus ergo habemus, operemur bonum, veniet enim nox, in qua nemo poterit operari: nā post mortem meritis locus non est: nam, ligatis manibus, & pedibus qui piger fuit, & otiosus, mittitur in tenebras exteriores, vt operari nequeat.

Matth. 5. Luc. 19. Opera Dei, quæ nos operari debeamus. *Iob. 7. Gal. 6.* In qua nocte nemo potest operari. *Matth. 25.*

Hoc cùm dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius, & dixit ei, Vade, laua in natatoria Siloe, quod interpretatur Missus. Abijt ergo, & lauit: & venit videns. Poterat Dominus Iesus solo verbo curare, vt aliàs sanauit cæcum, poterat, & oculos tangendo visum restituere, vt fecit cum duobus cæcis, Matthæo teste: poterat & oculos nouos creare, sicut ab exordio fecit hominem ex nihilo: nihil tamen horum fecit, sed medijs quibusdam, & instrumentis pro mera sua voluntate vti voluit. Primò, vt adijciendo hæc instrumenta, doceat Deum nō esse tentandum, sed adiumentis iustis à Domino nobis propositis esse vtendum: *Altissimus*, inquit, *creauit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam.* Sed nō est illis vtendum pro voluntate nostra: quemadmodum Nahaman Syrus volebat lauari in aquis Damasci, & non in illis Iordanis, vt volebat Propheta; sed signis, & instrumentis, quæ Deus pro sua sapientia & beneplacito instituit. Deinde, vt cùm non vtitur sensibilibus signis, doceat potestatem soli suo verbo adscribendam, & illa videntur signa, non res naturales, vel vim ex seipsis habentes. Vnde per lotionem in fonte Siloe, abstulit lutum ab oculis, quod per se nihil visui præstabat, sed officiebat potius: & vt ita ipse videatur per illa instrumenta operans, & saliua diuinitati nō erat vnita, nec lutum, nec aqua Siloe, nec lotio, nec alia creatura ex se sufficiebant ad miraculum: ideo hæc omnia adhibuit, vt maius appareret miraculum. Et ita non solum Christus factus est nobis faber, sed etiam figulus. Tertiò, vt eiusmodi cæremonijs paruam fidem quorundam iuuaret, & ad maiorem accipiendam disponeret, vt fecit cum surdo, & muto, & cum cæco ad Bethsaidam, vt suprà vidimus. Et licet ita sanitatem differat, interim tamen fides, & sancta inuerecundia augetur, & miraculum in instanti fiebat. Quartò, vt videatur potentia curans contrarijs, vt massa ficuum Ezechiæ apostema; aqua salis conspersa aquas steriles, & amaras Iericho fœcundas reddens; & aquas Mara ligno aloes immisso, vt tradunt Hebræi, edulcauit Moyses: & Helias puerum, iacendo super eum, ad vitā reuocauit: ita hoc loco liberat à cæcitate, imponendo lutum in oculo. Quintò, vt hac ratione commendaret nobis sanctissima Sacramenta, quæ in signis, & cæremonijs sub sensum cadentibus consistunt: quibus ad salutem animæ comparandam nos subiecit. Sextò, quemadmodū Deus quos glorificare vult, priùs humiliat, vt digni sint exaltatione, secundùm illud: *Omnis, qui se humiliat, exaltabitur:* ita Deus quos maximè vult illuminatos & sapientes efficere, prius rectè cæcat: *Si quis videtur* (inquit Paulus) *inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sapiens:* & Dominus; *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnū cælorum.* Cùm voluit Dominus Paulum ad Lucem Euangelij adducere, prius illum per triduum cæcauit, ita vt apertis oculis videret nihil, & egeret duce ad ambulandum. Septimò illuminauit Dominus hunc cæcum, vt patefaceret se esse conditorem Deum illum, qui olim totum hominem ex puluere fecit, & qui modò oculos ex luto format.

Luc. 18. Matth. 9. Cur Christus cæcū natum, oculis luto illitis, miserit ad natatoria Siloe, cū statim eum posset sanare. I. Ratio. *Eccl. 38. 4. Reg. 5.* II. Ratio.

III. Ratio cæremoniarum Christi in illuminatione cæci nati. *Marc. 7. Infra 8.* IV. Ratio. *4 Reg. 20. Supra 2. Exod. 15. 3. Reg. 17.* V. Ratio. VI. Ratio. Quos Deus exaltare consituit, eos prius humiliare consueuit. *Luc. 14. 1. Cor. 3. Matth. 18. Actor. 9.* VII. Ratio. *Gen. 22.*

Hoc cùm dixisset. Ad quæstionem videlicet Apostolorum de causis cæcitatis, & de operum suorum autoritate, & necessitate, quibus bonos monuit, & malos terruit. ¶ *Exspuit in terram.* Quasi dicat: Hæc vobis dicta mea obscura videntur, iam propter tarditatē vestrā facto ipso docebo quis ego sim: nouo & insolito modo sanare voluit, & luto illinire oculos cæci, vt videri possit, cæcitatē nō tollere, sed duplicare: vt etiam videri posset Dominus misero homini illudere voluisse. Sed sanè hoc modo cæci fidē, & obedientiam probare voluit, vt omnib[9] esset exemplo. *Siloa*, inquit Hieron. *fons est*

Quid, quod expuens in terrā Dominus, lutum fecit, quo liniuit oculos cæci nati. Siloa quid sit, cur ita nominetur.

Hieronym. in Esaia c. 8. ante medium tom. 5.

ad radices montis Sion, qui nō iugibus aquis, sed in certis horis, diebusq; ebulliat: & per terram concaua, & antra saxi durißimi cum magno sonitu veniat, dubitare non possumus: nos præsertim qui in hac habitamus prouincia: Sic ille. Vnde nomen habere hāc piscinam, siue natatoriam constat: nā hic, & Ioan. 5. eadē est vox Græca κολυμβήθρα, quæ vox à natādo formatur.

Siloe fontis aquæ quam vim habeant.

Huius fontis aqua fertur multo esse in pretio apud Saracenos, qui cùm hircorum instar grauem, ac tetrum odorem emittant, huius aquæ lotione imminui fœtorem tradunt, & cæcos interdum visum recuperare.

Nehem. 3. Ioseph lib. 6. de bello Iud. cap. 6. initio.

Meminit hui⁹ fontis Nehemias & Iosephus libro de Bel. Iudaico, dicēs eum fuisse aquæ dulcis & multæ Hic fons dicitur Siloa שלח *Quod interpretatur Missus* Siriacè, siue Chaldaicè dicitur שילוחא Schilucho, & nō habētur illa verba, Quod interpretatur, Missus: quia illa addidit interpres de suo, vt vocis significatus innotesceret.

Siloe cur interpretetur Missus.

Porrò Missus dicitur: vel quod illuc missus sit iste cæcus, vel quod aquæ illæ diuinitus immissæ sunt; vel propter mysterium, ad significandum Christum missum de cœlo, vt posteà dicemus.

Epiphan. in vita Esaiæ Prophetæ. Dorotheus Episcopus. Dictus Siloe fons cuius precibus à Deo fuerit obtentus.

Nam vt testatur Epiphan. in libro de vita, & morte Prophetarum, & Dorotheus in sua Synopsi, Siloam fontē Deus propter Esaiam Prophetam fecit: quia priusquam moreretur, orauit, vt Deus vndas illic efficeret: & demisit cœlitus aquam viuentem, vnde sortitus est locus ille nomen Siloe, id est, demissum. Hæc ille ferè. Præter fontem Siloe erat etiam turris Siloe, de qua super decem & octo viros cadente, atque eos occidente fit mentio apud Lucam: quæ, vt videtur, sita erat iuxta dictum fontem.

Luc. 13.

Hic cæcus natus ad hunc fontē cur fuerit missus.

Misit autem cæcum ad hunc fontem; vt illustrior esset omnibus cæci fiducia, nihil detrectantis eorum quæ iubebantur, & vt nouitas spectaculi, & mora longioris itineris plures miraculi testes euocaret. Iuit bis cæcus lutatis oculis, magna populi multitudine comitāte ad aquas, nullo miraculo claras.

Cæci nati obedientiæ fructus. *4. Reg. 5.*

¶ *Lauit, & venit videns.* Quemadmodū olim Naamā Syrus missus ab Heliseo abijt, & lauit in Iordane, & venit mūdus à lepra. Perpende breuitatem Euangelij, quæ succinctis verbis magna explicat mysteria: abijt, lauit: & venit videns: Sicut Cæsar, qui dixit: *Veni, vidi, & vici.*

Sueto. in Iulio Cæsare, nu. 37 Octaua ac postrema ratio. *Irenæ. lib. 5. Ambr. lib. 3. de Sacram. c. 2. tom. 4.* Siloe fontis mysterium.

Postremò, hæ tātæ cæremoniæ seruiunt ad designandum mysterium egregium: de quo verba facit Irenæus libro aduersus hæreses Valentini, & Ambrosius libro de Sacramentis. Asserunt namque per fontem hunc significari lauacrum regenerationis, in quo lumen accepimus ad vidēdum Creatorem. Nam Iesus vt curarēt cæcitatem nostram, in qua nascimur propter peccatum Adæ, opus fuit vt oculis misericordiæ nos respiceret.

Cæcus natus quem typum gerat.

Et cæcus iste nihil petijt, quia typus est humani generis, & peccatoris sine nullis præcedentibus meritis, & ex mera gratia iustificati. Omnes enim à natura cæci sumus ad res diuinas, & tamen arbitramur nobiscum benè agi, si stipem mendicamus, cognitionē à rebus huius mundi accipiendo, sed Iesus aggrauat hanc naturæ cæcitatem: vt legem olim veterem dando, grauitatem peccati detegi volebat: onusque illius legis, quo baptismo tolleretur, præcepit.

Lex vetus cur data. *Rom. 5.*

Infra 9. & 2. Tim. 2. Saliua vnde fiat, & quid significet. *Eccl. 24.*

Deinde opus fuit expuere in terram. Natura nostra puluis est, & à vento mota, & stabilita per Christum in vasa honoris per saliuam diuinitatis Verbi. Nam vt saliua ex capite oritur, ita sapientia, siue Verbum ex ore Altissimi prodijt: quod exinanitum, & parti terræ infusum, id est, corpori, & animæ Christi, lutum perfectum fuit, cùm Verbum caro factū est: ita vt nulla esset rebellio in eo. Erantque illæ partes inuicem concordes, molles, id est, per obedientiā flexibiles ad Deum.

Ioan. 1.

Lutum quid fecit Iesus. *Num. 21.*

Hoc lutum conculcatum est ab omnibus, & posteà Cruci applicatū, quo tanquam serpens æneus posset ab omnibus spectari. Dæmon autem volebat, vt Verbum expueret in aquas, & non in terram, id est, in Angelos, & non in homines. Sed quomodo sanaretur homo à natiuitate cæcus? Nam dæmon natus est videns, quemadmodum Angeli omnes: sed obcæcatus est apponens non lutum oculis, sed decorem suum, & de seipso arroganter sentiendo: *Perdidisti* (inquit Scriptura) *sapientiam in decore tuo.*

Ezech. 28.

Liniuit ergo oculos cæci illo luto, dādo fidem incarnationis, & meditationem vitæ Christi. Et lutum illud ab omnibus conculcatum fuit, excitando ad credendum Mysterium passionis: *Conculcauerunt me*, inquit, *inimici mei tota die:* & iterum: *Dedit in in opprobrium conculcantes me.* Hæc enim testimonia de Messia prædicta sunt, quem omnis qui delinquit, conculcat, iuxta illud Apostoli: *Quantò magis putatis, deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit?*

Psalm. 55. Psalm. 56. Conculcat Christum qui... *Hebr. 10.*

Aquæ Siloe quid mysticè.

Et mittitur in fontem Siloe, id est, ad aquas Baptismi, qui ab eo qui missus fuit, institutus est, & ab eodē virtutem habet, vt possit nos inserere ipsi Christo, cuius membra efficimur. Redijt autem, per fidē resurrectionis videns, accepto cœlitus Spiritu sancto: atque ita homo iustificatus agnoscit Iesum Saluatorem suum.

In hac cæci illuminatione opera Dei quænam elucescant.

Emicant ergo, ac splendent in hac cæci illuminatione prædicta opera Dei. Primò quidem generatio Verbi à Patre, & ab eodem distinctio: quemadmodū saliua à ca-

Gen. 2.

pite oritur, & ab eodem est distincta. Deinde creatio: quia qui olim totum hominem ex luto finxit, nunc oculum ex luto formauit; ac proinde se dominum esse Sabbati ostendit, qui nō debebat Sabbati legibus adstringi, vt cæci Pharisæi volebant. Idcirco enim hoc, & alia nonnulla signa in Sabbato perfecit; vt eum supra hominem esse, & supra legem Iudæi agnoscerent. Tertiò, Incarnatio: quia vt lutum ex terra, & saliua factum; ita Verbum caro factum est. Quartò, passio Domini: nā vt lutum vile in passione conculcatum est, & sputo Iudæorum conspurcatum. Quintò, apparet virtus natatoriæ Siloe, id est, Baptismi visum spiritualem fidei redemptis restituentis. Sextò, elucent miracula Dei, quæ propria sunt opera eius, in hoc à natiuitate cæco, & deinde iterū luto cæcato. Septimò, propria est Dei subuentio, vnde dictum est: *Inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me.* Octauò, apparet stabilitas hominis in fide contra Carnem, Mundum, & Diabolum. Et pati pro Christo opus est Dei: & talia videmus in cæco sanato. Postremò, reducere hominem, vt tandem videat creatorē facie ad faciem, opus Dei est, secundùm illud: *Quoniam apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen*: atque hoc contigit cæco nato, qui regressus vidit Dominum Iesum, & agnitum, tanquam filium Dei, adorauit. Et hæc sunt opera, de quibus dixit: *Sed vt manifestentur opera Dei in illo*: & rursus: *Me oportet operari opera eius qui misit me*: quæ tam latè, & distinctè enarrauimus ad gloriam Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre, & Spiritu sancto omnis tribuēda est gloria, sapientia, & gratiarum actio in secula seculorum, Amen.

Marc. 2. — *Ioan. 1.* — *Matth. 26.* — Virtus Baptismi. — Opera Dei propria quæ sint. — *Psal. 49.* — *Psal. 35.*

TRACTATVS XL.

In illa verba: *Itaque vicini, &c.* vsque in finem capitis.

QVONIAM longum est Euangelium cæci nati historiā cōplectens, æquum fuit, vt quominus lectores grauaret, in duos tractatus distribueretur. Iam ergo Euangelista describit conflictus huius cæci cum Iudæis, & Pharisæis: quos Dominus ad suam gloriam permisit, quo illustrius opus Dei redderetur. Et constat quanta constantia, & libertate cæcus miraculum, & autorē prædicauerit, & quod ob id eiectus à Synagoga, à Domino sit benignè susceptus, & ad perfectiorem eius cognitionem adductus. ¶ *Itaque vicini, & qui viderant eum prius quia mendicus erat, dicebant, Nonne hic est qui sedebat, & mendicabat?* Vicini videbant eum redire sine baculo, & ductore, & ob restitutionē oculorum non poterat non aliquo modo facies eius immutata videri; sed ille constanter veritatem prædicabat: Ego sum ille ipse mendicus, & cæcus à natiuitate, cuius sæpè vocem suam cæcitatem prædicātis, vt vos ad miseriam flecteret, audistis. Et licèt Græcè legatur, quia cæcus erat; melior tamen lectio Latina, quam Augustinus, & Theophylactus, & Euangelium Syriacum sequuntur. Non enim tam notus erat multis, quia cæcus erat, quàm quia mendicus erat. ¶ *Dicebant, Nonne hic est qui sedebat* (scilicet ante portam templi, vt claudus) *& mendicabat?* Facit & ad miraculi cōmendationē & Dei gloriā, quod nō spectauit in hoc signo aliquod suum commodum, vt qui mēdicus curatus sit nullo prorsus pro eo rogāte, nec ipso vnquā Christum agnoscēte.

Scopus Euangelistæ. — Cæci nati cōstantia, & libertas animi. — Vnde dubitauerint Iudæi de cæco nato iam illuminato, an ille esset qui prius mendicabat. — *Aug. tract. 44 in Ioan. tom. 9. Theoph ibid. Actor. 3.* — Cæci nati illuminatio quo insigni haberi debet.

Dicebant ergò ei, Quomodo aperti sunt tibi oculi? Cùm rem calumniari non possent, modum eius naturæ humanæ imperscrutabilem temerè, & curiosè inquirunt, ita vt propè excæcarentur in eius visu, & lumine. Nam qui scurator est maiestatis, opprimetur à gloria. Et debuissent potius meminisse Esaiæ de tempore Messiæ prænuntiantis: *Tunc aperientur oculi cæcorum.*

Iudæorum cæcitas. — *Prou. 25. Esai. 35.*

Respondit, Ille homo qui dicitur Iesus, lutum fecit, &c. Hominem vocat, quē Deum nondū agnoscebat, etsi ex nomine Saluatoris atq; opere illuminationis Deum nosse potuisset, sed non omnia statim cōsecutus est, sed paullatim profecit, & tandē Filium Dei agnouit. Et quod expuerit in terram, & lutum fecerit, & linierit sibi oculos, partim ab aliis audire potuit. ¶ *Et dixerunt ei, Vbi est ille?* Non nominat nomen Iesu: quia ille vt ad videndum, ita ad nominandum grauis illis erat, sed ille respōdit: *Nescio*: Nec enim Iesum de facie nosse poterat, tantùm ex nomine nouerat: & pars erat hæc grati animi, quod cognoscebat, confiteri. Et nos sæpè Christum nouimus ex nomine, non ex facie, quia ignoramus, dum eum non videmus quòd in cœlo sit sedens ad dexteram Patris, & regnans.

Iesum hic cæcus cur hominem vocauerit. — *Sap. 2.* — Cur nos Christum ex nomine tantùm, non ex facie agnoscamus.

Tertius sequitur conflictus Pharisæorū interrogantium quomodo vidisset: & cùm ille simpliciter eandē veritatem quā priùs, confessus esset, quidā ex ipsis dicebant: *Non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit.* Conclusionem præferunt præmissis, quarum etiam sensum inuertunt: nam debuerant dicere: Hic homo cęcum natum in Sabbato sanauit; ergo nō est à Deo. Sed certè seruilia opera sunt quæ Sabbatū violant,

Pharisæorum malignitas in Christum — Opera quæ Sabbatum violent.

Sabbatũ violet quis.

nõ opera misericordiæ,& charitatis:& magis violat Sabbatũ, qui detrahit Filio Dei, & operibus eius, & qui inuidet fratri suo. Et nõ dicunt ex malitia, qui in Sabbato sanat; sed, qui Sabbatum non custodit.

Dicentium, Quomodo po. est homo peccator hæc signa facere, qualis ratiocinatio.

Exod. 7. & seq.

Deut. 13.
Matth. 7.

Quæ signa nullo modo fallacia esse possint.
Ioan. 5.

Alij autem dicebant, Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Hi sanioris mentis erant, ac si dicerent; si Sabbatum homo nõ custodit, peccator est,& Dei inimicus: quomodo ergo Deus virtutem signa operandi inimico suo præstitisset? Sed non solidè argumentantur: nã Magi Pharaonis insignes erãt peccatores,& Propheta à cultu Dei volens auertere,& pseudoprophetæ, qui tamẽ signa edidêre. Verùm illa sententia cum sit Pharisæorum, non opus est vt omninò vera sit. Quanquam si intelligatur de signis, quæ quis Diuina virtute edit in testimoniũ suæ sanctitatis, quomodo Domin⁹ sua edidit, dicens: Ipsa opera quæ facio, testimonium perhibent de me; semper talia vera signa sunt,& à solo Deo perfici possunt: nõ enim Deus falsitati attestari potest. ¶ *Et schisma erat inter eos.* Etsi concordia in bono semper sit bona; in malo tamen bona est discordia: vnde Dominus dixit se missum non vt pacem mitteret, sed gladium, & separationem. Mala erat cõcordia ædificantium turrim Babel: quam Dominus dissoluit. Et Paulus Pharisæos & Sadducæos in malo concordes dissipauit.

Discordia quæ bona,& mala concordia.
Matth. 10.

Gen. 11.
Actor. 23.

Qui rogauerint cæcum illuminatum quid de Iesu sentiret illuminatore
Chrysost. ho. 57. in Ioan. tom. 3.
Theoph. ibid.
Altera opinio probabilior.

Rogatus autem cæcus ab illis: *Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos; dixit, Quia Propheta est.* Existimat Chrysost. cum Theophylacto, hanc interrogationem à bonis, & benè, & præclarè de Iesu sentientibus factam, quia paulò ante dixerant: *Quomodo potest homo peccator hæc signa facere?* Et quia nõ interrogarunt, Quid dicis de illo qui lutum fecit, & Sabbatum nõ custodiuit, sed, Tu, quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? quod laudabile erat, vt prius calũniæ expositum. Verùm Rupertus Pharisæis hęc verba tribuit. Cæcus ergo dixit: *Quia Propheta est.* Pronuntiat ex perfectiori fide, quæ per tẽtationes crescebat. Et ex signo agnouit Prophetam: quia virtus signorum data est Prophetis, vt crederẽtur à Deo missi, vt eius nomine legatione fungantur: vt patet de Mose, & de Samuele, & ex illo Ioannis: *Quod ergo tu facis signum vt videamus, & credamus tibi?* Nec videtur confiteri Prophetam illum insignem, de quo in Deut. scriptum est, quia inferius posteà decernunt, nullum confitentem, Iesum esse Christum, id est, Messiam, in Synagogam admittendum: vt exponit Lyran. quia Græcè nõ est cum articulo ὁ Προφήτης, sed Prophetam missum à Deo, & veracem Doctorem.

Rupert. lib. 9. in Ioan. circa medium.

Virtus signorum Prophetis cur data.

Exod. 4.
1. Reg. 12.
Ioan. 6.
Iesum cæcus natus qualem Prophetam agnouerit.
Deut. 12.

Lyranus in Ioannem.

Non crediderunt ergo Iudæi de illo quia cæcus fuisset, & vidisset (Græcè ἀνέβλεψεν, id est, visum recepisset:& sua sponte intus cæcati nõ crediderunt tã illustre,& perspicuum signum) *donec vocauerunt parentes eius qui viderat.* Sequitur quartus cõflictus: nam hæc est natura veritatis vt eo elucescat magis, quo magis fuerit impugnata. Et interrogant verbis rigidis eos exterrere volentes, vt obscurarent miraculum. Non enim dicunt: Hic est filius vester qui cæcus natus est, sed, quẽ vos dicitis quia cæcus natus est? notantes id falsò dicere solitos, sed sanè valdè improbabiliter. Quis enim pater cum sua ignominia de filio suo mentiri velit? Nec dicunt simpliciter, Quomodo nunc videt, sed, Quomodo ergo nunc videt? Quasi dicat, Aut falsum est quòd nunc videat, aut quòd cæcus natus sit. Et ita volebant inducere parentes, vt illa duo negarent: sed cautè respondent parentes, cõfitentur enim quod sit filius, & cæcus natus: sed quis aperuerit eius oculos, aut quomodo fatentur se ignorare. Quod fortassis falsum erat, quia audierant à filio, aut signo interfuerant. Sed tale est ingenium parentum, vt naturã quidem confiteantur, gratiam Dei autẽ pernegent. Vnde etiam ætatem filij legitimam, & idoneam testantur, vt ipsum interrogent, quo nullus magis potuit esse idoneus testis autoris signi, & modi, quo peractum est. Et rationem timoris assignat Euangelista, dicens, sic eos respondisse, quod cõspirassent Iudæi, vt si quis eum cõfiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret: quod vna voce Græca eleganter dicitur ἀποσυνάγωγος, hoc est, eiectus, & separatus à Synagoga existeret, & excommunicatus haberetur. Nam ita solet mũdus eos à se expellere, qui ea quæ mundi sunt, cum ipso nõ sectantur. Erat etiam nõ tãtùm apud Iudæos, sed etiã apud Ethnicos species quædam separationis,& excommunicationis. Nam inter Romanos vsus erat interdicendi aqua & igni maleficos, qua sentẽtia eijciebãtur à ciuitate, & omni ciuium cõsuetudine prohibita, vita ipsa indigni iudicabãtur: quòd vita hominis consistat in aquæ & ignis vsu. Et Cæsar lib. de bel. Gallico de Druidis sic habet: *Si quis priuatus, aut publicus eorum decreto non steterit, sacrificijs interdicunt. Hæc pœna est apud eos grauissima. Quibus est interdictum, ij numero impiorum, ac sceleratorum habentur. Ii omnes decedunt, aditum, sermonemq́; defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant: neq́; ijs petentibus ius redditur, neq́; locus vllus communicatur.* Sic ille. Non ergo hæretici ab Ecclesia excommunicati hoc se cæci nati exemplo tueantur,& quod eijciuntur de Ecclesia, eo

Veritatis ingenium.

Pharisæorũ in Christum malã mẽs,& pa- lus animus.

Parentũ misera conditio.

Excommunicationis, separationis vsus quasi apud Romanos.
Hominis vita vnde cõsistat.
Cæs. lib. 6. de bello Gallico non longè à princ.
Druidæ populi suis decretis parere recusantes, qua pœna mulctarent.

Hæretici ab Ecclesia cur eijciantur, & excommunicentur.

quòd

quòd Iesum esse Christũ confitentur: quoniam certum est illos non propterea excludi à consortio Sanctorum, sed ob id quod falsum Christũ cõfitentur, & quod de eius Ecclesia malè sentiant, à qua non eijciuntur, nisi qui prius seipsos separant. Et vt habet Aug. tunc non erat malum extra Synagogam fieri, eo quod illa ob incredulitatẽ suã à Deo deseri cœpisset, & Christus nouã Ecclesiam ædificabat: modò verò ab Ecclesia expelli, acerbissima & grauissima pœna. Porrò excommunicatio illa Iudæorum in confitentes Iesum esse Christum, nõ solùm non erat legitima, vel iusta, sed iniusta, ac prorsus inualida, ac nulla.

Aug. tract. 44. in Ioan. tom. 9.

Ab Ecclesia modò separari, & expelli, quantum malum sit.

Vocauerunt ergo rursum hominem qui fuerat cæcus, & dixerunt ei, Da gloriam Deo: nos scimus quia hic homo peccator est. Quintus est hic conflictus: ac vt impugnantes ciuitatẽ aliquam, nunc ex vno latere, nunc ex opposito oppugnant, nunc rursus ad primum latus redeunt: ita isti rursum ad cæcum explorandum accedunt, & dicunt: Da gloriam Deo, hoc est, confitere veritatem, & reputa te à solo Deo sanatum, non à Galilæo illo homunculo: & ita huius rei gloriam autori huius rei redde, non huic seductori. Primò calumniati sunt hoc factum tanquam hominis peccatoris, qui à Deo nõ esset; deinde negarunt illum fuisse cæcum. De qua re per parentes conuicti facti, laudem à Iesu, quem oderant sub prætextu religionis dicentis, Da gloriam Deo, & non isti homini, auertere moliuntur.

Pharisæi cæcũ natũ quomodo oppugnẽt.

Eidem cur dicunt infelices: Da gloriam Deo.

Potest & hoc verbum, *Da gloriam Deo*, exponi, vt sit modus quidam obtestandi, & veluti adiurandi ad extorquendam ab aliquo veritatẽ, ad Dei gloriam. Ita dictum est ad Achan: *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, & confitere, atq; indica mihi quicquid feceris, ne abscondas.* Nos, qui religiosi sumus, & bonæ conscientiæ, & prætereà in legẽ periti, certum atque exploratum habemus, quia hic homo peccator sit, quia Sabbatum Dei violat; vorax est, & potator vini; cum publicanis & peccatoribus cõuersatur. Si ergo peccator est, vt dicitis, quid est quod paulò ante dicenti Christo: *Quis ex vobis arguet me de peccato*, liberè, quod peccator esset non respondistis, & solidis testimonijs non comprobastis? Volebant ergo vi cogere eum ad detrahẽdum Christo. Si ergo iniurias contra omne ius pateris; memor esto Christi, qui illas grauissimas sustinuit, vt Ioseph à fratribus, & Iob ab amicis suis pertulit. Et vide malitiam, vnum & idẽ aliter & aliter interrogant; vt capiant in sermone, & non permaneat in prima confessione.

Alter sensus.

Iosu. 7.

Vnde Pharisæi facerent peccatorẽ Iesum, insignes ipsi peccatores.

Matth. 11.

Supra 9.

Quomodo illatas iniurias ferre quis possit æquo animo.

Ioan. 8.

Gen. 37.

Iob 2. & infra deinceps.

Dixit ergo eis ille, Si peccator est, nescio: vnum scio, quia cæcus cum essem, modò video. Tædio verborum; ne nouum bellũ ineant, sic locutus est: non dubitando, vt Chrysostomus, & Theophylactus docent, sed latenter se scire oppositum cõfitens. Nam abunde & luculenter comprobat eum non esse peccatorem, quod scil. cæcus cum essem, modo video. Et sic apertè irridet eos, qui dixerunt se scire eum esse peccatorem.

Cæci nati prudentia

Chrysost. ibid.

Theoph. ibid.

Dixerunt ergo illi, Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos? Rursus videntes miraculum negari non posse, ad modum miraculi, quo editum fuit, reuertuntur, vt ex eo, quod in Sabbatum gestum est, calumniari valeant: ¶ *Respondit eis, Dixi vobis iam, & audistis; quid iterum vultis audire? nunquid, & vos vultis discipuli eius fieri?* Dixisti, ô bone vir, sed non ea quæ isti audire volebant: tu quidẽ veritatẽ rei dixisti; at illi qui semper veritati rei aduersati sunt, veritatem audire nõ quærunt; sed Christi culumniã: Dicitur enim in libro Prouerb. *Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris, quæ versantur in corde eius.* Obijcit ergo eis: *Nunquid & vos vultis discipuli eius fieri?* quod illis maximè erat abominabile, vel auditu; & tamẽ se eius discipulum confitetur. ¶ *Maledixerunt ergo ei*, Græca vox ἐλοιδόρησαν, non significat illos malè precatos fuisse, seu animo maledicendi imprecatos, sed ex odio nominis Christi, & magna animi elatione conuitiatos esse: dicentes: *Tu discipulus illius sis.* Græcè habetur εἶ, id est, es tu discipulus illius: quod potiùs est cõuitium, quàm maledictum. Et ita legit Euangelium Syriacum. Et quadrat hæc lectio cũ membro opposito, Nos Moysi discipuli sumus, non autem aiunt simus. Grauiter ergo peccarunt contra legem, dicentem: *Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum.* Et vt dixit Rebecca filio suo Iacob: *In me sit ista maledictio, fili mi.* Ita hoc maledictum super nos, & super filios nostros descendat: quia beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes, propter me. Vbi notandum est, conuitium esse dicere bonum malo animo, vt, Vade presbyter, vade frater: & Christo dicebant: *Aue Rex Iudæorum.* Hinc Basilius in Regulis breuioribus interrogans, Quid sit λοιδορία, id est, maledictum siue conuitium? respondet: *Omne verbum, quod eo animo profertur, vt ex eo contumelia, seu ignominiã alter afficiatur, maledictum est, licèt verbum ipsum per se nõ videatur contumeliosum. Atq; hoc manifestum est ex Euangelio, in ijs, quæ de Iudæis loquens, ait, his verbis, Maledixerunt ei, & dixerunt, Tu discipulus illius sis.* Sic ille. Eâdem, vel simili ratione, sed è contrario dicere malum bono animo

Pharisæorum inuida malignitas.

Quales illi nebulones.

Prouerb. 18.

Mira cæci nati constantia aduersus Pharisæos.

Ei quemadmodu Pharisæi maledixerint.

In quo legis Moysi præuaricatores extiterint.

Leuit. 19.

Gen. 27.

Matth. 5.

Qui cõuitientur.

Ioan. 19.

Basil. in Regul. breuio. interrog. 24. tom. 2.

Conuitium quid sit.

Quæ videantur conuitia, nõ sint tamen illa.

animo, & ad correctionem, conuitium nõ est, vt Dominus dixit euntib⁹ in Emmaus: *O stulti, & tardi corde ad credendum*; & Paulus ad Galatas: *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati, &c.*

Luc. 24.
Gal. 3.

Dicendo etiam, *Tu discipulus illius sis; nos autem Moysi discipuli sumus*; malitiosè Moysen Iesu opponunt; cùm tamen qui verus est Moysi discipulus, & Christi discipulum fieri necessum sit. Nam de Christo Moyses scripsit: *Si crederetis*, inquit Dominus *Moysi, crederitis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.* Deinde falsum est quod dicunt, se esse Moysi discipulos, quibus Dominus dixit, *Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?*

Quare qui Moysi discipuli sint, iidē & Christi sint oportet. *Ioan. 5.* *Deut. 18.*

Pharisæi quā falsi Moysis discipuli. *Ioan. 7.* *Exod 20.*

Nos scimus quia Moysi locutus est Deus. Nam vt in Exodo dicitur: *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Firmiori tamen testimonio scire poterant Iesum esse Dei filium: nam illud de Moyse sciunt vno solo textu, & qui de seipso, testimonium perhibuit, & hoc per auditum; hoc autem scire poterant pluribus testibus, scilicet Moyse, & Helia, & cæteris Scripturis, voce deinde paterna ex cœlo demissa, & ex visu tot operum diuinorum, quæ inter eos fecit Iesus. Constat autem certiorem aure arbitrum esse oculum. ¶ *Hunc autem nescimus vnde sit.* Sed in caput suum rectè mentiuntur, cùm ante dixerint: Hunc scimus vnde sit. Quòd si nescierunt vnde esset, quare toties ausi sunt pronuntiare non esse à Deo, imò dæmonium habere, & insanire, vt dicent paulò post, & Samaritanum esse.

Quando Moysi locutus sit Deus. *Infra 33.*

Vnde Pharisæi Iesum nosse potuerint esse filium Dei, si voluissent. *Matth. 3.*

Visus quàm auditus iudicium certius. *Ioan. 5.*

Pharisæi quā aperte mentiti sint Iesum se nescire quis esset. *Infra 8.* *Infra 10.*

Respondit ille homo, & dixit eis, In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis vnde sit, & aperuit meos oculos. Magna cum ratione loquitur cæcus hic iam illuminatus: dixerunt enim Iesum nõ esse à Deo, quòd sciebāt esse peccatorem, quod nescirent vnde esset. Et cõtra hoc tertium rectè arguit, non solum mirabile est certè (nam γὰρ, siue enim, interdū Græcis affirmat. Est ergo sensus, in hoc certè mirabile est) sed etiam insanū, vt illi ignorarent vnde esset: qui velint, nolint, cõpelluntur confiteri aperuisse oculos cæci nati. Nā ex miraculo potestatē plusquam humanam, aut creatam, & ex potestate tali naturam Diuinam agnoscere poterant. In hac secunda clausula particula aduersatiua est subaudienda in hunc modum: & tamen aperuit oculos meos, sicut Matth. 2. *Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es, &c. & tamen ex te egredietur mihi Dux qui regat, &c.* Contra secundum ait: *Scimus autem quia peccatores Deus non audit.* Putat Augustinus hæc verba dixisse cæcum, tanquam non plenè adhuc

Cæci nati elegans confutatio illorum.

Mich. 5.

Aug. tract. 44. in Ioan. sub fin. tom. 9.

Euangelica veritate imbutum, nec vnctionem Spiritus sancti habentem. Sed certè magis est probabile cæcum hæc dixisse secundum communem regulam in Scripturis decantatam, & Iudæis non ignotam, dicitur enim: *Oculi Domini super iustos: & aures eius in preces eorum. Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos.* Et illud: *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Et, *Cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Et ita benè dicit, scimus, scilicet Scripturis instructi, preces iustorum exaudiri; impiorum verò reprobari, videlicet dū à sua improbitate recedere non curant. Vel, vt suprà attigimus, Deus peccatores cū effectu non audit, siue exaudit, ad virtutem scilicet edendi miracula in testimonium bonitatis, & sanctitatis eorum, vt egregiè interpretatur Theophyl. Sic enim intelligebat cæcus hic, sic audierat Iesum in hac causa ad faciendum plura miracula in testimonium suæ Diuinitatis: nam hîc etiam dixerat: *Me oportet facere opera eius qui misit me, donec dies est.* Vel peccatores in peccatis perseuerātes, qui propriè peccatores dicuntur, nõ exaudit pro alijs deprecantes: nam cùm is qui ad interpellandum mittitur, inimicus est, irati animus ad deteriora prouocatur. Nā peccatores humiliati, & pro seipsis petentes, & à peccatis resipiscentes non sunt inter peccatores numerandi: & tales exaudit Dominus, vt publicanum, peccatricem, & alios. Propterea dixit: *Sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit.* Iesus ergo amicus Dei est, & cultor eius, & voluntatē eius faciens, qui toties quotidie exauditur in præclaris signis edendis. Contra tertium autem dictum, quòd Iesus non esset à Deo, respondit: *A seculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic à Deo* (id est, iustus, sanctus, & à Deo missus) *non poterat facere quicquam.* Nemo quippe poterat signa facere quæ fecit Christus, nisi fuisset Deus cum eo, vt dixit Nicodemus.

Quo sensu cæcus natus dixerit: Scimus quia peccatores Deus non audit.

Psalm. 33. *Ibidem.* *Prouerb. 28.* *Esai. 1.*

Impiorū preces quare Deus non exaudiat.

Theophylact. in Ioannem.

Peccatores propriè qui dicantur.

Peccatores qui minimè censendi. *Luc. 18.*

Supra 7. Iesum nō esse peccatorem, vt Pharisæi blasphemabant, quomodo fiet.

Responderunt, & dixerunt ei, In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Deficientibus rationibus, confugiunt ad conuitia, & instar phreneticorū in eos excandescunt, qui sibi voluerint opem ferre. Et graue peccatū committunt, exprobrando natiuam cæcitatem corporis, fortunæ tenuitatem, & mendicitatem: quasi verò ipsi non sint nati, & concepti in peccato: Miserum est alteri exprobrare peccatū, quo ipse etiā æquè laborat, qui exprobrat. Et peccato adscribunt cæcitatem pristinam; cùm tamen dixisset: *Neque hic peccauit, neque parentes eius.* Et amplius vim suam habet, quod Græcè dicitur: *Tu in peccatis*

Ioan. 3. Pharisæorum in cæcū natū conuitia.

Psalm. 50. Quorundam exprobratio peccati prorsus iniqua, & indecora. Cæcus hic cut in pecca-

catis natus es totus. Totus, aiunt; quasi nō solùm anima, sed etiam corpore peccasset: vnde per cæcitatem, & conditionem fortunæ contemptæ mendicare cogebatur. Et pondus suum habent illa verba: Tu doces nos? tu, inquam, cæce, qui stipem mendicabas, & contemptibilem vitam agebas, audes apud tantos viros philosophari, & docere nos, qui arcem religionis, legis professionē, & magisterij cathedram tenemus. ¶ Obserua quales Christus suæ gloriæ, & sui Euangelij patronos deligere voluerit contra potentissimos sui nominis calumniatores. In hoc enim cæco & paupere ostendit, quomodò per pauperes, & indoctos, & humanis præsidijs, & adiumentis destitutos, nomen suum prædicandum esset per vniuersum orbem, & obthurandum os iniqua loquentium.

is natus dicitur totus.

Admirabilis in cæco nato Christi prouidentia.

Psalm. 62.

Et eiecerunt eum foras. Scilicet extra Synagogam, ac idcircò excommunicatum pronūciauerunt, velut pij magistri discipulum impurum. Est post conuitia verborum factis agunt, & quos Pharisaicum supercilium de Synagoga sua, quæ Satanæ est, vt ait Ioannes, eiecit, Christus in suam Ecclesiam recepit. Et excludi ab impiorum consortio, coniungi Christo est.

Pharisæorum in cæcum natum inhumanitas, ac Christi benignitas.

Apocal. 2.
Excludi ab impiorū consortio quid sit

Audiuit Iesus quia eiecerunt eum foras. Et cùm inuenisset eum, dixit ei, Tu credis in Filium Dei? Christus conspector est nostri certaminis, & remunerator. Cùm ergo intellexisset gloriæ suæ præconem, quàm fortiter contra Pharisæos se gessisset, inuenit eum non casu, sed quæsitum certa prouidentia, & dixit ei: *Tu credis in Filium Dei?* Non ignorabat Christus fidem cæci, qui in Iesum ignotum de facie crediderat; sed vt initia fidei, quæ in illo seminarat, ad maiora promoueret, interrogauit. Et cognomentum Messiæ erat non solùm filius Dauid, sed etiam filius Dei cum articulis τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ. Et ita ab Euangelistis frequenter vocatur Filius Dei Iesus, hoc est Messias. Etsi autem interdum Filius Dei iungatur cum nomine Christi, vt apud Marcum: *Initium Euangelij Iesu Christi Filij Dei*: &, *Tu es Christus Filius Dei viui*, quod habetur Matth. 16. Ioan. 6. & 11. & Marc. 14. *Tu es Christus Filius Dei benedicti?* Simpliciter tamen dictus Filius Dei, Messiam significat: vt in libro Sapientiæ: *Filium Dei se nominat*: rursus: *Si est verus Filius Dei, suscipiet illum*: & Lucas: *Tu es Filius Dei?* item Matthæus: *Si Filius Dei es, descende de cruce*: &, *Secundùm legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Ad hunc modum de Saulo dicitur, quòd prædicabat Iesum, quoniam hic est Filius Dei, id est Messias. Quod explicans Lucas, ibidem subiungit: *Saulus autem multo*

A cæco nato cur Dominus quæsierit an crederet in filium Dei, cum id non ignoraret.
Duplex cognomentum Messiæ.
Ioan. 1.
Infra 6.
Infra 9. & 11
Matth 1.
Infra 4.
Infra 14.
Infra 16.
Infr 26. et 27
Marc 1.
Sapient. 2.
Ibidem.
Matth 27.
Ioan 19.
Act. 9.

magis conualescebat, & confundebat Iudæos qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus. Vbi pro eodem accepit Filium Dei, & Christum. *Respondit ille, & dixit: Quis es, Domine, vt credam in eum?* Non est vox diffidentis, sed ardētis videre beneficij autorem. Et nondum hic ex facie Iesum nouerat, quia statim postquam illuminatus fuit ad Siloe, adductus fuit ad Pharisæos, ibiq; detentus, quoadusq; eiecerunt eum, & ita non licuerat ei Iesum videre. *Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum: & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait, Credo Domine. Et procidens, adorauit eum.* Iā expende modestiā Domini Iesu. Et vidisti, inquit, eum oculis mētis, & imperfecta fide in beneficio illuminationis: nā nisi illū vidisses, cum Pharisæis disputare minimè potuisses. *Et qui loquitur tecum, ipse est.* Modestius hoc est, quàm si dixisset: Ego sum. Et omnib. ex corde illum desiderātibus sese Christus reuelat, & facit vt agnoscatur omnium bonorum autor. Quibus auditis, vt ad ignē propositum stupa incenditur, statim credidit, & in signum æternæ fidei adorauit eū prostratus in terram: nam cultu latriæ adorauit eum prostratus, quòd ab eo ex nihilo creatus esset, & illuminatus: & quia corde creditur ad iustitiam; ore confessus est, dicendo, *Domine*, & opere adorando, & omnes propter iustitiam, & pietatem angustiatos, & tribulatos Christus consolatur. Et dicere poterat iste cæcus: *Quoniā pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit.* Et primò quidem confessus est hominē per naturam: deinde Prophetam per gratiā: tertiò Dominum, & Filium Dei per diuinitatem. Et primus est qui pro Christo excōmunicationis sententiam tulit.

Cur quæsierit cæcus illuminatus à Christo quis esset.

Christi modestia.

Idem quibus se ipsum ostendat, ac detegat.

Quomodo ille Christum adorauerit.

Rom. 10.
Quos soletur Christus, triplex cæci nati de Christo confessio.
Psal. 26.

Prima in cæcū inflicta est excommunicationis sententia.

Et dixit ei Iesus, In iudicium ego in hunc mundum veni; vt qui non vident, videant: & qui vident cæci fiant. Etsi Græcè non dicatur, ei, sed in cōmuni dicta sint omnib⁹ (quæ optima est lectio) nihil tamen officit pronomen illud: quia & cæcus præsens erat huic sermoni, & in eo omnibus dixit. Quia enim mendico illi, cum cæcus esset corpore, & animo, primò visum corporis dedit, deinde illum spiritus, meritò ex eo ansam accepit de cęcitate, & visu spirituali disserendi. Et iudicium pro condemnatione poni hoc loco, testatur Chrysost. hoc modo: Ego veni hoc primo aduentu in iudicium condemnationis, quo à vobis condemnor, quia modò non venit Filius hominis, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Vel melius, loquitur de iudicio discretionis diuinę occulto, quo Dominus aduentu suo prędicatione, & signis quosdā saluauit; alios verò se veritati opponentes, damnauit. Ita benè

B Ioan. Chrysost. hom. 58. in Ioan. 10. 3.
Ioan. 3. & 12
Alter sensus.

Aug. tract. 44 in Ioan. in fin tom. 9. Tertius sensus.

Augustinus exponit: vt scilicet qui non vident, id est, cæci corpore; recepto visu videant. Vel potiùs; vt rudes & simplices, qui propter ignorantiam Scripturarum veritatis lumen apprehendere nō poterant, apertis per fidem mentis oculis videant: *Et qui vident*, id est, Scribę & Pharisæi, qui propter Scripturarum notitiam perspicaces sibi videbantur, ac benè oculati, clausis per infidelitatem animæ oculis præsentem lucem, & signa veri Messiæ non videant, sed vt cæci fiant. Et quod ad hos spectat, vt potiùs est consecutionis, quàm caussæ signum, vt etiam in simili clausula Lucæ notauimus: Dixit enim Simeon: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel.* In ruinam quidam Pharisęorum, qui cùm sibi viderentur sapientes, cæci permanserunt, & tales declarati sunt ac detecti; in resurrectionem verò simplicium & idiotarum, qui cùm ante cæci forent, fidei lumen animis receperunt. De his alio loco prædixit Dominus: *Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terra, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.*

Quales sibi viderentur Scribæ & Pharisæi.

Luc. 2.

Quotū Christus positus fuerit in ruinam, & in resurrectionem: vti sanctus prædixerat Simeon.

Matth. 11.

Etsi ergo Dominus dixerit: *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum*: non tamen aduersatur huic sententiæ: *In iudicium ego in hunc mundum veni*: quia in priori testimonio est sermo de iudicio retributionis, quo reddet vnicuiq; secūdùm opera eius: hîc verò est sermo de iudicio discretionis. Et Dominus his verbis nō tam volunt significare ad quid in mundū venerit, quam quid ex suo aduentu sit in mundo secuturum. Audientes autem Pharisæi, & hęc ad se pertinere intelligentes, *dixerunt ei, Nunquid & nos cæci sumus? Dixit eis Iesus, Si cæci essetis, non haberetis peccatum.* Dominus præuidens illos maiori odio, & calumniandi studio inflammādos, si apertè vocaret eos cæcos, sicut aliàs Apostolis dixerat: *Cæci sunt, & duces cæcorum*; cùm tamen cæci haberi nollent; eos sic conuincit, vt ostendat id eos damnare, vnde sibi placebant. Satis tamen apertè illos esse cæcos declarauit, dicendo: Si cæci essetis, nō haberetis peccatum. Cuius sentētiæ duplicem ponit Theophylact. intelligentiam: alteram de cæcitate corporali ex Chrysost. alteram de spirituali. Nos verò duas de spirituali proponemus. Prior sit hæc: Si per necessitatem naturæ excæcati essetis mente, & cæcitatem vestram agnosceretis, accurreretis ad medicum, qui cæcitatē à vobis depelleret; & ita venia vtcunq; daretur vobis incredulitate laborantibus. Nunc autem quia dicitis vos videre, & agnoscitis vos vt videntes; ideò non accurritis ad medicum, & peccatum manet vestrū: & planè vocantes vos videntes, etiam spectatores facti estis miraculi huius in cæco, & adhuc incredulitate laborātes, venia indigni estis: & peccatum vestrum indelebile manet. Hunc sensum sequitur August. Posterior est: Si Scripturarum lumen, & intelligentia careretis, quæ ita vos oculatos reddunt, vt me ex his verum Messiam possitis agnoscere; non haberetis peccatum, quod ignorantia tolleret, sed eius excusationem cum idiotis: nūc verò cùm vos videre profiteamini, & Scripturarum notitiam, atque intelligētiam habere iacetis, peccatū vestræ affectatæ infidelitatis manet. Hic est præstantior, & clarior intellectus. Est ergo sensus: Si cæci essetis, id est, si carnaliter non videretis; vel, si pro cæcis vos gereretis, etsi apud vos cæci essetis, arrogantia nō tumeretis, qua vos ita videre putatis, vt opus nō habere meo lumine cogitetis; certè peccatum nō haberetis, quia & ad Ioannis, & ad meā, & discipulorum meorum prædicationem, & post tot miracula tandem pœnitentiam egissetis, & ita peccatum non haberetis: essetq; qui vestram cæcitatem tolleret, si vos eam agnoscere velletis, præsertim tot miraculis, & inspiratione tāta vobis eam ostendentibus. Nunc autem dicitis, Quia videmus, id est, neq; propter Ioānem, neq; propter meam prædicationem, pœnitentiā faciendā ducitis: quia dicitis vos benè videre quid agatis, vos scire quib. rebus absq; me iustificemini. Peccatū ergo vestrum manet: quia nèq; lex, neq; homo iustificat, sed gratia Dei, quę est ex fide Christi. Et ita hoc loco peccatum non tam actuale, quàm illud quod ex Adā traximus, per quod nos proni sumus ad malū à iuuentute nostra, & ignorantes ac cæci ad diuina, significat. Atq; ita hic sermo Christi lutum quoddā erat, quod denuò oculos Pharisæorum grauabat, vt intelligerent cæcitatem suam, quam ad res diuinas habebant; vt credentes Christo accurrerent ad fontem, id est, ad aquas Baptismi, in quibus perfectū lumen à Christo reciperent. Et hactenus de litera sit dictum.

Ioan. 3. Quomodo accipiendum illud: Nō enim misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum.

Matth. 16. & sæpè aliàs.

Cur modo Christus Scribas & Pharisæos, cæcos non apertè vocauerit. *Suprà 15.*

Illud: Si cæci essetis, non haberetis peccatum, multiplicem capit intelligentiam. *Theophylact. in Ioan. Chrys. ibid. hom. 58. to. 3.* Prior sensus.

Aug. tract. 44 in Io. to 9. Sensus alter accommodatior.

Sola gratia Dei, quæ est ex fide Christi iustificat.

Quale peccatum Pharisæorum, quo tenebantur, eorumq; cæcitas. *Genes. 8.*

Superiùs explicuimus mysterium in his cæremonijs designatum, quo homo incorporatur Christo per baptismum: quòd si contingat, illum à puritate & innocentia Baptismi per peccatum deflectere, & cæcitatem spiritualem incurrere: hîc etiā iuxta spiritum instruimur de secūda iustificatione, quæ fit per Sacramentū Pœnitentiæ, in qua visum spirit⁹ peccato amissum recuperam⁹. Omnis siquidē peccator cæcus est, & cæcitatis suæ à natiuitate principia habet, quib. nec seipsū, neq; Deū, à quo tot beneficia indies accipit, cognoscit: *Non est*, inquit,

Huius cæci hominis illuminatio qualia nobis documenta suppeditet.

Cæci qui mysticè.

intelli-

Psalm 13. & Rom. 3.

Peccatores mentis cæcitate laborantes, quantis subiaceant malis.

Ioan. 12.

intelligens, non est requirens Deum. Non distinguit cęcus inter amicos & inimicos circunstãtes: præfert vilia pretiosis, & temporalia æternis: non videt vel præcipitium peccati, vel foueam inferni, in quam se per peccatũ deturbat: denique in omni re offendit. Ductorem cæcus habet, sed non alium, quàm principem tenebrarum dæmonem: habet baculũ cui innititur, id est fiduciam in carne cæca, & fraudulenta. Erat etiam hic cæcus mendicans. Nam cęcitas spiritualis mẽdicitatem parit, quia omnia concupiscit, & creaturis impleri non valet: quia non satiatur oculus visu, nec auris auditu impletur. Postremò erat extra templum: quia peccator templum Spiritus sancti nõ est, & templum Dei prophanauit, & extra templum animę suę versatur, & ideò mendicat. Cùm in sola cõscientia verę diuitiæ sitę sint: quia vt Apostolus ait: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*: & Salomon: *Secura mens quasi iuge conuiuium.* Etsi autem hæreticus extra templum Ecclesiæ sit: peccator tamen in Ecclesia est, sed vt membrum putridum, & vt palmes aridus: & propterea nec intra templum est, quia gratia & charitate Dei destituitur: neq; longè à templo, vt hęreticus, sed iuxta templum, propter fidem, & Sacramenta, per quę facilè reduci potest, vt fiat membrum viuum & templum sanctum Dei. Quemuis igitur peccatorẽ Dominus ex misericordia præueniendo in benedictionibus dulcedinis sanat, primò expuendo in terram: vt enim sputum à capite per os descendit, ita gratia Dei, quę cùm sapientię dono est coniuncta, à Patre Deo est per Christum: & per illam fit lutum ex terra; id est peccator agnoscit, peccatum nil aliud esse quàm terram insipidam & amarã auertentem à cœlo, & trahentem ad infernum, iuxta illud Ecclesiastici: *Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœna. Rursus scito quia amarum est te reliquisse Dominum Deum tuum.* Ponitur etiam lutum ob oculos: non solùm quia vtilis est ad humilitatem peccatorũ recordatio, iuxta illud prophetæ: *Peccatum meum contra me est semper*; sed etiam quia memoriam mortis nostræ, & vilitatis nobis repræsentat. Etsi quidam sunt, qui aurum vel argentum, & non lutum ante oculos ponunt, vt ille, de quo Ioannes: *Quia dicis, Quòd diues sum, & locupletatus, & nullius egeo; & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Pharisæus etiam dicebat: *Deus, gratias ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum.* Et infra: *Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omniũ quæ possideo.* Secus Paulus, qui lutum suum cõspiciebat, dum ait: *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.*

Eccles. 1.

1. Corint. 3. Infra 6.

Vbi tantùm sitæ sint veræ diuitiæ.

2. Cor 1. Prouerb. 15.

Quale sit mẽbrum Ecclesię peccator.

Ioan. 15.

Peccator quã hæreticus ab Ecclesia cur minus distet.

Quibus modis peccatorem Deus sanet.

Psalm. 20.

Sputum vnde sit.

Peccatũ quid.

Eccli. 21.

Peccatorum recordatio quã salutaris.

Psal 50.

Qui non lutũ, sed aurum, vel argentum ponunt ante oculos.

Apocal. 3.

Luc. 18.

Qui tantùm lutum ante oculos ponant.

1. Tim 1.

Quando ibimus lauari in Natatoria Siloe.

Pœnitentia vnde descendit.

Deinde vbi Dominus posuit lutum ante oculos nostros, opus est ire, & lauari in natatoria Siloe; id est, contritione, & pœnitentia; quæ de cœlo descendit, vt fons Siloe de monte Sion. Pœnitentia enim de Christo in crucem primò, & deinde in cœlum exaltato prouenit. *Vt autem,* inquit, *sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, &c.* Et rursus dixit Apostolis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Lauamur autem in hac aqua, quando cũ Dauide dicimus: *Lauabo per singulas noctes lectum meũ, lacrymis meis stratum meum rigabo*; & rursus: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte, dũ dicitur mihi quotidie; Vbi est Deus tuus?* id est, dùm obijcitur ignorantia Dei mei.

Matth. 9.

Ioan. 20.

Psalm. 6.

Psalm. 41.

Tertiò, quemadmodum cognitionem peccati sequitur contritio; ita cõtritionem sequi debet confessio, & absolutio. Nam cùm lauaret cæcus oculos, sonum quendam aqua edebat: in quo adumbratur confessio, & absolutio, quæ sensibiles partes sunt Sacramenti Pœnitentiæ, per quas datur remissio peccati, secundùm illud: *Si confiteamur peccata nostra; fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

Quænam partes Sacramenti Pœnitentiæ.

1. Ioan. 1.

Quartò, lotionem secuta est per tersorium emundatio, & plena visus perceptio: atque in hoc tersorio repræsentatur satisfactio, quæ complementum est, & perfectio Sacramenti Pœnitentiæ, & ad perfectum lumen restituit.

Satisfactio qualis sit.

Quintò, ex mutatione vitæ nostræ illud consequi debet, vt vix agnoscamur etiam à vicinis & notis. Et dicunt: *Nonne hic est qui sedebat, & mendicabat?* Alij dicebant, *Quia hic est*, id est, semper est peccator, sed fingit, & agit hypocritam. Alij autem, *Nequaquam, sed similis est ei*: quando adscribitur vitæ nostræ conuersio, non Deo, sed dæmoni, aut humori melancholico. Sed cæcus iam videns debet peccatum suum, & curationem agnoscere, & Christum esse autorem salutis, & medicum animarum nostrarum confiteri: & debet instare, ac dicere; Ego sum peccator, ille, Ego qui tantum beneficium à Domino accepi. Oportet etiam non tantùm coram vicinis & notis, sed etiam corã inimicis, & Pharisæis Dominum nostrum apertè profiteri. *Nam qui me erubuerit,* inquit, *& meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua, &c.*

Veræ signum emendationis.

Vbi oportet nos Christum profiteri.

Luc 9.

Quòd si propter confessionem Christi contingat nos pati iniurias verborũ, & conuitia, quemadmodum iste cæcus pertulit; quia maledixerunt illi, & conuitia in eum iactarunt,

Patientes in uitiorum propter Iesum fuerimus, quid assequimur cum cæco nato.

Matth. 5.

iactarunt, dicẽdo: *Tu discipulus illius sis*, & addiderunt: *In peccatis natus es totus, & tu doces nos?* beati sumus, atque hæc forti animo feramus, digni erimus qui propter Iesum etiam verbera, & iniurias re ipsa, & factis patiamur: sicut hic cæcus, quem tanquã Christi discipulum excommunicatum pronunciarunt, & extra Synagogam proiecerunt. Vt enim mare hominis cadauer non sustinet; ita nec mundus bonum Dei seruum mundo mortuum. Sed huiusmodi propter Christum afflictos, & à Synagoga peccantium eiectos consolatur Iesus, & cõfirmat, seq; ipsis reuelat, & tradit conspiciendum, hîc quidem per gratiam, in futuro verò per gloriam. Cùm enim apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est, Præstãte eodem Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto in sempiternum reddatur gloria, honor, gratiarum actio, & imperium, Amen.

Mundus qualis sit.

1. Ioan. 3.

TRACTATVS XLI

De sanata muliere contracta: & habetur tantùm apud Luc. c. 13.

Quis scopus huius Euangelij.

SIGNVM hoc, mulieri, sicut & subsequens hydropico præstitum, vnum & eundem scopum habent. Nam in vtroque ostenditur Christi virtus, & potentia; exeritur eiusdem in subleuandis pauperibus clementia, atq; misericordia. Postremò traditur vera & legitima Sabbati obseruantia, neque ab illa abhorrere opera pietatis, & charitatis, quæ in promouendis proximorum nostrorum commodis, & propulsandis proximorum calamitatibus consistunt: ita vt tunc rectè Dominicos dies, atq; festiuos sanctificemus, si magis charitatis rationem ad proximũ habendam esse ducamus, quàm ad diei festi religionem, quando per nos vtrumque simul præstari non possit.

Dominici dies atque festiui quomodo egregiè à nobis sanctificẽtur.

Ait ergo Lucas: *Erat autem docens in Synagoga eorum Sabbatis.* Non semel dictum est, Christum Dominum libenter in Synagogis, & in die Sabbati prędicare consueuisse: tum quòd populus illo die, & ad illum locum magis conflueret, magisq; ad audiendũ pro more suo dispositus esset; tùm quòd templum aliud non esset præter illud in Ierusalem, in quo semper Dominus non versabatur. Ideò ad Synagogas veniebat, quas orandi, & audiendi verbi Dei gratia, non autem adorandi, aut sacrificandi construxerant. In templo autem tantùm illa duo postrema præstari poterant; alia verò priora, & in Synagogis, & in templo.

Quare Christus in Synagogis, & in die Sabbati frequenter doceret.

Synagogæ Iudæis cur olim conditæ. Adorare vbi tantum & sacrificare liceret.

Et ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo. Proponitur in primis miseria & calamitas huius mulieris: nã habebat spiritum infirmitatis. Siquidem vt quædam dæmonia sunt, quæ surdos & mutos efficiunt, ita quædam alia sunt, quæ infirmitatibus corpora subiecta reddunt, vt, etiamsi caussæ naturalis infirmitatis nõ adsint, non desit tamen dæmon varias infirmitates in corpore efficiens. Nam vt lunatici dicebantur, quorum capita dęmonium decrescente luna infestabat: & dæmonium dicitur mutum, & surdum, quòd mutitatẽ, & surditatem efficeret: ita infirmitatis spiritus dicitur, quòd infirmitatem in illius corpore operaretur.

Spiritus infirmitatis quare dicatur.

Lunatici qui.

Matth. 12 & Mar. 7.

Quòd verò dicitur annis decem & octo infirmitate vexatam; ad magnitudinem miraculi spectat; ne quis causari posset illam infirmitatem finxisse, aut ante paucos dies illo morbo detentam: quia vtrumq; miraculi claritatem imminuebat. Nam morbos recentes citò curari posse, antequam magis radicentur, & callum obducant, mirum nõ est, neque à natura abhorrens. Nam vt quidam dixit:

Hanc mulierem annis decem & octo spiritum infirmitatis habuisse, cur dictũ ab Euãgelista.

Principijs obsta: serò medicina paratur,
Cùm mala per longas inualuêre moras.

Ouid. lib. 1. de remed. Amor.

Explicat autem fusiùs quænam esset illa infirmitas, cùm ait: *Et erat inclinata, nec omninò poterat sursum respicere.* In primis inclinata dicitur, siue, vt alij vertunt, deflexa, vel incuruata terram versus, ita quòd non poterat illum gestum corporis habere, quo vtuntur sursum aspicientes. Atque hic morbus maximè dehonestabat naturam humanam, & iumento proximam reddebat: nam vt illa prona sunt ad terram, ita hominis vultus natura erectus est ad cœlum, & cœlestia contemplanda. Imò propterea Græcè homo ἄνθρωπος dictus est; quasi ἄνω θρῶν, siue ἄνω ῥέπων, id est sursum spectans, vel sursum repens, & vergens. Cicero lib. de Natura deor. testatur homines humo excitatos, celsos & rectos constitutos; vt Deorum cognitionem, cœlũ intuentes, capere possent. Sunt enim ex terra homines non vt incolę, & habitatores, sed quasi spectatores supernarum rerum, atq; cœlestium: quarum spectaculum ad nullum aliud gen⁹ animantiũ pertinet. Hæc ille in sensu. Atq; in hoc contemplari licet dæmonis malitiã, qui homines cęli, & cœlestium contemplatione, atq; gaudio priuat, & ad terram deprimit, vt ea quæ in terris sunt, tantùm quærant, & sapiant. Erat etiã mulier hæc contracta, atq; incuruata: vnde risui, & derisui aliorum exposita erat. Ita enim genus humanum natum est, vt eos, quos maximè cõmiserari oportebat, derideat, vellicet, & subsannet: & tamẽ multò

Qualis hic morbus mulieris non valens oculos sursum attollere.

Idem lib. 1. Metamorph.

Homo Græcè ἄνθρωπος cur dicatur.

Cic. lib. 2. de natura deor.

Homines celsi, & recti à natura constituti cur sint, teste Cicer.

Dæmonis insignis nequitia.

Coloss. 3.

Generis humani misera conditio.

Ægritudines humanæ quid conferant.

multo peius eſt huiuſmodi miſerabiles, & calamitoſos homines ſubſannare, quàm ipſos morbos perpeti: huiuſmodi enim infirmitates à multis peccatis arcere, & ad Deum illis oppreſſos compellere ſolent.

In Chriſto reſpectus miſerorum hominum erat.

Quam cùm videret Ieſus, vocauit eam ad ſe. Primùm intuitus eſt illã (ſolet autem aſpectus in Chriſto ſecuturæ ſalutis eſſe omen) & morbo graui conſpecto ad miſericordiã inuitatus, & ad opem illi ferendam (vt ſic dicam) incuruatus. Vocare autem Chriſtũ ad ſe mulierem hanc, quid aliud fuit, quàm curuum ad rectũ, infirmum ad ſanum, debile ad forte participandum, & à malo ſpiritu poſſeſſum, ad Spiritũ ſanctũ, quo poſſideatur & cuſtodiatur vocari, reducere?

Chriſtum ad ſe infirmos vocare quid.

Cuius rogatu Dominus mulierem curauerit.

Et ait illi, Mulier, dimiſſa es ab infirmitate tua. Et impoſuit illi manus, & confeſtim erecta eſt, & glorificabat Deum. Velociter eam curauit Dominus, non ab ipſa muliere infirma, vel ab alio interpellatus, ſed à ſe ipſo tantùm rogatus, & natiua ſua bonitate impulſus. Et verbo quidem, vt Deus, manus autem impoſitione tanquam homo ſanauit eam. Illa autem quamprimùm erecta eſt; glorificabat Deum, gratias illi agens, ne ingrata perderet beneficium. Dubium eſt, cur non potiùs Dominus per imperatiuũ dixit, Sanata ſis, vel liberata ſis, vt ſolitus erat loqui in alijs morbis curandis vti imperatiuo. Dicendum eſt dupliciter: vel more Hebræo Dominum vſum indicatiuo pro imperatiuo, & ita es pro ſis; vel rurſus idcircò dictum, liberata es, vt fidem mulieris magis accenderet, & ſuam potentiam magis declararet. Sic paralytico dictum eſt, non, Remittãtur tibi peccata tua, ſed, remittuntur, vel, vt habent Græca, remiſſa ſunt. Et ita poſt prolata verba, & contactu manuum ſimul adhibito ſanata eſt.

Cur potius Dominus dixerit: Mulier dimiſſa es, &c. non autem, dimiſſa, vel curata ſis, vti aliàs ſolebat.

Matth. 9.

Ad quid reſpondit Archiſynagogus, cùm eum interrogauerit nemo.

Geneſ. 2. & Exod. 20.

Reſpondens autem Archiſynagogus, indignans quia Sabbatis curaſſet Ieſus. Dicitur reſpondiſſe Archiſynagogus, non quidem ad Dominum Ieſum, quia non audebat ſe illi opponere, ſed ad factum ipſum Ieſu ſanantis in Sabbato; ad turbam tamen direxit ſermonem, & allegabat illi legem, quam præteriri ſit nefas. Et hic Archiſynagogus, qui potiùs gaudere debebat, tum Dei nomine, in cuius cedebat gloriam: tùm proximi, cui ſalutem attulit; tùm ſui ipſius gratia, quod in Synagoga, in qua ipſe princeps erat, tãtùm miraculum eſſet perfectum; aut ex inuidia gloriæ Chriſti, aut potiùs ob præpoſterum pietatis iudiciũ indignatus eſt, dicens: *Sex dies ſunt, in quibus oportet operari: in his ergo venite, & curamini, & non die Sabbati.* Quòd ſi lex, vt hic putabat, impedimentum ſalutis homini præſtabat, meritò abroganda fuit, vt abrogata eſt. Sed vide quam extra chorum ſaltet Archiſynagogus allegãdo legem. Videt Ieſus mulierem; nunquid in hoc quicquam peccatum eſt? Cur igitur & illi non ambulant clauſis oculis in Synagogis in Sabbato? Sed allocutus eſt mulierem: quid in hoc minus licuit Chriſto, cùm Archiſynagogo licuerit vniuerſum alloqui populum? Quòd ſi in hoc peccauit Ieſus, quòd manum impoſuerit mulieri; cur non magis ipſi peccare cẽſendi ſunt, qui bouem de fouea, aut iumentũ de puteo extrahunt in die Sabbati? Quòd ſi quiſquam illa die præ infirmitate, aut aliquo alio caſu decideret in terram, à nullo iſtorum propter religionẽ Sabbati erigeretur, aut ſi op⁹ fuiſſet, in domum ſuam deportaretur. O præpoſteram Sabbati religionem? Eſt autem vox ſtultitiæ plena, opus diuinũ inter ea numerare opera, quæ planè ſunt humana & ſeruilia. Timebat Archiſynagogus, ne populi mores à conuictu Chriſti & conſuetudine cõtaminarẽtur; proptereà volebat eos die Sabbati ad Ieſum accedere. Qui verò à cõmunione frequentanda deterrent homines, cõtra facere videntur, verentes ne Chriſto noſtris moribus aliquod detrimentũ eueniat: itaq; multũ tẽporis nos à Chriſto abeſſe, & tantũ magnos dies feſtos nos in templũ ratione participãdæ Euchariſtiæ accurrere volunt. Sed iſti nõ ſecus à nobis audiendi ſunt, quã auditus fuit Archiſynagogus à Chriſto. *Reſpondens autem ad illũ Dominus, dixit, Hypocritæ.* Quidam codices Græci habẽt in ſingulari, Hypocrita, & Euangeliũ Syriacum, & ratio ipſa id demonſtrat: quia dicitur, *Reſpõdens ad illum Dominus, dixit,* Quanquam nihil vetet quin in illo vno omnes Phariſæos, ex quorũ nomine & ſententia ille loquebatur, reprehenderet: & ita in plurali numero habent textus Latini, & exemplar Complutẽſe, & Euthym. Et confirmatur hæc lectio ex eo quod ſubiungitur: *Et cùm hæc diceret, erubeſcebant omnes aduerſarij eius.* Archiſynagogũ igitur tectè ac dolosè Chriſti opera reprehentem, manifeſtè Ieſus arguit, & hypocritam vocat, quod ſub ſpecie, & verbis religionis diuina opera arguat, & in plurali ait, *Hypocritæ*; vt eos, qui cum Principe Synagogæ ſentiebant, comprehenderet: nam ipſi fingebant ſe ſcire legem, cuius intellectũ ignorabant, & vt ſuam inuidiam tegerent, legem ſe Sabbati obſeruare ſimulabant.

Hic Archiſynagogus cur indignatus ſit, mulierem videns à Domino ſanatam in Sabbato.

Exod. 20.

Ieſum curando mulierem in Sabbato, vt Archiſynagogus ille blaterabat, præceptum Sabbati minimè violaſſe.

Qui à frequẽtanos communicandi ſtudio auocare ſtudent, quatenus audiendi ſint.

Euthy. c. 48 in Lucam.

Quare Chriſtus Archiſynagogum hypocritam appellet.

Vnuſquiſque veſtrum Sabbato non ſoluit bouem ſuum, aut aſinum à præſepio, & ducit adaquare? Certè plus laboris inſumẽdum eſt in ſoluendis iumentis, & adaquatũ ducendis, quã inſumpſerat Ieſus in ſanãda muliere: & hypocrita eſt, quicunque maioris facit ſalutem,

Aduersus eos Christianos, qui equorum, canum, ac si milium salutem potiorem ducunt, quam hominu tum ma egestate laborantium.

Contra abusum quorundam Ecclesiasticorum.

Dæmonis nocendi cupiditas infinita.

Hanc mulierem Dominus filiam Abrahæ cur vocauerit.

In quo erubescebant aduersarij Christi, vt ait Euangelista.

Mulieris illius miserabilis curatio quid contulerit populo spectanti.

Mysterium in hoc signo contentum exponitur.

tem iumentorum, quàm hominum. Quod vitium etiam nunc apud Christianos plerosque regnat: sunt enim multi, qui plures faciunt salutem equorum suorum, iumentorum, canum venaticorum, falconum, & aliarum auicularum, quibus non solùm de sufficienti, sed etiam de superfluo pabulo, & victu prospiciunt, quàm ipsorum Christi pauperum, qui in extrema versantur egestate. Sunt præterea qui suis iumentis, aut auibus curandis non nisi diligentes & fidos custodes adhibeant; munera verò Ecclesiastica, quibus animarum cura committitur, in quosuis etiam viles, & plebeios, sanctitate vitæ, & literarum ornamentis destitutos indiscriminatim, sine vllo delectu, aut Dei timore, & magno cum scandalo reijciunt: quod flagitium sua die seuerissimè puniet Deus.

Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit Satanas, ecce, decem & octo annis, non oportuit solui à vinculo isto die Sabbati? Confirmat Dominus quod superiùs dictum est, Satanæ operâ in infirmitate detentam fuisse hanc mulierem per annos decem & octo. Tanta est enim dæmonis nocendi cupiditas, vt si non possit in animo per peccatum offendere, contendat quocunq; modo permissus est, vel in corpore vexare. Notandum, & hanc filiam Abrahæ vocari à Domino. In quo ostenditur, illam genere Iudæam fuisse: vnde de illius salute meritò congratulari debuerunt Iudæi. Filiam quoque Abrahę vocat. propter imitationem fidei Abrahę, qua sanari se à Christo posse credidit.

Et cùm hæc diceret, erubescebant omnes aduersarij eius. Nimium confundebantur propter reprehensionem acriorem, cui contradicere non poterant. Et fortassè aliqui emendabantur: nam vix arbitror vllum Christi verbum frustrà cecidisse. *Et omnis populus gaudebat in vniuersis, quæ gloriosè fiebant in eo.* Ecce fructus miraculi, quo non tantùm aduersarij cõfundebantur, sed etiam simplices turbæ mirificè oblectabantur: & in fide confirmabantur, cõspectis eius magnificis, & gloriosis operibus. Et hactenus de litera.

Iuxta spiritum autem, in hac muliere designata est Ecclesia Gentium, quæ à dæmonibus subiugata, & peccatis incuruata: posteà verò vocata est à Christo per Apostolos, & per impositionem manum, quæ tùm in Baptismo, tùm in sacramento Confirmationis fieri solet, ab impurissimo dæmonũ cultu sanata est. Et cùm priùs in terram incuruata, non nisi quę terræ sunt, meditaretur, & saperet, erecta est à Christo per fidem, & charitatem Euangelio, & cõtemplationi cœlestium mysteriorum, quæ in eo de Patre, & Filio, & Spiritu sancto traduntur, incumbere cœpit: & cognitum Deum non tantùm corde, & voce, sed etiam operibus glorificauit.

Illa mulier cõtracta quid nos doceat.

Prouerb. 5.

Psalm. 48.

Daniel 13.

Psalm. 37.

Modis in peccatore sanando Deus vtitur quatuor.

Matth. 26.
Supra 9.

Philip. 3.

Ad mores verò instituendos, mulier hæc habens spiritum infirmitatis, quemuis peccatorem designat, quem Deo iustè permittente diabolus diu intus ligauit, iuxta illud: *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Talis anima à diabolo vincta, infirma, atq; debilis efficitur, vt hostibus suę salutis nequaquam resistere valeat, sed in omni penè tẽtatione succumbat. Deinde toto affectu terrenis ita immersa erat, vt sursum respicere non valeret Diuina iudicia contuendo, & quæ ad salutem suam pertinent, ponderãdo. Sic enim dicitur à Dauide: *Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Et huiusmodi multos ad terram incuruatos detinet dæmon, non tantùm per decem & octo annos, sed etiam per totam vitam. Legitur enim apud Danielem de presbyteris illis iudicibus, quòd euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt non viderent cœlum, neq; recordarentur iudiciorum iustorum. Talis est & ille, qui gemens dicebat: *Miser factus sum, & curuatus sum vsq; in finem: tota die contristatus ingrediebar.*

Ad sanitatem huic tanto morbo præstãdam, quatuor Dominus efficit. Vidit enim illam, deinde vocauit, posteà tetigit, postremò erexit, & erecta Deum glorificauit: quæ cum peccatore curando similiter operatur. Primò enim misericorditer aspicit oculis suæ clementiæ, vt fecit cum Petro negante, & cum Matthæo sedente in telonio. Deinde vocat ad se, siue per inspirationem internam, siue per illustrationem Euangelicam, siue denique per exhortationem humanã, & denique quocunque modo verbo virtutis suæ nos euocat. Tertiò tangit, siue manum imponit, cùm Sacramentum reconciliationis accipimus: in quo tangimus, & tãgimur. Quartò erigit, dum spiritum donat cœlestia & diuina contuendi, & contempto mundo ad diuinam patriam festinandi, vt cũ Paulo dicamus: *Nostra conuersatio, siue politia in cœlis est.* Postremò erecti, atque sanati, gratias immensas & agere, & referre debent tanto salutis authori Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre & Spiritu sancto sit gloria sempiterna, honor, & imperium in secula seculorum, Amen.

TRACTATVS XLII.

De signo sanati hydropici in Sabbato, & habetur. Luc. 14. *Et factum est. cùm introysset Iesus in domum cuiusdam Principis Pharisæorum Sabbato manducare panem, & ipsi obseruabant eum.*

Tractationis ordo.

SIGNVM hoc neque longum est, neque magnis difficultatibus inuolutum: ideo breuibus explicandum est. Primò ergo quæ ad literam spectant, explicanda sunt; deinde etiam mysterium enucleandum. Primum igitur inuitatus fuit Dominus à Principe quodam Pharisæorum: qui non tam charitatis gratia communicandæ, quam vt eum fraudulenter ex odio obseruaret, inuitauit. Dominus autē alienas ædes, & mensas libenter frequentabat, nō tam vt pasceretur ipse, quam vt doctrina, & signis inuitantes pasceret, & vt se eos diligere, nō odio habere ostenderet, vtpote qui eorum consuetudinem, & familiaritatem non recusaret. Dominus autem nō curabat quod maligno animo illi insidias struerent, quia vt dicitur à Salomone: *Frustra iacetur recte ante oculos pennatorum.* Vbicunque aūt Dominus conuiuio excipiebatur, symbolum pendebat: vt in cōuiuio in Canā Galilææ celebrato fecit, aquam conuertendo in vinum: Zachæum inuitātem iustificauit: in domo Marthæ, antequā pasceretur à Martha, pascebat Mariam: Discipulis Emmauntinis inuitantibus, sui ipsius cognitionem suauissimam præstitit: in domo istius Principis doctrinam tradidit, tum humilitatis contra ambitiosos, & prima loca in conuiuijs affectantes; deinde docuit non esse contra legem, in Sabbato benefacere. Qua in re viri spirituales instruuntur, vt pro temporalibus quæ accipiunt, reddant symbolum spirituale in doctrina, aut precibus, aut sacrificijs: quod gratorum hominum esse solet. Erat autem domus Principis Pharisæorum, domus peccatoris, & ficti. Et in die Sabbati Dominus conuiuium acceptauit, & ob concursum populi signum edidit: & nec tunc quidem quiescebat, sed crucem admiscebat suo pani, quo egebat; vt si Rex cum præstantiori posset, vti tamen dignaretur pane nautico in triremе.

Alienas ædes ac mēsas cum Christus frequentaret.

Prouerb. 1. Vbicunque Dominus cōuiuio excipiebatur, quale symbolum pendebat. Ioan. 2. Luc. 19. Supra 10. Infra 24.

Viri spirituales cum excipiuntur conuiuio, quale symbolū ipsi etiam reddere debeant.

Et ipsi obseruabant eum. An scilicet Sabbato curaret, vt dicitur in Marco: *Obseruabant* inquit, *eum, vt si quid diceret, aut faceret contra religionem Sabbati, accusarent eum:* Et ipse internm Christus salubrius obseruabat se obseruantes. Vbi aduerte, quod si Christum Iesum omnium innocentissimum malitia Pharisæorum obseruabat quod reprehenderet; quid erit de nobis, qui multis defectibus subiacemus, & mille venris ad malum impellimur? Nam si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? Ideo attente nobis vigilandum est, neque magnopere de aliorum temerarijs iudicijs, si bene quid agimus, curandum, vt Christus fecit.

Quomodo Pharisæi obseruabant Iesum. Marc. 3.

Luc. 23. Si modo bene agamus, de qua re nobis minime curandum sit.

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Misericordiæ obiectum est benefacere misero, parato tamen illam suscipere: quemadmodum iustitiæ materia est punire peccatum in eo, qui illud admisit. Et tamen ex parte Dei occasio est iusta: vnde Oseas dixit. *Rectæ viæ Domini, & iusti ambulabunt in eis: præuaricatores verò corruent in eis.* Dicitur ergo, *homo quidam*, ignobilis, & ex eorum numero, quibus, vtpote derelictis, plus benefaciebat Christus: eratque hydropicus, hoc est inflatus, ex flatu, vel aqua & sitiens, ac fœtidus; & ob id periculoso & incurabili morbo subiectus. ¶ *Et erat ante illum.* Non audens sanitatem petere, siue quod sic fuerit à Pharisæis instructus, siue quod ipsos metueret Pharisæos; ne tū ipse, tum Dominus, vt violator Sabbati accusaretur: sed voluit stare ante eum, corde exoptans beneficium, & credens naturam imbecillem, & egestatem ipsam pro se postulare. Et videntur omnia sic à Pharisæo illo disposita, quo posset illum in nassam inducere. Nam ille, Princeps erat Pharisæorum, & Sabbato inuitauerat, & dedita opera hydropicum admiserat; vt ita calumniandi occasionem vndique haberet.

Quid propriū misericordiæ.

Munus iustitiæ.

Osea vlt.

In quos esset Christus beneficentior. Quales hydropici.

Hydropicus ante Iesum cur steterit, nil postulans.

Mira Pharisæorum Christum calumniandi promptitudo.

¶ *Et respondens Iesus dixit ad Legisperitos, & Pharesæos.* Mirum est Dominum respondisse, cùm nulla quæstio præcesserit: sed tātum ad hoc spectat hæc responsio, quod dixerat Pharisæos fuisse obseruatores Domini: ad cogitationes enim cordium illorum respondet Dominus, qui extra quidem boni apparebant, intus autē maligni erant; ac ob id difficilius sanabiles. ¶ *Dicens, Si licet Sabbato curare?* Quasi dicat; Scimus, boni Pharisæi, quæ nobis à Deo præcepta sunt per Moysen in Decalogo, nempè vt diem Sabbati obseruemus, & vt proximum nostrū diligamus, eique ex animo benefaciamus: iam offert se occasio vt benefaciam misero iuxta præceptum Dei, & offert se Sabbati religio. Vtrum ergo negligendum? Si sanauero hydropicum, arguar violati Sabbati, si abstinebo à sanando, arguar neglectæ charitatis. Interrogo ergo vos, num liceat curare in Sabbato, sic scilicet vt nō violetur Sabbatum? ¶ *At illi tacuerunt.* Si tacere responsum est, profectò egregiè

Christus sæpe respondebat, vbi tamē nulla quæstio præcessisset, & quonā modo.

Exod. 20.

Quare nunc Pharisæi tacuerint.

responsum est. Sed qui in turba simpliciori magnas excitabant tragœdias, præsente Christo vix audebant contra mutire. Nam si dixissent licere Sabbato benefacere, audissent, Quid ergo me obseruatis? Cur mihi insidiamini? Cur me toties violati Sabbati accusastis? Si autem respondissent non licere, accepissent responsum quod sequitur: Cuius vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, & nõ continuò extrahet illum die Sabbati? Licebat ergo absque dubio in Sabbatho curare, quia Sabbathum propter hominem factum est, & quæuis cæremonia, & non homo propter Sabbathum. Ideò licebant necessaria saluti hominis tam in anima, quam in corpore: imò necessaria adiumenta propter illum curare, vt extrahere hic de puteo, & adaquare, & erigere, vt ex Deuteronomio constat. *Si videris*, inquit, *asinum fratris tui, aut bouem cecidisse in via; non despicies, sed subleuabis cum eo:* quæ omnia opera sunt seruilia. Etsi circumcisio fit in Sabbato, & opus sacrificij propter templum: ergo ob hominem, nedum ob Christum qui verius templum & verius Sabbathum erat. Nimis ergo Iudæi extendebant opera prohibita, & nimis restringebant dispensationes quæ licebant Sacerdori, ob necessitatem: vt de panibus Dauid, & de sacrificio Samuelis extra Ierusalem. In omni enim quæstione, quæ de lege oritur, legis finis & ratio est ponderanda: quæ est non perdere, sed saluare hominem. Qui ergo sanabat edito signo, Sabbathum non violabat: quia signum est ad Dei gloriam, vt sacrificium; & opus est Dei non subditi vlli legi, qui vsque modo operatur; & opus est Christi hominis à Deo dispensati. Rursus nec est seruile opus; sanari autem signo, nihil habet seruile, sicut nec sanari à natura in Sabbatho. In Christo autẽ curante peccatum non erat, quia quatenus Deus est, nõ potest legi subesse: quatenus verò homo est, Dominus est Sabbati, & quamuis legi subditus fuisset: non tamẽ in his, quorum opposita iuuabant opus redemptionis. Imò quia Dominus erat; propterea ab eo curatus, etsi portaret grabatum quod est alioqui opus seruile, non peccabat: quemadmodũ Apostoli vellentes spicas: quia Deo præcipiente faciebant. Causa ergo tantæ restrictionis Sabbathi, in populo simplicitas erat. Vnde vt Machabæi sinebant se potius interfici in Sabbato, quàm pugnare. Erat etiam ea persuasio in populo, à Scribis, & Pharisæis profecta; in Pharisæis verò erat hypocrisis, vt ex rigore viderentur nimis iusti. Et in materia curationis Christi, fuit inuidia excæcans oculos eorum, ne Christi honor eos honore suo atque vtili spoliaret. Vnde quemadmodum alio loco cum interrogasset eos; *Licet Sabbatis benefacere, an male? animã saluam facere, an perdere?* Et illi tacerent, ipse circumspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum, dicit homini; *Extende manum tuam:* ita hic cum interrogasset, si licet Sabbato curare, & illi tacuissent, tunc *Ipse apprehensum sanauit eum, ac dimisit*, docens quid liceret Sabbatis, nec æquum esse, vt propter impiorum calumnias à benefaciendo cessemus; & præstare impios offendere, quàm miseros negligere. Apprehendit autem eum; vt Deum per hominem sanantem viderent. *Et dimisit eos.* Tanquam cæcos, nolentes verum à se cognitum fateri, nec negare, ne confunderentur. Vel dimisit, scilicet sanatum, vt liber iret quò vellet. Ne autem putarent, quod Dominus errasset, vel transgressus esset mandatum Dei; dixit, confutando eos, *Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & nõ continuò extrahet illum die Sabbati?* Huius autem argumenti tanta vis erat, vt ne contra hiscere quidem ausi fuerint Iudæi. Nam si licet Sabbatis asino, aut boui benefacere; cur non liceat homini benefacere, ad imaginem & similitudinem Dei creato? Sed Pharisæi pro sua fraterna charitate pluris faciebant salutem bruti animantis, quàm hominis. Vbi videtur Dominus non solùm arguere illorum auaritiam, qui plus curabant bestias, & iumenta sua, quàm hominem; sed etiam alludere ad institutionem Sabbati. Vbi non tantùm exprimitur quod iumentorũ causa institutum sit, sed etiam hominum causa. Dicitur enim: *Obserua diem Sabbati, vt sanctifices eum.* Et infrà: *Non facies in eo quicquam operis, tu, & filius tuus, & filia, seruus & ancilla, bos & asinus, & omne iumentum tuum, & peregrinus qui est intra portas tuas, vt requiescat seruus, & ancilla tua sicut & tu.* Vbi vides, Dominum & hominum, & iumentorum rationem habuisse. Si ergo iumento in Sabbato benefacere nulla religio prohibuit: & si auaritia persuadet non violari Sabbatum extrahendo iumentũ de puteo; cur non charitas in sanando homine hydropico? Et propterea meritò dicitur, quòd non poterant ad hæc respondere. Et comparat hydropicum animali cadenti in puteum, vt meditatur Augustinus: est enim hydropicus ex redundantia humoris aquei curuatus, qui quo plus bibit, plus sitit. Vnde hic nulla interuenit dispensatio legis, vel Sabbati violati: quanquam in vellendis spicis, & tollendo grabato interuenerit dispensatio.

Nos

Margin notes:

Cur liceat Sabbato curare.

Marc. 6. Luc. 13.

Deut. 22.

Ioan. 7.

Matth. 12. Christus verũ templũ & verũ Sabbatum. *Ibidem & 1. Reg. 22. Supra 16.*

Finis & ratio legis quæ sit.

Deus est subditus nulli legi. *Ioan. 5.*

Marc. 2. Gal. 4. Christus quatenus legi subiectus.

Ioan. 5. Vnde Sabbati tam religiosa superstitio apud Iudæos. *2 Mach. 2 & seqq.*

Marc. 3.

Ob impiorum calumnias benefacere nunc recedendum est.

Cur Dominus tangendo sanaret.

Mira vis verborũ Christi.

Gen. 1. Quanti faceret vnius iumentum hominum Pharisæorum auaritia.

Sabbatum cuius rei gratia institutum fuerit. *Deut. 5.*

Hic hydropicus iumento cadenti in puteum est à Christo collatus.

August. lib. 2. qq. Euang. cap. 29. in 4 Matth. 12. Ioan. 5.

Nos igitur ex hac Domini historia discamus, Sabbati diem non alia ratione magis pie coli, quàm operibus charitatis, & pietatis. Quæ duo Christus in hoc signo præstitit. Curando enim, gloriam Dei patefecit, proximo benefecit, & iudicium falsum confutauit. Et hactenus de litera.

Hic hydropicus iuxta spiritum, rectè veterem hominem inflatum superbia vitæ, & sitibundũ concupiscentia oculorum, & fœtidum anhelitum habentem propter concupiscentiam carnis repræsentat; vel præcipuè auarum, & insanabilem significat: *Omnis enim qui biberit ex hac aqua*, ait Dominus Samaritanæ, *sitiet iterum*; id est, efficietur hydropicus: quia

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Sitit enim non tantùm honores, quibus intumescit, sed etiam sanguinem pauperum, & vt siti suæ satisfaciat, vndecumque corradit bona. Sed vt nos sanemur, opus est sistamur ante Christum per fidem, agnoscendo morbum nostrum, atque vt dignos nos qui rogemus, nõ existimemus, sed illius clementiæ, & beneficentiæ tacitè nos commendemus: quia ipsi gloriosum est, & promptum peccatores à miseria subleuare. Deinde oportet esse in Sabbato, id est, in quiete, & cessando ab omni opere seruili, quod est peccatum: quidam enim dum postulant misericordiam, à peccando nõ cessant; ac propterea illa indigni fiunt. Tertiò opus est, Dominum manu sua benignè nos apprehendere: quod facit, dum spiritum suum nobis porrigit, quo veluti manu quadam spirituali nos apprehendit, & per illam diffundit charitatem in cordibus nostris, qua vna sanamur ab hydropisi, id est, ab omni praua appetitione rerum temporalium, propter quas homines sudant, nauigant, & belligerantur, & omnes cupiditates superfluas, & immoderatas resecat. Domino autem nos apprehendenti debemus manum porrigere: nec enim vllum sanat, aut iustificat nisi volentem, vt testatur B. Augustinus. Vt enim peccati morbus non nisi voluntate nostra contractus fuit, ita nec à peccato sanari contingit, nisi Domino vocanti respondeamus, & nisi funem Diuinæ gratiæ ad nos extrahendum de puteo peccati demissum sponte apprehenderimus, vt liberari possimus, ne fortè de nobis dicat Dominus: *Quia vocaui, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id quod timebatis, euenerit.* Proinde si sapimus, seriò attendamus vocationi Dei, & manum medico tangenti, & tactu suo sananti promptissimè porrigamus; vt Christi beneficio sanati, ac ab eo dimissi talentum Diuinæ gratiæ multiplicemus, & vnicam Dei gloriam perpetuo sitiamus, vt efficiamur alia ratione hydropisi sancta oppressi, qua beati omnes magna cum voluptate detinentur, de quibus dicitur: *Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient.* Sed hæc eorum fames & sitis indies extinguitur, & indies renouatur, vt semper intueantur, ac bibant, & semper sitiant. Ad hæc eiusdem eorum esuries & sitis non est morbus, aut infirmitas vlla, sed signum robustissimæ sanitatis, & summa atque perfecta felicitas, quæ donum Dei est perfectum, atque consummata gratia Iesu Christi Domini nostri, cui cum Patre & Spiritu sancto omnis est tribuenda gloria, imperium, magnificentia in secula seculorum, Amen.

[Left margin notes: ...ratione Sabbati ...gis piè & ...giosè co... ...r. — hac historia quid liceat templari. ...an. 2. ...dem. — ...arus omnis ...ropicus. ...n. 4. — ...id. lib. 1. ...storum. ...dropisis ...stra spiritualis quomodo curetur. — ...ruile opus ...od. — ...ffectus charitatis. — ...om. 5. — ...uos Deus ...ntum iustificet. — ...Aug. de ...erb. Apost. ...om. 15 paulò ...ost medium ...om. 10. — Prouerb. 1.]

[Right margin notes: Matth. 25. — Eccl. 24. Beatorũ esuries, ac sitis qualis sit.]

TRACTATVS XLIII.

In quo agitur de signo Lazari suscitati, de quo solus Ioan. cap. 11.

EX tanta miraculorum Christi multitudine pauca quædam sibi describenda seruauit Ioannes: atque inter illa videtur quædã gradationis species. Maius est enim satiare quinque millia hominum ex quinque panibus, quàm conuertere aquam in vinum, quod fecit ad nuptias in Canâ Galilææ. Adhæc magnum fuit, Dominum solum à principio prædicationis funiculo eijcere de templo ementes, & vendentes: sed maius fuit instante tempore comprehensionis vnico verbo Iudam cum tota cohorte in terram prosternere, ita vt ceciderint retrorsum: quod solus Ioannes enarrauit. Rursus maius fuit sanitati restituere paralyticum, qui per triginta & octo annos fuerat in infirmitate & hærebat ad Piscinam expectans salutem, quàm filium Reguli febricitantem curare. Postremò, etsi maximum fuerit signum cæco nato visum restituere: multo tamen maius & excellentius fuit miraculum Lazari quatriduani, & iam fœtentis, quanto maius est vitam cum omnibus sensibus, quàm vnicum sensum visus restituere. Dominus enim pro sua sapientia quo magis morti appropinquabat, eo maiora potentiæ suæ signa, & admirabiliora legationis à Patre iniunctæ testimonia edebat, ne quisquam humanæ naturæ infirmitate in Cru-

[Right margin notes: Christi signa quædã à Ioanne descripta inter se comparantur. — Ioan. 2. — Ibidem. — Infra 11. — Supra 5. — Suprà 4. — Infra 9. — Quare Christus morti semper vicinior maiora & admirabiliora signa ederet.]

in Cruce, & morte declarata offenderetur, aut eum quasi impotentem morti succubuisse existimare posset. Propterea tot mortuis voluit prius vitam contulisse, & huic Lazaro quatriduano, vt vel hinc colligerent quod posset se ipsum sua potestate post triduum à morte reuocare: maximè cum id apertis verbis apud discipulos sæpius inculcasset. Et primò quidem loco litera statuenda erit; deinde pro more nostro mysterium explicandum.

Plures mortuos cur Christus ad vitam reuocarit.

Erat quidam languens Lazarus, à Bethania, de castello Mariæ, & Marthæ sororum eius. Triste sanè capitis principium, sed finis felix, ac lætus, qui resurrectionem morbi, & mortis victricem, & triumphatricem continet. At ne in hoc admirando signo quicquam merito valeret calumniæ esse expositum, omnes circumstantias diligenter Euangelista conscripsit: nempè nomen proprium, patriam, domum consanguineos, locum vbi gestum, vocationem Iesu per sorores, eius moram in veniendo, infirmitaté diuturnam, mortem illam cõsecutam, aduentum Domini post quatuor dies monimenti, clamorem Iesu eum à morte reuocantis, exitum illius de sepulchro institis, & fascijs ligati, eius per Apostolos solutionem. Fuit enim hoc illustre, & maximum Christi signum, propter quod Pharisæi duce Caipha deliberauerunt de morte Domino danda, imò & ipsi Lazaro, & mandatum datum, vt quicunque sciret vbi esset Christus, indicaret quoque Synagogæ; vt caperent eum. Languens dicitur ἀσθενῶν, actu ægrotus; & longa infirmitate tractus. Languor Latinè, est defectus humidi radicalis, & virium naturalium & animaliũm extenuatio. Quanquam autem magnum donum Dei sit sanitas corporis, vnde videmus omnes etiam viros ditissimos illam magnis laboribus, & impensis exoptare: interdum tamen languor corporis solet esse vigor mentis, iuxta illud: Cùm infirmor, tunc potens sum. Rectè dixit Salomon: *Languor prolixior grauat medicum:* hic enim Lazari languor magis Dominum medicum, quàm Lazarum infirmum grauauit: nam pro infirmo sanando Medicus vitam suam posuit. Pulchrè auté prius languens, quàm Lazarus dicitur: quia prius homo peccator est, quàm natus: nam octauo die à natiuitate nomen imponitur. Vt autem scribit Epiphanius contra Manichæos: *In traditionibus inuenimus, quòd triginta annorum tunc erat Lazarus, quãdo est suscitatus. Postquam verò suscitatus est, alios triginta annos vixit.* Sic ille. Maximè autem rationi consonum est, vt qui puellam & adolescentem suscitasset,

Huius miraculi circunstãtiæ aperiuntur.

Eiusdé magnitudo, præstantia.

Ioan. 11.

Infra 12.

Supra 11.

Languens, quis, & languor quid sit.

2. Cor. 2.

Languor qui salubris.

Eccl. 10.

Quare prius Euangelista dixerit, languens, quam Lazarus.

Epiphan. in hæresin 66. in Catalogo, longè ante medium.

Lazari ætas ante resuscitationem, &

etiam aliquem in virili ætate existentem ad vitam reuocaret. Sanè in Veteris Testamenti Scripturis id obseruatum videmus, vt eorum, in quos aliquod beneficium insigne supra naturam Dominus conferebat, annos enumerent. Ita de Iob scribitur: *Vixit autem Iob post flagella hæc, centum quadraginta annis:* & de Tobia: *Postquam illuminatus est Tobias, vixit annis quadraginta duobus:* Iudith post victoriam de Holopherne dicitur mansisse in domo viri sui annos centum quinque, vt habetur in fine illius libri: & Ezechiæ ad mortem laboranti dicitur per Esaiam: *Ecce ego adyciam super dies tuos quindecim annos.* Describitur igitur vt plurimum vita exacta in Veteri Testamento post acceptum miraculo beneficium, quod pretiosa esset eo tempore vita, & vt testis esset potentiæ Domini, & beneficij accepti. Idem dicendum est de his, qui in Euangelio aliquo insigni beneficio, & prodigioso sunt affecti, vt diu testarentur Christi potentiam, signi magnitudinem, & excitarent alios ad fidem. Quanquam non scribatur quod agnito Christo, vita non sit tam chara, & pretiosa vt olim: & quia suscitati, vel beneficio aliquo affecti, cùm supra naturam essent sanitatem, vel vitam assecuti, illa vita, vel sanitas perfectior erat, ac idcirco diuturnior, quam si esset naturalis; quia tunc breuior esset. Idem probat Lazari vita producta in tricesimum annum, vt tradit Epiphanius, & hæmorrhoyssa, quæ timens ne tanti miraculi, & beneficij in se à Christo accepti posteritas esset ingrata, aut immemor, in Cæsarea Philippi æream statuam Christo erexit, ad quam ipsa genuflexa sanitatem postulabat: vt habes in libro historiæ Ecclesiasticæ, vt supra in hoc eodem libro produximus.

post, q... fuerit, ... Epiph...

Matth. 9.

Cur veteres Scripturæ, eorum, in quos aliquod cæleste beneficium diuinitus collatũ est, annos enumerare consueuerint.

Iob vlt.

Tob. 4.

Iudith vlt.

Esai 38.

Quæ vita, vel sanitas charissima.

Matth. 9.

Hæmorrhoyssæ in Christi liberatorem insigne grati animi monumentum.

Euseb. lib. 7. cap. 14.

Solent tamen in miraculis describendis Euangelistæ ætatem morbo, aut cæcitate, vel paralysi oppressi denotare, vt cæci à natiuitate sua, pueri lunatici ab infantia sua à dæmone obsessi, mulieris hæmorrhoyssæ, quæ per duodecim annos morbo vexata fuerat, & Paralytici ad Piscinam, qui per triginta & octo annos in infirmitate manserat, & mulieris inclinatæ, & spiritum infirmitatis habentis, quæ per decem & octo annos illo morbo laborauerat. Claudus item à ventre matris, qui mendicabat ad portam templi Speciosam, per plures quadraginta annis eo morbo detentus fuerat, Actor. 3. & 4. & alter claudus Act. 14. Listrensis, quem curauit Paulus; quia hæc annorũ enumeratio plurimũ valebat ad signi euidentiam, & magnitudiné decla-

Ioan. 9.

Marc. 9.

Matth. 9.

Ioan. 5.

Luc. 13.

Ætatem hominis morbo aut cæcitate, vel paralysi laborantis cur denotent Euangelistæ.

Actor. 3.

declarandam, ne quiſquam illa calumniari poſſet, vt falſum, aut naturale, & facile: ideò diligenter annotantur. Interpretatur autē Lazarus, adiutorium Dei, quia quantum poſſet Dominus mortales homines iuuare, in Lazaro ex parte indicauit, qui dicere poterat cum Dauide: *Niſi quia Dominus adiuuit me, paulò minus habitaſſet in inferno anima mea.*

Lazarus quid ſonet. *Pſalm. 93.*

A Bethania, de caſtello Mariæ & Marthæ ſororum eius. Significat patriam Lazari fuiſſe Bethaniam, quæ in hoc Euangelio dicitur quindecim tantum ſtadijs diſtare à Ieruſalem, id eſt, paulò minus duobus milliaribus, cùm octo ſtadia miliare vnum conficiant, vt tradit Plinius. Erat autem Bethania caſtellum, ſiue, vt Græcè dicitur, κώμη, id eſt, pagus, ſiue vicus. Dicitur autē caſtellum ſororum eius, quòd vel ad earum ditionem ſpectaret, iure fortaſſis hæreditario, aut alio iuſto titulo, vel quod inde eſſent oriundæ. Atque hæ ſorores cum fratre ſuo iocunde, & tranquille viuebant, vnde & Dominus hos omnes diligebat: quāquam ille dicat:

Bethania à Ieruſalem quantum diſtaret. *Plin. lib. 2. cap. 21.* *Bethaniam, caſtellū Lazari ſororum cur vocet Euangeliſta.* *Chriſti in Lazarum, & ſorores eius quæ ratio amoris.*

Fratrum quoq; gratia rara eſt.

Ouid. lib. 1. Metamorph.

Eſt ergo hic Lazarus carne nobilis, fide nobilior, & diſtinctus ab altero Lazaro mendico, de quo Lucas ſcribit. Et quia plures fœminæ erant, quæ habebant nomen Mariæ; ad diſtinctionē iſtius ab alijs, ſubiungit: *Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis ſuis.* Græcè legimus, ἀλείψασα, id eſt, quæ vnxerat; & ponitur præteritum perfectum pro præterito pluſquamperfecto, & dicitur, vnxerat κατὰ πρόληψιν, id eſt, per anticipationem: nam poſteà vnxit, vt teſtatur Orig. Chryſoſtomus, & Hieronymus, nempè in cœna, quam fecerat ei Martha, vt Ioannes refert: quemadmodum Matthæus recenſens catalogum Apoſtolorum, *Et Iudas*, inquit, *Iſcariotes, qui & tradidit eum*, nondum enim Iudas tradiderat, ſed reſpectu temporis quo Matthæus ſcribebat (ſicut & Ioannes) & Iudas tradiderat, & Maria vnxerat. Et quia prius dicit, vnxit, & poſtea extersit pedes: ſequitur quod ſit illa eadem, quæ à Ioanne capit. ſequenti vnxiſſe & terſiſſe deſcribitur. Nihil autem hic de lotione pedum per lachrymas, vel eorum oſculis, quæ peccatrix mulier, & innominata apud Lucam fecit: neque conſuetudo eſt, vt vnus Euangeliſta alludat ad ea, quæ per alium deſcribuntur, ſed quiſque ad ſe ipſum, & ad ea quæ ſcribit, reſpicere ſolet. Hinc Theophylactus in hæc verba: *Neq; hoc*, inquit, *ignorandum eſt, quod non erat iſta Maria quæ vnxerat Dominum vnguento, meretrix, quæ apud Lucam, vel Matthæum, ſed alia non meretrix, honeſta autem, & religioſa, & officioſa.* Et Auguſt. lib. Quæſt. Veter. & Nou. Teſtament. cùm dixiſſet eſſe eandem, cum formidine & metu aſſertionis prædictæ ait: *Si tamen eſt eadem.*

Luc. 16. Matth. 26. Ioan. 12. *Orig. tract 35 in Matth. 10. 2. initio. Chryſ. ho. 61. in Ioan. 10. 2. initio. Hieronym. in Matth. c. 26. initio tom. 2. Matth. 10.* *Ioan. 12.* *Luc. 7.* *Quid inſuetū Euangeliſtis.* *Theophyl. in Ioan.* *Auguſt. libr. Quæſt. Vet. & Nou. Teſt. q. 94. tom. 4.*

Miſerunt ergo ſorores eius ad eum, dicentes, Domine, ecce, quem amas, infirmatur. Sperabant, ſi adfuiſſet, quòd non moreretur, vt ipſæ dixerunt. Docent etiam nos, infirmos noſtros Chriſto præſentare. Ipſæ autem per ſe non venerunt ad Ieſum, quod fœminei decoris eſt, & modeſtiæ ſignum, & quia impeditæ infirmitate, & luctu fratris. Et optimum eſt quærere externa remedia pro ſalute proximi, & maximè ab eo, qui non longe à nobis diſtat, ad quem nuntium fideliſſimum mittere poſſumus, id eſt, orationem, quæ non habet oſtia clauſa: quia oratio humiliantis ſe, cœlos penetrabit. Erat etiam iter ad Ieſum longum, quia Iudæi Dominum prædicātem voluerunt apprehendere, & ſeceſſerat in locum trans Iordanem, vbi olim Ioannes baptizauerat. Vide autē elegantem; & conciſam legationis formam: *Domine*, inquiunt, *ecce, quem amas, infirmatur:* nō aiunt, ecce frater noſter infirmatur, vel ille qui te diligit; ſed, ille, quem amas: quia nō citant merita propria, vel fratris ſui Lazari, ſed tantùm eius in Lazarum amorem. Neque dicunt, veni, aut feſtina, ſed infirmitatem tantum proponunt, tempus, & modum ſuccurrendi non deſcribunt: Satis putabant annuntiare amanti, qui amat, & non deſerit; qui diligit, non verbo, aut lingua, ſed opere, & veritate. Ad hunc modum Maria ſanctiſſima Deipara precata eſt, cum in Canâ Galilææ dixit: *Vinum non habent.* Noli etiam turbari, ſi interdum ſancti, & iuſti, & quos Ieſus amat, in mundo patiuntur, aut infirmātur: nam in eo magis iuſtitiam, & amicitiam cum Ieſu præſeferunt, quòd illum pro nobis infirmatum, & patientem referunt.

Quam ob cauſam ſorores Lazari nuntium Chriſto miſerint, nō autem per ſe ipſas acceſſerint. *Eccl. 35.* *Ioan. 7.* *Supra 1. & Infra 10.* *Expenditur dictum: Domine, ecce quem amas, infirmatur.* *Amantis ingenium. Ioan. 3. Ioan. 2.* *Iuſti in hoc mundo cur patiantur.*

Audiens autem Ieſus dixit eis, Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam. Dubium videtur quomodo hæc infirmitas non fuerit ad mortem, cùm Lazarus mortuus fuerit: deinde quomodo glorificetur Deus per infirmitatem. Tertiò, cur non potius à morte præſeruauit. Ad primum dicendum eſt dupliciter. Primò, quidem infirmitatem non fuiſſe ad mortem ex cauſa prima, id eſt, Deo mortem noſtram principaliter non intendente, ſed liberationem ab illa. Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum: impij autem

Si Lazari infirmitas non fuit ad mortē quid igitur ille mortuus eſt? *Primus ſenſus.* *Sap. 1.*

autem manibus, & verbis accersierunt illam. Etiamsi infirmitas, quod attinet ad causam secundam, ad mortem reuera fuerit: quemadmodũ immolatio Isaac, quantum ad patrem Abraham, ad mortem erat, non sic autem ex parte Dei, qui definierat illam impedire. Ad hunc modum diu contristauit mors ficta filij Ioseph, sanctum eius parentem Iacob, sed tamen agnitus est viuere à patente; cuius propterea spiritus reuixit.

Gen. 22. *Infra 37.* *Infra 45.*

Alter sensus.

Alij verò aliter soluunt hunc nodum, dicentes, infirmitatem non fuisse ad mortem solùm ita vt in ea tanquam in fine sisteret; sed eo fine factam, vt per eam Filius Dei glorificaretur: quemadmodum de cæco nato dixit: *Neq; hic peccauit, neq; parentes eius* (scilicet, vt cæcus nasceretur) *sed vt manifestentur opera Dei in illo.* Omnis enim nostra infirmitas, qualis sit, non est ad mortem ex parte Dei, vt pereamus, sed vt per illã admoniti excitati, & resipiscentes, ita glorificetur Deus, qui omnium vult misereri. Et confirmatur hic sensus per alium locum similem, ait enim Paulus ad Ephesios: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem; sed aduersus Principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, &c.* Vbi non est sensus quod nobis nõ sit colluctatio cum carne, & sanguine, sed quòd non solum bellum habeamus cum illis, sed etiam cum dæmonibus. Ita, infirmitas hæc non est ad mortem, scilicet solum, vt in morte sistat, sed vt etiam per eam contractam, & postea Christi potentia extinctam, & superatam, glorificetur ipse Deus, & filius eius. Et hæc solutio ferè incidit cum priori.

Ioan. 9.

Nostris ex infirmitatibus Deus quẽ fructum eliciat.

Ephes. 6.

Eius dicti Apostoli: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinẽ, sed aduersus Principes, & potestates. &c. qui sensus sit.

Tertius sensus.

Vel infirmitas hæc non est ad mortem, quia non erat eum perductura ad mortem, qualem sorores metuebant, in qua scilicet diuturno tempore vt in omnibus solet hominibus, ad diem vsque iudicij permaneret à morte tunc excitandus, sed ad mortem breuem, quæ instar somni cuiusdam longi, esset per quatriduum duratura, & vt statim mea virtute resurgat, & tanto signo illustretur Dei gloria, & virtus, & Filius Dei agnoscatur. ¶ *Sed pro gloria Dei* (inquit) *vt glorificetur Filius Dei per eam.* Illud, *Vt*, euentum significat, vel consecutionem rei, non causam: quemadmodum in illo loco: sed vt manifestentur opera Dei in illo. Mundus quidem suæ gloriæ instrumenta habet, ambitionem, potentiam, opes, honores, sapientiam, & huiusmodi, vnde glorietur; Christus verò elegit Crucem, infirma, ignobilia, & ea quæ nõ sunt, vt inde gloriam suam eliciat. Aduerte etiam, Filij gloriam ad Dei Patris gloriam facere (nisi velis, Christum tacitè hic se Deum appellare) volebat enim Iesus propediem Ierosolymam ingredi, atque hinc honorem suum exordiri. Voluit enim tem hanc esse notissimam, vt (quod factum est) homines hoc audito, obuiam illi cum ramis palmarum procederent, eumque nomine Regis Israel salutarent, vt testatum relinqueret quantum posset, si vti sua potestate voluisset. Præterea Lazari suscitatione magnam sibi Christus inuidiam apud Pharisæos conflaturus erat; vt propterea de eo interficiendo fuerit consultatum, atque definitum. Quod ergo Iesus mortem violentam, & acerbam sustinuerit; immensum fuit Diuinæ gloriæ illustrandæ argumentum, quo Pater Deus sic dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitũ daret, & filio suo proprio nõ pepercerit, sed pro nobis omnibus tradiderit illum; vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam; infinitam profectò Deo arrogat gloriam, & honorem. Æternum etiam gloriæ pondus sibi Christus comparauit, dum sic factus est obediens Patri; & humani generis dilector, vt mortem Crucis pro illo à seruitute peccati, & dæmonis tyrannide asserendo, patienter sustinuerit. Atque hoc est quod dixit: *Sed vt pro gloria Dei; vt glorificetur Filius Dei per eam.* Quo in loco propriè Dei gloriam notauit, quæ cum officio suo coniuncta erat: nam etiam aliàs dum pereunt reprobi, non minus refulget Dei gloria, quàm in salute piorum, & sanctorum hominum. Et ex hoc loco colligimus, Deum glorificari in Filij sui persona, & velle, vt quicquid honoris habetur Deo, habeatur & Filio, vt alibi ait Ioannes. Hinc Turcæ, & Iudæi frustra se Deum colere ostendunt, cùm sint in Christum filium eius contumeliosi.

Ioan. 9.

Quomodo per infirmitatem Deus glorificetur.

1. Cor. 1.

Ioan. 11.

Ibidem.

Filij sui morte pro nobis quantopere fuerit Pater glorificatus.

Ioan. 3.

Rom. 8.

Ioan. 3.

Non minus per eam tunc etiam Christum glorificatum.

Philip. 2.

Dei Patris per Filij gloria quantus zelus sit.

Ioan. 8.

De tertio agamus: nam præseruauit Dominus Lazarum à morte, vt intelligamus iam mortem suis non posse nocere, & per eam Deum glorificari. Præterea sic exercuit fidem sororum & illis, alijsque ostendit quid ipse possit, & quanti nos faciat. Itaque expedit nobis & mori, & pati omnia, modo Deum agnoscamus, & diligamus, & omnis nostra infirmitas glorificat Dei potentiam, per quam subleuamur & Filij sapientiam, dum eius exemplo libenter, & non tantum patienter aduersa sustinemus.

Quare Dominus Lazarum à morte non præseruauerit, cùm posset.

Diligebat autẽ Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum. Præponit Martham Mariæ, quia Christus hic potius agebat vitam actiuam, quàm cõtemplatiuam. Dili-

Quid est quod primum Martham, deinde Mariam diligere dicitur Iesus.

Quos nam Deus diligat. gebat autem Dominus peculiari quodam affectu hanc familiam, & carne, & fide nobilem, & inter se concordem, sicut in vniuersum diligit omnes credentes in Deum & hospitales in proximum, & piè audientes verbum Dei, & se mutua dilectione amantes, iuxta illud: *Ego diligentes me, diligo.* (*Prouerb 8.* Amoris proprium.) Neque huic peculiari amori derogat quòd Christus distulerit per biduum eius salutem, vt confestim in textu dicitur, cùm amor solicitudinem parere soleat: Nam, *Res est soliciti plena timoris amor.* (*Ouid. epist. 1.*) Ideò subito accurrere debuit. Verùm cunctatio illa per biduum, nec Lazaro nocuit, nec in legem charitatis, & amicitiæ peccatum fuit; sororibus verò multum doctrinæ, & consolationis attulit. Sed cum primis gloriæ Dei seruiuit. Lazarus quidem amicus; sed amicior Dei gloria. Docemur ergo hac eius mora, non æstimādum nobis Dei amorem à præsenti rerum statu, quia rogatus sępe exilium suum differt, vel vt orandi ardorem magis acuat, vel vt patientiam nostram exerceat, & simul vt assuefaciat ad obsequium diuinum. (Cur Deus opē suam interdū differat, nec statim exaudiat orantes.) Non mirum ergo videri debet, si pietatis cultores mundi huius calamitatibus affliguntur, Deo veluti non vidente, ac dissimulante. Sic dimisit Abelem in manu fratris sui, Iosephum longo tempore in squalore carceris; Israëlitas in dura seruitute reliquit: quos tandem potentissimè eripuit. (*Genes. 4. Infra 39. & 40. Exod. 1 & seq.*) Mansit ergo Dominus duobus diebus; ne putaretur stupor, & non verè mortuus. Tardauit etiam vt discipuli crederent Iesum posse se ipsum à mortuis suscitare tertia die, qui quatriduanum paullò antè resuscitauerat. (Quæ bidui caussæ fuerint commorationis Christi ante suscitationem Lazari.)

Deinde post hæc dicit discipulis suis, Eamus in Iudæam iterum. Natura Dei est suorum qui laborant, etiam cum nobis videtur tardare, non obliuisci, ait enim Scriptura: *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* (Proprium Dei quid. *Esa. 49.*) Et vt notat B. Chrysostomus, Dominus non erat solitus Apostolis dicere quò iret, nisi modò: quia cùm pluries Iudæi tentassent eum lapidare, nolebat eos imperatos secum ducere, ne nimium metuerent. (*B Chrys. ho. 61. in Ioan. to. 3 sub initiū.* Christus præter morem cur locū quo iret nunc Apostolis indicauerit.) Aduertēdum autem est, Iudæam generaliter sumi; aliquando pro regione Cananeę, à duodecim tribubus culta, & habitata, quæ & Palæstina dicitur: specialiter verò dicitur ea portio Palæstinæ, quæ distinguitur contra Galilæam, & Samariam, quæ Samatia media est inter Iudæam & Galilæam, vt dicitur apud Ioannem. (Iudææ prouintiæ duplex acceptio. *Ioan 4.*) Cùm ergò in fine cap. 10. Ioan. dicitur, quòd Iesus abijt trans Iordanem, in quo olim baptizabat Ioannes, hoc (*Supra 1.*) est, in Bethabora, de qua alibi fit mentio, oportet quòd Bethabora sit in Iudæa, trans Iordanem, ex quo loco Christus dicitur venire in Iudæam citra Iordanem sitam, cùm esset in Iudæa vlteriori, quæ à Plinio dicitur Peræa, quasi πέραν τοῦ Ἰορδάνου, id est, vltra Iordanem, de qua est sermo apud Marcum Euangelistam. (*Plin. li. 5. c. 14.* *Marc. 3.*) Ideò dicendum est, quòd Iudæa strictiori adhuc significatione dicitur illa, quæ citra Iordanem sita est, ad quam ex vlteriori veniebatur. (Iudæa strictè sumpta quæ sit.)

Dicunt ei discipuli, Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc? Quasi dicerent, Aliquando accidit, vt per imprudentiam incidamus in pericula: sed temeritatis est, si scienter, & vltro, nulla necessitate cogente id fiat. Et vtramque hanc temeritatem, & imprudentiam Christo videntur discipuli obijcere. Verùm hoc consilium discipulorum è prudentia carnis natum erat: cui stultum videtur, si quis præsentibus periculis vltro se obijciat. (Carnis prudentiæ ingenium.) Nam si prudentem, & felicem putamus illum, quem faciunt aliena pericula cautum; quantæ imprudentiæ erit is, quem nec propria pericula cautum reddūt? Certè Apostoli illis verbis non minus suæ vitæ, quàm Christi incolumitati consulere volebant, etiam si solùm pro salute Christi se solicitos ostendant. (Apostoli timidi, carniq; suæ consulere volentes, hoc loco quid referant.) Et Apostoli timidi, & carni suæ consulere volentes, repræsentant nobis duellum, quo caro confligit cum spiritu, qui figuratur in Christo. (*Galat. 5.*) Caro crucem ferre refugit, & deliciari cupit; sed spiritus crucem, contemnique propter Christum amat.

Respondit Iesus, Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit: quia lucem huius mundi videt. Dubius est huius loci sensus. (Huius sententiæ; Nonne duodecim sunt horæ diei? triplex intelligentia proponitur.) Et primò statuendum est, horas duodecim diei adscribi, sicut & in parabola de operarijs ad vineam cōductis: & proptereà horæ illæ inæquales erant pro ratione diei breuioris, vel longioris: quemadmodùm apud Romanos dies quisque duodecim horis inæqualibus constabat. (*Matth. 20.*) Nunc verò cùm horæ æquales constituantur, interdum dies breuior est duodecim horis, interdum longior, interdum verò præcisis duodecim horis respondet, vt in Æquinoctijs accidit.

Sed iam varios sensus eius loci explicemus. (Primus sensus.) Quidam enim putant hoc ęnigmate Dominum consolari voluisse infirmos & timidos Apostolos, significans nihil esse metuēdum his qui Christo adhærent: quia quemadmodùm tempora mutantur non solùm de hebdomada in hebdomadā, vel (Quibus nihil metuendum.)

die in diem, sed etiam de hora in horam; ita animi hominum non minus instabiles, quàm dies. Atque hic sensus commodus videtur, & ad rem. Et confirmatur: quia iam ad hanc mutabilitatem nostram indicandam his verbis tanquam prouerbio vti consueuimus. Licèt ergo ante quæsierint eum lapidare, modò tamen mutatis animis & consilijs non erant ampliùs lapidaturi. Vt ita videas quàm benè sentiat & loquatur Dominus de inimicis suis pessimis. Instruens nos, ne de quoquam desperemus, quam diu viuit, quia potest mutari in melius, vt constat de Paulo persequutore, qui repentè mutatus fuit in protectorem, & ex lupo sæuissimo in fidum & vigilantem pastorem. Vel, non mirum si priùs fugit, & modò redit, pro ratione temporum. Imò vt Paulus modò in sporta per muros demissus fugiebat, modò verò ligari, & mori in Hierusalem paratus erat pro gloria Dei, & proximorum salute; ita & Christus Dominus idem prior præstitit.

De nullo, dū viuit, desperandum. *Act.9.* *Ibidem.* *Infra 21.*

Sed hunc sensum quidam à mente Christi remotum putant, quoniam nouerat Iudæos in eodem animo perseuerare. Ideò sensum genuinum esse existimant; quasi dicat Dominus: vt duodecim sunt horæ diei, in quibus ambulare & agere omnia homines omnes oporteat, & vt munera varia diuersis horis conficimus: nam alia hora edimus, alia laboramus, alia dormimus: ita in die mea sunt diuersis horis diuersa munera peragenda, ita vt sit in eo hora subducendi se, & hora se exhibendi, nec arbitrio nostro dies fit longior, aut breuior; ita ego tempus habeo præscriptum, quo debeam negotium meum peragere. Sic alibi dixit, significans nondum adesse tempus mortis suæ: *Ecce eijcio dæmonia, & sanitates perficio hodie, & cras, & tertia die consummor.* Iuxta quem sensum aptè subiungit: *Si quis ambulauerit in die, non offendit.* Nam si noctu vellent homines ambulare, vel agere, impingerent, cùm lucis beneficio sint destituti. Sic & ego habeo diem meum, qui suis certis horis finitur, in quo ego quæ mihi Pater perficiendo tradidit, operaturus sum. Hic dies iam inclinat, nec multum eius superest, & appropinquat hora, vt è mundo ad Patrem conscendam: ideò vtcunque sint contra me Iudæi concitati, mihi mea opera, dum dies meus est, perficienda sunt. Et ideò Iudæa & Hierusalem mihi repetenda, & Patris gloria illustranda, cui erit cura de nobis, & nihil contra nos poterunt aduersarij.

Alter sensus. *Luc.13.* *1.Petr.5.*

Vel tertiò sensus est: Quid mihi consilium datis, cùm vos non me, sed ego vos duodecim elegerim, & non aliter sequi debeatis nutum Magistri vestri, quam duodecim horæ diei sequuntur motum Solis? Et quemadmodùm Sol cognouit occasum suum, & nullius excutietur incursu, nec est in alicuius potestate vt occidat, antequàm veniat hora eius duodecima: ita scitote quòd Iudæi in me manus non eijcient, neque occident, antequàm veniat hora mea: neque in vos quicquam machinabuntur me præsente, qui vestram curam gero. Nam vel in ipsa comprehensione mea vos seruabo, & dicam: *Si ergo me quæritis, sinite hos abire.* Nihil est ergo, quod vel mihi, vel vobis metuatis: nam si quis ambulauerit in die, non offendit. Ambulat in die, quicunque Christum sequitur, siue in fuga, siue in præsentatione. Ego die ambulo, ideò non debeo vacare, vel timere. Ambulat autem in nocte, qui rationem humanam sequitur, Christum, vel verbum Dei, & qui relicta veritate falsitatem colit.

Tertius sensus. *Ioan.15.* *Infra 18.* Ambulet in die quis. Quis ambulet in nocte.

Hæc ait ad mitigandam formidinem discipulorum. ¶ *Et posthæc dicit eis, Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt à somno exuscitem eum.* Dormiebat Lazarus somnum, à quo solus Iesus poterat excitare: & qui sibi mortuus erat, coram Deo dormiebat. Nullus amicus Iesu mortuus est. Mortuus est quidem Lazarus, quatenus frater Marthæ & Mariæ; sed dormit quatenus Christi amicus; & dormiunt omnes ob spem resurrectionis: hinc illa frequens vox: *Dormiuitq; cum patribus suis.* Vnde locus, in quo iacent mortui, dicitur Græcè κοιμητήριον. id est, Dormitorium. Dormiunt etiam propter facilitatem resuscitandi indicandam, & propter pulchra & iocunda insomnia, quæ animæ à corporibus separatæ, dum Deum facie ad faciem contemplantur, habent. Docemurque hic non temerè in periculum nos conijcere, nisi iustæ sint caussæ, id est, gloria Dei, proximi necessitas, & charitas. Nos autem propter cōmodum proprium in mala quæcunque, & pericula nos obijcimus; propter Deum verò colendum, vel proximum subleuandum mouemur ne tantillum quidem.

Iusti cur dormire dicantur. Quæ caussa subesse debeat subeundi vitæ discrimina.

Et ait, *Amicus noster*: quia Apostoli amici erant Christi: *Vos*, inquit, *dixi amicos*, &c. Atque hoc ex benignitate Dei, sicut olim Abraham dictus est amicus: & Moyses dicebatur amicus, quia Deus ad ipsum descendebat, & Moyses ad ipsum ascendebat, id est, in montem vbi Deus erat. Et poterat quidem CHRISTVS absens suscitare, quemadmodùm seruum Centurionis absens sanauit, & dæmonem à filia Chananææ absens expulit: sed voluit

Lazarus quare Apostolorum amicus. *Ioan 15.* *Iudith 8.* *Exod 33.* *Matth.8.* *Infra 15.*

præ-

Supra 9. præsens esse in Lazaro suscitando, sicut in filia Iairi, & adolescente filio viduæ ad vitam reuocandis; ne tanta miracula eludi possent. *Luc. 7.* Et in die nouissimo præsens aderit, vt omnia omnium hominum corpora excitet: & qui dixit: *Eamus in Iudæam*: non ait, Eamus vt excitemus illũ à somno; quia comites & testes miraculi voluit, non cooperatores.

Quare Christus præsens potius quàm absens, cùm posset, Lazarũ suscitauerit.

Dixerunt ergo discipuli eius, Domine, si dormit, saluus erit. Abhorrebant discipuli à repetenda Iudæa; ideò profectionis causas, quantum possunt, resecant. Et omnes videri volumus Medici aliorum; nam facilè omnes cùm valemus, recta consilia ægrotis damus. *Terent.* Et dormire competenti tempore, & modo, in ægroto, rediture sanitatis est argumentum: in vniuersum verò carere somno, aut semper somno vacare, quemadmodùm in lethargo accidit, mortis imminentis est symbolum. Sed Apostoli seducti sunt non intelligentes (vt certè debebant) Dominum non loqui de dormitione somni. Quis enim sanæ mentis itinere vnius diei proficiscitur, vt quempiam à somno excitet? Sed de dormitione mortis: neque recordati sunt verbum Domini; quod dixit ad patrem puellæ: *Non est mortua pdella, sed dormit.* *Matth. 9.* Parum etiam acutè dixerunt Apostoli, *Si dormit, saluus erit.* Eo etiam dato quòd sit sermo de dormitione somni; nam Adæ dormienti, ablata costa est, & reposita caro pro ea: & Samsoni dormienti præcisi septem crines, in quibus fortitudo eius sita erat: Sauli dormienti aufertur lancea, & scyphus: Isboseth somno indulgens, priuatus est regno: Holofernes somno & vino sepultus, capite truncatur: & dormientibus hominibus, venit inimicus homo, & superseminauit zizania: & Apostoli dormientes à Christo reprehẽduntur. Non ergo verum est quod dixerunt Apostoli: *Si dormit, saluus erit*, cùm multa accidant pericula dormientibus.

An omnino fuerit verum Apostolorum illud dictum: *Si dormit, saluus erit.*

Genes. 2. *Iudic. 16.* *1 Reg. 26.* *2 Reg. 4.* *Iudith. 13.* *Matth 13.* *Infra 26.*

Tunc ergo Iesus dixit eis manifestè; Lazarus mortuus est: & gaudeo propter vos (vt credatis) quoniam non eram ibi. Postquam aliter non intelligebant eius ænigmata, tandem aperuit illum esse mortuum. Et ostendit se Deum, qui præscierit illius mortem. Nihil de illius suscitatione, quod magnificentius opus erat loquitur: volens magis oculis conspici, quàm verbis explicari. Et subdit: *Gaudeo propter vos.* Non propter mortem, quam deuorabo, neque propter afflictionem ipsius, vel sororum, quibus ex corde condoleo; sed propter vos, vt fides vestra quam adhuc imbecillam video, euidentior miraculo, tùm prædicationis, tùm suscitationis confirmetur. Et hoc, quia non eram ibi. Quod constituendum est nõ cum verbo Credatis, sed cum verbo Gaudeo. Id est, Permisi mori amicum, ac si non essem ibi: nam si, me præsente, ægrotus conualuisset, poterat casus videri; si recens defunctum, interpellantibus sororibus, suscitassem, Pharisæi, qui nihil non calumniantur poterant causari stuporem fuisse, non mortem: nam id accidit interdum in morbis nonnullis, vt corpora multis horis consopita reuiuiscant: nunc certissimum manet credulitatis signum. *Eamus ergo, &c.* Apostoli etiam etsi non probarent profectionem in Iudæam; tamen itineris piam & grauem causam refellere non poterant. Ostendit ergo Dominus absentiam suam vtilem Apostolis fuisse: quòd obscurior virtus fuisset, si protinus opem tulisset Lazaro. Nam quo proprius ad ordinariam naturæ rationem accedunt Dei opera, eo magis vilescunt. Sed nunc magis illustrabitur potentia mea in reuocandis mortuis ab inferis ad vitam: Magis etiam cognoscetis me præstò adesse afflictionibus vestris, & me diligentes diligere, & curam gerere pro salute vestra, intelligere poteritis.

Vnde Christus se Deum comprobauerit.

Quale gaudiũ Christi fuerit propter Apostolos, vt crederent.

Opera Dei quo magis v[...] lescant.

Prouerb. 8.

Sed eamus ad eum. Ad summum amicitia humana ad mortem vsque extenditur, sed post mortem fugere solet: sed Christus fidissimus est amicus, non tantùm in vita & morte, sed etiam post mortem succurrens. Et ridiculum videtur rationi humanæ ire ad mortuum: sed alia ratio est, si Filius Dei, id est, ipsa vita eat: nam Christus in fine mundi etiam veniet ad mortuos, & excitabit illos. *Ioan. 5.*

Christus am[i]cus qualis sit

Dicit ergo Thomas qui dicitur Didymus, ad condiscipulos, Eamus & nos, & moriamur cum eo. Legendum esse, Eamus & nos, vt moriamur cum eo, & Græci docent codices, Latina antiquiora exemplaria, & Euangelium Syriacum. Erat enim tardus & incredulus Thomas. Et quod ait, *Cum eo*, quia præcesserat paullò antè: *Vado vt à somno exuscitem eum*: & rursus: *Sed eamus ad eum*: idcircò quod subdit: *Eamus & nos, vt moriamur cum eo*, non est ad Christum, sed ad Lazarum referendum: vt sit sensus: Accedamus & nos ad Lazarum mortuum, vt cum mortuo etiam moriamur. Diffidebat enim de Domini promissione, quòd præseruandi essent ab offensione: sed & Lazarum dubitabat posse excitari à mortuis, sicut etiam Ioannes scripturus erat, quantum de Domini resurrectione idem Thomas dubitauerit; vt hæc tarditas & incredulitas de Lazaro excitando præludium quoddam esse osten-

Qualis natu[ra] Thomas Didymus fueri[t]

Ad quid ille dixerit ad co[n]discipulos de Christo. *Eamus & nos, & mori[a]mur cum e[o]*

Ioan. 20.

ostenderet futuræ infidelitatis, & tarditatis Thomæ circa Domini Iesu resurrectionem. Etsi fortitudo magna sit Christianorum sequi Christum, & mori primum sibi, deinde si res exigat, etiam pro Christo: hæc tamen Thomæ exhortatio plus habuit temeritatis, quàm fidei. Et cùm hactenus discipuli retrahere Christum conati sint, nec obtinuerint: nunc se paratum asserit Thomas, sed absque fiducia, & magna cum formidine, cùm eos de vita sua certos esse oporteret: & Christus non dixerat, Vado moriturus in Iudæam, sed, Vado vt Lazarum excitem à somno mortis, Debebat ergo Thomas, si consequenter loqui voluisset, dicere, Eamus & nos, & videamus gloriam Dei; non autem, Eamus, & moriamur cum eo, scilicet cum Christo, vel cum Lazaro. Et sic esset ironia, perinde ac si dixisset: Quid proderit illuc ire, nisi vt mortem oppetamus.

Fortitudo Christianorũ magna quæ sit.

Beda tamen Venerabilis hæc verba aliter exponit; vt illa ex vehementia quadam fauoris prolata sint, quasi exhortantia omnes alios discipulos, vt non pluris faciant vitam suam quàm Dominus, cùm non sit discipulus super magistrum, neque seruus supra dominum. Eamus ergo fidenter cum eo, etiamsi oporteret nos mori cum eo: melius siquidem est nobis cum eo mori, quàm sine eo viuere. Et loquebatur quasi facere posset quæ alios exhortabatur, immemor propriæ fragilitatis, vt olim Petrus in Passione fecit. Sed præstat, meo iudicio, prior intelligentia, quæ est B. Chrysostomi, exponentis hoc dictum ex imbecilla fide, siue potiùs ex incredulitate.

Bedæ sensus huius loci quis.
Beda in Ioan. cap. 11. tom. 5.
Matth. 10.
Ioan. 13 & 16
Matth. 26.
Chrys. ho. 61. in Ioan. to. 3.

Venit itaque Iesus; & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem. Venit corpore, qui deitate semper præsens fuerat: & venit, tractus à sororibus Lazari, non secus atque candelæ extinctæ, sed fumantis lux ab alijs accensis candelis proximè sitis, trahitur. ¶ *Et inuenit,* inquit, *eum quatuor dies iam in monumento habentem.* Ad claritatem signi omnes describuntur causæ, quę augere possent miraculi difficultatem. Et ad literam biduò hæsit in illo loco, quo à nuntio ad se destinato à Maria & Martha inuentus est. Deinde ad biduum iter fecit, vt cùm veniret, inueniret eum quatuor dies in monumento habentem. Euthymius intelligit mortuum fuisse ea die, qua venit nuntius ad Christum, & duos dies sepulturæ impensos eos quibus Dominus mansit, in quo erat loco; tertium, quando dixit discipulis: *Lazarus amicus noster dormit*; quartum, cùm aduenit Bethaniam. Et iuxta spiritum, quarto tempore erit resurrectio mortuorum. Primum enim tempus fuit ante Legem, in quo regnabat mors, vt nulla spes resurrectionis esset. Secundum, sub Lege, vbi promissa per Prophetas resurrectio, & præludium eius in quibusdam ab Helia & Helisæo suscitatis exhibitum. Tertium fuit sub Euangelio, in quo Christus primogenitus mortuorum est: qui & dum viueret, multos suscitauit, & post mortem eius multa corpora Sanctorum qui dormierant, surrexerunt. Quartum tempus erit futuri seculi, in cuius diluculo suscitabuntur omnes.

Quemadmodum venerit Iesus suscitaturus Lazarũ.
Euthym. c. 11. in Ioan.
Lazarus qua die fuerit mortuus, secũdùm Euthymium.
Quo tempore mortuorum resurrectio sit futura.
Roman. 5.
3. Reg. 17.
4. Reg. 4. & 13.
1. Cor. 15.
Apocalyp. 1.
Matth. 9.
Luc. 7.
Ioan. 11.
Matth. 27.

Erat autem Bethania iuxta Hierosolymã quasi stadijs quindecim, &c. Hoc narratum est ab Euangelista, ne mireris multos, qui ex Hierusalem venerant ad consolandas sorores Lazari: qui tamen tacito & arcano Dei consilio eò venerant, vt testes essent signi, & ne suscitatio Lazari domesticis tantùm testimonijs niteretur.

Martha ergo vt audiuit quia Iesus venit, occurrit illi: Maria autem domi sedebat. Martha in gubernatione domus primas partes habuisse videtur: & Christo vt hospiti & Domino occurrit de more; quemadmodùm Abraham & Loth hospitibus occurrerunt, & cum gaudio illos susceperunt. ¶ *Dixit ergo Martha ad Iesum, Domine, si fuisses hic, frater meus non esset mortuus.* Cõfitetur eum potuisse infirmum à morte sua præsentia præseruare, non autem absentem: alioqui dixissent istæ sorores, Domine, si voluisses, frater noster non fuisset mortuus.

Gen. 18.
Infra 19.
Marthæ imperfecta fides de Christi diuinitate.

Subditur in textu: *Sed & nunc scio, quia quæcunq; poposceris à Deo, dabit tibi Deus.* Adhuc exerit imperfectam suam fidem: nam etsi tacitè confiteatur quòd posset suscitare, intelligebat quòd præsens hoc posset, & quia modum præscribit petendo à Deo vt homo sanctus, non propria virtute vt Deus sicut alij sancti, qui miracula edidêre orando: vt exponit Chrysostom. Nihil autem apertè tradit quòd posset eum liberare à morte: tantùm dicit; *Sed & nunc scio quia quæcunque poposceris à Deo* (vt homo sanctus) *dabit tibi Deus,* sed an petiturus, vel conueniat petere, nescio: nondum credens esse Deũ, qui & absens & præsens omnia pro nutu præstare potest.

Quid esse Christum tantummodò crediderit.
Chrys. ho. 61. in Ioan.

Dixit illi Iesus, Surget frater tuus. Plus ille vltrò promisit, quàm ipsa apertè petere ausa fuerat: quasi diceret; Intelligo quid velis: eris voti compos, recipies fratrem. Et nota verbum modestiæ, Resurget frater tuus: non ait, Ego resuscitabo fratrem. Et est verbum consolationis omnibus qui propter discessum suorum ex hac vita mœrore

Quale hoc verbum Christi Martha, resurget frater tuus.

rore conficiuntur: cogitent & illi, & putent se de Christi ore audiuisse, resurget, vel pater, vel frater, vel filius tuus. Et consideratio postremæ resurrectionis, veræ est consolationis causa, & mitigandi dolorem acceptum. Vnde Iob: *Reposita est hæc spes in sinu meo*: & Paulus verba faciens de resurrectione, ait: *Itaque consolamini inuicem in verbis istis.*

Postremæ resurrectionis meditatio quàm vtilis. *Iob.19. 1.Thess.4.*

Dicit ei Martha, Scio, quia resurget in resurrectione in nouissimo die. Id est, Si de resurrectione in fine mundi est sermo, nihil dubito, sed certa fide teneo (hoc est enim, scio, sicut illud Iob: *Scio quod Redemptor meus viuit*) quòd sit frater meus excitandus: sed nescio an aliquid maius mihi significes: quasi dicat; Vellem antè resurgere. Timebat Martha, ne, sicut nuntio respondens morbum non esse ad mortem, ambiguo responso se fefellisse videretur, ita nunc etiam in dictis illius aliquid lateret, quod spem eius eluderet. Videtur ergo in primis, Martham agnouisse per fidem diem aliquem, qui sit nouissimus: quod impij irrident, qui sentiunt mundum duraturum in sempiternum, vt Petrus inquit. Deinde credidit in illo die futuram esse resurrectionem omnium: quod Sadducæi non receperunt, vt ex Matthęo manifestum est. Vnde Iob dixit: *In nouissimo die de terra surrecturus sum.*

Ad quid Martha dixerit de fratre: Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die. *Ioan.5. Infra 6. Iob.19. 2.Pet.3. Matth.22. Act 23. Iob.19.*

Dicit ei Iesus, Ego sum resurrectio, & vita. Vult dicere, Non tantùm possum precibus impetrare vitam, vt Helias, & Helisæus mortuos suscitarunt, sed & ipsam potestatem suscitandi habeo, cùm sim verus Deus, & vita omnium. Et tacitè innuit se esse illum suscitatorem, & viuificatorem, per quem in nouissimo futura sit resurrectio mortuorum: & modò suscitandus erat frater eius. Adiunxit post resurrectionem vitam; vt intelligas Dominum loqui non tantùm de resurrectione communi pijs cum impijs, sed de ea, quæ propria erit fidelium & iustorum, & de qua Dominus dixit: *Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ.* Et quia non tantùm mortuis in se credentibus sit in nouissimo die vitam largiturus, sed & in præsenti tempore vitam eis impartiatur æternam; & quia vita contingit quandoque per generationem; quandoque verò per resurrectionem; testatur se vtriusque vitæ autorem. Est autem causa resurrectionis & vitæ non solùm vt efficiens principale, quia Deus, & instrumentale, & secundarium, quia Humanitas organum erat Diuinitati coniunctum, sed & promeritoria. Quia sicut per hominem mors; ita & per Hominem resurrectio mortuorum. Est etiam exemplar resurrectionis, quia reformandum est corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Et quia resurrectio præcedit vitam futuram, vnde & in Symbolo dicitur: *Credo carnis resurrectionem, & vitam æternam*; proptereà resurrectio præcedit vitam. Est enim Christus resurrectio corporum mortuorum, & vita glorificandorum; quemadmodùm etiam autor est resuscitationis spiritualis à morte, qua quis resurgit à morte peccati, & autor vitæ spiritualis conseruandæ. Et quemadmodùm lux post tenebras adueniens resuscitat calores ante suum aduentum mortuos, atque illis suscitatis, dum præsens est, vitam largitur: ita Christus suscitator est à morte non tantùm corporea, sed etiam spirituali, & vitæ restitutor. Et quòd de vita spirituali loquatur, explicat, cùm ait: *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet. Et omnis qui viuit, & credit in me: non morietur in æternum.* Qui, credit, inquit, in me; etiamsi mortuus fuerit morte corporali, viuet: non solùm ex eo quòd post mortem corporis vitam aget beatam, sed etiam quia secundùm corpus suscitabitur ad cœlestem vitam. ❡ *Et omnis qui viuit.* Adhuc in carne, necdum corpore mortuus est. ❡ *Et credit in me, non morietur in æternum.* Quia habet iam in se manentem vitam æternam, quæ per mortem corporis non eripitur; quæ potiùs somnus quidam, quàm mors est dicenda. Et ita probat se resurrectionem vitæ esse; & vitam non simpliciter esse, sed beatam atque æternam: & ita se non indigere precibus ad impetrandam mortuorum vitam, vt Martha putabat; & quòd vt in nouissimo die fideles omnes propter fidem sunt à se excitandi, ita modo suscitaturum fratrem suum Lazarum, si crediderit. Ac vt mortuus non potest habere bonum motum, per quem cooperetur suæ saluti, & vitæ: ita nec peccator ante omnem gratiam. Et ita probauit quòd sit resurrectio: nam si potest excitare ad æternam vitam, multo magis & ad temporariam. Probat deinde secundò quòd sit vita. ❡ *Quia omnis*, inquit, *qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum.* Quia vitam, scilicet semel datam semper conseruat ad finem vsque. Et intellige non mori in æternum ex se, nisi illam vitam ipsam expuāt, & euomant, & diligentes tenebras, & mortem, redeāt ad vomitū. Nec obstat corpus indies magis corrūpi: qa spirit⁹ renouatur de die in diē: imò ipsa mors, quædā illius à morte manumissio est. ❡ *Credis hoc.* Magn⁹ est resurrectionis articu-

Quid significet Christus cùm ait: *Ego sum resurrectio, & vita.* *3.Reg 17. 4.Reg.4.*

Ioan 5. Infra 6. Quare Christus nō solùm resurrectionē, sed etiam vitā esse se dixerit. *Ibidem.*

Quot modis Christus nostræ resurrectionis sit causa. *1.Cor.15.*

Philip.3.

Qualis Christus mortuos resuscitans, & viuificans.

Credens in Christum, etiamsi mortuus sit, dupliciter viuet.

Cic. lib. de somn. Scipionis. Quomodo probet se vitam esse Christus.

Vt verum sit, credentes in Christum in æternum non morituros. *Ioan.12. Prouerb.26. 2.Pet.2. 2 Cor.4.*

Qualis mors sit homini iusto.

articulus; & idcircò alios includens: proptereà hoc, atque alijs signis firmatus fuit. Et fide eius promeruit Martha fratris vitam, quanquam Mariam sororem vocauerit, vt iuuaretur ab ea apud Christum pro suscitando fratre. Ait etiam, *Credis hoc?* quia non satis est corde credere, nisi accedat oris confessio ad salutem, cùm Christus benè nosset illam talem fidem habere in corde. Interrogat, non vt sciat, sed vt eliceat confessionem, per quam reddatur digna miraculo. Quæ confitendo Iesum esse Christum Filium Dei, qui in hunc mundum venturus erat, significat illum esse resurrectionem & vitam: quemadmodùm Petrus confessus est.

Quid, quàm minimè ignorabat Martha fidem de se Christus explorat.

Rom. 10.

Dixit ergo, Vtique, Domine, ego credidi. Iam olim à principio, vel præteritum ponitur pro præsenti more Hebræorum pro, Credo, in verbis ad affectum pertinentibus, vt ait B. Chrysostomus. Certè in Euangelio Syriaco de præsenti est Credo. Et subdit: *Quia tu es Christus Filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.* Id est, Qui expectatus à Iudæis eras venturus, iam tandem venisti. Hæc est fides Ecclesiæ Catholicæ, hanc Petrus caput Ecclesiæ professus est; hanc & Martha confidenter asseruit: vna & eadem est fides Papæ, & mulierculæ, docti, & idiotæ, maiorum, & simplicium: nec differt nisi penes maiorem, vel minorem explicationem. Pulchrè autem Petrus Rauennas hic philosophatur de Christo, dicens: *Hinc est quòd in loco Christus restitit: expectauit Christus quòd non intrauit turbas, quòd non contendit ad domum, &c. Sed mulierem sustinet, mulierem remoratur, mulierem primam suscepit, quam primam suasor infecit à muliere perfidiam vocat, ad mulierem reuocat fidem; vt quæ fuit perditionis obsequium, salutis eadem sit ministra: & sit tandem per Deum viuentium mater, quæ per diabolum diu mater extitit mortuorum.* Sic ille. ❡ *Et cùm hæc dixisset, abijt, & vocauit Mariam sororem suam silentio, dicens, Magister adest, & vocat te.* Probabile est, Christum rogatu Marthæ substitisse extra pagum, ne Christus in tantam hominum frequentiam prodiret: timebat enim periculum, quòd nuper è media morte vix elapsus esset Christus. Ideò ne largiùs spargeretur eius fama, clam sorori indicat illum adesse: tùm quia non decet mulierem esse clamosam, maximè in virorum conspectu: tùm quia si altè dixisset venisse Iesum Iudæi quamplurimi qui erant cum Maria, non fuissent testes miraculi, neque venissent; vt exponit Chrysostomus. Quod verò dixit, silentio: non propriè significat, quia vocauit eam, sed clanculum, & voce

Matth. 16.
Præteritum pro præsenti ponere ratò Hebræi solent.

B Chrysost loco superiori.

Fidei vnitas in Ecclesia Catholica.

Pet. Chrysol. serm. 64. sub init.

Gen. 3.
Ibidem.

Ioan 16.
Martha cur Mariam sororem suam accersierit silentiò.

Chrysost. loco præscripto.

suppressa. Et tantæ autoritatis erat Christus apud has fœminas sanctas, vt nomine Magistri eum appellarent, quasi præter eum nemo esset magister qui doceret. ❡ *Magister adest, & vocat te.* Pulchrè Theophylactus sic interpretatur: *Quomodo autem Martha inquit ad Mariam, Magister vocat te, tametsi Euangelista non assignarit quòd vocaret eam Dominus? Hoc scilicet latenter insinuat mandatum Marthæ à Domino, vt vocet sororem; vel aduentum Christi vocis loco habebat: Dicit igitur: Vocat te Magister. Quomodo enim, Christo præsente, non debebat ad illum & illa venire? Itaque aduentum Domini, qui necessario illam petebat, vt occurreret ei, vocem dicit Euangelista: Magister enim, inquit, adest. Istuc ipsum adesse, pro voce factum est ad te. Detractare enim non potes, quin ad illum præsentem & tu accedas.* Hæc ille.

Quo loco esset Christus apud Lazari sorores.

Theophyl. in c. Ioan. 11.
Qui verum sit Mariam à Domino vocatam id Euangelista non exprimat.

Illa vt audiuit, surrexit citò, & venit ad eum. Fidelis vocatus non debet moras nectere vocationis suæ, sed protinus vbi pulsauerit Deus cor eorum, surgere, ac sequi. Et eo magis si Martha communicauit Mariæ sermonem Domini de suscitando Lazaro, vt est verisimile, cùm præsertim ingenium mulieris sit nihil retinere eorum, quæ audiuit, sed in alios effundere. ❡ *Nondum enim venerat Iesus in castellum.* Dominus ad refocillandum se post fatigationem itineris in castellum intrare noluit, priusquàm opus gloriæ Dei Lazarum suscitando, cuius gratia venerat, perficeret. *Primum,* inquit Christus, *quærite regnum Dei.* Sic seruus Abrahæ cibum gustare noluit, nisi priùs legationem heri sui fideliter obijsset.

Fideles vocati à Domino quid facient exemplo Marthæ.

Quale mulieris ingenium.

Matth. 6.

Genes. 24.

Iudæi ergo qui erant cum ea in domo, &c. secuti sunt eam, dicentes, Quia vadit ad monumentum. Semper mundus in operibus Christi aliò respicit quàm pij respiciant, & ad pios tantùm fructus perueniunt. Dicebant enim: *Quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi*: quia mundus opinatur Sanctos non nisi ad luctum tendere; cùm tamen per luctum ad consolationem tendant. Vnde Apostolus ait: *Quasi morientes, & ecce viuimus: vt castigati, & non mortificati. Quasi tristes, semper autem gaudentes*: non secus atque Israelitæ per desertum tendebant ad terram lacte & melle manantem. Nos igitur cùm tribulamur, conspiciamus spem aduentantis consolationis: cùm defatigamur, & pro Christo laboramus, fiduciam quietis, & præmij cœlestis concipiamus: cùm morimur, certissimam vitæ æternæ confidentiam amplectamur, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto detur

Mūdanorum hominum de Christo eiusq; Sanctis iudicium.

2. Cor. 6.

In aduersis ad quem confugiendum.

omnis

omnis honos, gloria, & imperium in secu-lis sempiternis. Amen.

TRACTATVS XLIV.

De eodem Lazaro à mortuis reuo-uocato.

CVM hoc Euangelium tam longum, & tanta circumstantiarum plenitudine ab Euangelista conscriptum, non potuerit vno tractatu absolui? ideò quod superest, & mysterium in illo inclusum præsenti absoluemus.

Maria ergo cùm venisset vbi erat Iesus, videns eum, cecidit ad pedes eius, & dicit ei, Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. Martha etsi speraret Dominum fratrem suum suscitaturum, vocauit tamen Mariam sororem, quam peculiari affectu Christus diligebat, tum quòd intenta esset verbo Dei audiendo, tum quòd sequelam ei præstaret, & ministraret de facultatibus suis. Illa ergo, quæ solita erat audire verbum Dei, & sedere ad pedes Iesu, conspecto Christo, cecidit ad pedes eius. Nam etsi coram Regibus & Principibus moris esset in terram se prosternere: quia tamen nihil habebat exterius Christus in se regale, aut regia magnificentia dignum, in alium finem procidit, non tantùm vt eum salutaret persuasa Iesum esse Dei filium, sed vt tacitè peteret signum, etiamsi verbo non explicuerit. Illa enim prostratione & lacrymis commotus est Dominus ad fundendas lacrymas, & ad instituendam profectionem ad monumentum, vt illa profectione paullatim fidem maiorem in sororibus Lazari de excitando fratre suo excitaret. Non expostulauit cum eo, sicut nec Martha, quòd rogatus non venerit sanaturus, quem amabat, cùm extraneos plerunque & ignotos libens adire soleret, & sanitatem illis impartiri, tantùm deplorans fratris & suam calamitatem, dixit: *Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.* Vbi etsi honorificè in speciem videatur de Christo loqui, inerat tamen, nescio quid vitij in eius sermone: nec enim Christi virtus, quæ cœlum & terram repleuerat, restringi ad eius corporalem præsentiam debuit. Christus Mariæ non respondit verbis, sed factis, hoc est, fremitu, lacrymis, & eundo in sepulchrum.

Quare Christus Mariam Marthę sororẽ peculiari prose quereretur amare. Luc. 10. Supra 8.

Quorũ olim more pedes prosterni mos erat.

Maria cur cecidit ad pedes Iesu.

Mariæ etiam sororis Marthæ de Christi humanitate imperfecta fides.

Iesus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu; & turbauit se ipsum. Chrysostomus cum Theophylacto dicunt, hũc fremitum motum quendam fuisse ad cohibendum cursum lacrymarum, vt loqui posset minimè lacrymis impeditus. Basilius homilia de gratiarum actione, & altera de mœrore & tristitia, asserit non fleuisse mortem Lazari statim suscitandi, sed in exemplum nostrum, vt in his & similibus mœrendi, & lugendi rationibus moderatè agamus, & vitiosos deuitemus excessus. Quidam interpretantur: *Infremuit spiritu*, id est, duxit suspirium: spiritum enim vocari putant anhelitum. Sed reuera fremitus affectus est signum iræ, & audaciæ; turbatio autem, timoris. Atque hæ duæ passiones etsi contrariæ inter se sint, non pugnabant tamen in Christo, in quo propassiones potiùs fuerunt, quàm passiones, vt docet Damascenus libro de Orthodoxa fide: & voluntariæ, vt Patres docent, Augustinus in Ioannem, & Gregorius in libris Moralium: quia neque rationem in eo præueniebant, nec eum impediebant, aut conturbabant: sed infremuit spiritu, id est, ratione, & voluntate imperante, & affectum fremitus moderate. Nec tantùm Dominus fremuit ad doloris testificationem, sed ad indignationem quandam, qua commotus est contra mortem, quæ præsentis tristitiæ caussa fuit, & contra eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum. His ergò affectibus in se excitatis, ad opus arduum quod moliebatur se accinxit, ad expugnãdam scilicet mortem, & mortis autorem, alioqui insuperabilem. Lyranus declarat, duplicem fuisse in Christo fremitum siue indignationem. Prior fuit contra dæmonem, cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum; posterior contra Infidelitatem Iudæorum, quæ tot visis signis non erat cõfracta. Fremitu, siue rugitu fertur Leo fœtum suum dormitantem viuificare, vt tradit B. Isidorus: ideò Christus verus Leo rugitu Lazarũ suscitare voluit. ¶ *Et turbauit se ipsum.* Nihil poterat Christum turbare, nisi ipse semetipsum secundùm imperium rationis conturbare voluisset. Vbi sunt ergo Stoici, qui homines sapientes volunt affectibus naturalibus destitui? Parum, vel nihil ridere, si à natura est, nec laus, nec vituperium est; ex virtute autem laudabile est; nequaquam autem flere tot mundi miserias, saltem lacrymis cordis, vitiosum est, & humanum. Proinde verum non est, Socratem & Photionem non fuisse vnquã visos flere aut ridere. Vel sanè id Stoici faciebant ob inanem gloriam, vt homines admirarentur, cùm tamen in non flendo excessus esset. Non pugnabant etiam in Christo, in quo erat Diuinitas, & Huma-nitas:

Cur Iesus infremuit spiritu, Lazarum suscitaturus. Chrys. ho. 26. in Ioan. to. 3.

Theophyl. ibidem. Altera opin. Basil. tom. 1.

Fremitus, & turbatio, affectus quales sint.

Quales fuerint passiones in Christo. Damasc. li. 3. de Orthod. fide, ca. 14. Aug. tract. 49 in Ioan. tom. 9. Gregor. lib. 3. Mor. cap. 11. sub fin. tom. 1.

Iesum infremuisse spiritu quid significet

Altera fremitus Christi ratio. Hebr. 2.

Lyranus. Fremitus, indignatio ve duplex in Christo. Sap. 2.

Leo vt fœtum exsuscitet suũ ad vitam, teste Isidoro. B. Isido. li. 12. Originũ. c. 2.

Christus cur turbarit se ipsum. Aduersus Stoicos, homines sapientes humanis affectibus expoliantes. Quæ caussa huius, vt sic dicã, inhumanæ Stoicitatis illorum.

Quæ aduersus fremeret diuinitas Chri-

nitas:& fremitus Diuinitatis erat in peccatum, mortem, infernum, diabolum, cuius inuidia peccatum & mors in mundum intrauerat: sicut fletus Humanitatis: quamuis dici possit, & fremitum, & turbationem, & lacrymas, omnia eius Humanitati attestari. Fremit igitur, qui mortem erat superaturus, nunc quidem ex parte aliqua in resuscitatione Lazari; perfectiùs autem post paullulum in sua resurrectione. Nam & illa resuscitatio Lazari typus quidam erat resurrectionis omnium, & quasi præostensio quædam victoriæ plenæ, qua suo tempore perfectè de morte triumphabit, & insultabit: *Ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero, inferne.* Et ita Christi resurrectio certam spem præbet omnibus credentibus veræ resurrectionis & euasionis ab æterna morte, cui per inuidiam diaboli fueramus addicti. Assumit ergò Christus homo fremitum istum, & indignationem aduersus diabolum ad eum modum quo ingressurus prælium fortis armatus contra aliquem sibi peculiarem inimicum, qui iniurius sibi extitit, & dolosè in vitam amici conspirauit, quem facilè speret se posse expugnare: & idcircò priùs semetipsum conturbat, atque ad iracundiam (quæ animum & vires pugnanti adijciat) excitare solet. Motus est ergò Dominus inde gaudio, quòd profuturum esset bonis hoc signum: inde dolore, quòd nociturum esset malis. Sed vicit misericordia: idque fecit, vt diceret: *Quid est quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci?* Turbabatur etiam homo Christus, & commiserabatur super imbecillam naturam nostram, quòd nobilis creatura in talem & tam calamitosam mortis miseriam incidisset: quòd Iudæi increduli mortem corporis alienam deflerent, & non propriam animæ: quòd in multis miraculorum suorum & doctrinæ fructus periturus erat. Per omnia Christus fuit similis fratribus absque peccato. Erant ergò Christi passiones à nostris distinctæ, quemadmodum aqua pura & illimis longè distat ab aquis cœnosis, & lutosis, quia excedunt rationem, si non reprimantur.

Sap. 2. & *Rom.* 5. — Lazari ad vitã reditus quid adumbrauerit — *Ose.* 13. & 1. *Cor.* 15. — Nobis quid conferat Christi resurrectio. — Christi in diabolum fremitus qualis sit. — *Esai.* 5. Christi sui ipsius turbatio quo tenderet. — *Heb.* 4. Passiones in Christo à nostris quid differrent.

Et dixit, Vbi posuistis eum? Rectè hæc verba sunt frementis, & conturbati: non interrogati quasi nesciret vbi conditus esset, vt Agonitæ dicebant hæretici, qui positus longè à Bethania nouerat eius mortem, & quem nemo mortalium quocunque loco conditus sit, latere potest, sed vt malignam Iudæorum suspicionem vitaret, ne quid hac de re fraudulenter, & compositè agere videtur, & vt omnes, qui præsentes erant, eorum quæ in absentia acciderant, certiores fierent, & quia Christus per se mortem non nouit, cuius propter se debitor non erat, sed propter nos illam sponte suscepit Petrus Rauennas: *Cùm dicit, Vbi posuistis eum? mulieres increpat, mulieres arguit: hoc est, Quem ego posui in paradiso, in regione vitæ, ecce vos vbi posuistis eum?* Eodem modo Gregorius refert Seuerianum Gaualensem ita exposuisse hæc verba. Sed profectò sensus est ille mysticus, minimè literalis.

Quare Christus dixerit: Vbi posuistis eũ qui sciebat — Agonitarum hæresis. — Petrus Rau. serm. 64. Gen. 2. — Greg. lib. 8. Regist. epist. 24 sub fin. tom. 2

Dicunt ei, Domine, veni, & vide. Iudæi magna cum veneratione corpora condebant, & condita sepeliebant. Inuitant ergò eum ad monumentum spectandum. ¶ *Et lacrymatus est Iesus.* Fremitus & conturbatio, indicium erat doloris in animum irrumpentis: lacrymæ, iam animi vulnerati, & victi veluti sanguis sunt. Et, vt Cyrillus ait, flebat Lazarum Dominus pro parte Humanitatis, quem resuscitaturus erat per patientiam Diuinitatis. Vt ita in vno & eodem opere infirmitas carnis coniungeretur Diuinæ virtuti, vt neque Diuinitas veritatem Humanitatis adimat, neque Humanitas Diuinæ virtuti deroget. Lacrymæ ergo Iesu pro Lazaro testantur eius insignem amorem, vt Iudæi dixerunt, & plus quodammodò debet Lazarus Christo pro eo quòd fleuit, quod singulare eius beneficium fuit, quàm quod eũ suscitauit, quod illi cum multis commune fuit. Testantur etiam lacrymæ dolorem animi Christi exulcerati, quæ lacrymis sororum impensæ sunt. Vnde Radulphus scribit: *O potentia lacrymarum, quæ ipsum lætitiæ fontem lacrymari fecisti.* Tertiò testantur istæ lacrymę Humanitatem Christi. Hilarius lib. de Trinit. asserit fleuisse non mortem Lazari, quia illa erat pro gloria Dei declaranda: Nec fleuit, inquit, quòd absens fuerat, quia ipse dixit, *Gaudeo propter vos, quia non eram ibi*: sed fleuit ad ostensionem verę Humanitatis. Hęc Hilarius in sensu: qui quidem alibi docet fleuisse Iudæorum infidelitatem, qui tanto edito signo adhuc credituri non erant. Sed præsertim & ad literam deflet apprehendens tum mœrorem, & lacrymas sororum, & Iudæorum flentium vt obiectum contristans quodam humano affectu & pietate, quia dicitur in textu: *Iesus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu, & turbauit seipsum, &c. & lacrymatus est:* vt Chrysostomus & Ambrosius explicant. Fleuit etiam mortem Lazari amici, quoniam vbi dixit: *Vbi posuistis eum?* continuò lacrymatus est, & illi dixerunt: *Ecce quomodo amabat eum*; quos verisimile est Dominum noluisse decipere.

Iudæorum corpora de functorum cura — In Lazari resuscitatione cur Christus illacrymatus sit. Cyril. lib. 7. in Ioan. ca. 20. circ. med. ut & ll. Rauen. — Quantũ Christo Lazarus pro fletu debuerit. — Radulphus — III Ratio. Hila. lib. de Trin. circa fin. Q[uo]d fleuerit Christus in Lazaro. — Idem in Ps. 68. — Chrysost. Ambros. lib. de Pœnit.

Et ita Dominus mortem Lazari, & lacrymas sororum proposuit sibi, non vt erant à Deo, & pro gloria Dei, & quòd statim excitandus esset Lazarus, & consolandæ sorores, quia sic gaudij potius fuissent obiectum; sed vt obiectus contristans mœrorem & luctum generans. Ita etiam in passione, cùm non ignoraret instare sibi mortem, atque illam esse pro maxima Dei gloria, & mundi salute, & quod statim ab illa cum tanta gloria esset excitandus, mœruit tamen, & contristatus cœpit pauere, & tædere, concipiens illam vt obiectum maximè contristans, & vt omnium est terribilium terribilissimum. Et vt pulchrè considerauit Petrus Rauennas: *Ipse qui dixerat Lazarus mortuus est, & gaudeo: de quo gaudet mortuo, ipsum cùm resuscitat, tunc lamentatur: qui cùm amittit, non flet: cùm recipit, tunc deplorat; tunc fundit mortales lacrymas, vita spiritum cùm refundit. Hinc est quòd Christus non dolore mortis, sed illius lætitiæ recordatione lacrymauit: qui voce sua, voce vna, omnes est mortuos perpetuam suscitaturus ad vitam. Fremit spiritu, & tota se viscerum commotione conturbat, quia adhuc solum Lazarum, & non iam omnes mortuos suscitabat.* Hæc ille. Docet nos his lacrymis flendum esse cum flétibus, & mortem amicorum licèt deplangi posse: nec esse contra perfectionem obnoxium esse passionibus. Et quàm deploranda sit mors animæ, quæ causa fuit mortis corporalis.

Dixerunt ergo Iudæi, Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipsis, &c. Ferenda sunt falsa, & diuersa hominum iudicia de nostris operibus: nam quiuis Abel habet suũ Cain. Hinc lacrymas Christi quidam tribuunt amori, quidam impotentiæ, dicentes: *Non poterat hic qui aperuit oculos cæci nati, facere vt hic non moreretur?* Quia si noluit à morte seruare, cur nunc lacrymis testatur intempestiuum amorem: Si autem voluit, quomodo non potuit, qui præstitit quod maius erat? Ægrotantem enim plerunque Medicus in vita retinet; at cæco nato nullus vnquam aperuit oculos.

Iesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum. Alij dum fremunt, extra se fiunt; Christus verò quia iudicio rationis fremit, in se ipso. Et quod superiùs dicitur, infremuit spiritu: intellige, scilicet suo, vel Spiritu sancto, qui Patris est. De quo Nonnus Paraphrastes Euangelicus exponit Πατρῴῳ πνεύματι ἀλαλήμενος, id est, paterno spiritu commotus. Et dicendo, *Iesus ergo*, indicat illud ergo, occasione eorum, qui de sua potestate disputabant, iterum infremuisse: sicut prius lacrymis Mariæ commotus infremuerat. Nisi fortè hoc fecit propter sepulchri, cui iam appropinquare cœperat, vicinitatem, ob quam se ipsum rursus ad miraculum patrandum accendebat.

Chrysostomus & eius sectatores Theophylactus, & Euthymius, vt diximus, aliam indicant huius loci intelligentiam. Pro eo enim, quod nos habemus, *Infremuit spiritu*, ipsi intelligunt, increpauit, vel cohibuit, vel arguit spiritum. Et per spiritum afflictionem intelligunt, eo quòd affectionem huiusmodi humanæ conturbationis per virtutem diuinitatis moderatus est, ne nimium excresceret, ne cum eiulatu vocem emitteret; quod indecorum & turpe esset tam magno & graui Magistro. Sed mihi prior intellectus præstare videtur. Fremit Dominus secundò, turbatur, & illacrymatur: quæ si non monstrasset, non facilè credidissent eum hominem post tantum miraculum.

Erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei. Duræ mortis ianua durior, durissimo lapide claudebatur. Spelunca planè, vbi hominem diaboli latrociniũ collocauit. Spelunca, vbi virum fraus condidit mulieris. Spelunca, vbi Dei plasma mortis rapacitas includebat. Ita philosophatur hoc loco Chrysologus, sed mysticè. ¶ *Ait Iesus, Tollite lapidem.* Debile videtur esse hoc initium miraculi: si enim suscitaturus erat mortuum, poterat eodem verbi potentia remouere lapidem ab ostio monumenti, & illo non ablato, per intermedium lapidem viuum educere, vt de se fecit. Sed hoc magna sapientia factum est. Primò, vt quot præsentes essent viso mortuo, certiores miraculi testes fierent, ac ne quis, ibi Lazarum viuum positum fuisse, posset calumniari. Deinde vt doceat nos sub contrarijs rebus bene fidere. Quòd enim lapidem tollere iubet, impotentiam quandam videtur arguere. Sed illa impotentia erupit in potentissimam virtutem. Tertiò, solet Dominus admittere alios ad sibi cooperãdum in his quæ possunt: in his autem quæ alij præstare nequeunt, ipse solus operatur. Iam in hoc signo, ablatio lapidis per alios fieri poterat, quemadmodum solutio ligaminum, & fasciarum, quæ per Apostolos facta est; ipse verò solus sua potenti virtute à mortuis excitauit. Postremo voluit & alia ratione lapidem tolli, quia Lazarus suscitandus erat ad vitam mortalem, & corpus eius non erat dotibus gloriosis honestandum, vt posset lapidem penetrare, sed corpus eius suscitatum est mortale & corruptibile, & quod post paucos an-

Margin notes (left): [..]ua ratione [D]omin' mortem Lazari, & lachrymas sororum non fle[..]uerit, sed & [pro]pter passionẽ mortem. — [M]atth. 26. — [P]etrus Rau. [se]r. 64. — [Io]an. 5 & 6. — [I]esu lacrymæ [p]ro Lazaro [q]uid doceant [n]os — [R]om. 12. [c]ap. 1. — [H]umanorum [d]e nostris o[p]eribus vanitas iudiciorũ. — [I]oan. 9. — Aliter homines fremunt, aliter Christus. — Nonnus Paraph. — Cur infremuerit iterũ Iesus, & quomodo.

Margin notes (right): Alter sensus. Chrys. ho. 26. in Ioan. Theophylact. Euthy. ibid. — Quid quod Lazari mortui speluncæ lapis erat superpositus. — Pet. Chrys. ser. 65. initio — Matth. vlt. Cùm per se lapidẽ sua Christus virtute tollere posset ab alijs tolli cur voluit? — II. Ratio. — III. Ratio. — IV. Ratio.

nos erat iterum à morte deuorandum. Ideò aperto ſepulchro ſuſcitatus eſt Lazarus. Chriſtus verò, in quem mors vltra dominari non debebat, clauſo monumento ſuſcitatus eſt, poſitis ibi linteaminibus, quibus ſuſcitatus non indiget. Vnde Helias in typum ſuſcitandorum raptus igneo curru, reliquit pallium. Lazarus verò cum linteaminibus ſurrexit, quòd ſuſcitatus ſit ad vitam mortalem. Et vt tollendus eſt lapis ad ſuſcitationem, ita lapis obſtinationis à peccatore, vt poſſit audire verbum Dei.

Rom 6.

4 Reg. 2. Heliæ raptus in igneo curru relicto pallio, quid denotet

Dicit ei Martha, &c. Domine, iam fœtet, quatriduanus eſt enim. Timebat ne Chriſtus & circunſtantes fœtore cadaueris offenderentur: ſed obiurgatiuncula à Chriſto reprimitur. Sed hoc nonnihil etiam ad miraculi commendationem facit, vt conſtaret omnibus quatriduanum eſſe, & iam fœtentem. Et vide modeſtiam Ieſu: non enim inquit: Nonne dixi tibi, quoniam ſi credideris, videbis gloriam meam, ſed gloriam Dei? Si ergo credideris, videbis gloriam Dei. Quaſi dicat; Non oportet fidelem oculos in hæc terrena figere, & rationes audire carnis ſemper Deo rebellantis (nempe computreſcere cœperat cadauer, terrum ſpirabat fœtorem, quatriduanus erat) ſed verbum Dei, & promiſſiones eius repetere, illiſque firmiter inniti. Dixerat autem Ieſus à principio: *Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei.* Origenes in Ioannem: *Niſi Marthæ incredulitas ſecuta eſſet, cùm ei Ieſus dixit, Nonne dixi tibi, quoniam ſi credideris, videbis gloriam Dei? ij qui audierant cùm Dominus diceret, Tollite lapidem, lapidem non abſtuliſſent. Nunc verò inter hoc, Tollite lapidem. & illud, Tulerunt ergo lapidem, ea quæ à ſorore eius qui exceſſerat è vita, commemorata ſunt, obſtiterunt quo minùs lapis ablatus fuerit.* Sic ille peracutè.

Lazarus quare cum linteaminibus ſurrexerit.

Ieſu modeſtia

Orig. tom. 28. in Ioan.

Ieſus autem eleuatis ſurſum oculis. Cùm omnium animi, & oculi ad rei nouitatem eſſent ſuſpenſi, Dominus quoque in cœlũ oculos ſuſtulit, & cum Deo collocutus eſt, vt ipſo corporis geſtu teſtaretur hæc ſe Diuina virtute facere, ne qua magiæ, aut præſtigij ſuſpicio apud aliquem reſideret; & vt doceat nos, omnia opera quæ magnificè agimus, ad Deum, bonorum omnium autorem referre. Et vt ritè quis Deum oret, aut gratias illi agat, cum ipſo oportet coniunctum eſſe: quod fieri nequit, niſi ſupra terram ſublatus, cœlos ipſos cõſcendat. Neque qui in cœlum attollit oculos, Deum illic ſua cogitatione includere debet, qui vbique diffuſus cœlum & terram implet. Sed quia nũquam ſe expedire poſſunt hominum mentes à craſſis cogitationibus, & figmentis, quin humile aliquid & terrenum de Deo ſentiant, niſi cùm ſupra mundum erectæ ſunt, illuc nos reuocat Scriptura: *Cœlum,* inquit, *ſedes mea;* &, *Pater noſter, qui es in cœlis.* Hæc erectio oculorum non eſt perpetua cæremonia, ſine qua non cõſtet oratio legitima: nã & Publicanus nõ audebat oculos leuare in cœlum, & iuſtificatus eſt: & Phariſæus illos eleuans depreſſus eſt. Sed certè Chriſtus illos ad cœlum tollens, ſingulari vehementia illuc raptus fuit ad eruditionem noſtram.

Quibus de cauſis Chriſtus Patri gratias acturus, in cœlum oculos eleuauit.

Rectè vt quis Deum oret, quid præſtare debet.

Ierem. 23.

Eſai 66.
Matt. 6.

Luc. 18.

Dixit, Pater, gratias ago tibi, quoniam audiſti me. Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis: ſed propter populum qui circunſtat, dixi, vt credant quia tu me miſiſti. Chriſtus quatenus Deus erat, nec orat, nec exauditur, quia æqualis, & eiuſdem potentiæ, & voluntatis cum Patre ſemper eſt: quatenus autem homo eſt, in propria perſona ſemper exauditur, quia humilis pro ſua reuerentia dignus eſt qui exaudiatur, deſiderans, & cum clamore valido deſiderium exprimens. Certiſſima etiam fiducia ad Deum accedens, petens quæ ſalutaria ſunt, tùm pro ſe: *Pater,* inquit, *clarifica filium tuum;* tùm pro nobis, pro quibus orabat Patrem, vt ſimus vnum cum illis, ſicut & illi inter ſe vnum ſunt. Perſeueranter etiam orabat, qui pernoctabat in oratione, & qui ſemper venit ad interpellandum pro nobis, vt ait Apoſtolus. Eſt etiam ſummè gratioſus coram Deo, & quia non tantùm verbo orabat, ſed omnis eius actio & paſſio oratio quædam erat: nec hoc ſolum, ſed omnis actio, vel paſſio, vel deprecatio exaudita, vel exaudienda, remunerata, vel remuneranda, Chriſti eſt, ſed in membris corporis ſui, id eſt, virtute gratiæ gratis datæ in peccatore, vel charitatis in iuſto facta: quia Chriſtus non ſolùm in ſe eſt omnia, ſed in omnibus membris ſuis. Hic autem, vt Bernardus ponderat ſer. de quatuor modis orandi, priuſquam oret, gratias egit, vt certus de reſurrectione. Non enim pro edendo ſigno Chriſtus propriè orauit, ne videretur non habere in ſua poteſtate ſignum, aut necdum ſatis certus eſſet de Dei voluntate: ſed antequam perficiat miraculum, gratias agit, quod alij facturi erãt poſt editum ſignum. Ipſa autem gratiarum actione & certum ſe fuiſſe declarat de rei euentu, etiam priuſquam miraculum patraret, & Diuina ſe illud virtute facturum indicauit. Ita in multiplicatione panum, & in Sacramenti Euchariſtici perfectione oculos in cœlum erexit; & propriè quidem nõ rogauit, ſed vt certus de ſignis gratias egiſſe

Chriſtus quatenus Deus orauit, & exauditus eſt.

Heb 5.
Dei oratio qualis eſt.
Ioan. 12.
Ibidem.

Luc. 6.

Hebr. 7.
Quare ſemper exauditus à Patre.

In quibus etiã (non tantùm in ſe) ſit omnia Chriſtus, teſte Bernardo.
1. Cor 15.
Bernard
Quare Chriſtus priuſquã oret, agat gratias Patri.

Matth. 14.
Infra 15.
Infra 26.

legitur. Dixi, Dominum non rogasse modò, nec tunc in dictis miraculis peragẽdis, sed tantùm gratias peregisse, nisi quatenus gratiarũ actio pars orationis ponitur, quæ tacita quædam oratio est, tamen re ipsa distincta est oratio à gratiarum actione. Et licèt superius dicenti Matthæ: *Sed & nunc scio, quia quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.* Dominus dixit: *Ego sum resurrectio, & vita*, & mihi non est opus precibus ad signum obtinendum: tamen modò non rogauit, vel precatus est Patrem, sed tantùm gratias egit. Et si daremus preces fudisse; ita tamen orat, vt simul dicat id sibi non esse necessarium propter se, sed tantùm propter populum, vt ab eo cognosci possit tanquam à Patre Deo missus. Pulchrè autem ponderat hoc verbum Ambrosius libro de Spiritu sancto: *Pater gratias tibi ago, quia audisti me. Quomodo audiuit Pater Filium, cùm Filius nihil ad Patrem in superioribus de Lazaro sit locutus? Ac ne putares, quia semel à Patre auditus est Filius*; addidit: *Et ego sciebam quià semper me audis. Ergo non subiectæ obedientiæ, sed vnitatis auditus est sempiterna.* Hæc ille. Et vt notant Chrysostomus & Theophylactus, Christus non indigebat oratione ad edenda miracula, quia & aliàs absque forma orandi miracula fecit, voce potiùs præcipientis, vel imperantis, quàm deprecantis: vt cùm imperauit ventis, & mari, & leproso dixit: *Volo, mundare*, & filio viduæ mortuo: *Adolescens, tibi dico, surge*: & dæmonio, *Obmutesce, & exi ab eo*: videlicet quoniam in se Diuinam habebat virtutem, per quam cùm vellet, æquè ac Pater, cui erat consubstantialis, & virtute coæqualis, miracula facere poterat. Ideò in hoc tam grandi miraculo precationis formam non præmittit. Et voce vtitur imperatiua, *Lazare, veni foras*, non deprecatoria, vt dicat, Pater resuscita Lazarum. Voluit nihilominus gratias agere Patri, vt monstraret suam erga Patrem grati animi significationem, & agnoscerent circumstantes, quòd omnia haberet à Patre. Et ne ex eo quòd gratias ageret pro sua exauditione in hac resuscitatione, videretur hoc ei nouum, & temporarium esse, subiecit: *Ego autem sciebam quia semper me audis.* Nihil enim pro Lazaro suscitando orauerat, sed ostendit, vnam & eandem sibi esse voluntatem cum Patre, vt quicquid ipse velit, & Pater velit per Filium fieri. Et explicans rationem, quare sic gratias egerit, subdit: *Sed propter populum qui circunstat, dixi, vt credant quia tu me misisti*, id est, agnoscant me à te profectum fuisse in mundum, & tuo nomine legationem obire, & verbis meis credentes, salutem consequantur. His à se dictis, vt ab homine, mox autoritatem, & potestatem suam ostendit, dicendo: *Hæc cùm dixisset, voce magna clamauit, Lazare, veni foras.* Clamauit voce magna respondenti magnitudini operis; & ne quid incantationum magicarum suspicentur, & vt intelligãt quòd solo imperio verbi sui, quo mundum condidit, mortuum excitat, & quia animam absentem vocat, non corpus præsens: & ita errorem eorum confutare, qui credunt animas mortuorum circa sepulchra versari. Denique voci suæ dedit vocem virtutis, & vt hæc vox typus esset illius vocis, & turbæ magnæ quæ sonabit in communi resurrectione. Cogita ergò quomodo de sepulchro exilient mortui ad rugitum, vel fremitum Leonis immortaliter regnantis, si ita nunc exiliuit Lazarus ad balatum agni lanionum manibus vltro appropinquantis. Magna ergò voce vsus est, vt à profundo somno excitaret, quem vt dormientem à somno excitare venerat. Magna quoque voce pro magno affectu, magno mysterio, magna fide excipiendo.

Lazare, veni foras. Lazarum nominauit, teste Augustino, ne omnes exirent: sicut qui communi voce inclamant, Famuli adestote, omnes adsunt; si verò quis nominatim dicat, Petre ades, ille solus aduenit. Et anima quidem foras prodijt ex inferno, & iterum vnita cum corpore, Lazarus integer prodijt extra sepulchrum. Quidam interrogant, quò direxerit vocem suam Dominus, num ad corpus? sed illud auditus non erat capax: num ad animam? sed illa cùm in inferno ageret, ad illam vox peruenire non poterat, nisi miraculo esset per Angelum, aut virtute Diuina eò perlata. Quidam igitur meditantur, quòd vt instrumentum manu notarij subscriptum, si fortè contingat perdi, & magni nostra referat illud habere, confugimus ad notarium, qui exemplar fidele in protocollo, quod vocant suo, seruant, vt ab eo iterum formam instrumenti accipiamus: ad hunc modum cùm animarum & corporum ideę in Deo fideliter asseruentur, secundùm illud: *Quod factum est, in ipso vita erat, & vita erat lux hominum, &c.* Cùm perierit Lazarus per mortem, ad Diuinitatem Patris sui, quę sibi etiam communis erat Christus homo accurrit, vt ab eo, tãquam à fidissimo ideatum fonte, coniunctionem animæ cum corpore Lazari impetraret.

Et statim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes institis, & facies illius sudario erat ligata. Prompta fuit obedientia, & cita

Oratio & gratiarum actio es inter se sunt distinctę.

Si nunc Patri gratias agẽdo Christus orauit, ad quid orauit.

Christus Patrẽ quando est allocutus, vt ab eo mereretur audiri, secundùm Ambrosium.

Ambros. li. 2. de Spiritu S. c. 12. paulò ante med.

Io. 2.

Chrys. ho. 26. in Ioan.

Theophyl.

Quæ signa Christus perfecit sine precatione prævia ad Patrem, & ad quid.

Matth. 8. & 14.

Supra 8.

Luc. 7.

Supra 4.

Christus Patri consubstantialis vnde ab eo cur missus in mundum.

Quas ob causas Dominus voce magna clamauit in suscitatione Lazari.

Psal. 67.

Ioan. 5. & 1. Cor. 15. & 1. Thess. 4.

Christi iudicis potentia.

Cur Lazarum appellauerit nomine proprio.

Aug. ser. 52. de ver. Dom. in fin. tom. 10.

Quo nam direxerit vocem suam Dominus, cũ inquit *Lazare, veni foras.*

Egregia similitudo quorũdam.

Ioan. 1.

Lazarus cur statim prodierit è monumẽto vocatus.

illi, de quo scribitur: *Ipse dixit, & facta sunt*; ne, si tardaret, vt Petrus Rauennas ait, omnes mortuos redderet. Et vt Basil. serm. de gratiarum actione notauit, ligatus quoque ambulabat. *Admirare*, inquit, *miraculum in miraculo, maius enim hoc fuit, quàm si solutus vinculis, & patentibus oculis prodijsset*. Ad hæc prodijt ligatus fascijs, ob euidentiam signi, ne, si solutus prodijsset, quemadmodum de cæco dixerant, & nunc dicerent alium esse qui prodijt, ab eo qui sepultus erat. Vox Instita, significat fascias sepulchrales hoc loco, quæ Græcè dicuntur κειρίαι, Latinè verò propriè significat fasciolam tenuem, qua tantum honestæ matronæ vtebantur, & stolæ imam partem ambiebant, de qua Ouidius:

Este procul vittæ tenues, insigne pudoris:
Quæq; tegit medios instita longa pedes.

Stola autem apud Latinos honestę matronæ vestis, & vsque ad imos pedes demissa erat, de qua dixit Cicero in Philippicis: *Induisti virilem togam, quam statim muliebrem stolam reddidisti*. Et notam, institam, & sudariū esse illa, quæ de hoc mundo, in quem nihil intulimus, egredientes portare solemus, vt homines non tantopere inhient accumulandis opibus, aut multiplicandis vestibus: quia, velint nolint, omnia in morte relinquunt: *Cùm interierit*, inquit, *nō sumet omnia, neq; descendet cum eo gloria eius*.

Soluite eum, & sinite abire. Voluit illum solui ab alijs, vt tactu ipso cognoscerent non esse phantasticum corpus, sed veram carnem humanam, & probarent miraculi veritatem, & omnis fuci suspicio excluderetur. Et quia solutio non erat opus super naturam; ideò his, qui præsentes aderant illam permisit. Vt intelligamus ibi tantum præstolandam Diuinam potentiam, vbi humana defuerit industria: ita nos seminamus in terra, ipse verò occultè seminibus dat incrementū, quod nos non possumus. Soluite ergo eum his vinculis, quæ vos circundedistis: à morte enim soluere eum nō poteratis, vt quam non vos in eum intulistis, sed sententia Dei in Adam. Dixit etiā: *Sinite abire*, vt motus, & alacer incessus proderet se verè suscitatum, & non solùm viuere, sed etiam valere. Quemadmodum postea discumbendo in mensa Christi, & comedendo simul idem confirmauit.

Multi ergo ex Iudæis, qui venerant ad Mariam & Martham: & viderant quæ fecit Iesus; crediderunt in eum, &c. Ecce fructum suscitationis. Nam qui benè dispositi erant, viso tanto signo crediderunt in eum tanquam in verum Messiam, quare & in anima suscitati sunt. Alij verò tanquam opus præstigiatoris calumniantes abierunt ad Pharisæos, vt eis annuntiarent editum signum: ex quo ansam acceperunt deliberandi de danda morte autori vitæ, & mortuorum suscitatori. Vt vel hanc agnoscas fidē Dei donum & verè Abraham dixisse: *Neq; si quis ex mortuis resurrexerit, credet*. Falsum autē videtur, quod illi ijdem qui crediderūt in eum, venerunt ad Pharisæos, etiamsi Origenes in Ioānem id dixerit. Hactenus de litera philosophati sumus.

Iam mysterium explicandum est. Nam in hac corporea Lazari suscitatione, iuxta spiritum repræsentata est spiritualis animæ resurrectio à peccato, & potissimùm alicuius magni, & insignis peccatoris, propter scelerum magnitudinem, & multitudinem iam deplorati. Languens ergò Lazarus peccator est, calescēs amore immoderato sui ipsius, & creaturarum, refrigescens autem in amore Dei, & bonorum spiritualium: *Quoniam*, inquit, *abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum*. Cogita autem, quam latè pateat hic languor per totū corpus Ecclesiæ: *Omne caput*, ait Propheta, *languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas*. Erat autem Lazarus à Bethania. In quo notatur discessus ab obedientia præceptorum Dei, atque inde omnis morbus proficiscitur. Erat autem frater Mariæ, & Marthæ, id est, iustorum, qui vel agunt, vel contemplantur, vel vitā colunt actiuā vel contemplatiuam. Erat ergo frater horum, & circa naturam, & circa fidem, quæ est castellum fortissimum: *Hæc est*, inquit Ioannes, *victoria quæ vincit mundum, fides nostra*. Habebant autem ditionem castelli Maria & Martha. In quibus significantur qui fidem habent per dilectionem operantem. Et benè dicitur Lazarus, id est, adiutorium Dei: quia nisi Dei gratia adiuuentur, vel patrocinium iustorū habeant, à morte peccati non resurgunt. Secundò, Lazarus mortuus, & quatriduanus erat in sepulchro: quia peccator his gradibus ad quatriduū istud peruenit. Primo enim obiecta esca per suggestionem dæmonis oblectatur; ita enim dicitur de muliere: *Vidit quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile*. Deinde operi nefario quod suggeritur, cōsensum præbet: vnde beatus dicitur, qui non abijt in consilio impiorum, eorum consilio acquiescens, vt ille, de quo dixit in alio loco: *Si videbas furem, currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas*. Tertiò, non solùm consentit, sed etiam opere exequitur quod suggestum est: vt mulier, quæ à dæmone seducta, tulit & comedit

de li-

Marginalia (left): *Psal. 148.* — *Petrus Chrysologus serm. 64.* — *Basil. hom. 4. de gratiarū actione circa med.* — Lazarus quare cum fascijs resurrexerit. *Ioan. 9.* — Institæ quid hoc loco: quid verò propriè. — *Ouid. lib. de arte, initio.* — Stola Latinis quid. *Cic. 2. Philip.* — *1. Tim 6.* — Instita, & sudarium quid mysticè. — *Psal. 48.* — Quare Christus ligatum Lazarum solui iusserit. — Vbi tantū Diuina sperandasit virtus, ac potentia. — *1. Cor. 3.* *Gen. 3.* — Quare Dominus etiam dixerit: *Sinite abire. Ioan. 12.* — Testes suscitationis Lazari qui crediderint in Iesum tantummodo.

Marginalia (right): Fides donum Dei. *Luc 16.* — *Orig. to. 29. in Ioan.* — Lazari [illegible] eiusdemq. per Christum suscitati mysterium exponitur. — *Matth. 24.* — *Esai. 1.* — Bethania quid sonet. — Omnis morbi causa vnde sit. — *1. Ioan. 4.* — Maria, & Martha quorum typus. — Lazarus quid sonet. — Quibus gradibus peccator [illegible] quatriduanus peccator perueniat. — *Gen 3.* — *Psalm 1.* Beatus qui, teste Propheta. *Psal. 49.* — *Gen 3.*

Psal. 1. de ligno vitæ. Hinc etiam beatus est, qui in via peccatorum non stetit, opere præstando facinora. Quarto, postquam semel *Ibidem.* quis exuit pudorem, & peccare cœpit, consuetudinem contrahit in vitio, & hic est, qui in cathedra pestilentiæ sedet, & vt Lazarus iam fœtet per malum nomen, & obscurum exemplum. Tertio, habet super se saxum superpositum, id est, delictum indurationis, siue obstinationis, de quo dicitur: *Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram, in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.* Atque ita Lazarus vndique clausus erat, superne & infetne, à dextris & à sinistris: quia peccatorem talem nec inferni terror, neque vitæ æternæ in cœlo promissio, neque beneficia, neque flagella molliunt, vt relicta via iniquitatis, ad iustitiam, & pietatem redeat. Quarto, habebat manus, & pedes ligatos institis, vt esset velut in inferno quodam, de quo dicitur: *Ligatis manibus, & pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores.* Iniquitates enim suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur, ita vt non possit amare, vel operari bonum: non secus atque ille qui ligatas habet manus, & pedes, neque ambulare, nec operari potest. De hac impotentia peccatorum dicitur: *Propterea non poterant credere:* & Propheta ad populum Israel: *Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* Quinto, habebat sudarium in facie: quia peccator nec cognoscit se ipsum, nec Deum, nec videt ligamina vitiorum, quibus premitur, nec saxum duri cordis, non audit etiam verbum Dei, nec vitæ suæ fœtorem sentit. Ecce tibi descripsimus mortem peccati pessimam in Lazaro.

In cathedra pestilentiæ quis sedeat.

Rom. 2.

Peccatorum durities quanta sit.

Matt. 22.

Prou. 5.

Eius impotentia.

Ioan. 12.

Ierem. 13.

Eiusdem cæcitas, ignorantia.

Iam ergo vt hic sanari valeat, & ad vitam spiritus reuocari, & per consequens puella mortua domi, id est, peccator corde tantum delinquens, & iuuenis delatus ad sepulchrum, id est, per opera externa foris peccans: primo oportet vt amentur à Christo, qui Lazarum diligebat: & de hoc dubium non est. Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, & in mundum mitteret. Et per Prophetam: *Viuo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat.* Rursus Deus omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

Peccator vt à Christo sanetur, quid opus sit.

Matth. 9.

Luc. 7.

Ioan. 3.

Ezech. 33. & Supra 18.

1 Tim. 2. & 2. Pet. 3.

II. Conditio.

Secundo, opus est quod Christus oret ad Patrem, & offerat preces ipsius peccatoris, vel aliorum iustorum pro eo efficaces voces apud Patrem. Amor ergo Dei trahit Mattham, & Mariam, id est, iustos, siue orationi, siue actioni vacantes, ad orandum, & ad mittendum illi precationis nuntium, dicentes: *Domine, ecce, quem amas, infirmatur*, quasi dicat, ille, pro quo tu de cœlo in terram venisti, infirmatur ad mortem, seu mortuus est, & amor tuus trahit nos ad precandum pro eo: quemadmodum pater volens filio parcere, vel benefacere oculis suis alijs innuit vt orent pro eo, sed etsi orent, quandoq; differt exaudire, vt descendens in Babylonē facilius curetur: quēadmodum filius prodigus nonnisi postquā missus est in villam, & pauit porcos, ad se reuersus est. Quod ad maiorem Dei gloriam, & peccatoris beneficium spectat. Et in oratione occurrit Martha: quia actiua prior est. Sed Maria se se prostrat: quia magis cognoscit. Et venit Christus ad suscitandos istos cum periculo lapidationis, ne forte detur illi cor durum resistens suæ iustificationi. Tertio, opus est reuoluere lapidem, in memoriam reducendo loca, tempora, negotia, & personas, quibus memoriæ occurrant omnia peccata ab vltima confessione perpetrata, iuxta illud sancti Regis Ezechiæ: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Et nisi lapis obdurationis tollatur, audire verbum Dei minime possumus. Quarto, opus est videre mortuum, & sentire fœtorem, id est, confundi, & conteri de peccatis, de quibus Apostolus: *Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? nam finis illorum mors est.* Rursus. *Confundimini & erubescite super vijs vestris, domus Israel.* Et illa omnia in memoriam reducenda sunt, quæ possunt iuuare ad grauitatem peccati sentiēdam. Quinto, necesse est Iesum fremere, turbari, & flere, dum Iesus in nobis operatur fremitum in peccata nostra, atque adeo in dæmonem peccatorum omnium nostrorum autorem: & turbari per compunctionem cordis, & flere, iuxta illud: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu:* & rursus fremere in reliquias peccati. Sexto, opus est voce magna confessionis, & dicente, Lazare, veni foras. Hęc est. n. confessio, per quam homo egreditur è latronum spelunca, labyrinthumque, & tenebrosam domum deserit conscientiæ. Requiritur ergo distincta, & clara peccatorum enumeratio, & magna vox, quia longe est à Deo peccator, & surdus ad verbū Dei, & altum dormit, & horum aures alijs magis delectantur, iuxta illud: *A veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Habet etiam peccator faciem à Deo auersam, iuxta illud: *Verterunt*

Luc. 15.

III. Conditio.

Esai 38.

Auditum verbi Dei quid impediat.

IV. Conditio.

Rom. 6.

Ezech. 30.

V. Conditio.

Ioel. 2.

VI. Conditio.

Quantum bonum sit peccati confessio.

2. Tim. 4.

Ierem. 2.

ad me tergum, & non faciem. Est etiam occupatus in alijs negotijs, vt propterea nonnisi magna voce admoneri sui officij possit.

VII. Conditio. Septimò, quia peccator prodire solet per confessionem ligatis manibus & pedibus, & facie velata, quia difficulter bene operatur, & ad malum fugiendum tardus est, & non ita initio videt, quẽadmodum egressi è magnis tenebris ad magnam lucem. Ideo opus est ministris soluentibus, id est, pretiosa sacerdotum absolutione, de quibus: *Quacunque solueritis super terram, erunt soluta, & in cœlo.* (Matth. 18.) Non est ergo quis plene solutus, nisi soluatur per ministros Ecclesiæ: qui non debent facile absoluere, nisi constet eos egressos de spelunca, & de lapide reuoluto: cõsulendo, vt prius restituant aliena, quæ retinent: & prius parcant inimicis suis, si quid forte offenderunt: & prius relinquant concubinam, & fraudulenta pondera, & mensuras falsas confringant: & libros hæreticos, si quos habent, comburant. (Sacerdotes pœnitentes absoluere quatenus debeãt. Matth. 5.)

VIII. Cõditio. Octauo opus est satisfactione, de qua ait: *Sinite abire,* nempe per opera orationis, ieiunij, eleemosynæ satisfactoria, & per nouitatem vitæ à sepulchro recedendo, de qua est illud: *Si viuimus spiritu, spiritu & ambulemus.* (Gal. 6.) Ad hunc modum Lazarus, id est, peccator, adiutᵘ à Deo suscitatur, qui postea fit conuiua Christi in cœna Eucharistiæ, de qua: *Lazarus vnus erat ex discumbentibus cum Iesu.* (Ioann. 12.) Atque hoc signum securum est, vt multi crediderint in eum: quia vbi grandis peccãtor fuerit conuersus, alij conuertuntur, & dant gloriam Deo, & confidunt, dicentes: Si Deus huic fecit misericordiam, cur non ego quoque eandem sperem? Apostolo dicente: Sed ideo misericordiam consecutus sum, vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam, & Dauid: *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.* Et hactenus dictum sit de ratione instituendi mores. (Fructus conuersionis peccatoris. 1. Tim. 1. Psal. 50.)

Iam aliquid ad allegoriam spectans dicẽdum breuiter. Lazarus infirmus, & mortuus in Bethania, Iudæus est fidem amittẽs in Iudæa, & fidem non prestans Messiæ ad se primum misso. Martha Patriarchas significat, Maria Prophetas, post duos dies venit Messias, id est, post plenitudinem Gentiũ, secundo adueniens, adeo vt discipuli lapides, id est, duritiem, & obstinationem metuant. Habet quatuor dies in monumento: quia plane Iudæi salus deplorata est, dum velamen habet in facie, ne fulgeat illi lumen Euangelicum. Sed fremit Christus bis, & conturbatur, & ad lacrymas excitatur: primo quidem ratione iustitiæ, deinde etiam ratione misericordiæ. Inuenitur Lazarus in spelunca latronum: nam si recte consideres, Iudæus hodie viuit nonnisi ex furtis, & rapinis. Tollitur lapis obstinationis suæ per prædicationem, dum impletur in illis quod per Prophetam dixerat: *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum.* (Ezech. 36.) Fascia vero ligans, sed non suscitans, & velamen in facie, lex Moysi est, cui hæret Iudæus. Sed præcipit Dominus, Soluite, declarando Iudęum ad legẽ Moysi amplius non obligari: quia finis legis, est Christus, ad iustitiam omni credenti. (Rom. 10.) Postremo ait: *Sinite abire:* quia in Christo non est quiescendum, sed in nouitate vitæ ambulandum, vt cum Propheta dicamus: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* (Rom. 6. Psal. 121.) A qua Dei domo exulat languor, mors, fœtor, velamen, & vincula: in qua electi Dei in perpetuum viuent, & erunt sicut odor Balsami ante Dominum, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent, & Deum facie ad faciem contemplabuntur in æternum, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre & Spiritu S. sit gloria sempiterna, honor, & imperium in secula seculorum, Amen. (Languens Lazarus iuxta allegoriam qui sit. 2. Cor. 3. Quã longe absit à domo Dei. Sap. 3. Supr. 3. 1. Cor. 13. & 1. Ioan. 3.)

TRACTAT. XLV.

De signo cæci sanati à Domino, antequam ingrederetur Iericho: de quo Luc. 18.

POsset merito iudicari hic cæcus, cuius meminit Lucas, esse vnus & idem cum eo quem Marcus etiam prope Iericho sanatum memorat, proprium eius nomen exprimens, nomen enim ciuitatis, & facti omnimoda similitudo suadent credere vnum esse, & idem miraculum. (Hoc miraculũ cæci sanati à Luca descriptum, an idem sit cum eo, quod cap. 10. Marcus commemorat. Marc. 10.) Sed quia Lucas suum miraculum scribit à Domino factum appropinquante ipso in ciuitatem Iericho, hoc est, prope ingressum eius, Marcus vero suum, cum egressus esset à Iericho, dicendum potius duo esse diuersa miracula, & duram esse interpretationem. Cum appropinquaret Iericho, id est, cum egressus de ciuitate Iericho, vel non longe ab illa abesset in egressu: quia statim post illud miraculum subdit Lucas: *Et ingressus perambulabat Iericho:* ita vt glossam illam Luc. ipse tollere videatur. (Altera opinio vero propinquior. Ioan. 19.) Ideo Aug. li. de cõsens. Euang. & in li. qu. Euag. vult omnino intelligi miraculũ illud à Luca descriptũ, diuersum esse ab eo quod describit Marc. etiamsi in (Aug. lib. 2. de consen. Euāg. & li. 2. quæst. Euang. c. 84. tom. 4.)

multis hæc miracula similia videantur. Nisi forte dicamus, vt nōnulli sentiunt, hunc cæcum in egressu in Iericho apparuisse, & signum à Domino postulasse, & secutum eum fuisse: atque hac ratione posset esse vnus & idem cæcus iste cum Bartimæo, quem describit Marcus. Addendum etiam esset, Lucam per anticipationem hoc miraculum commemorasse, & sic narrasse illud, quasi ante ingressum contigerit, cum reuera post egressum acciderit. Sed de hoc cogitent prudentes lectores, quantum sic textui, & rationi consonum. Iam vero vt ad literam huius Euangelij explicandam accedamus, præmittendum est, Dominum paulo ante seorsum discipulis assumptis, prædixisse illis qua ratione esset tradendus Gentilibus illudendus, flagellandus, & tandem occidendus, & tertia die à morte suscitandus. Cumque illi nihil horum intelligerent, essetque verbum hoc ab eis absconditum: Dominus obuius factus huic cæco, sanauit eum, vt facto & signo edito intelligerent, & fide firma susciperent, quod verbis tantum propositum apprehendere non potuerunt: vt quemadmodū cæcus illuminatus est corpore, ita illi à cæcitate mentis sanarentur.

Factum est autem, cum appropinquaret Iericho, cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans. Iericho, opulenta fuit ciuitas in Tribu Beniamin, non longe distans à Iordane, & ex qua ascendebatur in Ierusalem: erat nobilis ciuitas palmetis & balsami viridarijs, vnde in Deut. dicitur ciuitas palmarum. Cum igitur Domin⁹ è regione iuxta desertum, vbi ad aliquot dies delituerat, vt testatur Ioannes, iter faceret, cæcus quidam sedebat secus viam. Cum enim suis laboribus, & operibus semetipsum alere non posset, & cum aliunde ei substantia non sufficeret, certe, vel mendicando coactus est vitam suam sustentare. Cæcitas ergo mendicandi causam dedit, vt merito misericordiam q̄ deprecatus fuerat, impetrauerit. Erat igitur duplex miseria, altera cæcitatis, altera paupertatis, ad mendicitatem vsq; perueniens.

Iericho vrbs qualis fuerit. *Luc. 10.* *Deut. 34.* *Ioan. 11.* Cæci duplex miseria digna Christi misericordia.

¶ *Et cum audiret turbam prætereuntem.* Cæcus enim etsi videre non posset prætereuntes, tamen audire & pedum, & vocum strepitum potuit. Et coniectans non sine causa tot homines turmatim confluxisse, interrogauit quid hoc esset, & quid sibi vellet tantus hominum concursus. Sunt cæci homines eo magis curiosi, quo magis oculorum visu carent. *Dixerunt autem ei quod Iesus Nazarenus transiret.* Dicunt isti quod intelligunt, & quem non recte cognouerunt, ipsum tamē suo nomine appellarunt: quam si melius agnouissent, dixissent vtique: Messias, qui olim in lege promissus fuerat, hac pertransit. Et nota, pœnas, & afflictiones præsentes iuuare ad agnoscendum Christum: qui quidem Christus facit suum Pascha, & vt viator pertransit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo. Et multis quidem transit Iesus, quibus salutis tempus, & via suo vitio præclusa est. Sed non transijt isti cæco, qui partim ab afflictione sua, partim à fama Iesu excitatus fidem Christi conceperat, & pene iam oculos spiritus receperat.

Cæci quam sint curiosi. *Deut. 16.* Temporari[æ] pœnæ & afflictiones qu[æ] vim habean[t]. *1 Cor. 5.* *Act. 10.* Iesus quibus transeat.

Et clamauit, dicens, Iesu fili Dauid miserere mei. Neglectis alijs prætereuntibus, à quibus eleemosynam copiosam sperare potuisset, ad solum Iesum conuersus est. Et clamabat iste cæcus, non tam quod ignoraret quam longe à se distaret Christus, quam ex affectu fidei, qua multos eorum, qui comitabantur Iesum superabat. Vocat Iesum, id est, depulsorem meseriarum, vel ἀλεξίκακον, quod ad diuinitatem ei⁹ spectat: vocat deinde filium Dauid, id est, Messiam vnctum, & ferentem vnguentum, quo, tum oculorum, tum cordium cæcitas pellitur: & filius Dauid mansuetus fuit, & hostibus pepercit. Et petit misericordiam, agnoscens suam miseriam. Et solius Dei est gratis misereri: quia homo qui miseretur alterius, ad vsuram donat: *Fœneratur Domino*, inquit Salomon, *qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei.* Et certè huic optime quadrat Christi sententia: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Fides enim ea videt, & amplectitur, quę omni humano sensui aliquando, & reluctantur, & absurda videntur.

Cæcus iste cur clamaret. Quid Iesum vocet, eumq[ue] filium Dauid. *Psal. 131.* Gratis misereri cuius proprium solius. *Prou. 19.* *Ioan. 20.* Fides quæ videt, & amplectitur.

Et qui præibant, increpabant eum vt taceret. Si illi qui præcedebant, inimici erant Christi, increpabant eum, quod ipse nominaret eum filium Dauid, quod ipsi negabant, id est, Messiam, si vero erant boni, & credentes, vt est verisimile, increpabant eū quod clamabat, impediebat enim ne audirent Dominum loquentem, aut quia putabant non esse illi gratam cantilenam, cum non respondisset, vt olim Apostoli de Chananæa dixerunt: *Dimitte eam, quia clamat post nos*, aut forte putabant ipsum petere iuxta quod mendici solent, stipem à prætereuntibus, quam forte ab alio accipere potuisset. Ipse vero non stipem, sed visum petebat: non à quouis, sed à Christo. In aula Principum quando pauper petit eleemosynam, vel iustitiam, omnes obstrepunt, omnes increpant, & impediunt. Vnde Esaias: *Pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos.*

Cur hic cæcus clamare sit vetitus. *Matt. 14.* Mendicorum officium. *Esai. 1.*

Ipse vero multo magis clamabat. Id est, vocem intendebat, nesciens quantum à se abesset. Quia prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate: id est, non tantum voce, sed etiam corde vero, & intimo implorantibus. Natura etiam fidei est arma ministrare, vt tribulationibus repugnamus, & difficultates vincamus. ¶ *Stans autem Iesus iussit illum adduci ad se.* Consueuit Dominus aliquando differre dona, vt fides nostra, & miraculorum gloria magis illustretur. Et vox fide inuocantis cæci sistit Iesum, qui pastor est, qui venit propter ouem perditam. Et stans sanat, qui pertransiens eum audiuit. Quia secundum naturam humanam, secundum quam transit, commiseratus est cæcum: secundum vero diuinam naturam, quę stat, & æterna est sine motu, & fluxu, gratiam sanitatis confert. Et iubet eum Dominus ad se adduci: tum quia ipse per se nesciret venire, tum vt illi qui impediebant, essent etiam ministri salutis cæci: & plures accurrerent, qui essent miraculi oculati testes. Vt ergo tu citius exaudiaris, & quæ voles, à Deo accipias, vide ne & tu miserorum clamores surda aure pertransicas. Qui enim obturat aurem suam ad clamorem pauperis, clamabit & ipse, & non exaudietur.

Psal. 144. Inuocare Deũ in veritate quid. Fidei natura. Dominus beneficia cur differat sua quæ vox sistit Iesum. *Ioan. 10.* *Luc. 15.* Humana & diuina naturæ quid differant. Cur Dominus cæcum hunc iubeat ad se adduci. *Prou. 21.* Quorum Deus preces cito exaudiat. Quare Christus eundem interroget, ab ipso quid velit.

Quod tibi vis faciam? At ille dixit, Domine, vt videam. Interrogat Dominus non vt ignorans, quia omnia nouit, sed vt astantes scirent, eum non petere vulgarem eleemosynam, & qualis ab homine peti solet, sed diuinam virtutem, & excellentem, quæ est à Deo, & vt dum cæci CHRISTVM Filium Dei esse confitentur videntes, qui eum tantum hominem putabant, confundantur: quia videntes signa, non videbant, & audientes doctrinam, non audiebant, & vt publica, non occulta sua petitio esset, ne aliud dare, quam rogaretur, credatur: & vt credamus, nisi confitentem per fidem saluari non posse, & ne calumniarentur detractatores dicentes non esse eum, sed ei similem, vt de cæco nato dixerunt. Ideo voluit, vt ipse confiteretur defectum suum. Ille autem apertè dixit, *Domine vt videam.* Id est, Peto quod ab homine puro dari non potest: neque quicquam dubito aut de tua potentia, quia potentissimus es, aut de tua voluntate, quia clementissimus. Et quia Messias es ille, de quo prædixit Esaias: *Tunc aperientur oculi cæcorum.* Ideo peto, vt te Messiam, & filium Dauid oculis restitutis videre promerear. Et in genere Dominus excitauerat illum, dicens, *Quid tibi vis faciam?* quod non potest dicere, nisi solus Deus?

Matt 13. Salus constet tantum quibus. *Ioan. 9.* Quid petierit ille cæcus à Domino. *Esai. 35.* *Matt. 11.* Quid propriũ solius Dei.

Et Iesus dixit illi, respice. Dixit, & facta sunt: præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Et dixit illi, ἀνάβλεψον, id est, Recipito visum. *Fides tua te saluum fecit.* Id est, *Sicut credidisti, fiat tibi.* Et fidem quæ donum Dei est, vocat Christus fidem cæci, & illi eam adscribit ob singularem eius beneficentiam. Quæ enim nobis dat, vult esse nostra, etiamsi in fidei actu sit noster assensus, & pietas affectus: nos tamen debemus & agnoscere dona Dei esse: nam credere in illum, & pati pro illo, & operari in gloriam eius, dona Dei sunt, iuxta illud: *Omnia opera nostra operatus es nobis.* Fides ergo tua, qua me credis esse Iesum, id est DEVM, & filium Dauid, id est hominem valentem sanare, & quæ resistit impedimentis, & increpationibus populi, illa est quam ego celebro, & quæ tibi beneficium oculorum peperit.

Psal. 148. *Psal. 18.* *Matth. 8. & infra 15.* Fidei efficacias. *Ephes. 2. & 2. Thes. 3.* Christi erga nos beneficentia singularis. *Philip. 1.* *Esa. 26.* Quam magnificat Christus fidem.

Et confestim vidit, & sequebatur illum, magnificans Deum. Verbum Dei consecutus est effectus: nam vidit, & secutus est, & non amplius rediit ad mendicitatis sedem. Et vt eleganter ait Gregorius in homilia huius Euangelij: *Videt, & sequitur, qui bonum quod intelligit, operatur. Videt autem, sed non sequitur: qui bonum quidem intelligit, sed bene operari contemnit.* Sic ille. Sequitur ergo per vestigia Christi: quia, Qui dicit se in CHRISTO manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Et talis magnificat Deum, agendo gratias de beneficio accepto, & magna operando in Christi gloriam: quia effectus magnus ostendit magnum artificem. ¶ *Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo.* Id est, Aperti sunt oculi interiores plebis, vt cognoscerent IESVM Messiam esse à Patre missum. Atque iste cæcus prius vidit mente, postea oculis corporis: contra vero cæcus natus, qui primo illuminatus est, & postea credidit in Filium Dei. Et hactenus literam persecuti sumus. Vt autem mysterium inclusum patefacimus, aduertendum est, cæcum istum, cui Christus obtulit: *Quid tibi vis faciam?* non admodum magnifice respondisse, cum dixit: Domine vt videam. Quid enim magnum, habenti animam ratione præditam, & corpus in cæteris omnibus perfectum, si vna tantum corporis pars desit: & illa quidem non nobilior, aut præstantior, quia nobiliores sunt sensus interni, & membra quædam, vt cor, hepar, cerebrum.

B. Greg. ho. 2. in Euang. circa fin 10. 2. Videat quis, & sequatur Christum: videat vero quis tantum, non sequatur, teste Gregor. *1. Ioan. 2.* Plebs vt vidit illum cæcum illuminatum à Christo, quid dederit laudi Deo, vt testatur Euangelista. *Ioan. 9.* Historię huius moralis intelligentia proponitur. Externæ illuminationis beneficium, si cũ spirituali conferatur, paruum, & exiguũ quid esse.

Preterea restitutio oculorum parum durare poterat, quemadmodum & humana vita, propter quam tuendam dati sunt oculi. Adhæc parum delectare poterant, cum mole-

Oculi naturæ cur dati. Oculi quorum malorum causa.

molesta, & acerba multa oculis hauriam? Sunt etiam oculi plerunque occasio superbiæ, & cupiditatis, & obscœni amoris, atq; distractionis, & plerunque ruina animæ esse solent, iuxta illud: *Oculus meus deprædatus est animam meam.*

Thren. 3.

Interna contra illuminatio quantum Dei Opt. Max. donum sit.

Cæcus autem mysticus petendo beneficium illuminationis, & dicendo, *Domine vt videam*, parem fere petitionem instituit cum Domini misericordia, æquatque Domini oblationem, qui dixit: *Quid tibi vis faciam?* Nam profecto vt nihil maius, vel vtilius quam satiare nostram voluntatem iuxta promissionem Domini: *Dilata os tuum, & implebo illud*: ita nihil maius, aut conducibilius peti posset, quam visus, qui omnium desideriorum cordis nostri fons est, & origo, modo rectus, & legitimus vsus videndi petatur. Malus enim visus, & appetitus maligne videndi, omnis mali fere causa est, quia dæmon se oculo superbo & inuido in Christum coniungit. Vnde Iudæi videntes corruerunt. Adam etiam & Heua male viderunt pomum, & illam falso oblatam boni & mali, scientiam male appetiuerunt: de qua dixit dæmon: *Aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij scientes bonum, & malum.* Illi etiam qui in diluuio puniti sunt, oculorum abusu corruerunt, eo quod filij Dei male viderant filias hominum quod essent pulchræ. Ciues etiam Sodomæ opere compleuerunt clamorem suum tentantes vim inferre ipsis Angelis vt illis abuterentur: vnde cæcitate percussi fuerunt. Iudæi etiam male videntes Christum, & odio habentes, grauissima cæcitate in hodiernum vsque diem puniti sunt: sicut olim Dauid Bersabeam vidit se lauantem in solatio, & in adulterium impegit: & Dina filia Iacob egressa videre viros regionis illius, violata est. Seniores etiam clanculum videntes Susannam nudam, Dei vltionem sunt experti: nam intrat mors per fenestras oculorum. Gentiles etiam, & Hæretici videntes, videmus, intelligimus, Scripturas totas nouimus, perierunt. Denique omne peccatum ex quodam maligno visu oritur: vnde superbia non est aliud quam se cernere per conspicilla, quæ rem spectatam maiorem reddunt, quam sit in se ipsa. Auaritia etiam creaturas adhibitis spicillis tanquam pretiosiores quam sint, respicit: sicut & inuidia quæ cruciat visa magnitudine alterius: luxuria, & ira, quæ lumen rationis perturbant ob insitum affectum. Rursus per contrarium omne bonum nostrum, imo & Angelorum, in bona, & recta visione consistit, vt ita videndo vitam habeant, & abundantius habeant. Bonum autem viatoris non in alio consistit, quam in visione per fidem, per sapientiam, scientiam, consilium, prudentiam, quæ dona sunt Spiritus sancti. Recta ergo visio erga omnia debet versari: erga Christum quidem cernendo eum non odio, vt Iudæi, neque curiositate, vt Herodes, sed cum desiderio salutis, vt Zachæus, qui ascendit in arborem sycomorum vt videret Iesum: & cum Gentilibus qui dixerunt: *Volumus Iesum videre.* Ad seipsum etiam debet homo recte extendere considerationis oculos, illud cogitando, quod antequam perueniat ad terram promissam, opus habet relinquere tenebras Ægypti, mare Rubrum concupiscentiæ, & serpentes ignitos deserti, hoc est belluinos irascentis animæ motus. Debet considerare suam impotentiam, & tarditatem ad bonum, propensionem & inclinationem ad malum, & male expensum talentum. Debet etiam diligenter inspicere, & discernere quid sit inter iustum & impium, inter tempus & æternitatem, inter corpus & animã, inter dæmones & Angelos, vt amicos recipiamus, aduersarios repellamus: quid etiam intersit inter Naturam & Gratiam, inter Scripturas & creaturas, inter gehennam, siue infernum & paradisum, siue patriam. Adhæc magna huius mundi bona debet cernere ex specula, & veluti ex edito monte, vt minora, & magis contemptibilia appareant. Mysteria autem fidei debet ex obedientia quadam, & in Ecclesia, quæ domus lucis est, considerare: quia ita consona erunt, & quadrabunt intellectui, atque adeo ipsi fidei, quam Deus benigne nobis infundit. Et tales sunt beati oculi, quia vident mysteria regni Dei, introductique in cellaria, & apti ad consequenda bona, & mala declinanda. Sed ex nobis bene videre non possumus, quia omnis homo mendax: *Filij hominum*, inquit Propheta, *vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* id est dæmonum patrem mendacij. Creaturę etiam offerunt quidem veritatem, sed plerunque fiunt muscipulę pedibus insipientium. Angeli etiam etsi confirment ad videndum, non tamen creant, vel infundunt scientiam, nec animo illabuntur. Ergo sapientia, seu rectus vsus videndi à Domino Deo est, & vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia DEI. Rursus, *Beatus quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum.* DEVS enim vt nostram sapientiam confunderet, nostrosque oculos adapertos bene cæcaret, quod stultum est DEI, sapientius hominibus ostendit, dum

Psal. 80. — Quos perdiderint oculi. *Matth 13. Ioan. 9. Infra 18. Gen 3. Ibidem. Infra 7. Supr. 6. Infra 19. 2. Reg. 11. Gen. 34. Dan. 13. Ibidem.* — Peccatũ omne ex oculis ceu ex fontibus erumpere. — Omne bonũ hominis, imo Dei, & Angelorum, in quo positum sit. *Ioan. 10.*

Viatoris omne bonum vbi situm sit. — Recte visio circa quæ versari debeat. *Luc. 23. Supra 19. Ioan. 12.* — In terram promissam, cœlestem scilicet patriam, vt ingrediamur, quæ consideranda. *Exod. 14. Num. 21.* — Domus lucis quæ: Oculi quiq; beati. *Matth. 13.* — Sapientiam seu rectum vsum videndi à Deo esse tantummodo. *Psal. 115. Psal. 4. Ioan. 8. Sap. 14. Eccle. 1. Sap. 13. Psal. 93. 1. Cor. 1.* — Quomodo [humanam] Deus [sa]pientiam, & [confuderit] obcæcarit.

Infra 10.

dum ex petra septem oculos (id est vniuersitatem oculorum) habente, hoc est Iesu Christo crucifixo, voluit omne lumen emanare. Vnde velum templi tunc scissum est, quando per Crucem ablatum est velamen, & illuminati qui Cruci adstiterunt, & reuersi sunt percutiétes pectora sua. Cognouit etiam Centurio Gentilis Iesum, & confessus est illum iustum, & Filium Dei. In Iesu crucifixo omnia videntur, scilicet Dei misericordia ad nos, & singularis charitas, iustitia in peccatum, animę immortalitas, diuinitas, & humanitas Christi. Ideo ante sanationem cæci describitur Christi passio: quæ dupliciter ad videndum iuuat. Primo vt color, id est vt obiectum, seu vt liber, in quo omnia videntur, quę sunt fidei: secundo vt lux, qua illud lumen ad videndum comparatum nobis est, & instrumenta, seu adiumenta, quibus ad illud possidendum cōtendamus: vt sunt desiderium salutis, auditus, siue lectio verbi Dei, oratio, puritas cordis, operatio bona: quæ omnia nobis lumen diuinæ gratiæ conciliant: maxime vero illo tempore anni, quo Ecclesia hoc Euangelium legere consueuit. Illis enim diebus genialibus, siue Bacchanalibus nemo Iesum, sed diabolum eorum autorem sequitur, omnes ad laruas, & ad alia spectacula vana accurrunt: qui tamen cum Propheta orare deberent: *Auerte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua viuifica me.* Id est: vndique mors ingruit, nisi auertamus oculos à vanis, & viæ legis insistamus. Pulchre dictum est à Sapiente: *Sapientis oculi in capite eius:* innuens stultos non habere oculos in capite, id est in Christo Domino, capite vniuersæ Ecclesiæ tuendo & defendendo. Abraham, Isaac, & Iacob, ea potissimum de causa Deo placuêre, quia cum totus mundus in tenebris idololatrię, & obscœnorum peccatorum inuolutus esset, ipsi præ cæteris auertentes oculos à vanitate, Deum colebant, illumq; sequebantur. Ideo Abrahæ dictum, *Ambula coram me, & esto perfectus.* Idcirco quādo omnes Christum illis Bacchanalium dieb. derelinquunt, tu contende illum sequi, quemadmodum Apostoli Christum secuti sunt deficientibus Capharnaitis, & alijs multis etiam septuaginta duobus Discipulis: & latro ille à dextris Christi crucifixus propterea tantum nomen, & laudem sibi comparauit, quod cum cæteri homines Iesum desererent, & negarent, imo acerbissimis verbis illi illuderent, eumque blasphemarent, ipse solus & Dominum, & Regem confessus est: vt intelligant omnes, qui Christi Dei cultores esse volūt, tunc sibi esse Christum vitæ, & vitæ integritate consectandum, & ore confitendum coram hominibus, cum maxime homines insaniunt, & opera tenebrosa dæmonis amplexantur, & in præcipitium gehennæ certatim se conijciunt: à qua nos sua immensa misericordia liberet benignissimus Iesus, humanæ salutis amator ardentissimus, qui cum Patre, & Spiritu sancto pari honore, gloria, atque imperio potitur in seculis sempiternis, Amen.

Matt. 27. 2. Cor. 3. Luc 23. Ibidem. & Matt. 27.

Quæ videantur in Christo patiente.

Passio Christi ad videndum dupliciter confert.

Quæ res nobis diuinæ gratiæ lumen concilient, & quando potissimū.

Psal. 118.

Eccl 2. In quo capite, vt ait Sapiens, Stulti oculos non habent. *Ephes. 1. & Coloss. 1.*

Gen. 17.

Ioan 6. Luc. 23. Boni latronis sequela Christi qualis.

Matt 10. Quo magis tempore Christum Christiani sequi debeant.

TRACTAT. XLVI.

In quo agitur de signo, quo duo cæci sanati sunt Domino egrediente de Iericho: de quo Matt. 20. quanquam Marcus de vno solo cæco cap. 10. vocato Bartimæo mentionem faciat.

AD literam primo loco se offert quæstio: quia Matthæus duos cæcos Dominum egressum à Iericho curasse scribit, cum Marcus vnius tantum meminerit. Sed hoc eodem modo, soluendum est, quo illud, quod Matthæus alio loco tradit, duos dæmoniacos à Domino sanatos in regione Gerasenorum, cum Marcus & Lucas vnius faciant mentionem: videlicet quod eorum vnus notior fuerit. Ita etiam & modo eum solum commemorare voluit Marcus, cuius curatio tam claram famam huic comparauit miraculo, quam eius erat nota calamitas, & persona. Ideo ad euidentiam signi, & nomen eius, ac patris ipsius explicauit, nempe Bartimæum filium Timæi. Neque mirum est, aut nouum, quod Euangelistæ quærant recensere, quæ ab alijs sunt prætermissa. Improbabile tamen videri non potest, quod si cæcus, de quo Lucas agit, diuersus sit ab eo, cuius meminit Marcus, Matthæus vtrumque simul sit complexus, simul narrare volens & eum qui ante ingressum, & eum, qui post egressum est curatus: quod vtriusque curatio omnino similiter, & circa eundem locum sit facta.

Cum duo cæci fuerint à Domino sanati, cur Marcus tantum vnius, nempe Bartimæi faciat mentionem? *Matth. 8. Mar. 5. Luc. 8.*

Quanam ratione Matthæus videri possit, duos illos cæcos, quorum Luc. & Marcus singulariter meminerunt, hoc loco comprehendisse. *Luc. 18.*

Sunt præterea qui censent, duos cæcos, quorum meminit Matthęus, diuersos fuisse, non solum ab eo, de quo Lucas, sed & ab eo, de quo Marcus meminerunt: in hac enim sententia est Euthymius: eo quod cæci apud Matthæum dicuntur contactu sanitatem consecuti, cum id nec Marcus, nec Lucas de suis narrent: quam quidem opinionem ille confirmat Chrysostomi testi-

Cur eos cæcos faciat distinctos Euthym. *Matt. 9. Luc. 18.*

Euthy. c. 44.

[...]firmatur [...]ec opinio.

testimonio. Sed hoc argumentum non est adeò firmum, vt rem efficiat indubitatam: nam solet vnus Euangelista supplere quod alter omisit.

Primò ergo exponemus signum à Matthæo descriptum de duobus cæcis; deinde si quid supplendum fuerit, addemus ex Marco.

Dominum cū turba egredientem ex Iericho, quæ turba fuerit secuta.

Egredientibus(inquit)*illis ex Iericho, secuta est eum turba multa.* Illa eadem videlicet, quæ secuta dicitur Matth.19. in principio, vel noua fortassis ex Iericho: & narratur vt testis miraculi adsit, & occasio interrogandi cæcis, quis esset qui transiret; & vt impediens & increpans cæcos introducatur. ¶ Additur turba multa, ad significandam magnam eius ad Christum pietatem, & fidem. Et quia Christus erat omnipotens, quouis loco & tempore edere signa poterat; ideò caussa cur in vno loco plus quàm in alio fecerit, opportunitas fuit, id est, necessitas, & fides petentium. Et præter illa, nunc etiam turba aderat, & tempus, & locus passionis non longè distabant: ideò in Bethania Lazarum suscitauit.

Quare dicitur turba multa. Christi item omnipotētia.

Ioan.11.

Duo illi cæci cur sederent secus viam.
Luc 18.
Marc.10.
Matth.9.
Ioan.9.
Ibidem.
Matth 21.
Act 3.

Et ecce duo cæci sedentes secus viam. Hoc faciebant ad mendicandum, vt constat Lucæ 18. Marc.10. & hoc loco: non autē quod eijcerentur extra ciuitatem, quia cæcitas non erat morbus contagiosus. Vnde Matt. 9. & Ioan.9. intra ciuitatem mendicabant, imò iuxta templum etiam Ioan. 9. & in ipso templo Matth.21. & Act.3. *Clamauerunt dicentes, Domine, miserere nostri, fili Dauid.* Clamabant ex desiderio vehementi sanitatis; & quia Christum sequi non poterant, & quia nesciebant, an propè, an longè esset; & quia timebāt an strepitus turbę vocem impediret. Et filium Dauid vocant, vnde & ex tempore impleto, & aliorum doctrina, & lumine fidei interno Messiam esse cognoscebant.

Iidem quare clamarent, Domine miserere nostri.

Eos turba clamantes quāobrem increpauerit.

Turba autem increpabat; at illi magis clamabant, &c. Aliqui quidem increpabant, ne molestiam inferrent Christo; alij, ne laudarent, alij, ne impedirent docentem. Et illi magis clamabant ex fide, vt Iesus eos audiret, non obstante clamore turbæ, & ex clamore magis notum factum est miraculum toti turbæ.

Dominus Iesus duos cęcos illuminaturus cur steterit.

Et stetit Iesus, & vocauit eos. Vt animarētur, & non desisterent à petitione, quia non erant propè domus ingressum, vt alij duo cæci, de quibus Matth.9. & vt plures scirēt, quàm si domi eos curasset, vt idem tradit, quia tunc initium prædicationis erat: postea verò manifestiùs signa edebat. Vel si ambulando curasset, pauci animaduertissent, stando verò, turba redditur signo attentior; & ne cæci laborarent sequendo eum. Vnde Hieronymus: *Quia cæci*, inquit, *quò pergeret, ignorabant, & multæ foueæ erant in Iericho, multæ rupes, & prærupta in profundū vergentia: ideò Dominus stat, & vt benignitatem suā ostenderet expectando eos ad se venire.* Vocati autem sunt, vt magis peterent vt tangeret eos, & animarentur tanto Christi fauore, & nōn impedirentur à turba. ¶ *Et ait: Quid vultis vt faciam vobis?* Interrogauit vt iterum orarent, quo constet turbæ petitio eorum, ne cæcitas eorum denegetur, sicut cæco nato denegata fuit, vt habeāt occasionem respondendi. Hi autem credebant, vt verba eorum testantur, & nota iam erat Christi potestas. Ideò non quæsiuit ab illis, an credant quod possit eos curare, quemadmodū ab alijs duobus cæcis quæsiuit: nam eo tempore nondum erat propalata Christi virtus.

B.Hieron. tom.9.

Cur eosdem vocauerit.

Quare interrogauerit.

Ioan.9.

Ab eisdem, an crederent, vt aliàs solebat, cur non quæsierit.

Ad quid tetigerit oculos eorum.

Misertus autem eorum Iesus, tetigit oculos eorum. Tetigit, vt ipse videretur edere signum; & quia credebant se posse curari tantùm tactu. ¶ *Et confestim viderunt.* Id est, visum receperunt, vt non tantùm intelligas potentiam, siue facultatem videndi recepisse, sed etiam actum: quam potentiam etiam dormientes habent. Et statim sanauit non faciendo aliam cæremoniam. Et curatio ex hoc videtur miraculo obtenta. Nam Dominus statim quosdam curabat post verbum, vel post tactum, quosdam verò, vt surdum & mutum, de quo Marcus, cum mora & successione temporis sanabat, prę-mittendo quædam ex se non disponentia, sed pro voluntate Christi, quo infirmi conciperent fidem: sed in fine illorum sequebatur sanatio in Christi præsentia. Rursus quosdam alios in absentia sanabat, vt cæcum natum. Præterea quosdam vno miraculo edito, aliquo actu incipiebat sanare, & alio perficiebat: vt cæcum ad Beth-saidam: sed in omnibus effectus signi, & dispositio in instanti inducebatur, nec cæremoniæ disponebant. Et primus modus, & communis naturam signi ostēdit, quod est in momento, siue in instanti operari. Secundus modus erat, vt ostenderentur varij effectus, vt surdus, & mutus apud Marcum, vel ad instructionem præsentium, vt orarent, & scirēt Christum orantem à Deo esse profectum. Tertius modus, in absentia, vt fides infirmi videretur, vt in cæco nato, fideliori Naaman Syro, qui ad verbum Helisæi minimè curari à lepra posse se credidit: & vt in cæcis appareret grati animi signum, quia eum sequebantur. Quartus modus, dupliei signo seruiebat, vt varius

Iidem vt viderint.

Modi quatuor quibus in sanando Dominus vsus est.
Marc.7.

Ioan.9.

Mar.7.

Primus modus.

Secundus.

Mar.7.

Tertius.

Ioan 9.
4.Reg.5.
Cæci nati fides quāta fuerit.
Quartus.

modus operandi demonstretur,& ex consequenti potentia operantis; in successiuis autem, vt cæco nato apud Ioannem, & cæco à Beth-saida apud Marcum, non aderat turba eadem spectatrix. ¶ *Et secuti sunt eum.* Gratum suum animum testantes, & iam potentia videndi recepta videre poterant. Sequebantur autem vt audirét Christum. Et vt signum manifestum fieret, admisit hos Christus, & non arreptitium, quia non sequebantur vt discipuli, vt ille volebat, cùm non esset necesse, vt manerent ad narrandum signum, vt ille, quia Christus non est ibi admissus. Ille autem & infamis erat ex feritate, & ex dæmonijs obsidentibus, & vilesceret prædicationis officium. Atq; hactenus dictum sit de duobus cæcis ex Matthæo.

Ioan 9. Mar. 8.

Hi cęci iam illuminati cur secuti fuerint Iesum: ab eoque suscepti, non autem arreptitius ille, quem dęmone liberarat. *Luc. 8.*

In Marco autem additur, vnum ex his cæcis fuisse Bar-timæum, vt sciamus nomen illius. Nam fide prædi ti homines in libro viuentium scripti sunt, & nomina illorum etiam coram hominibus innotescunt. Hieronymus verò contendit legendum esse, Barsemia, hoc est filius cæcus, vel filius cæcitatis, quòd cæcus esset à natiuitate, vel ex Syro, & Græco, filius honoris, vel filius admirantis, ex bar, quod est, filius, & thamath, quod est ad admirari. Vocatus hic cæcus fuit, & dixerunt ei: *Animæquior esto; surge, vocat te.* Id est, bono animo esto: quia vocatus es, vt sanitatem recipias. Quod vbi cæcus audisset, etiam abiecto pallio, quo defendebatur aduersus temporum iniurias, expeditus exiliuit, ostendens fidei magnitudinem, & accurrit ad Iesum: quemadmodum abiecto pallio Ioseph enasit è manibus mulieris illum ad peccatū solicitantis.

Mar. 10. Cęci Bartimęi cur meminerit Euāgelista.

Hieron. lib. de nominib. Hebrai in Ioanne, tom. 3. Barsemeus quid Hieronymo. Bar, & thamah Hebræis quid.

Huius Bartimęi fides qualis.

Gen. 39.

Pulchrè ergo exprimitur alacritas, & promptitudo, qua Christum vocantem sequi debemus. Non est, cùm ille vocat, aut cunctandum, aut de Dei bonitate, vel potentia hæsitandum, sed reiectis omnibus, quæ cursum nostrum ad eum fide amplectendum, & operibus imitandum impedire possent, promptè est properandum. Beatus Augustinus serm. de verbis Domini in hunc modum de signis philosophatur: *Sicut animus, inquit, melior est corpore, sic & melior salus animi, quàm corporis. Modò caro cæca non aperit oculos miraculo Domini, & cor cæcum aperit oculos sermoni Domini. Modò non resurgit mortale cadauer; resurgit anima, quæ mortua iacebat in viuo cadauere. Modò aures corporis surdæ non aperiuntur, sed quàm multi habēt aures clausas cordis, quæ tamen verbo Dei penetrante patescunt, vt credant qui non credebant, & bene viuant qui malè viuebant, & obediebant qui non obediebant?* Et infra: *Sine*, inquit, *mortuos sepelire mortuos suos. Certe mortuos sepulturi non sunt corpore mortui: quia si hoc esset, mortua corpora sepelire non possent. Tamen mortuos eos vocat. Vbi, nisi intus in anima? Sicut enim etiam visibiliter plerunque in domo integra, & salua, dominus eiusdem domus mortuus iacet: sic in corpore integro multi habent animam mortuam. Et hos sic excitat Apostolus: Surge qui dormis, exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Ipse illuminat excæcatum, qui excitat mortuum. Eius enim voce per Apostolum clamatur ad mortuum: Surge qui dormis. Cæcus luce illuminabitur cùm resurrexerit. Surdos autem quàm multos ante oculos suos Dominus intuebatur, cùm diceret: Qui habet aures audiendi, audiat. Quis enim ante illum sine corporeis auribus stabat? Quas ergo alias aures nisi interioris hominis requirebat? Item quales oculos quærebat, cùm loqueretur vtique videntibus, sed videntibus per oculos carnis? Nam cùm ei diceret Philippus: Domine, Ostende nobis Patrē, & sufficit nobis; benè quidem hoc intelligebat, vt demōstratus Pater posset sufficere, sed cui nō sufficiebat æqualis Patri, quomodo sufficeret Pater? Quare autem non sufficiebat? Quia non videbatur. Quare non videbatur? Quia nondum erat sanus oculus, vnde posset videri. Hoc enim quod in carne Domini videbatur, his oculis non soli discipuli viderunt, qui honorauerunt, sed & Iudæi, qui crucifixerunt. Qui ergò aliter se videri volebat, alios oculos requirebat: & ideò sic respondit dicenti: Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis: Tanto tempore vobiscum sum, & non me cognouistis? Philippe, qui me videt, videt & Patrem. Et vt interim fidei oculos sanaret, priº admonetur secundum fidem, vt possit ad speciem peruenire. Et ne sic putaret Philippus cogitandum Deum, quomodo videret in corpore Dominū Iesum Christum, statim subiecit: Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est? Iamdudum dixerat, Qui me videt, videt & Patrem. Sed nondum habebat Philippus sanum oculum, vnde videret Patrem, atque ideò nec vnde videret ipsum Filium Patri coæqualem. Qui ergò non potest videre quod demonstraturus est Dominus, non quærat prius videre quod credat, sed prius credat, vt possit oculus sanari quo videat.* Hæc ille, & multa alia similia in eo sermone tractat, docens præter signa, quæ corporis oculis subijciebantur, alia spiritualia in eo intelligi. Et quemadmodum, vt etiam testatur Augustinus libr. de verbis Domini: *Qui videt literas in codice optime scripto, & non nouit legere, laudat quidem antiquarij manum, admirans apicum pulchritudinem, sed quid sibi velint, quid indicent illi apices, nescit, & est oculis laudator, mente non cognitor: alius autem & laudat artificium, & capit intellectum, ille vtique qui non solùm videre quod commune est omnibus potest, sed etiam*

Quàm promptè quam alacriter Christum nos vocātem sequi debeamus.

B. Aug. serm. 18 de verb. Dom sub ini. tom. 10. Animi salus quā corporis, quanto præstantior sit teste Augustino

Idem ibid Matt. 8

Qui sint mortui sepeliētes mortuos suos, secundum eundem Augustini [illegible]

Ephes. 5.

Matth. 13. Aures Dominus & oculos à Iudæis quales requireret.

Ioan 14.

Illud Apostolicum, Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis, idem egregie expendit Augustinus.

Aug. ser. 44 de ver. Dom. [illegible] Signorum [illegible] & [illegible] quales Augustino.

legere, quod qui non didicit, non potest: ita qui viderunt Christi miracula, & nõ intellexerunt quid sibi vellent, & quid intelligentibus quodammodò innuerent; mirati sunt tantum quia facta sunt; alij verò & facta mirati, & intellectu assecuti. Hæc ille diuinus Pater.

Mentis nostræ cæcitatem curare, virtutũq; inopiam subleuare qua ratione valeamus.

Ad rem igitur, si cæcus es ex ignorantia veri, & mendicus inopia virtutis; clama per fidem ad Iesum Nazarenum, id est, floridũ per resurrectionem, & pete, vt misereatur tui. Quis autem cæcus est nisi ille, qui non videt quæ ante se sunt, hoc est ventura, neque illa quæ post se, id est, qui non recordatur eorum quæ gessit, nec quæ à dextris prosperitatis allicientis, vel à sinistris aduersitatis terrentis, nec quæ supra videt, cælum scilicet quod amisit, nec subtus, id est, infernum quẽ promeruit, nec intra se cernere potest quàm malè habeat, nec quid agere, aut quid vitare debeat: nec rursus extra se considerat vel lutum luxuriæ, vel spinas auaritiæ, vel saxa odij, & obdurationis, vel foueam desperationis, in quã seipsum præcipitat. Quòd si fortè clamorem tuum, vel conscientiam peccatorũ, vel dæmones intus; vel foris homines carnales irridẽtes, atque persequentes impedire tentauerint; noli retrocedere, sed clamorem intende orationis: quia tandem vinces, & obtinebis tibi, & alijs lumẽ oculorum, quibus videas Christum, & illum sequaris, & magnifices pro beneficijs Deum, & fias dux aliorum. Beati ergo oculi, qui & vident, & sequuntur Christum Dominum nostrum, cui cum Patre, & Spiritu sancto ab vniuersa creatura reddatur omnis gloria, honor, & imperium in secula seculorum, Amen.

Cæcus qui sit.

Clamor orationis quàm fortis ac potẽs sit.

TRACTATVS XLVII.

De signo admirando, quo Dominus Iesus insidens asino gloriosè ingressus est in Ierusalem: de quo loquuntur omnes Euangelistæ: Matth. cap. 21. Marc. 11. Luc. 19. Ioan. cap. 12.

Zacha 19.

Quare hic Christi Domini in Ierusalem ingressus à quatuor fuerit Euangelistis descriptus.

QVONIAM hic ingressus solennis Iesu insidentis asello, & Ierusalem ingredientis, tanquam signum certissimum aduentus Messiæ prophetatum erat, non tantum à Zacharia, sed etiam à Sibyllis, & ab eo die, quo ingressus est, Iudæos ad se excipiendum tanquam Regem Israël, & verè filium Dauidis, & germanũ Messiam obligauit: propterea tanquam res magna & seria à quatuor Euangelistis descriptus est. Neque mireris, si nos hunc ingressum Christi inter signa eius recenseamus: nam profectò maximum signum fuit talis & tãti Regis, quòd prædixerit Apostolis de adducendo asino, accedente etiam voluntate dominorum. Deinde quòd omnes supposuerint illi vestimenta calcanda, & ramos cæderent de arboribus ad viam exornandam. Præterea quòd omnes vno ore acclamauerint, & regium Messiæ titulum illi tribuerint, à nullo alio extrinsecus excitati, & admoniti, præterquam à Spiritu sancto intus in cordibus eorum operante, & acclamationem tam magnam, & nouã suggerente, maximum profectò & admirationis signum fuit. Vt interim omittam, quòd ingressus in templum cœpit eijcere vendẽtes, & ementes: & in eo accesserunt cæci, & claudi ad eum, & sanauit eos.

Quod dignũ miraculi nomine habeat introitus iste.

Sed antequam ad literam huius Euangelij explicandam accedamus, dubia quædam, quæ literæ magnum negotium facessunt, dissoluenda sunt. Primum est, quòd Ioannes Euangelista, priusquam aselli, super quem Dominus sedit, faciat mentionẽ, commemorat quomodo turba multa, quæ conuenerat ad diem festũ, processerit obuiam Iesu cum ramis palmarum, clamantes, *Hosanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel:* quam processionem & acclamationem factam fuisse postquam Iesus insedit asello, tradunt reliqui tres Euãgelistæ. Verùm ad hoc facilè est respondere, id fecisse Ioannem per figuram anticipationis commemorando, quod alij omnes suo loco narrarunt.

Hæc turba quando cum ramis palmarum processerit obuiam Iesu, ante, an postquam Dominus insedit asello.

Secundum dubium. Matthæus scribit, Dominum misisse discipulos pro asino capiendo, cùm appropinquasset Ierosolymis, & venisset Beth-phage ad montem Oliuarum; Marcus verò, cùm appropinquaret Ierosolymæ, & Bethaniæ, aut, vt Græci codices habẽt, ad Ierusalem ad Beth-phageh, & Bethaniam. Lucas item, *Cùm appropinquasset ad Beth phage, & ad Bethaniam.* Meritò ergò hic dubitatur, quomodo cùm Matthæus dicat; Cùm appropinquassent Ierosolymis, & venissent Beth-phage ad montem Oliuarum, Marcus & Lucas dicant hoc factum cùm appropinquaret Bethaniam: nam cùm venisset Beth-phage, iam Bethaniam pertrãsierat, cùm Bethphage, & mons Olíueti, vicinior fuerit ciuitati Ierusalem, quàm Bethaniæ, in qua præcedenti nocte Dominus pernoctauerat. Dicendum est, Marcum, & Lucam dixisse, Dominũ misisse discipulos, cùm appropinquasset Bethaniæ, non quòd tunc eam accederet, sed quòd prope eam esset: non enim eam iam longè exierat, quomodo quidam affirmant Lucam dixisse Dominum

Quo loco Dominus miserit discipulos pro asino capiendo, an cùm appropinquasset Ierosolymis, & venisset Bethphage: an verò cùm appropinquaret Bethaniæ, vt ait Marcus. Luc. 19.

Luc. 18.

minum curasse cæcum, cùm appropinquasset Iericho, id est, cùm non longè esset à Iericho, à qua egrediebatur. Ita enim quidam conciliant Marcum cum Luca, quòd

Marc. 10.

Marcus dicat in egressu de Iericho curasse cæcum: & Lucas eum curasse cùm appropinquaret ad ingressum Iericho.

Alter sensus.

Vel si hoc non placet, dicendum est præpostere Marcum & Lucā dixisse: Cùm appropinquasset ad Bethphage, & Bethaniam, cùm intelligi voluerit illum prius appropinquasse ad Bethaniam, & deinde appropinquasse ad Beth-phage, quæ est in monte Oliuarū.

Luc. 17.

Sicut superius dixerat: *Transibat per mediam Samariam, & Galilæam*: Samaria enim media est inter Galilæam & Iudæam, & prior est Galilæa, quàm Samaria pertranseunda existenti in Galilæa. Meminit autem distinctè tùm Bethphage, tū Bethaniæ: quia in Bethania nocte præcedente pernoctauerat, & in Bethphage expectauit Apostolos missos ad adducendam asinam.

Quomodo Christus asinā & pullum iusserit ad se adduci, cum reliqui tres solius pulli meminerint.

Tertia quæstio: Quomodo Matthæus duo iumenta, asinam & pullum scilicet, commemoret Dominum iussisse ad se adferri, eique allata, & super ea Dominum sedisse, cùm reliqui tres solius pulli faciant mentionem. Ad huiusmodi solutionem communiter dici solet, & præsertim à

Theophylact. in Matth.

Theophylacto, Dominum more magnorum Principum super vtrunque equitasse, non tamen simul, sed per interualla: Tres tamen Euangelistas solius pulli meminisse: siue quòd ei Dominus pro maiori parte insederit, siue quòd pulli inequitatio ad mysterium vocationis Gentium pertineret, quibus Græca lingua tres scripserunt Euangelistæ, cùm Matthæus Hebræus ad Hebræos Hebræa lingua scripserit. Quòd si duo iumēta inequitauit; prius sanè super asinam, quam Septuaginta ὑποζύγιον vocāt, quàm super pullum ascendit, vt ordo verborum Prophetę iuxta Septuaginta, & verba Matthæi seruatus intelligatur.

Zachar. 9.
Altera probabilior solutio.
D. Hieron. in Matth. 10. 9.

Verùm, quoniam (vt habet D. Hieronymus) & turpe fuisset Dominum insidere asinæ, & impossibile, vt in tam breui spatio diuersis insederit animantibus: verisimilior est aliorū

Euthym. c. 45 in Matth.

(inter quos est Euthymius) sententia, qui dicunt soli pullo Dominum insedisse, atq; ob id tres Euangelistas eius solius fecisse mentionem: asinam tamē etiam simul adductam, sed pullum Dominum vehentem tantùm fuisse secutam: vt comitem, ideoq; Matthæum exacta diligentia vtriusq; meminisse iumenti.

Argumentis in contrarium respondetur.
I. argumentū

Nec in hanc sententiam quicquam faciunt argumenta quædam, quæ pro opposita parte fiunt. Primū est, quòd apud Matthæum iussi sunt discipuli dicere: *Dominus ijs opus habet*. Sed huic obiectioni respondet

Euthy. ibid.

Euthymius, quòd vtroque iumento fuit Domino opus: pullo quidem, vt super eo veheretur; asina verò, vt pullum sequeretur, sine qua pullus non venisset, vel gratia significandi mysterij id factum est. Verba Euthymij sunt hæc: *Sedens verò super asinam & pullum, non diuisim, modò super hunc, modò super illum: neque tanquam bigam super bigam ab his tractam, sed asinum & pullum, intellige ipsum pullum, asinum quidem natura, pullum verò ætate*. Sic ille, qui paulò ante explicans myste-

Pullus mystice quid.

rium huius rei, scripsit: *Et erat pullus in figuram noui e Gentibus populi, venturi ad fidem, quæ est in Christum: qui ad Diuinæ legis iugum inexercitatus erat: super quem nullus hominum sederat, Propheta videlicet, vel Apostolus. Asina verò in typum veteris è Iudæis populi sub iugo legis degen-*

Asina quid præfiguraret.

tis. Et pullus quidem Christum vehit insidentem, asina verò sequitur, docente re ipsa, quòd postquam Christus Gentibus insederit, & in eis tanquam in se credentibus requieuerit, sequentur & Iudæi:

Rom. 11.

dicit enim & Paulus: Cæcitas ex parte facta est in Israel, donec plenitudo Gentium intrauerit: & tunc omnis Israel saluus erit. Hactenus Euthymius.

II. argumentū

Secundum est, quòd apud eundem dicuntur discipuli, cùm adduxissent asinam, & pullum, imposuisse super eos vestimenta sua, ignorantes super quem illorum vehi velit: & Dominum desuper collocasse. Sed huic respōderi potest dupliciter. Vel quòd illud, Desuper, referatur non ad animalia, sed ad vestimenta. Sic enim interpretatur

Euthym.

Euthym. qui pro eo quod nos habemus: *Et eum desuper sedere fecerunt*, habet ἐκάθισεν ἐπάνω αὐτῶν: hoc est, sedit super ea, scilicet vestimenta pullo imposita; vel eos, nam αὐτῶν ex se ambiguum est. Et confirmatur hic intellectus Syriaci Euangelij litera, quę habet: *Et adduxerunt asinam, & pullum, & imposuerunt pullo vestimenta sua, & equitauit super eum Iesus*. Ex quo euincitur, Christum soli pullo inequitasse, & lectionem vulgatam codicum Græcorum ἐπεκάθισαν ἐπάνω αὐτῆς, id est; collocarunt super eam, scilicet asinam, veram non esse, neque germanam. Nam quomodo super solam asinam diceret Matthęus Dominum collocatum, cùm reliqui tres Euangelistę commemorent super solum pullum insedisse? quod & Euangelium Syriacum apertè docet.

Altera solutio.

Secundo dici potest, Matthæum per synecdochen, vt & aliàs dixisse Dominum collocatum plurali numero, super animalia: quomodo etiam accipi dictum potest per synecdochē, *Dominus his opus habet*:

III. argumentū

Tertiò opponi potest, quod in testimonio Prophetæ,

phetæ, quo hoc factum Domini impletum dicitur à Matthæo, habeatur: *Sedens super asinam, & pullum filiæ subiugalis*. Dicendum est ad hoc, in illo testimonio Prophetę pro fœminino asinam, verti potuisse masculinum asinum. Ita enim permittit vox Græca ὄνος hic posita, quæ communis est ad asinum & asinam: maximè cùm hic in Euangelio careat articulo, nec addatur articulus vllus fœmininus, vt superiùs, cùm dixit Græcè εὑρήσετε ὄνον δεδεμένην καὶ πῶλον μετ' αὐτῆς, id est, Inuenietis asinam alligatam, & pullum cū ea. Et vocabulum quod est apud Septuaginta Interpretes, nēpè ὑποζύγιον, quod est, subiugale, etiā commune sit, & in Hebræo fonte vocabulum, quod his respondet dictionibus, nempe חמור asinū genere masculino ferè vbique significat, non asinam, quæ Hebraicè אתון Athon dicitur, cuius dictionis meminit cum dixit, & super pullum filium asinæ, etsi nomen chamor positum sit in vno loco in genere fœminino. 2. Reg. 19. vt notauit Pagninus, etsi ibi Hieronymus verterit asinum. Propterea si in citato Prophetæ vaticinio nomen ὄνος vertatur masculinè, & non fœmininè, quod dicitur, ascendens super asinum, & pullum filium subiugalis: non diuisim est accipiendum, quasi super diuersa animalia vicissim sedisse sit signatum, sed per asinum, & pullum coniunctim intelligendus iste pullus, qui asinus fuit natura, pullus verò ætate, vt dixit Euthym. Figura enim est Prophetis familiarissima, quia idem mutatis vocibus geminant. Atque in hunc modum explicat hoc testimonium Euthymius. Et explicandum sic omninò videtur, si originalia inspiciantur Hebræorum: etsi citatio Ioannis ca. 12. expendatur, & versio Chaldæi Paraphrastis, & citatio B. Matthæi facta in Euāgelio Syriaco (quod existimatur à nōnullis autographum Matthæi) idem firmat, quæ habet: ועל עילא בר אתנא. ורכיב על חמרא: Sic enim legimus in Zachariæ versione edita à Ionatha, & in Euangelio, & significat: Et ipse equitans super asinum, & super pullum filiū asinæ, & familiare nostræ linguæ esse solet, vt Princeps dicatur ire tribus aut quatuor equis, si totidē habeat comites secum ad equitandum paratos. Quòd si vocem ὄνος quis putat vertendam fœminino in genere, quemadmodum rectè modò legitur in Propheta, dicēdum iuxta mentem Euangelistæ. Qui cùm dixisset, asinam & pullum iussos adduci, subiecit id factū ad completionē vaticinij, in quo dicitur Messias sessurus super asinam, & pullum.

Iam superest, vt dicamus illud esse per synecdochen intelligendum, quod dicitur in vaticinio, sicut quod idem Matthęus dicit Dominū illis opus habuisse, & Apostolos ipsum desuper collocasse. Videtur enim Matthæus (quoniā duo animalia adducta fuerūt ad Iesum) testimonium Prophetæ, quanquam non necessariò intelligendum de duobus animalibus, voluisse accommodare ad vtrunq; animal. Et quoniam in eo dicitur Rex Sion sedere super hoc, vel illud; ideò sermonem suū attemperando Prophetæ verbis, dixisse Dominū sedisse super hæc animalia: quod per synecdochen intelligendum, reliqui deinde Euangelistæ, qui post eum scripserunt, satis indicarūt. Nam super duo equitasse iumēta, refellit Hieronymus in hunc locum Matthæi, his verbis: *Nunc stringendum breuiter, quòd secundùm literam in paruo itineris spatio super vtrumque animal sedere non quiuerit. Aut enim insedit asinæ, & pullus absq; sessore fuit; aut si pullo, quod magis competit, vsus est ad sedendum, asina ducta est libera. Ergo cùm historia vel impossibilitatem habeat, vel turpitudinem, ad altiora transmittimur, vt asina ista quæ subiugalis fuit & edomita, & iugum legis traxerat, synagoga intelligatur. Pullus asinæ lasciuus & liber, Gentium populus, quibus insederit Iesus, missis ad eos duobus discipulis suis, vno in circuncisionem, & altero in Gentes.* Hæc ille. Ex quibus habere potes, Hieronymū iudicasse impossibile, vel absurdum, Dominum inequitasse vtrique iumento: atque hanc sententiam quod tantū asello inequitauerit, non tantùm Hieronymus, sed etiam Episcopus Abulensis, vt tribus Euāgelistis magis consonam, & verbis Prophetæ (*Ascendens super asinum, & super pullum filium asinæ*) magis congruentem, atq; alij viri eruditissimi amplexantur.

His vtcunq; explicatis, ad Euangelium interpretandum accedamus. Nam cùm ex regione deserti, & Iericho veniret, & nocte præcedenti in Bethania pernoctasset apud Mariam, & Martham, vbi cœna exhibita est illi, tandem crastino die profectionem hāc instituit, vt tradit Ioannes. Cumque iam Dominus appropinquaret Ierusalem ciuitati Regię, Sacerdotali, & Prophetali, verus ipse Rex, Sacerdos secūdùm ordinē Melchisedech, & Propheta magnus, substitit ad Beth-phage sito in monte Olineti viculo sacerdotum, & inde misit Apostolos pro iumentis adducēdis. Oliuetum locus est consitus frequentibus oliuis, sicut spinetum spinis, & rosetum rosis. Interpres tamen noster videtur legisse non ἐλαιῶν, id est, oliuarum, sed ἐλαιῶνος: sic, vt etiam legitur Act. 1. B. Hierony. secutus Originem, Beth-phage tradit villulam fuisse Sacerdotū, &, vt alij volunt,

Zachar 9.

Pagninus.
Hieronym.

Euthym.
Figura Prophetis admodum familiaris quæ.

Quid Syriaco de Euangelio Matthæi quibusdā visum fuerit.

B Hieron. li. 3 in Matth. tom. 9.

Vbi historia Scripturæ vel impossibilitatem continet, vel turpitudinem, quo confugiendum, teste Hieronymo.

Galat. 2.

Episc. Abulē. in Matth. 21. quæst. 17.
Zacha. 9.

Ioan. 12.

Ierusalem, Regia, Sacerdotalis, ac Prophetalis erat ciuitas.
Psal. 109.

Heb. 5. & 7.
Oliuetū quid.

B Hieron.
Orig tract. 14 in Matth. circa mediū
Beth-phage locus qualis fuerit.

volunt, propè duobus milliaribus dist ins à Ierusalem, vt ipse mons Olíueti distabat à Ierusalem Sabbati itinere, id est, quod die Sabbati peragi poterat, vt dicitur in Actis. Eratque ei Orientalis, situsque in via è Iericho ad Ierusalem venientibus. Nec videtur ꝙ ibi habitarent Sacerdotes: quia dum durabant vices vigintiquatuor, non exibāt templum, vt dicitur in lib. Paralip. eis verò finitis, supererant aliæ vigintiquatuor hebdomadæ expectandæ ad ministerium. Etsi illo tempore manerēt Beth phage, frustra haberent ciuitates: & Zacharias habitabat in mōtanis Iudææ, siue in deserto: ibi enim erant vrbes pro Sacerdotibus, vt dicitur in libro Iosue. Erat ergo vicus siue villa ad captādam recreationem ad aliquot dies post ministerium, vel vt in ministerium templi ingressuri, in ea quiescerent, & se præpararent, constructa; vel denique pars illius montis Oliuarum deputata erat Sacerdotibus ad oleum purissimum extrahendum in vsum templi. Interpretatur porrò Bethphage, teste Hieronymo, domus maxillarum: nam pag Chaldaicè maxillam significat. Alij interpretantur domum oris vallis: quia pe, est os, & ge, vallis: quæ facilè possunt applicari muneri Sacerdotum.

Act. 1. *1. Paral. 6.* *Luc. 1.* *Iosu. 15. & 21.* Altera opinio. Beth phage quid. *Hieron. ibid.* Pag, Chaldęis quid sit.

Tunc Iesus misit duos discipulos. Tunc, inquit, quia antè huc & illuc diuertebat, & nolebat asinam pro necessitate, sed pro significatione: ideo è loco vbi videbat Ierusalem, & videri poterat, & vbi occurrit occurrēti turbæ, tunc misit pro iumētis non ad laborem subleuandum, quia in via petijsset, sed ad implēdam prophetiā Zachariæ, & ad se Regem ostendendum clariùs quàm antea. Duos autē misit, quos illa lex de missione binorum non contingebat: quia illa tātùm septuaginta duobus discipulis lata est: tamē duos misit ob maiestatem mittentis Regis, & ob ministerium afferendi asinam & pullum, & ob honestatem nuntiorum, & vt vnus alteri perhibeat testimonium, & quicquam turpe facere erubescerent. Fortè aūt hi missi, erāt illi ijdem Apostoli, quos misit ad cœnam parandā, nempe Petrus & Ioannes: vt Lucas scribit. Theophylact. *Duo missi sunt*, inquit, *ad soluendū. Paulus quidem ad Gentes, Petrus verò in Circuncisionē, hoc est, ad Iudæos.* Glossa ordinaria Hilariū secuta, asserit hos duos discipulos fuisse Petrum, & Philippū. Quod autor operis imperfecti in sermone quodam confirmat, ex eo quod hi duo primi Apostoli Gētes ad Christū adduxerint. Petrus enim primò Cornelium Gentilem Euāgelio, & baptismo imbuit: & Philippus primus vocauit Samariam ad fidē. Sed certè parum firma ratio est ista: quia Philippus

Quando misit discipulos Iesus ad adducendam asinā, & pullum. *Luc 10.* Duos cur miserit, non plures, neque pauciores. Discipuli hi duo missi quinam fuerint. *Luc 22.* *Theophyl. in Matthaum.* *Gal. 2.* Glossæ ordinariæ parum probabilis opinio. *Hilar. can. 21 in Matth.* *Aut. oper. imperf in Matt. hom 37. to 2. operum D. Chrys.* *Act. 10.* *Supra 8.* Quis ille Philippus qui conuertit Samariā.

qui conuertit Samariam, non fuit Apostolus, sed vnus ex septem Diaconis.

Dicens eis: Ite in castellum quod contra vos est. Quidam per castellum intelligunt Ierusalem, quia ex illo loco videbatur arx montis Sion. Estq; figura Tapinosis, vbi minus dicitur, & plus intelligitur: vt si mare dicatur gurges. Sed profectò hoc loco castellū non arcem, nec ciuitatem Ierosolymorum significat, vel magnatis palatium: quia Græcè dicitur εἰς τὴν κώμην, id est, in vicum, siue pagum, quæ vox nequaquam significat arcē. Ideò si aliàs dicitur Iesus in castella perambulasse, vel in castella venisse, non arces significantur, sed villæ, aut Pagi. Est autem pagus, multæ villæ, siue domus rusticorum simul positæ, quæ à fonte communi, qui Græcè παγὴ dicitur pagus, eo quòd seruiat omnium aquationi, nominantur. Quod verò dicitur, *quod contra vos est*, non videtur contrarietatem significare contra Apostolos, eo quòd vellet illorum Dominum interficere, vt quidā de Ierusalem exponunt, sed ἀπέναντι ὑμῶν, id est, quod è regione vestra situm est, siue in prospectu vestro, siue ante oculos vestros, sicut apud Poëtam:

In quod castellum duo illi discipuli missi fuerint à Domino. Pagus quid. Illud Quod contra vos est quid significet.

Carthago Italiam contrà.

Virg 1. Æn. initio.

Pagus ergo, qui in prospectu eorum positus erat, esse Ierusalem nō poterat, propter mōtem interiectum, Beth-phage enim posita erat ex altera parte montis Ierusalem, vnde Ierusalem spectari non poterat. Et Lucas refert, Christum progredientem vidisse ciuitatem: priùs igitur nō viderat, nec ad eam Apostolos miserat: atque ita Bethphage non multum distabat à Bethania, quæ etiam quindecim stadijs distabat à Ierusalem: & fortassis propter æqualem distantiam dicitur in monte Olíueti. Pagus ergo, qui erat in eorum conspectu, vel erat Bethania, quæ pagus dicitur Græcè Ioan. 11. & aliàs semper, vel alius aliquis pagus suburbanus, quales plerunque vrbibus adiacere solent, in quibus vehendorum onerum gratia asini in vsu habebantur. Vel denique erat Beth-phage id, quod nondum peruenerat, sed prope erat. Vnde Lucas habet: *Cùm appropinquasset ad Beth-phage, & Bethaniam.* Et Hilarius: *Duo discipuli ad vicū mittuntur, vt asinam ligatam cum pullo eius absoluant.* Et infra: *Asina de vico soluitur, atque exhibetur:* quod de alio quàm de Bethphage vico nō potest intelligi. Et Hieron. in epitaphio Paulæ ita explicat, his verbis: *Post ingressa sepulchrum Lazari, Mariæ, & Marthæ, vidit hospitium, & Beth-phage villam sacerdotaliū maxillarum, & locū in quo pullus lasciuiens Gentium, Dei frena suscepit, Apostolorumq; stratus vestibus, mollia terga præbuit ad sedendum.* Sic ille.

Luc. 19. *B. Hilar. can. 21. in Matth.* *B. Hieron. ep. 27. ante med. to. 2. circa fi.*

Non

Non ergo asina & pullus erant in ciuitate Ierusalem, sed in vico aliquo vicino: & non erant communia iumenta, vt quidam existimant, quia dominos habebant, vt inquit Lucas. Et si communia fuissent, in ingressu portæ Ierusalem, non opus erat prædicere Dominum signa, vbi essent inuenienda.

Luc. 19.

Et statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: soluite, & adducite mihi. Hæc, tum ex Matthæo, tum ex Marco coniunctim allegauimus, vt simul exponantur: *Introeuntes ergo in vicum, statim inuenietis in porta dominũ iumentorum*, vt apud Marc. dicitur. Et sunt signa, vt sine vagatione inueniant in biuio: qui cum Luca, & Ioãne tacuit de ligatione asinæ, quia non erant narraturi eius vsum, vel solutionem: ideo nec de solutione quicquam meminerunt. Vtrumque autem iumentum alligatum petiuit, ob Prophetam prædicentem, & ob significationem Iudæi & Gentilis. Alij autem solum de pullo mẽtionem faciunt: vel quia ille tantum equitatus est, vel quia de eo vt fero, & indomito mirum erat quod se capi, & equitari permiserit, & quia super eum significationis causa cõscendit, vt potestas Christi Domini appareat flectentis quasi voluntatem pulli. *Et si quis vobis aliquid dixerit* (vel, vt Luc. habet, *interrogauerit*) *dicite quia Dominus ijs opus habet: & confestim dimittet eos.* Marcus vero addit: *Et continuo illum dimittet huc.* Recte dixit: *Si quis vobis aliquid dixerit*: quia libere dixerunt, etsi Christus præscierit, & prædixerit quod dicturi erant, vt ostenderetur eius sapientia, & ne Apostoli turbarentur, vel desisterẽt ex respõso diuinorum. Dixit autem illis quid essent respõsuri, nempe: *Quia Dominus ijs opus habet.* Ita enim etiam turba Dominum, Iesum vocabat, ne dum Apostoli, de quibus: *Vos vocatis me Magister, & Domine, & bene dicitis: sum etenim.* Ita Chananæa, & cæci Iesum, Dominum vocarunt. Non aũt significabãt potestatem: quia per hoc non cognosceretur persona Domini Iesu: sicut nec dicendo Filium hominis. Vnde dicebant Iudæi: *Et quis est iste Filius hominis?* Et magna de se dicit, vt instruatur fides: quia plusquam Salomon, & plusquam Ionas hic. ¶ *Et confestim dimittet eos.* Nempè Dominus iumentorum, vt quidam interpretãtur: nam data illi gratia à Deo, vel incusso timore, vel quia cognito Christo acumabantur Apostoli, facile obtinuerunt iumẽta. Et significatur Christi potestas super corda hominum: Cor enim Regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud. Alius tamen sensus occurrit magis germanus, & literæ congruus, quẽ Chrys.

Marc. 11.

Quare Christus asinam, & pullum ad se adduci voluerit.

Zach. 9.

Cur quidam ex Euangelistis solius pulli meminerint.

Quare dictum sit a Domino: & si quis vobis aliquid dixerit, &c.

Ioan. 13.

Matth. 15. Supra 9. Infra 20.

Ioan. 12.

Matt. 12.

Qua ratione impulsus iumentorum Dominus discipulis illa concessit. Prou. 21.

Alter sensus accõmodatior Chrys ho. 67. in Matt. 10. 2.

attingit, & Euthym. *Confestim*, inquit Christus, *dimittet eos*, vbi eorum opera vsus fuerit. Atque hunc sensum, vt verum declarãt verba Marci dicentis: *Dicite quia Domino necessarius est, & continuo illum dimittet huc*, id est, continuo restituet.

Euthy. ca. 45. in Matt.

Marc. 11.

Hoc autem factum est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam, dicentem, Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis. Ne videatur Dominus Iesus nouitate aliqua, aut leuitate concitatus, aut subterfugiendi laboris gratia hæc fecisse, allegat Prophetã, vbi omnia de Messia prædicta Iudæis sibi conuenire ostendit: Iudæosque propterea inexcusabiles reddi. Et hoc ait, scilic. mittere Apostolos pro adducendis iumentis, insidere illis, & intrare Ierusalem, vbi erant intelligentes scripta de Rege Messia à Prophetis. Et quia Christiani sciunt, quod in Nouo Testamento vere allegatur sensus literalis, ob Iudæos tantum concordandæ sunt allegationes cum fontibus Veteris Testamenti. Hoc autem testimonium iuxta Hebræam veritatem ita habet: *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator: ipse pauper, & ascendens super asinum, & super pullum filium asinæ.* Septuaginta vero Interpretes ita legunt: *Lætare valde filia Sion, prædica filia Ierusalem: Ecce Rex tuus* (ἔρχεται) *venit, vel veniet tibi iustus, & saluans ipse mansuetus ascendens super subiugalem, & pullum equinum nouum.* Quod testimonium per omnia conuenit Hebræo: nisi quod vbi dicitur Hebraicè *Pauper*, Septuaginta dicunt, *Mansuetus.* Chaldæus Paraphrastes habet: *Exulta vehementer cætus Sion, iubila cætus Ierusalem. Ecce Rex tuus venit intra te, iustus ipse, & Saluator mansuetus, equitans in asino, & pullo filio asinæ.* Matthæus vero hæc verba concisiùs allegauit: quia non curiosè ad verbum recitabant testimonia Prophetarum, sed tantum iuxta sententiam, quemadmodum in plerisque alijs locis, tum Christus, tum Euangelistæ, & Apostoli fecisse leguntur. Quare omisit Matthæus illud: *Ipse iustus, & Saluator*, siue saluans, quod id scopo suo non deseruiret.

Matt. 5.

Zach. 9. Hoc Prophetæ vaticinium dicite filiæ Sion, &c. cur fuerit allatum.

Zach. 9.

Illud testimonium quam conforme sit Hebrææ veritati.

Cur Matt. hoc testimonium Prophetæ paulo aliter retulerit, quam sit.

Illud vero initium vaticinij: *Dicite filiæ Sion*, videtur ex Esaiæ 62. cap. desumptum, vbi dicitur: *Dicite filiæ Sion, Ecce Saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo.* Mirandum vero, quod censor cœli, & terræ Erasmus ausus sit Euangelistam reprehendere, quod neque cum Hebræa veritate, neque cum editione Septuaginta Interpretum consonet testimonium ab eo productum: quasi nouum, vel insolitum sit

Initium illud vaticinij: Dicite filiæ Sion, &c. vnde desumptum sit. Mos Euangelistarum in testimonijs proferendis ex lege, & Prophetis, Erasmo haud compertus.

B. Hieron. tom. 2.

Euangelistas paraphrastice locos Scripturę adducere, aut duo simul loca ex Prophetis citare, vt idem vtroque loco significari ostendant. Et Beat. Hieronymus epistola ad Pammachium, de optimo genere interpretandi docet, Euangelistas, & Apostolos, & Septuaginta seniores solitos esse sequi sententiam, de verbis autem eorum nõ admodum fuisse solicitos.

Quibus dicitur: Dicite filiæ Sion, & reliqua.

Hebræi filiarũ nomen quib. acciõmodent.

Psal. 44.

Psal. 130.

Porro cum ait: *Dicite filiæ Sion*, adhortatio est ad Prophetas, & prædicatores, vt nuntient Ecclesiæ Israeliticæ tam læta, & fausta nuntia, quale erat aduentus sui expectati Messiæ. Nam familiare est Hebręis filiarum nomen vrbib. siue vrbium ciuibus imponere, vt in lib. Threnorum non semel fit, & Dauid, *Filiæ*, inquit, *Tyri, in muneribus*: &, *Filia Babylonis misera*: & significat cœtum vel cõgregationẽ Ierosolymitanam phrasi Hebræa, vt Chaldæa editio allata ostendit. Et sic interdum inter Gręcos loquitur Pindarus antiquissim⁹ scriptor. Dicitur autem filia Sion, ab arce Sion, & templo in ea collocato, à quo protegebatur, & custodiebatur populus Ierosolymitanus: qui etiam dicitur filia Ierusalem, à fortitudine murorum, & propugnaculorum, quibus munita erat. Et dicitur illi: *Exulta satis, & iubila*, id est, Dicite, quia secuta est exultatio ex aduentu Regis Messiæ præ lætitia extrã saltando, & iubilare debet canticum, & Pæana canere in eius aduentum, & ingressum ciuitatis. Et quia nouerat Spiritus sanctus non diu duraturum hoc gaudium, quo illo die exceptus fuit Dominus, sed breuiter conuertendum in lugubre, & flebile carmen, quoniam post sex dies Regem suum Messiam, & autorem vitæ tanta pompa, & applausu exceptum Cruci debebant suffigere, & tanquam leprosum, & capitalem inimicum reputare, propterea Propheta dixit: *Exulta satis*, id est, noli te cum eo exultare ad horam, sicut Dominus dixit Iudæis de Ioanne Baptista, qui tamen postea in necem eius conspirarunt. Ioannes Euangelista paulo aliter citat hoc testimonium: *Sicut*, inquit, *scriptum est, Noli timere filia Sion: Ecce Rex tuus venit sedens super pullum asinæ*: Vbi rectè ait, Noli timere, quia hic Messias Rex est amoris, & in eius regnum non nisi volentes, & tracti à Deo admittuntur, & ad pacem, quæ exuperat omnem sensum cum gaudio ineffabili coniunctam, expulso omni timore possidendam admittuntur. Noli timere, id est, Noli turbari de tali habitu Regis asello inequitantis cum discipulis, & cum tali turba acclamante: agnosce eum, ne pereas cum alijs, qui eum non agnouerunt. Ecce, inquit, id est, ita propinquus est, vt possit à pueris digito monstrari. ¶ *Rex tuus*. Id est, Tibi promissus, & à te expectatus, & de gente, & cognatione tua, vt præcipitur in Deuteronomio, vbi dicitur: *Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus. Venit tibi*, non venis tu ad eum tibi ipsum adducturus, quia altius, & longius habitat, quam vt ad ipsum tuis opibus, opera, aut labore queas pertingere, ne gloriari in te valeas: sed venit ex mera gratia, & quia prędixit, & promisit in Prophetis se venturum. Et venit tibi, id est, in gloriam, & felicitatem tuam, imo etiam in vtilitatem, quoniam venit ad excutiendum iugum Satanæ, & peccati, quod ceruicibus tuis imminebat, & ad æterna & cœlestia bona tibi communicanda, si fide exceperis eum, vt par est. Quod si eum non excipias, contra te est hic Messiæ tui aduentus, & in ruinam, & dedecus sempiternum: quemadmodum factum est. Venit etiam tibi, id est, te obligans, vt post tantum doctrinę lumen, & tot Prophetarum oracula, quibus se à Deo missum declarauit, & post tot, & tanta signorum miracula, quibus se Filium Dei, & Messiam verum, testatum, & comprobatum reliquit, illum in Messiam, & Redemptorem recipias.

Ierusalem cur dicta filia Sion & Sion filia Ierusalem.

Exultare quid

Exultare satis cur iubetur filia Ierusalem.

Act. 3.

Esai. 53.

Ioan. 5.

Ioan. 12.

Zach. 9.

De quo illa timere non debeat.

In regnum Dei qui tantũ admittantur.

Philip. 4.

Christus Messias quam proprius Iudæorum.

Deut. 18.

Ad quid illis venerit, & nobis.

Eum non recipientium pœna, & supplicium.

Effectus Messiæ aduentus quis.

Matt. 21.

Venit tibi iustus, & Saluator. Hi sunt effectus aduentus Messiæ, nempe efficere iustos, & saluare. Adiungit Propheta: *Ipse pauper*. Pro quo Septuaginta Interpretes, & Matthæus dixerunt: *Venit tibi mansuetus*: nam vox Hebræa עני per iota pauperem, humilem, & afflictum significat, ענו vero cum vau mitem, & mansuetum, etsi vtraq; vox à verbo ענה deriuetur: Nec vere quis est mansuetus, nisi sit & humilis, afflictus, & paupertate probatus. Fuit autem Christus paupertatis amator, & prædicator: & maxime in hoc ingressu Regio paupertatem prætulit, & afflictionem, qui videndo Ierusalem fleuit, & flendo ingressus est. Fuit etiam mãsuetus, id est, manu assuetus, tractabilis, dulcis, non seuerus, aut imperiosus, non ingrediens super equum bellatorem, discordiæque amatorem, qui procul odoratur bellum, & gaudet ad vocem tubæ, sed super asinum patiens, & mitte animal. Et vt fructus iam maturus & mitis compressus reddit dulcem succum, ita Dominus calumnijs, & blasphemijs, & irrisionibus pressus reddidit bonum pro malo, donec in torculari Crucis, clauis, lancea, & pungẽtibus verbis lacessitus emisit dulcissimum succum sanguinis sui, & vocem illam mel omne dulcedine superantem: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*: ita

Christi paupertas, mansuetudo.

Mansuetus quid.

Qualis Christi mansuetudo.

Ioan. 19.

Matt. 27.

Luc. 23.

Rom. 12.

vt

vt semper vicerit in bono malum.

Sedens super asinum, & pullum filium subiugalis. Hoc per figuram Synecdoches intelligendum est: nam, vt diximus, solum inequitauit pullum asinæ, vt testatur tres posteriores Euangelistæ, & tot Patres, maximè Hierony. & Euthym. asina vltrò sequēte pullum, quia ita erat indomitus, vt absq; matre duci non posset. Et ita media asina, id est, Apostolis ex Vetere lege profectis, ductus est populus Gentilis ad Christum.

Quomodo accipiendum sit: sedens super asinam, & pullum filium subiugalis. *Marc 11. Luc 19. Ioan. 12. Hieron. supra citat. Euthym.*

Possumus etiam alia ratione tueri, rectè dictum Christum solum pullum asinæ conscendisse; cùm tamen Euangelista non tantùm de pullo, sed etiam de matre mentionē faciat: quia vernacula lingua loqui consueuimus: Hic equitat decem, aut viginti equos, si totidem habeat penes se, etiamsi vnū tantum equitet: ita Christus equitabat super pullū, sed asina comite, & præcedente, sine qua pullus nō pergeret. Qua ratione summus etiā Pontifex dum vni iumēto insidet, alia tñ iumenta sessorib. destituta, & ornata, siue equi sint, siue mulæ, quibus vehi possit, siue lectica, siue carpentum, de more prope eum adduci solent.

Altera acceptio.

Quod vero ait: *Et super pullum filium subiugalis*, vt Septuaginta verterunt, & Matthæus est secutus: ad maiorē humilitatem pertinet, quasi dicat, filiū asinæ sub iugo incedere solitæ. Quod posuit Euangelista de suo, ad declarādum, Prophetā locutum de ea asina, quæ nō ad iter faciendum, vt mos est eius regionis, sed gestandis onerib. alebatur: adeo abiecta fuit prophetiæ impletio, quomodo de Balaam ait B. Petr. quod correctionē habuit suæ vesaniæ subiugale mutū animal, quod Græcè dicitur ὑποζύγιον, id est, domitū, & iugo assuetum ad onera subuectanda, quale est bos, mulus, equus, & asinæ, quæ iumēta sunt dorsuaria. Quanquam hoc verbum subiugale non videtur admodum Latinum. Subiuges autē equos memorat Plinius: *Nero*, inquit, *hermaphroditas sustentabat subiuges carpento suo equas*. Sic ille. Ideo quidam putant hic fuisse dicendū, Super pullum subiugis asinæ Sed id profecto leuissimum est, & indignum, de quo contentio fiat. Nomen autem filij etiam vsurpat Columella de onagris loquens.

Ad quid Matthæus proprio ex fonte addidit: filium subiugalis.

2 Petr. 2. Num. 22.

Subiugale animal quod sit.

Plin. lib. 11. cap. 49.

Columella lib. 6. cap 37.

Neq; mirum, Dominum super pullum asinæ equitasse, quia pullus tenerum iuuencum significat equitationi idoneum. Quod ostenditur ex cap. 10. lib. Iudicum, vbi triginta filij Iair ascendebant super triginta pullos asinarum. Et cap. 12. eiusdem libri filij Abdon, & triginta eius nepotes ascendisse leguntur super Septuaginta pullos asinarum.

Quomodo pullus asinæ à Domino equitari potuerit.

Abeuntes autem discipuli qui missi fuerant, inuenerunt sicut dixit illis stantem pullum ligatum ante ianuam foris in biuio. Et fecerunt sicut præcepit illis Iesus: & soluunt eum. Hæc ex diuersis concinnauimus Euangelistis, & significant Apostolos eius præceptis non contradixisse, sed promissione eius fretos properasse, & successisse illis ex sententia quod volebant. Etsi autem Matt. concisius hæc enarret, Marc. tamen, & Luc. addunt: *Soluentibus autem illis pullum, dixerunt domini eius ad illos, quid soluitis pullum? At illi dixerunt, quia Dominus eum necessarium habet. Et duxerunt illum ad Iesum. Et iactantes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Iesum.* Quibus verbis ostendunt ad literam euenisse illis quod Christus prædixerat: Et quod dicitur in Ioanne: *Inuenit Iesus asellum, & sedit super eum. sicut scriptum est, &c.* intelligendum est inuenisse per Apostolos suos, quibus peculiarem modum inueniendi asinum dedit, & gratiam obtinendi à dominis. Quod vero allegato vaticinio Zachariæ subdit: *Hæc non cognouerunt discipuli eius primum: sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt quia hæc erant scripta de eo, & hæc fecerunt ei.* Nouum non est eos tardius intellexisse verba, & gesta Domini. Erant enim Apostoli adhuc rudes, necdum plane instructi de mysterijs Messiæ: ideo non nisi post suscitatum Dominū à mortuis, qui illos peculiariter instruxit per dies quadraginta loquēs de regno Dei, & per Spiritum sanctum cœlitus haustum illa perfecte intelligere potuerunt. Postea autem cōferebant vaticinia prophetarum cum euentibus, & operibus Iesu, & ita esse comperiebant.

Apostolorum in Christum obedientia, & obsequium.

Marc. 11. Luc. 19.

Vt inuenerit Christus asellum, super quē sedit, vt Ioannes inquit. *Ioan. 12.*

Apostolorum intelligentiæ tarditas vnde.

Act 1.

Infra 2.

Et subdit Ioannes: *Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos, Videtis quia nihil proficimus? Ecce mundus totus post eum abyt.* Quo verbo cordis sui impietatem produnt, teste August. nam vnde gratias Deo agere debuissent, irritantur potius, & indignantur. Deinde ex inuidia paucos illos, qui illi perhibebant testimonium, totū mundum vocant, & ad semetipsos loquūtur, vt se mutuo cōsolētur. Et reuera nihil proficitur in Christū, quia durum est contra stimulū calcitrare: & dum bellum gerimus cū illo, nihil est aliud quā stipulam siccam igni aduersari, quam cum primum contingit, consumitur, vt pulchre ait Theoph. Et cum fateantur se nihil proficere, non tamen cessant, sed dati in reprobum sensum, perseuerant in sua obstinatione, vt Saul, & Pharao. Chrysost. vero & Theophyl. putant, illa verba dicta ab his qui Christo fauebant occulte, non tamen publice audebāt defendere. Sed mihi prior sententia Augustini magis satisfacit.

Pharisæorum impietas in Christum, & ingratus animus.

Aug tract. 41. in Ioan. tom. 9.

Nihil in Christum proficitur.

Act. 9.

Bellum gerere cum Christo quid.

Theophyl in Ioan. Rom. 1. Chrys ho. 65. in Ioan. to. 3. Theoph. ibid.

Quod

Infra 10.

dum ex petra septem oculos (id est vniuersitatem oculorum) habente, hoc est Iesu Christo crucifixo, voluit omne lumen emanare. Vnde velum templi tunc scissum est, quando per Crucem ablatum est velamen, & illuminati qui Cruci adstiterunt, & reuersi sunt percutiētes pectora sua. Cognouit etiam Centurio Gentilis Iesum, & confessus est illum iustum, & Filium Dei. In Iesu crucifixo omnia videntur, scilicet Dei misericordia ad nos, & singularis charitas, iustitia in peccatum, animę immortalitas, diuinitas, & humanitas Christi. Ideo ante sanationem cæci describitur Christi passio: quæ dupliciter ad videndum iuuat. Primo vt color, id est vt obiectum, seu vt liber, in quo omnia videntur, quę sunt fidei: secundo vt lux, qua illud lumen ad videndum comparatum nobis est, & instrumenta, seu adiumenta, quibus ad illud possidendum cōtendamus: vt sunt desiderium salutis, auditus, siue lectio verbi Dei, oratio, puritas cordis, operatio bona: quæ omnia nobis lumen diuinæ gratiæ conciliant: maxime vero illo tempore anni, quo Ecclesia hoc Euangelium legere consueuit. Illis enim diebus genialibus, siue Bacchanalibus nemo Iesum, sed diabolum eorum autorem sequitur, omnes ad laruas, & ad alia spectacula vana accurrunt: qui tamen cum Propheta orare deberent: *Auerte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua viuifica me.* Id est: vndique mors ingruit, nisi auertamus oculos à vanis, & viæ legis insistamus. Pulchre dictum est à Sapiente: *Sapientis oculi in capite eius:* innuens stultos non habere oculos in capite, id est in Christo Domino, capite vniuersæ Ecclesiæ tuendo & defendendo. Abraham, Isaac, & Iacob, ea potissimum de causa Deo placuêre, quia cum totus mundus in tenebris idololatrię, & obscœnorum peccatorum inuolutus esset, ipsi præ cæteris auertentes oculos à vanitate, Deum colebant, illumq; sequebantur. Ideo Abrahæ dictum, *Ambula coram me, & esto perfectus.* Idcirco quādo omnes Christum illis Bacchanalium dieb. derelinquunt, tu contende illum sequi, quemadmodum Apostoli Christum secuti sunt deficientibus Capharnaitis, & alijs multis etiam septuaginta duobus Discipulis: & latro ille à dextris Christi crucifixus propterea tantum nomen, & laudem sibi comparauit, quod cum cæteri homines Iesum desererent, & negarent, imo acerbissimis verbis illi illuderent, eumque blasphemarent, ipse solus & Dominum, & Regem confessus est: vt intelligant omnes, qui Christi Dei cultores esse volūt, tunc sibi esse Christum vitæ, & vitæ integritate consectandum, & ore confitendum coram hominibus, cum maxime homines insaniunt, & opera tenebrosa dæmonis amplexantur, & in præcipitium gehennæ certatim se conijciunt: à qua nos sua immensa misericordia liberet benignissimus Iesus, humanæ salutis amator ardentissimus, qui cum Patre, & Spiritu sancto pari honore, gloria, atque imperio potitur in seculis sempiternis, Amen.

Matt. 27. 2. Cor. 3. Luc 23. Ibidem. & Matt. 27.

Quæ videantur in Christo patiente.

Passio Christi ad videndum dupliciter confert.

Quæ res nobis diuinæ gratiæ lumen concilient, & quando potissimū.

Psal. 118.

Eccl. 2.

In quo capite, vt ait Sapiens, Stulti oculos non habe nt.

Ephes. 1. & Coloss. 1.

Gen. 17.

Ioan 6. Luc. 23.

Boni latronis sequela Christi qualis.

Matt 10.

Quo magis tempore Christum Christiani sequi debeant.

TRACTAT. XLVI.

In quo agitur de signo, quo duo cæci sanati sunt Domino egrediente de Iericho: de quo Matt. 20. quanquam Marcus de vno solo cæco cap. 10. vocato Bartimæo mentionem faciat.

AD literam primo loco se offert quæstio: quia Matthæus duos cæcos Dominum egressum à Iericho curasse scribit, cum Marcus vnius tantum meminerit. Sed hoc eodem modo, soluendum est, quo illud, quod Matthæus alio loco tradit, duos dæmoniacos à Domino sanatos in regione Gerasenorum, cum Marcus & Lucas vnius faciant mentionem: videlicet quod eorum vnus notior fuerit. Ita etiam & modo eum solum commemorare voluit Marcus, cuius curatio tam claram famam huic comparauit miraculo, quam eius erat nota calamitas, & persona. Ideo ad euidentiam signi, & nomen eius, ac patris ipsius explicauit, nempe Bartimæum filium Timæi. Neque mirum est, aut nouum, quod Euangelistæ quærant recensere, quæ ab alijs sunt prætermissa. Improbabile tamen videri non potest, quod si cæcus, de quo Lucas agit, diuersus sit ab eo, cuius meminit Marcus, Matthæus vtrumque simul sit complexus, simul narrare volens & eum qui ante ingressum, & eum, qui post egressum est curatus: quod vtriusque curatio omnino similiter, & circa eundem locum sit facta.

Cum duo cæci fuerint à Domino sanati, cur Marcus tantum vnius, nempe Bartimæi facit mentionem?

Matth. 8. Mar. 5. Luc. 8.

Quanam ratione Matthæus videri possit, duos illos cæcos, quorum Luc. & Marcus singulariter meminerunt, hoc loco comprehendisse.

Luc. 18.

Sunt præterea qui censent, duos cæcos, quorum meminit Matthęus, diuersos fuisse, non solum ab eo, de quo Lucas, sed & ab eo, de quo Marcus meminerunt: in hac enim sententia est Euthymius: eo quod cæci apud Matthæum dicuntur contactu sanitatem consecuti, cum id nec Marcus, nec Lucas de suis narrent: quam quidem opinionem ille confirmat Chrysostomi testi-

Cur eos cæcos faciat distinctos Euthym.

Matt. 9. Luc. 18.

Euthy. c. 44.

Infirmatur hæc opinio.

testimonio. Sed hoc argumentum non est adeò firmum, vt rem efficiat indubitatam: nam solet vnus Euangelista supplere quod alter omisit.

Primò ergo exponemus signum à Matthæo descriptum de duobus cæcis; deinde si quid supplendum fuerit, addemus ex Marco.

Dominum cũ turba egredientem ex Iericho, quæ turba fuerit secuta.

Egredientibus (inquit) *illis ex Iericho, secuta est eum turba multa.* Illa eadem videlicet, quæ secuta dicitur Matth. 19. in principio, vel noua fortassis ex Iericho: & narratur vt testis miraculi adsit, & occasio interrogandi cæcis, quis esset qui transiret; & vt impediens & increpans cæcos introducatur.

Quare dicitur turba multa. Christi item omnipotẽtia.

¶ Ac dicitur turba multa, ad significandam magnam eius ad Christum pietatem, & fidem. Et quia Christus erat omnipotens, quouis loco & tempore edere signa poterat; ideò caussa cur in vno loco plus quàm in alio fecerit, opportunitas fuit, id est, necessitas, & fides petentium. Et præter illa, nunc etiam turba aderat, & tempus, & locus passionis non longè distabant: ideò in Bethania Lazarum suscitauit.

Ioan. 11.

Duo illi cæci cur sederent secus viam. Luc. 18. Marc. 10. Matth. 9. Ioan. 9. Ibidem. Matth. 21. Act. 3.

Et ecce duo cæci sedentes secus viam. Hoc faciebant ad mendicandum, vt constat Lucæ 18. Marc. 10. & hoc loco: non autẽ quod eijcerentur extra ciuitatem, quia cæcitas non erat morbus contagiosus. Vnde Matt. 9. & Ioan. 9. intra ciuitatem mendicabant, imò iuxta templum etiam Ioan. 9. & in ipso templo Matth. 21. & Act. 3.

Ijdem quare clamarent, Domine miserere nostri.

Clamauerunt dicentes, Domine, miserere nostri, fili Dauid. Clamabant ex desiderio vehementi sanitatis; & quia Christum sequi non poterant, & quia nesciebant, an propè, an longè esset; & quia timebãt an strepitus turbę vocem impediret. Et filium Dauid vocant, vnde & ex tempore impleto, & aliorum doctrina, & lumine fidei interno Messiam esse cognoscebant.

Eos turba clamantes quãobrem increpauerit.

Turba autem increpabat; at illi magis clamabant, &c. Aliqui quidem increpabant, ne molestiam inferrent Christo; alij, ne laudarent; alij, ne impedirent docentem. Et illi magis clamabant ex fide, vt Iesus eos audiret, non obstante clamore turbæ, & ex clamore magis notum factum est miraculum toti turbæ.

Dominus Iesus duos cęcos illuminaturus cur steterit.

Et stetit Iesus, & vocauit eos. Vt animarẽtur, & non desisterent à petitione, quia non erant propè domus ingressum, vt alij duo cæci, de quibus Matth. 9. & vt plures scirẽt, quàm si domi eos curasset, vt idem tradit, quia tunc initium prædicationis erat: postea verò manifestiùs signa edebat. Vel si ambulando curasset, pauci animaduertissent, stando verò, turba redditur signo attentior; & ne cæci laborarent sequendo eum. Vnde Hieronymus: *Quia cæci,* inquit, *quò pergeret, ignorabant, & multæ foueæ erant in Iericho, multa rupes, & prærupta in profundũ vergentia: ideò Dominus stat, & vt benignitatem suã ostenderet expectando eos ad se venire.*

B. Hieron. tom. 9.

Cur eosdem vocauerit.

Vocati autem sunt, vt magis peterent vt tangeret eos, & animarentur tanto Christi fauore, & non impedirentur à turba.

Quare interrogauerit.

¶ *Et ait: Quid vultis vt faciam vobis?* Interrogauit vt iterum orarent, quo constet turbæ petitio eorum, ne cæcitas eorum denegetur, sicut cæco nato denegata fuit, vt habeãt occasionem respondendi.

Ioan. 9.

Ab eisdem, an crederent, vti alias solebat, cur non quæsierit.

Hi autem credebant, vt verba eorum testantur, & nota iam erat Christi potestas. Ideò non quæsiuit ab illis, an credant quod possit eos curare, quemadmodũ ab alijs duobus cæcis quæsiuit: nam eo tempore nondum erat propalata Christi virtus.

Ad quid tetigerit oculos eorum.

Misertus autem eorum Iesus, tetigit oculos eorum. Tetigit, vt ipse videretur edere signum; & quia credebant se posse curari tantùm tactu.

Ijdem vt viderint.

¶ *Et confestim viderunt.* Id est, visum receperunt, vt non tantùm intelligas potentiam, siue facultatem videndi recepisse, sed etiam actum: quam potentiam etiam dormientes habent. Et statim sanauit non faciendo aliam cæremoniam.

Modi quatuor quibus in sanando Dominus vsus est.

Et curatio ex hoc videtur miraculo obtenta. Nam Dominus statim quosdam curabat post verbum, vel post tactum, quosdam verò, vt surdum & mutum, de quo Marcus, cum mora & successione temporis sanabat, prę-mittendo quædam ex se non disponentia, sed pro voluntate Christi, quo infirmi conciperent fidem: sed in fine illorum sequebatur sanatio in Christi præsentia.

Marc. 7.

Rursus quosdam alios in absentia sanabat, vt cæcum natum. Prætera quosdam vno miraculo edito, aliquo actu incipiebat sanare, & alio perficiebat: vt cæcum ad Beth-saidam: sed in omnibus effectus signi, & dispositio in instanti inducebatur, nec cæremoniæ disponebant.

Ioan. 9.

Mar. 7.

Primus modus.

Et primus modus, & communis naturam signi ostẽdit, quod est in momento, siue in instanti operari.

Secundus.

Secundus modus erat, vt ostenderentur varij effectus, vt surdus, & mutus apud Marcum, vel ad instructionem præsentium, vt orarent, & scirẽt Christum orantem à Deo esse profectum.

Mar. 7.

Tertius.

Tertius modus, in absentia, vt fides infirmi videretur, vt in cæco nato, fideliori Naaman Syro, qui ad verbum Helisæi minimè curari à lepra posse se credidit: & vt in cæcis appareret grati animi signum, quia eum sequebantur.

Ioan. 9. 4. Reg. 5.

Cęci nati fides quãta fuerit.

Quartus.

Quartus modus, duplici signo seruiebat, vt varius

modus operandi demonstretur,& ex consequenti potentia operantis; in successiuis autem,vt cæco nato apud Ioannem, & cæco à Beth-saida apud Marcum,non aderat turba eadem spectatrix. ¶ *Et secuti sunt eum.* Gratum suum animum testantes , & iam potentia videndi recepta videre poterant. Sequebantur autem vt audirét Christum. Et vt signum manifestum fieret , admisit hos Christus,& non arreptitium,quia non sequebantur vt discipuli , vt ille volebat, cùm non esset necesse,vt manerent ad narrandum signum,vt ille, quia Christus non est ibi admissus. Ille autem & infamis erat ex feritate,& ex dæmonijs obsidentibus,& vilesceret prædicationis officium. Atq; hactenus dictum sit de duobus cæcis ex Matthæo.

Ioan 9. Mar. 8.

Hi cæci iam illuminati cur secuti fuerint Iesum:ab eoque suscepti, non autem arreptitius ille, quem dæmone liberarat. *Luc. 8.*

In Marco autem additur, vnum ex his cæcis fuisse Bar-timæum , vt sciamus nomen illius. Nam fide prædi[t]i homines in libro viuentium scripti sunt, & nomina illorum etiam coram hominibus innotescunt.Hieronymus verò contendit legendum esse, Barsemia, hoc est filius cæcus, vel filius cæcitatis, quòd cæcus esset à natiuitate,vel ex Syro,& Græco , filius honoris,vel filius admirantis,ex bar,quod est,filius,& thamath,quod est ad admirari.Vocatus hic cæcus fuit,& dixerunt ei : *Animæquior esto;surge,vocat te.* Id est, bono animo esto:quia vocatus es, vt sanitatem recipias. Quod vbi cæcus audisset, etiam abiecto pallio,quo defendebatur aduersus temporum iniurias,expeditus exiliuit, ostendens fidei magnitudinem,& accurrit ad Iesum: quemadmodum abiecto pallio Ioseph euasit è manibus mulieris illum ad peccatū solicitantis.

Mar.10. Cæci Battimæi cur meminerit Euāgelista.

Hieron. lib. de nominib. Hebrais in Ioanne, tom.3. Barsemeus quid Hieronymo. Bar,& thamah Hebræis quid.

Huius Battimæi fides qualis.

Gen.39.

Pulchrè ergo exprimitur alacritas, & promptitudo,qua Christum vocantem sequi debemus. Non est,cùm ille vocat,aut cunctandum,aut de Dei bonitate, vel potentia hæsitandum, sed reiectis omnibus, quæ cursum nostrum ad eum fide amplectendum , & operibus imitandum impedire possent, promptè est properandum. Beatus Augustinus serm.de verbis Domini in hunc modum de signis philosophatur: *Sicut animus,inquit,melior est corpore, sic & melior salus animi, quàm corporis. Modò caro cæca non aperit oculos miraculo Domini , & cor cæcum aperit oculos sermoni Domini. Modò non resurgit mortale cadauer ; resurgit anima, quæ mortua iacebat in viuo cadauere. Modò aures corporis surdæ non aperiuntur, sed quam multi habēt aures clausas cordis, quæ tamen verbo Dei penetrante patescunt , vt credant qui non credebant, & benè viuant qui malè viuebant, & obediebant qui non obediebant?* Et infra: *Sine,inquit,mortuos sepelire mortuos suos. Certe mortuos sepulturi non sunt corpore mortui : quia si hoc esset, mortua corpora sepelire non possent. Tamen mortuos eos vocat. Vbi,nisi intus in anima? Sicut enim etiam visibiliter plerunque in domo integra, & salua,dominus eiusdem domus mortuus iacet: sic in corpore integro multi habent animam mortuam.Et hos sic excitat Apostolus: Surge qui dormis,exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Ipse illuminat excæcatum, qui excitat mortuum. Eius enim voce per Apostolum clamatur ad mortuum:Surge qui dormis.Cæcus luce illuminabitur cùm resurrexerit.Surdos autem quàm multos ante oculos suos Dominus intuebatur , cùm diceret: Qui habet aures audiendi;audiat Quis enim ante illum sine corporeis auribus stabat? Quas ergo alias aures nisi interioris hominis requirebat? Item quales oculos quærebat, cùm loqueretur vtique videntibus, sed videntibus per oculos carnis? Nam cùm ei diceret Philippus : Domine, Ostende nobis Patrē,& sufficit nobis; benè quidem hoc intelligebat,vt demōstratus Pater posset sufficere, sed cui nō sufficiebat æqualis Patri , quomodo sufficeret Pater? Quare autem non sufficiebat? Quia non videbatur. Quare non videbatur? Quia nondum erat sanus oculus, vnde posset videri. Hoc enim quod in carne Domini videbatur,his oculis non soli discipuli viderunt,qui honorauerunt , sed & Iudæi,qui crucifixerunt. Qui ergò aliter se videri volebat,alios oculos requirebat : & ideò sic respondit dicenti : Ostende nobis Patrem,& sufficit nobis: Tanto tempore vobiscum sum, & non me cognouistis? Philippe,qui me videt,videt & Patrem. Et vt interim fidei oculos sanaret, pri⁹ admonetur secundum fidem , vt possit ad speciem peruenire. Et ne sic putaret Philippus cogitandum Deum, quomodo videret in corpore Dominū Iesum Christum, statim subiecit: Non credis quia ego in Patre,& Pater in me est? Iamdudum dixerat,Qui me videt,videt & Patrem. Sed nondum habebat Philippus sanum oculum , vnde videret Patrem, atque ideò nec vnde videret ipsum Filium Patri coæqualem. Qui ergò non potest videre quod demonstraturus est Dominus, non quærat prius videre quod credat, sed prius credat,vt possit oculus sanari quo videat.* Hæc ille, & multa alia similia in eo sermone tractat, docens præter signa,quæ corporis oculis subijciebantur,alia spiritualia in eo intelligi. Et quemadmodum, vt etiam testatur Augustinus libr.de verbis Domini: *Qui videt literas in codice optime scripto, & non nouit legere, laudat quidem antiquarij manum , admirans apicum pulchritudinem,sed quid sibi velint, quid indicent illi apices,nescit,& est oculis laudator, mente non cognitor : alius autem & laudat artificium, & capit intellectum, ille vtique qui non solum videre quod commune est omnibus,potest , sed etiam*

Quàm promptè quam alacriter Christum nos vocantem sequi debeamus.

B. Aug. serm. 18 de verb. Dom sub ini. tom. 10. Animi salus quā corporis, quanto præstantior sit teste Augustino

Idem ibid. Matt. 8

Qui sint mortui sepelientes mortuos suos secundum eundem Augustini sententiam. *Ephes.5.*

Matth.13. Aures Dominus & oculos a Iudæis quales requireret.

Ioan.14.

Illud Apostolicum. Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis, idem egregie expendit Augustinus.

Aug. ser 44 de ver Dom. prope Signorum C[hristi] [illegible] & adm[irat]io [illegible] cognit[ores] quales Augustino.

legere,

legere, quod qui non didicit, non potest: ita qui viderunt Christi miracula, & nõ intellexerunt quid sibi vellent, & quid intelligentibus quodammodò innuerent; mirati sunt tantum quia facta sunt; alij verò & facta mirati, & intellectu assecuti. Hæc ille diuinus Pater.

Mentis nostræ cæcitatem curare, virtutisq; inopiam subleuare qua ratione valeamus. Cæcus qui sit.

Ad rem igitur, si cæcus es ex ignorantia veri, & mendicus inopia virtutis; clama per fidem ad Iesum Nazarenum, id est, floridũ per resurrectionem, & pete, vt misereatur tui. Quis autem cæcus est nisi ille, qui non videt quæ ante se sunt, hoc est ventura, neque illa quæ post se, id est, qui non recordatur eorum quæ gessit, nec quæ à dextris prosperitatis allicientis, vel à sinistris aduersitatis terrentis, nec quæ supra videt, cælum scilicet quod amisit, nec subtus, id est, infernum quẽ promeruit, nec intra se cernere potest quàm malè habeat, nec quid agere, aut quid vitare debeat: nec rursus extra se considerat vel lutum luxuriæ, vel spinas auaritiæ, vel saxa odij, & obdurationis, vel foueam desperationis, in quã seipsum præcipitat. Quòd si fortè clamorem tuum, vel conscientiam peccatorũ, vel dæmones intus; vel foris homines carnales irridẽtes, atque persequẽtes impedire tentauerint; noli retrocedere, sed clamorem intende orationis: quia tandem vinces, & obtinebis tibi, & alijs lumẽ oculorum, quibus videas Christum, & illum sequaris, & magnifices pro beneficijs Deum, & fias dux aliorum. Beati ergo oculi, qui & vident, & sequuntur Christum Dominum nostrum, cui cum Patre, & Spiritu sancto ab vniuersa creatura reddatur omnis gloria, honor, & imperium in secula seculorum, Amen.

Clamor orationis quàm fortis ac potẽs sit.

TRACTATVS XLVII.

De signo admirando, quo Dominus Iesus insidens asino gloriosè ingressus est in Ierusalem: de quo loquuntur omnes Euangelistæ: Matth. cap. 21. Marc. 11. Luc. 19. Ioan. cap. 12.

Zacha. 11. Quare hic Christi Domini in Ierusalem ingressus à quatuor fuerit Euangelistis descriptus.

QVONIAM hic ingressus solennis Iesu insidentis asello, & Ierusalem ingredientis, tanquam signum certissimum aduentus Messiæ prophetatum erat, non tantum à Zacharia, sed etiam à Sibyllis, & ab eo die, quo ingressus est, Iudæos ad se excipiendum tanquam Regem Israël, & verè filium Dauidis, & germanũ Messiam obligauit: propterea tanquam res magna & seria à quatuor Euangelistis descriptus est. Neque mireris, si nos hunc ingressum Christi inter signa eius recenseamus: nam profectò maximum signum fuit talis & tãti Regis, quòd prædixerit Apostolis de adducendo asino, accedente etiam voluntate dominorum. Deinde quòd omnes supposuerint illi vestimenta calcanda, & ramos cæderent de arboribus ad viam exornandam. Præterea quòd omnes vno ore acclamauerint, & regium Messiæ titulum illi tribuerint, à nullo alio extrinsecus excitati, & admoniti, prẹterquam à Spiritu sancto intus in cordibus eorum operante, & acclamationem tam magnam, & nouã suggerente, maximum profectò & admirationis signum fuit. Vt interim omittam, quòd ingressus in templum cœpit eijcere vendẽtes, & ementes: & in eo accesserunt cæci, & claudi ad eum, & sanauit eos.

Quod dignũ miraculi nomine habeat introitus iste.

Sed antequam ad literam huius Euangelij explicandam accedamus, dubia quædam, quæ literæ magnum negotium facessunt, dissoluenda sunt. Primum est, quòd Ioannes Euangelista, priusquam aselli, super quem Dominus sedit, faciat mentionẽ, commemorat quomodo turba multa, quę conuenerat ad diem festũ, processerit obuiam Iesu cum ramis palmarum, clamantes, *Hosanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel:* quam processionem & acclamationem factam fuisse postquam Iesus insedit asello, tradunt reliqui tres Euãgelistæ. Verùm ad hoc facilè est respondere, id fecisse Ioannem per figuram anticipationis commemorando, quod alij omnes suo loco narrarunt.

Hæc turba quando cum ramis palmarum processerit obuiam Iesu, ante, an postquam Dominus insedit asello.

Secundum dubium. Matthæus scribit, Dominum misisse discipulos pro asino capiendo, cùm appropinquasset Ierosolymis, & venisset Beth-phage ad montem Oliuarum; Marcus verò, cùm appropinquaret Ierosolymæ, & Bethaniæ, aut, vt Græci codices habẽt, ad Ierusalem ad Beth-phageh, & Bethaniam. Lucas item, *Cùm appropinquasset ad Beth phage, & ad Bethaniam.* Meritò ergò hic dubitatur, quomodo cùm Matthæus dicat; Cùm appropinquassent Ierosolymis, & venissent Beth-phage ad montem Oliuarum, Marcus & Lucas dicant hoc factum cùm appropinquaret Bethaniam: nam cùm venisset Beth-phage, iam Bethaniam pertrãsierat, cùm Bethphage, & mons Olíueti, vicinior fuerit ciuitati Ierusalem, quàm Bethaniæ, in qua præcedenti nocte Dominus pernoctauerat. Dicendum est, Marcum, & Lucam dixisse, Dominũ misisse discipulos, cùm appropinquasset Bethaniæ, non quòd tunc eam accederet, sed quòd prope eam esset: non enim eam iam longè exierat, quomodo quidam affirmant Lucam dixisse Do-

Quo loco Dominus miserit discipulos pro asino capiendo, an cùm appropinquasset Ierosolymis, & venisset Bethphage: an verò cùm appropinquaret Bethaniæ, vt ait Marcus. Luc. 19.

Luc. 18.

minum curasse cæcum, cùm appropinquasset Iericho, id est, cùm non longè esset à Iericho, à qua egrediebatur. Ita enim quidam conciliant Marcum cum Luca, quòd Marcus dicat in egressu de Iericho curasse cæcum: & Lucas eum curasse cùm appropinquaret ad ingressum Iericho. Vel si hoc non placet, dicendum est præposterè Marcum & Lucā dixisse: Cùm appropinquasset ad Bethphage, & Bethaniam, cùm intelligi voluerit illum prius appropinquasse ad Bethaniam, & deinde appropinquasse ad Beth-phage, quæ est in monte Oliuarū. Sicut superius dixerat: *Transibat per mediam Samariam, & Galilæam*: Samaria enim media est inter Galilæam & Iudæam, & prior est Galilæa, quàm Samaria pertranseunda existenti in Galilæa. Meminit autem distinctè tùm Bethphage, tū Bethaniæ: quia in Bethania nocte præcedente pernoctauerat, & in Bethphage expectauit Apostolos missos ad adducendam asinam.

Marc. 10. — Alter sensus. — *Luc. 17.*

Tertia quæstio: Quomodo Matthæus duo iumenta, asinam & pullum scilicet, commemoret Dominum iussisse ad se adferri, eique allata, & super ea Dominum sedisse, cùm reliqui tres solius pulli faciant mentionem. Ad huiusmodi solutionem communiter dici solet, & præsertim à Theophylacto, Dominum more magnorum Principum super vtrunque equitasse, non tamen simul, sed per interualla: Tres tamen Euangelistas solius pulli meminisse: siue quòd ei Dominus pro maiori parte insederit, siue quòd pulli inequitatio ad mysterium vocationis Gentium pertineret, quibus Græca lingua tres scripserunt Euangelistæ, cùm Matthæus Hebræus ad Hebræos Hebræa lingua scripserit. Quòd si duo iumēta inequitauit; prius sanè super asinam, quam Septuaginta ὑποζύγιον vocāt, quàm super pullum ascendit, vt ordo verborum Prophetę iuxta Septuaginta, & verba Matthæi seruatus intelligatur. Verùm, quoniam (vt habet D. Hieronymus) & turpe fuisset Dominum insidere asinæ, & impossibile, vt in tam breui spatio diuersis insederit animantibus: verisimilior est aliorū (inter quos est Euthymius) sententia, qui dicunt soli pullo Dominum insedisse, atq; ob id tres Euangelistas eius solius fecisse mentionem; asinam tamē etiam simul adductam, sed pullum Dominum vehentem tantùm fuisse secutam: vt comitem, ideoq; Matthæum exacta diligentia vtriusq; meminisse iumenti.

Quomodo Christus asinā & pullum iusserit ad se adduci, cum reliqui tres solius pulli meminerint. — *Theophylact. in Matth.* — *Zachar. 9.* — Altera probabilior solutio. — *D. Hieron. in Matth. 10. 9.* — *Euthym. c. 45 in Matth.*

Nec in hanc sententiam quicquam faciunt argumenta quædam, quæ pro opposita parte fiunt. Primū est, quòd apud Matthæum iussi sunt discipuli dicere: *Dominus ijs opus habet*. Sed huic obiectioni respondet Euthymius, quòd vtroque iumento fuit Domino opus: pullo quidem, vt super eo veheretur; asina verò, vt pullum sequeretur, sine qua pullus non venisset, vel gratia significandi mysterij id factum est. Verba Euthymij sunt hæc: *Sedens verò super asinam & pullum, non diuisim, modò super hunc, modò super illum: neque tanquam bigam super bigam ab his tractam, sed asinum & pullum, intellige ipsum pullum, asinum quidem natura, pullum verò ætate.* Sic ille, qui paulò ante explicans mysterium huius rei, scripsit: *Et erat pullus in figuram noui e Gentibus populi, venturi ad fidem, qua est in Christum: qui ad Diuinæ legis iugum inexercitatus erat: super quem nullus hominum sederat, Propheta videlicet, vel Apostolus. Asina verò in typum veteris e Iudæis populi sub iugo legis degentis. Et pullus quidem Christum vehit insidentem, asina verò sequitur, docente re ipsa, quòd postquam Christus Gentibus insederit, & in eis tanquam in se credentibus requieuerit, sequentur & Iudæi: dicit enim & Paulus: Cæcitas ex parte facta est in Israel, donec plenitudo Gentium intrauerit: & tunc omnis Israel saluus erit.* Hactenus Euthymius.

Argumentis in contrarium respondetur. I. argumentū. — *Euthy. ibid.* — Pullus mysticè quid. — Asina quid figuraret. — *Rom. 11.*

Secundum est, quòd apud eundem dicuntur discipuli, cùm adduxissent asinam, & pullum, imposuisse super eos vestimenta sua, ignorantes super quem illorum vehi velit: & Dominum desuper collocasse. Sed huic respōderi potest dupliciter. Vel quòd illud, Desuper, referatur non ad animalia, sed ad vestimenta. Sic enim interpretatur Euthym. qui pro eo quod nos habemus: *Et eum desuper sedere fecerunt*, habet ἐκάθισεν ἐπάνω αὐτῶν: hoc est, sedit super ea, scilicet vestimenta pullo imposita; vel eos, nam αὐτῶν ex se ambiguum est. Et confirmatur hic intellectus Syriaci Euangelij litera, quę habet: *Et adduxerunt asinam, & pullum, & imposuerunt pullo vestimenta sua, & equitauit super eum Iesus.* Ex quo euincitur, Christum soli pullo inequitasse, & lectionem vulgatam codicum Græcorum ἐπεκάθιζαν ἐπάνω αὐτῶν, id est; collocarunt super eam, scilicet asinam, veram non esse, neque germanam. Nam quomodo super solam asinam diceret Matthęus Dominum collocatum, cùm reliqui tres Euangelistę commemorent super solum pullum insedisse? quod & Euangelium Syriacum apertè docet.

II. argumentū. — *Euthym.*

Secundò dici potest, Matthæum per synecdochen, vt & aliàs dixisse Dominum collocatum plurali numero, super animalia: quomodo etiam accipi dictum potest per synecdochē, *Dominus his opus habet?* Tertiò opponi potest, quod in testimonio Prophetæ,

Altera solutio. — III. argumentū.

phetæ, quo hoc factum Domini impletum dicitur à Matthæo, habeatur: *Sedens super asinam, & pullum filiæ subiugalis.* Dicendum est ad hoc, in illo testimonio Prophetę pro fęminino asinam, verti potuisse masculinum asinum. Ita enim permittit vox Græca ὄνος hic posita, quæ communis est ad asinum & asinam: maximè cùm hic in Euangelio careat articulo, nec addatur articulus vllus fœmininus, vt superiùs, cùm dixit Græcè εὑρήσετε ὄνον δεδεμένην καὶ πῶλον μετ᾽ αὐτῆς, id est, Inuenietis asinam alligatam, & pullum cū ea. Et vocabulum quod est apud Septuaginta Interpretes, νέον ὑποζύγιον, quod est, subiugale, etiā commune sit, & in Hebræo fonte vocabulum, quod his respondet dictionibus, nempe חמר asinū genere masculino ferè vbique significat, non asinam, quæ Hebraicè אתון Athon dicitur, cuius dictionis meminit cum dixit, & super pullum filium asinæ, etsi nomen chamor positum sit in vno loco in genere fœminino. 2. Reg. 19. vt notauit Pagninus, etsi ibi Hieronymus verterit asinum. Propterea si in citato Prophetæ vaticinio nomen ὄνος vertatur masculinè, & non fœmininè, quod dicitur, ascendens super asinum, & pullum filium subiugalis: non diuisim est accipiendum, quasi super diuersa animalia vicissim sedisse sit signatum, sed per asinum, & pullum coniunctim intelligendus iste pullus, qui asinus fuit natura, pullus verò ætate, vt dixit Euthym. Figura enim est Prophetis familiarissima, quia idem mutatis vocibus geminant. Atque in hunc modum explicat hoc testimonium Euthymius. Et explicandum sic omninò videtur, si originalia inspiciantur Hebræorum: etsi citatio Ioannis ca. 12. expendatur, & versio Chaldæi Paraphrastis, & citatio B. Matthæi facta in Euāgelio Syriaco (quod existimatur à nōnullis autographum Matthæi) idem firmat, quæ habet: ועל עילא בר אתנא. רכיב על חמרא Sic enim legimus in Zachariæ versione edita à Ionatha, & in Euangelio, & significat: Et ipse equitans super asinum, & super pullum filiū asinæ, & familiare nostræ linguæ esse solet, vt Princeps dicatur ire tribus aut quatuor equis, si totidē habeat comites secum ad equitandum paratos. Quòd si vocem ὄνος quis putat vertendam fœminino in genere, quemadmodum rectè modò legitur in Propheta, dicēdum iuxta mentem Euangelistæ. Qui cùm dixisset, asinam & pullum iussos adduci, subiecit id factū ad completionē vaticinij, in quo dicitur Messias sessurus super asinam, & pullum.

Zachar. 9.

Pagninus.
Hieronym.

Euthym.
Figura Prophetis admodum familiaris quæ.

Quid Syriaco de Euangelio Matthæi quibusdā visum fuerit.

Iam superest, vt dicamus illud esse per synecdochen intelligendum, quod dicitur in vaticinio, sicut quod idem Matthęus dicit Dominū illis opus habuisse, & Apostolos ipsum desuper collocasse. Videtur enim Matthæus (quoniā duo animalia adducta fuerūt ad Iesum) testimonium Prophetæ, quanquam non necessariò intelligendum de duobus animalibus, voluisse accommodare ad vtrunq; animal. Et quoniam in eo dicitur Rex Sion sedere super hoc, vel illud; ideò sermonem suū attemperando Prophetæ verbis, dixisse Dominū sedisse super hæc animalia: quod per synecdochen intelligendum, reliqui deinde Euangelistæ, qui post eum scripserunt, satis indicarūt. Nam super duo equitasse iumēta, refellit Hieronymus in hunc locum Matthæi, his verbis: *Nunc stringendum breuiter, quòd secundùm literam in paruo itineris spatio super vtrumque animal sedere non quiuerit. Aut enim insedit asina, & pullus absq; sessore fuit; aut si pullo, quod magis competit, vsus est ad sedendum, asina ducta est libera. Ergo cùm historia vel impossibilitatem habeat, vel turpitudinem, ad altiora transmittimur, vt asina ista quæ subiugalis fuit & edomita, & iugum legis traxerat, synagoga intelligatur. Pullus asinæ lasciuus & liber, Gentium populus, quibus insederit Iesus, missis ad eos duobus discipulis suis, vno in circuncisionem, & altero in Gentes.* Hæc ille. Ex quibus habere potes, Hieronymū iudicasse impossibile, vel absurdum, Dominum inequitasse vtrique iumento: atque hanc sententiam quod tantū asello inequitauerit, non tantùm Hieronymus, sed etiam Episcopus Abulensis, vt tribus Euāgelistis magis consonam, & verbis Prophetæ (*Ascendens super asinum, & super pullum filium asinæ*) magis congruentem, atq; alij viri eruditissimi amplexantur.

B. Hieron. li. 3 in Matth. tom. 9.

Vbi historia Scripturæ vel impossibilitatem continet, vel turpitudinem, quo confugiendum, teste Hieronymo.
Galat. 2.

Episc. Abulē. in Matth. 21. quæst. 17.
Zacha. 9.

His vtcunq; explicatis, ad Euangelium interpretandum accedamus. Nam cùm ex regione deserti, & Iericho veniret, & nocte præcedenti in Bethania pernoctasset apud Mariam, & Martham, vbi cœna exhibita est illi, tandem crastino die profectionem hāc instituit, vt tradit Ioannes. Cumque iam Dominus appropinquaret Ierusalem ciuitati Regię, Sacerdotali, & Prophetali, verus ipse Rex, Sacerdos secūdùm ordinē Melchisedech, & Propheta magnus, substitit ad Beth-phage sito in monte Oliueti viculo sacerdotum, & inde misit Apostolos pro iumentis adducēdis. Oliuetum locus est consitus frequentibus oliuis, sicut spinetum spinis, & rosetum rosis. Interpretes tamen noster videtur legisse non ἐλαιῶν, id est, oliuarum, vt modò Græci codices habent, sed ἐλαιῶνος: sic, vt etiam legitur Act. 1. B. Hierony. secutus Originem, Beth-phage tradit villulam fuisse Sacerdotū, &, vt alij volunt,

Ioan. 12.

Ierusalem, Regia, Sacerdotalis, ac Prophetalis erat ciuitas.
Psal. 109.

Heb. 5. & 7.
Oliuetū quid.

B. Hieron. Orig. tract. 14 in Matth. circa mediū
Beth-phage locus qualis fuerit.

volunt, propè duobus milliaribus distans à Ierusalem, vt ipse mons Olìueti distabat à Ierusalem Sabbati itinere, id est, quod die Sabbati peragi poterat, vt dicitur in Actis. Eratque ei Orientalis, situsque in via è Iericho ad Ierusalem venientibus. Nec videtur quòd ibi habitarent Sacerdotes: quia dum durabant vices vigintiquatuor, non exibāt templum, vt dicitur in lib. Paralip. eis verò finitis, supererant aliæ vigintiquatuor hebdomadæ expectandæ ad ministerium. Etsi illo tempore maneret Beth phage, frustra haberent ciuitates: & Zacharias habitabat in mōtanis Iudææ, siue in deserto: ibi enim erant vrbes pro Sacerdotibus, vt dicitur in libro Iosue. Erat ergo vicus siue villa ad captādam recreationem ad aliquot dies post ministerium, vel vt in ministerium templi ingressuri, in ea quiescerent, & se præpararent, constructa; vel denique pars illius montis Oliuarum deputata erat Sacerdotibus ad oleum purissimum extrahendum in vsum templi. Interpretatur porrò Bethphage, teste Hieronymo, domus maxillarum: nam pag Chaldaicè maxillam significat. Alij interpretantur domum oris vallis: quia pe, est os, & ge, vallis: quæ facilè possunt applicari muneri Sacerdotum.

[Act. 1. | 1. Paral. 6. | Luc. 1. | Iosu. 15. & 21. | Altera opinio | Beth phage quid. | Hieron. ibid. | Pag, Chaldæis quid sit.]

Tunc Iesus misit duos discipulos. Tunc, inquit, quia antè huc & illuc diuertebat, & nolebat asinam pro necessitate, sed pro significatione: ideo è loco vbi videbat Ierusalem, & videri poterat, & vbi occurrit occurrēti turbæ, tunc misit pro iumētis non ad laborem subleuandum, quia in via petijsset, sed ad implēdam prophetiā Zachariæ, & ad se Regem ostendendum clariùs quàm antea. Duos autē misit, quos illa lex de missione binorum non contingebat: quia illa tātùm septuaginta duobus discipulis lata est: tamē duos misit ob maiestatem mittentis Regis, & ob ministerium afferendi asinam & pullum, & ob honestatem nuntiorum, & vt vnus alteri perhibeat testimonium, & quicquam turpe facere erubescerent. Fortè aūt hi missi, erāt illi ijdem Apostoli, quos misit ad cœnam parandā, nempe Petrus & Ioannes: vt Lucas scribit. Theophylact. *Duo missi sunt*, inquit, *ad soluendū. Paulus quidem ad Gentes, Petrus verò in Circuncisionē, hoc est, ad Iudæos.* Glossa ordinaria Hilariū secuta, asserit hos duos discipulos fuisse Petrum, & Philippū. Quod autor operis imperfecti in sermone quodam confirmat, ex eo quod hi duo primi Apostoli Gētes ad Christū adduxerint. Petrus enim primò Cornelium Gentilem Euāgelio, & baptismo imbuit: & Philippus primus vocauit Samariam ad fidē. Sed certè parum firma ratio est ista: quia Philippus qui conuertit Samariam, non fuit Apostolus, sed vnus ex septem Diaconis.

[Quando misit discipulos Iesus ad adducendam asinā, & pullum. | Luc. 10. | Duos cur miserit, non plures, neque pauciores. | Discipuli hi duo missi quinam fuerint. | Luc 22. | Theophyl. in Matthæum. | Gal. 2. | Glossæ ordinariæ patrum probabilis opinio. | Hilar. can. 21 in Matth. | Aut. oper. imperf. in Matt. hom 37. to 2. operum D. Chrys. | Act. 10. | Supra 8. | Quis ille Philippus qui conuertit Samariā]

Dicens eis: Ite in castellum quod contra vos est. Quidam per castellum intelligunt Ierusalem, quia ex illo loco videbatur arx montis Sion. Estq; figura Tapinosis, vbi minus dicitur, & plus intelligitur: vt si mare dicatur gurges. Sed profectò hoc loco castellū non arcem, nec ciuitatem Ierosolymorum significat, vel magnatis palatium: quia Græcè dicitur εἰς τὴν κώμην, id est, in vicum, siue pagum, quæ vox nequaquam significat arcē. Ideò si aliàs dicitur Iesus in castella perambulasse, vel in castella venisse, non arces significantur, sed villæ, aut Pagi. Est autem pagus, multæ villæ, siue domus rusticorum simul positæ, quæ à fonte communi, qui Græcè πηγὴ dicitur pagus, eo quòd seruiat omnium aquationi, nominantur. Quod verò dicitur, *quod contra vos est*, non videtur contrarietatem significare contra Apostolos, eo quòd vellet illorum Dominum interficere, vt quidā de Ierusalem exponunt, sed ἀπέναντι ὑμῶν, id est, quod è regione vestra situm est, siue in prospectu vestro, siue ante oculos vestros, sicut apud Poëtam:

[In quod castellum duo illi discipuli missi fuerint à Domino. | Pagus quid. | Illud Quod contra vos est quid significet]

Carthago Italiam contrà.

[Virg 1. Æn. initio.]

Pagus ergo, qui in prospectu eorum positus erat, esse Ierusalem nō poterat, propter mōtem interiectum, Beth-phage enim posita erat ex altera parte montis Ierusalem, vnde Ierusalem spectari non poterat. Et Lucas refert, Christum progredientem vidisse ciuitatem: priùs igitur nō viderat, nec ad eam Apostolos miserat: atque ita Bethphage non multum distabat à Bethania, quæ etiam quindecim stadijs distabat à Ierusalem: & fortassis propter æqualem distantiam dicitur in monte Olìueti. Pagus ergo, qui erat in eorum conspectu, vel erat Bethania, quæ pagus dicitur Græcè Ioan. 11. & aliàs semper, vel alius aliquis pagus suburbanus, quales plerunque vrbibus adiacere solent, in quibus vehendorum onerum gratia asini in vsu habebantur. Vel denique erat Beth-phage id, quod nondum peruenerat, sed prope erat. Vnde Lucas habet: *Cùm appropinquasset ad Beth-phage, & Bethaniam.* Et Hilarius: *Duo discipuli ad vicū mittuntur, vt asinam ligatam cum pullo eius absoluant.* Et infra: *Asina de vico soluitur, atque exhibetur:* quod de alio quàm de Bethphage vico nō potest intelligi. Et Hieron. in epitaphio Paulæ ita explicat, his verbis: *Post ingressa sepulchrum Lazari, Mariæ, & Marthæ, vidit hospitium, & Beth-phage villam sacerdotaliū maxillarum, & locū in quo pullus lasciuiens Gentium, Dei frena suscepit, Apostolorumq; stratus vestibus, mollia terga præbuit ad sedendum.* Sic ille.

[Luc. 19. | B. Hilar. can. 21. in Matth. | B. Hieron. ep. 27. ante med. to. 2. circa fi.]

Non

Non ergo asina & pullus erant in ciuitate Ierusalem, sed in vico aliquo vicino: & non erant communia iumenta, vt quidam existimant, quia dominos habebant, vt inquit Lucas. Et si communia fuissent, in ingressu portæ Ierusalem, non opus erat prædicere Dominum signa, vbi essent inuenienda.

Luc. 19.

Et statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: soluite, & adducite mihi. Hæc, tum ex Matthęo, tum ex Marco coniunctim allegauimus, vt simul exponantur: *Introeuntes ergo in vicum, statim inuenietis in porta dominũ iumentorum*, vt apud Marc. dicitur. Et sunt signa, vt sine vagatione inueniant in biuio: qui cum Luca, & Ioãne tacuit de ligatione asinæ, quia non erant narraturi eius vsum, vel solutionem: ideo nec de solutione quicquam meminerunt. Vtrumque autem iumentum alligatum petiuit, ob Prophetam prædicentem, & ob significationem Iudæi & Gentilis. Alij autem solum de pullo mẽtionem faciunt: vel quia ille tantum equitatus est, vel quia de eo vt fero, & indomito mirum erat quod se capi, & equitari permiserit, & quia super eum significationis causa cõscendit, vt potestas Christi Domini appareat flectentis quasi voluntatem pulli. *Et si quis vobis aliquid dixerit* (vel, vt Luc. habet, *interrogauerit*) *dicite quia Dominus ijs opus habet: & confestim dimittet eos.* Marcus vero addit: *Et continuo illum dimittet huc.* Recte dixit: *Si quis vobis aliquid dixerit*: quia libere dixerunt, etsi Christus præscierit, & prædixerit quod dicturi erant, vt ostenderetur eius sapientia, & ne Apostoli turbarentur, vel desisterẽt ex respõso diuinorum. Dixit autem illis quid essent respõsuri, nempe: *Quia Dominus ijs opus habet.* Ita enim etiam turba Dominum, Iesum vocabat, ne dum Apostoli, de quibus: *Vos vocatis me Magister, & Domine, & bene dicitis: sum etenim.* Ita Chananæa, & cæci Iesum, Dominum vocarunt. Non aũt significabãt potestatem: quia per hoc non cognosceretur persona Domini Iesu: sicut nec dicendo Filium hominis. Vnde dicebant Iudæi: *Et quis est iste Filius hominis?* Et magna de se dicit, vt instruatur fides: quia plusquam Salomon, & plusquam Ionas hic. ¶ *Et confestim dimittet eos.* Nempè Dominus iumentorum, vt quidam interpretãtur: nam data illi gratia à Deo, vel incusso timore, vel quia cognito Christo amabantur Apostoli, facile obtinuerunt iumẽta. Et significatur Christi potestas super corda hominum: Cor enim Regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud. Alius tamen sensus occurrit magis germanus, & literæ congruus, quẽ Chrys.

Marc. 11.

Quare Christus asinam, & pullum sibi se adduci voluerit.

Zach. 9.

Cur quidam ex Euangelistis solius pulli meminerint.

Quare dictum sit à Domino: & si quis vobis aliquid dixerit, &c.

Ioan. 13.

Matth. 15.
Supra 9.
Infra 20.

Ioan. 12.

Matt. 12.

Qua ratione impulsus iumentorum Dominus discipulis illa concessit.

Prou. 21.

Alter sensus accõmodatior.

Chrys. ho. 67. in Matt. to. 2.

attingit, & Euthym. *Confestim*, inquit Christus, *dimittet eos*, vbi eorum opera vsus fuerit. Atque hunc sensum, vt verum declarãt verba Marci dicentis: *Dicite quia Domino necessarius est, & continuo illum dimittet huc*, id est, continuo restituet.

Euthy. ca. 45. in Matt.

Marc. 11.

Hoc autem factum est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam, dicentem, Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis. Ne videatur Dominus Iesus nouitate aliqua, aut leuitate concitatus, aut subterfugiendi laboris gratia hæc fecisse, allegat Prophetã, vbi omnia de Messia prædicta Iudæis sibi conuenire ostendit: Iudæosque propterea inexcusabiles reddi. Et hoc ait, scilic. mittere Apostolos pro adducendis iumentis, insidere illis, & intrare Ierusalem, vbi erant intelligentes scripta de Rege Messia à Prophetis. Et quia Christiani sciunt, quod in Nouo Testamento vere allegatur sensus literalis, ob Iudæos tantum concordandæ sunt allegationes cum fontibus Veteris Testamenti. Hoc autem testimonium iuxta Hebræam veritatem ita habet: *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator: ipse pauper, & ascendens super asinum, & super pullum filium asinæ.* Septuaginta vero Interpretes ita legunt: *Lætare valde filia Sion, prædica filia Ierusalem: Ecce Rex tuus (ἔρχεται) venit, vel veniet tibi iustus, & saluans ipse mansuetus ascendens super subiugalem, & pullum equinum nouum.* Quod testimonium per omnia conuenit Hebræo: nisi quod vbi dicitur Hebraicè *Pauper*, Septuaginta dicunt, *Mansuetus*. Chaldæus Paraphrastes habet: *Exulta vehementer cætus Sion, iubila cætus Ierusalem. Ecce Rex tuus venit intra te, iustus ipse, & Saluator mansuetus, equitans in asino, & pullo filio asinæ.* Matthæus vero hæc verba concisiùs allegauit: quia non curiosè ad verbum recitabant testimonia Prophetarum, sed tantum iuxta sententiam, quemadmodum in plerisque alijs locis, tum Christus, tum Euangelistæ, & Apostoli fecisse leguntur. Quare omisit Matthæus illud: *Ipse iustus, & Saluator*, siue saluans, quod id scopo suo non deseruiret.

Matt. 5.

Zach. 9.

Hoc Prophetę vaticinium dicite filiæ Sion, &c. cur fuerit allatum.

Zach. 9.

Illud testimonium quam conforme sit Hebrææ veritati.

Cur Matt. hoc testimonium Prophetæ paulo aliter retulerit, quam sit.

Illud vero initium vaticinij: *Dicite filiæ Sion*, videtur ex Esaiæ 62. cap. desumptum, vbi dicitur: *Dicite filiæ Sion, Ecce Saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo.* Mirandum vero, quod censor cœli, & terræ Erasmus ausus sit Euangelistam reprehendere, quod neque cum Hebræa veritate, neque cum editione Septuaginta Interpretum consonet testimonium ab eo productum: quasi nouum, vel insolitum sit

Initium illud vaticinij: Dicite filiæ Sion, &c. vnde desumptum sit.

Mos Euangelistarum in testimonijs proferendis ex lege, & Prophetis, Erasmo haud compertus.

vt semper vicerit in bono malum.

Quomodo accipiendum sit: sedens super asinam, & pullum filium subiugalis. Marc. 11. Luc. 19. Ioan. 12. Hieron. supra citat. Euthym.

Sedens super asinum, & pullum filium subiugalis. Hoc per figuram Synecdoches intelligendum est: nam, vt diximus, solum inequitauit pullum asinæ, vt testatur tres posteriores Euangelistæ, & tot Patres, maximè Hierony. & Euthym. asina vltrò sequēte pullum, quia ita erat indomitus, vt absq; matre duci non posset. Et ita media asina, id est, Apostolis ex Vetere lege profectis, ductus est populus Gentilis ad Christum.

Altera acceptio.

Possumus etiam alia ratione tueri, rectè dictum Christum solum pullum asinæ conscendisse; cùm tamen Euangelista non tantùm de pullo, sed etiam de matre mentionē faciat: quia vernacula lingua loqui consueuimus: Hic equitat decem, aut viginti equos, si totidem habeat penes se, etiamsi vnū tantum equitet: ita Christus equitabat super pullū, sed asina comite, & præcedente, sine qua pullus nō pergeret. Qua ratione summus etiā Pontifex dum vni iumēto insidet, alia tn̄ iumenta sessorib. destituta, & ornata, siue equi sint, siue mulæ, quibus vehi possit, siue lectica, siue carpentum, de more prope eum adduci solent.

Ad quid Matthæus proprio ex fonte addiderit filium subiugalis.

Quod vero ait: *Et super pullum filium subiugalis*, vt Septuaginta verterunt, & Matthæus est secutus: ad maiorē humilitatem pertinet, quasi dicat, filiū asinæ sub iugo incedere solitæ. Quod posuit Euangelista de suo, ad declarādum, Prophetā locutum de ea asina, quæ nō ad iter faciendum, vt mos est eius regionis, sed gestandis onerib. alebatur: adeo abiecta fuit prophetiæ impletio, quomodo de Balaam ait B. Petr. quod correctionē habuit suæ vesaniæ subiugale mutū animal, quod Grecè dicitur ὑποζύγιον, id est, domitū, & iugo assuetum ad onera subuectanda, quale est bos, mulus, equus, & asinæ, quæ iumēta sunt dorsuaria. Quanquam hoc verbum subiugale non videtur admodum Latinum. Subiuges autē equos memorat Plinius: *Nero*, inquit, *hermaphroditas sustentabat subiuges carpento suo equas*. Sic ille. Ideo quidam putant hic fuisse dicendū, Super pullum subiugis asinæ Sed id profectò leuissimum est, & indignum, de quo contentio fiat. Nomen autem filij etiam vsurpat Columella de onagris loquens.

2 Petr. 2. Num. 22.

Subiugale animal quod sit.

Plin. lib. 11. cap. 49.

Columella lib. 6. cap 37.

Quomodo pullus asinæ à Domino equitari potuerit.

Neq; mirum, Dominum super pullum asinæ equitasse, quia pullus tenerum iuuencum significat equitationi idoneum. Quod ostenditur ex cap. 10. lib. Iudicum, vbi triginta filij Iair ascendebant super triginta pullos asinarum. Et cap. 12. eiusdem libri filij Abdon, & triginta eius nepotes ascendisse leguntur super Septuaginta pullos asinarum.

Abeuntes autem discipuli qui missi fuerant, inuenerunt sicut dixit illis stantem pullum ligatum ante ianuam foris in biuio. Et fecerunt sicut præcepit illis Iesus: & soluunt eum. Hæc ex diuersis concinnauimus Euangelistis, & significant Apostolos eius præceptis non contradixisse, sed promissione eius fretos properasse, & successisse illis ex sententia quod volebant. Etsi autem Matt. concisius hæc enarret, Marc. tamen, & Luc. addunt: *Soluentibus autem illis pullum, dixerunt domini eius ad illos, quid soluitis pullum? At illi dixerunt, quia Dominus eum necessarium habet. Et duxerunt illum ad Iesum. Et iactantes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Iesum.* Quibus verbis ostendunt ad literam euenisse illis quod Christus prædixerat: Et quod dicitur in Ioanne: *Inuenit Iesus asellum, & sedit super eum. sicut scriptum est, &c.* intelligendum est inuenisse per Apostolos suos, quibus peculiarem modum inueniendi asinum dedit, & gratiam obtinendi à dominis. Quod vero allegato vaticinio Zachariæ subdit: *Hæc non cognouerunt discipuli eius primum: sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt quia hæc erant scripta de eo, & hæc fecerunt ei.* Nouum non est eos tardius intellexisse verba, & gesta Domini. Erant enim Apostoli adhuc rudes, necdum plane instructi de mysterijs Messiæ: ideo non nisi post suscitatum Dominū à mortuis, qui illos peculiariter instruxit per dies quadraginta loquēs de regno Dei, & per Spiritum sanctum cœlitus haustum illa perfecte intelligere potuerunt. Postea autem cōferebant vaticinia prophetarum cum euentibus, & operibus Iesu, & ita esse comperiebant.

Apostolorum in Christum obedientia, & obsequium.

Marc. 11. Luc. 19.

Vt inuenerit Christus asellum, super quē sedit, vt Ioannes inquit. Ioan. 12.

Apostolorum intelligentiæ tarditas vnde.

Act. 1.

Infra 2.

Et subdit Ioannes: *Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos, Videtis quia nihil proficimus? Ecce mundus totus post eum abijt.* Quo verbo cordis sui impietatem produnt, teste August. nam vnde gratias Deo agere debuissent, irritantur potius, & indignantur. Deinde ex inuidia paucos illos, qui illi perhibebant testimonium, totū mundum vocant, & ad semetipsos loquūtur, vt se mutuo cōsolētur. Et reuera nihil proficitur in Christū, quia durum est contra stimulū calcitrare: & dum bellum gerimus cū illo, nihil est aliud quā stipulam siccam igni aduersari, quam cum primum contingit, consumitur, vt pulchre ait Theoph. Et cum fateantur se nihil proficere, non tamen cessant, sed dati in reprobum sensum, perseuerant in sua obstinatione, vt Saul, & Pharao. Chrysost. vero & Theophyl. putant, illa verba dicta ab his qui Christo fauebant occulte, non tamen publice audebāt defendere. Sed mihi prior sententia Augustini magis satisfacit.

Pharisæorum impietas in Christum, & ingratus animus.

Aug. tract. 41. in Ioan. tom. 9.

Nihil in Christum proficitur.

Act. 9.

Bellum gerere cum Christo quid.

Theophyl. in Ioan.

Rom. 1.

Chrys. ho. 65. in Ioan. to. 3. Theoph. ibid.

Quod vero imposuerint vestimenta sua,& eum desuper, vel super ea sedere fecerunt: hoc de suo addiderunt: non enim quicquam de hoc Christus praeceperat. Ex quo elicimus, Christo placere quaecunque in eius gloriam etiam extra verbum DEI expressum operamur: quia etiam mandatum Dei est,vt mandata Domini quam diligentissime adimpleamus, eo scilicet modo, quo putamus plus gloriae CHRISTO, & plus vtilitatis proximo posse accedere. Adhibuerunt ergo vestimenta sua ad ornatum, & quia pullus non habebat stramenta: neque Christus ingratum habet tam vile ministerium. Vestis autem Apostolica,vt docet hoc loco Hieronymus,vel doctrina virtutum, vel edissertio Scripturarum intelligi potest, siue Ecclesiasticorum dogmatum varietates,quibus nisi anima instructa fuerit,& ornata, sessorem habere Dominum non meretur. Haec ille. Quod vero dicitur, eum super illa sedere: intellige super vestimenta, vt interpretatur Euthymius, & Theophylactus, non super asinam,& pullum: quia tantum pullo inequitauit. Vnde Marcus habet: *Et duxerunt pullum ad Iesum, & imposuerunt illi vestimenta sua,& sedit super eum.* Subdunt autem Euangelistae: *Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via, alij autem caedebant ramos de arboribus,& sternebant in via.* Plurima turba dicitur ex venientibus cum eo ex Iericho, vel ex discentibus, siue discipulis, siue credentibus in eum, vt dicitur in Luca, & ex his,qui venerāt ad diem festum, qui egressi ex Ierusalem occurrerunt ei, vt Ioannes testatur. Primo ergo Iesus ascendit asellum ante descensum montis. Secundo, illo exeunte,id est,incipiente progredi, strauerunt vestimenta sua,superantes Apostolorum fidem,qui vestimenta sua iumentis imposuerunt: isti etiam strauerunt in via. Tertio,etiam in descensu montis coepit clamor inuocantium eum, & salutantium Messiam. Homines autem charas habent vestes,& mundas, & eas vocat Apostolus honorem, cum ait: *Quae putamus ignobiliora membra esse corporis,his honorem abundantiorem circundamus.* Dare ergo Christo vestes calcandas,magni honoris Christo exhibiti argumentum fuit. Vnde Plutarchus in Catone Vticensi refert, quod vt milites Catonem Imperatorem magno honore afficerent, vestes suas ei calcandas supposuerunt,& manus eius osculati sunt. Traianus Imperator cum fasciae deessent militibus vulneratis ad obligandas plagas in clade Dacorum, vestem suam in eum vsum fertur conscidisse,& saucijs partitum fuisse: vt historiae externae memoriae commendauerunt, tanquam argumentum magni amoris,& honoris militibus exhibitum.

Opera etiam quaenam Deo placeant.

1. Ioan. 5.

Quare Apostoli super pullū vestimenta imposuerint sua.

Apostolica vestis quid Hieronymo.

Hieron. in Matt.

Super quę Dominum Apostoli sedere fecerunt.

Euthy. c. 45. in Matt.

Theophyl in Matt.

Marc. 11.

Haec plurima turba quęnam strauerit vestimenta sua Christo.

Luc. 19.

Ioan. 12.

Quantus honor ille fuerit turbarum in Dominum Saluatorem.

1. Cor. 12.

Plutarchus.

Traiani in suos milites amor singularis.

Honor etiam fuit singularis, quod non tantum vestes, sed etiam ramos Oliuarum praecisos de arboribus sternerent pedibus aselli equitati à Christo: non autem vt fieret asello commodior via: nam proculdubio sparsis ramis minus commoda reddebatur,sed potius, vt vel sic Messiam honorarent. Rami autem quos manibus gestabant occurrentes turbae ex Ierusalem; Palmarum erant, scissi prope vrbem, vt dicitur apud Ioannem: Qui vero sternebantur à venientib. cum Iesu,Oliuarū erant praecisi in monte Olitueti,vt ait Lucas: Per arbores autem intelligimus illas, quae fructum afferunt, quemadmodum per ligna plerunque infructiferas arbores,vt in Genesi, & Deuter. exprimitur. Palma autem apud Romanos & Graecos in victoriae signum praeferebatur: apud Iudaeos etiam peculiare erat in publicis,& solennib. gaudijs Palmas in manibus gestare, vt in solenni festo Tabernaculorum. Quod etiam legitur obseruatum in purificatione facta sub Iuda Machobaeo, & 1. Macchab. libro habetur quomodo mundata arce à Simone, ingressi sunt cum laude, & ramis Palmarum, & cymbalis,& nablis. Ita modo Iudaei gestabant ramos Palmarum,significante Spiritu S. per eos victoriam Christi, quam de diabolo,& morte erat reportaturus. Iacob. autem de Valent. in Psal. 117. scribit,morem fuisse Iudęis (quem vt puto ab aliquo antiquo Rabbino accepit) vt agnū quē immolaturi erāt in die Paschatis, decima die primi mensis magna cū pompa,& florib.& ramis ornatum adducerent, atq; includerēt. Illa ergo eadē die qua multa millia agnorū introierunt in Ierusalem ramis & floribus ornata,eadem quoque Christus, qui verus est agnus, & in illis omnibus praesignatus, cum ramis Palmarum & oliuarum solenni pompa ingressus est in Ierusalem: & ita figuratus agnus cum figura in Ierusalem ingressus est. Addunt praeterea Rabbini,eosdem agnos in templo asseruari solitos, vt illos in decimaquarta Luna mactarent: Ita Christus verus Agnus hoc solenni ritu seruato ingressus est in templum, & quotidie ad templum veniebat,quo disputaret cum Iudaeis, donec decimaquarta Luna ad vesperam comprehensus est à Iudaeis,& cohorte Pilati,vt pro nobis in cruce immolaretur.

Turba autem quae praecedebant, & quae sequebantur, clamabant. Ante haec verba praeponendū est quod ait Ioānnes: *In crastinum*

Turbae etiam ramos Palmarum cur strauerint ante Christum.

Quibus illi de arboribus fuerint rami praecisi.

Ioan. 12.

Luc. 19.

Gen. 1.

Deut. 20.

Palmae vsus apud Romanos, Graecos atque Iudaeos quos erat.

2. Mach. 10.

1. Mach. 13.

Palmae Domino substratae cui mysterio seruierunt.

Iacob. de Valentia.

Iudaei ritus in agni immolatione quem obseruarent.

Ioan. 1.

Vbi illi asseruari soliti secundum Rabbinos.

autem turba multa, quæ venerat ad diem festum, cum audissent quia venit Iesus Ierosolymam, acceperunt ramos Palmarum, & processerunt obuiam ei; & causam huius honoris declarans, subdit, *Testimonium ergo perhibebat turba quæ erat cum eo, quando Lazarum vocauit de monumento, & suscitauit eum à mortuis. Propterea, & obuiam venit ei turba, quia audierunt eum, fecisse hoc signum.* Hactenus Ioannes, explicans causas tanti honoris Christo exhibiti, nimirum quod quidam illorum interfuissent suscitati Lazari, alij vero, qui non interfuerant, ab alijs acceperunt. Mota est ergo turba ad hunc honorem Christo exhibendum, partim à Deo in eorum cordibus operante, vnde Dominus dixit: *Si hi tacuerint lapides clamabunt*, partim propter signa à Christo edita, & peculiariter propter suscitationem Lazari. Voluit ergo Christus sic facere, & sic honorari, vt antequam pateretur, specimen aliquod regni sui exhiberet, & sese Messiam expectatum comprobaret, quatenus hac ratione bonos in se credentes confirmaret, & mali nullam possent legitimam obtendere excusationem, admiscens humilia magnificis, & humana diuinis, vt simul & Deus, & homo comprobaretur, vt impleri in se solo Zachariæ prophetiam ostenderet, tanquam in vero Messia, qui venit in nomine Domini ad capiendum regnum. Vnde noluit increpare discipulos in via, nec pueros in templo, vt moueret per eos alios ad se recipiendum, vel si nollet, essent inexcusabiles. Voluit hoc ingressu ostendere, se hominibus non egere, & quam facile eos habere potuisset, si voluisset, & qui tanto repente affectus est honore, vt omnes ei obuiam procederent, indignumque putarent, si bestia, quæ Iesum ferret, in terra poneret vestigia, gauderentque si super vestimenta sua graderetur: Hoc tamen tanto honore vti diutius noluit, at præmonstrare quis esset, & quid posset voluit, vt inexcusabilis esset, qui Iesum non reciperet. Adhæc voluit ostendere viam crucis esse meliorem: quia si per honores & diuitias iter esset ad Deum, iam perpetua contentio hominum esset, & paucorum victoria. Vno enim diuite, multi pauperes fiunt: vno honorato, multos honorem deferentes, vno principe, multos subditos esse oportet. At per viam Crucis quisque alteri ministrat, omnesque per eam seruari possunt, nemo alteri obest, quilibet alterum adiuuat. Hoc ergo cum esset, maluit Iesus mortem subire, vt nobis meliorem viam ostenderet, quam sua commoda considerare. Postremum, vt accommodans se suorum affectibus, irrideret huius mundi gloriam, declararetque quam sit inanis, & infida, cum tantos applausus, honorificasque acclamationes mox ignominiosa crucis mors sit consecuta.

Ioan. 11. — Turba Iesum cur tam honorifice exceperit. — Luc. 19. — Ibidem. — Ioan. 12. — Quare Christus sibi hunc honorem in die Palmarum deferri voluerit. — Luc. 19. — Matt. 21. — Quid suo in templum ingressu Dominus voluerit indicare. — Viam paupertatis & crucis ad cœlum expeditiorem, quam diuitiarum, vnde constet esse. — Quam fallax, & inconstans huius mundi gloria.

Quod autem dicitur turbas præcedentes & sequentes acclamasse Domino, clarius explicatur à Luca, qui habet: *Et cum appropinquaret iam ad descensum montis Oliueti, cœperunt omnes turbæ descendentium* (legendum *discentium*, id est discipulorum) *gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus quas viderant virtutibus: clamor autem eorum erat, Hosanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini: Hosanna in altissimis:* Lucas vero: *Benedictus qui venit Rex in nomine Domini, pax in cœlo, & gloria in excelsis.* Tres species hominum acclamarunt: discipuli, & turbæ in descensu montis, & pueri ætate in templo, quia puer sine addito significat puerilem ætatem: vnde dixit, *Ex ore infantium & lactantium perfecisti laudem.* Puer vero cum addito, significat filium, vel seruum quacunque ætate: vt, *Ecce puer meus quem elegi*, &, *Domine puer meus iacet in domo paralyticus*, id est, seruus. Quod ergo dicit Lucas, omnes turbas discipulorum acclamasse: intellige vel omnes præcedentes & sequentes, vt Matthæus ait, vel venientes cum eo de Iericho, & Bethania, & occurrentes, qui egressi fuerant ex Ierusalem, & qui factis & operib. Christum honestauerunt, vocib. & verbis idem præstarent, & vtrique tam verbis, quam factis Messiam publice & diserte profiterentur. Fuit autem solennis pompa acclamationis, Hosanna filio Dauid, ideo Hebraice expressa ab Euangelistis, qua vtebantur Iudæi in festo Tabernaculorum, cum ramis gestarent ex Domini mandato. Plutarchus lib. Symposiacon, & in vita Thesei loquitur de festo Atheniensium dicto Ὠσχοφόρια, à gestandis ramis publice nominato, non dissimili ab hoc, sed parua & externa licet cum magnis & sacris componere. Citatur ergo Psalmus, ex quo populus accepit acclamationem, ne humana putetur. Estque fausta bene precantium ominatio: Deus secundet & prosperet regnum Christi. Et quia hæc acclamatio fieri solita erat in festo Tabernaculorum, quod Iudæi memores diuini beneficij, quo Deus eos per quadraginta annos sub vmbraculis arborum, & tabernaculis ex concisis arborum ramis confectis protexerat, celebrabant. Propterea in hoc CHRISTI ingressu aliqua particula huius solennitatis, & Paschæ, & Tabernaculorum in hunc diem obseruanda incurrit. Nam ipse verus est agnus in decima die mensis inclusus: & ipse est tabernaculum nostrum iuxta spiritum,

Turbarum acclamatio qualis secundum Lucam. — Luc. 19. — Acclamauerint qui Christo. — Puer proprie quid significet, & quid cum additamento. — Psal. 8. — Matth. 21. — Ose 42. — Supra 8. — Infra 21. — Quod ait Lucas, omnes turbas discipulorum acclamasse quomodo intelligendum. — Eam acclamationem, vide licet Hosanna, Euangelistæ Hebraicè cur expresserint. — Leu. 23. — Plutar. lib. 4. Sympo. c. 5. — Ex Psalmis testimonium cur petitum sit. — Festi Tabernaculorum apud Iudæos vnde orta religio. — Tabernaculum nostrum Christus quam vere dici possit.

Quia ſub eius carne: & in crucis arbore ſponte oblata maxime protegimini à feruore Solis, hoc eſt ab ira Dei, & à reatu peccatorũ noſtrorum: atq; in tali tabernaculo poſiti dicere poſſumus cum Dauide: *Custodi me vt pupillam oculi. Sub vmbra alarũ tuarum protege me.* Et rurſus, *Protexiſti me Domine à conuentu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem.* Habet enim Chriſtus in cruce inſtar auis alas extẽdentis, brachia ſua aperta ad nos excipiendum, & ad protegendum à dæmonis poteſtate, & vt ita recipiamur in æterna tabernacula. Significat autem vox Hebræa Hoſanna, Saluum fac obſecro: nam id ex verſiculo Pſalmi 118. ſumptum eſt: *O Domine*, inquit, *ſaluum me fac.* Vbi in Hebræo legitur יהוה הושיעה אנא יהוה הצליחה נא אנא, id eſt, Ana Iehoua hoſcitchãna: Ana Iehouah haſliachana. Quod B. Hieron. in ſuo ex Hebræo fonte edito Pſalterio manifeſtius interpretatus eſt, dicens: *Obſecro Domine, ſalua obſecro: obſecro, Domine, proſperare obſecro*, nam הושיעה Saluificat ſignificat, & נא particula eſt efflagitantis, aut blandientis, vt, quæſo, obſecro, & Comicè amabo. Et ex hoſcihanna, contractum eſt per ſyncopim, & dictum Ὡσάννα. Frequenter autem coniungi conſueuit hæc particula verbis Imperatiui temporis, vt, Sa, na, id eſt, Tolle quæſo, Lech, na, id eſt, Abi obſecro, Kum, na, id eſt, Surge quæſo; Ten, na, hoc eſt, Da quæſo; Ka, na, hoc eſt, Accipe, obſecro. In litera editionis vulgatæ habetur, *Saluum me fac*, vbi me, abundat, cum nec ſit in fonte Græco, nec Hebræo, nec in Chaldæo, nec in codicibus Gallicani Pſalterij: iuuat autem ſenſum.

Pſal. 16. *Pſal. 63.*

Quid tenſio Chriſti brachiorum in cruce nos doceat.

Hoſanna Hebræis quid? Hæc vox vnde ducta.

B. Hieron. tom. 8.

Frequens Hebraiſmus.

Vt autem conſtare poſſit, quanta ſit linguarũ vtilitas, dicemus pauca de huius verbi ſignificatione. Deinde de pronuntiatione eius, ſiue Scriptura. Tertio, de eius vſu, ex quo à turbis fuit vſurpatum, vt ita Ieſu Chriſto acclamarent, & nos in Hymno trigaſio in ſacrificio Miſſæ vtimur. Quantum ad primum, B. Hieronymus interroganti Damaſo de vocis huius germana ſignificatione, reſpondet, multos ignoratione linguę Hebręę hallucinatos fuiſſe: quos inter primo loco refert Hilarium in Matthæum ſcribentem deceptum putaſſe, Hoſanna idem eſſe quod Redemptio domus Dauid: quod longe eſſe à veritate, peritis Hebræi idiomatis conſtare facilè poteſt. Dicendum enim fuiſſet Peduth Beth Dauid. Eraſmus cachinnis proſequitur Hilarium, & ludum factum à Iudæo, quod ob imperitiam ſermonis Hebraici errauerit, dicendo puero petijſſe vt hoc regnum Dauid quod poſt captiuitatem Babylonicam deſierat eſſe vſque ad Chriſtum, ipſe Chriſtus reſtitueret in domum Dauid. Hanc tamen ſententiam ſecutus eſt Ambroſius in Lucam. Nam lib. 8. agẽs de pueris permittendis venire ad Chriſtum: *Iſti ſunt*, inquit, *pueri, qui Dominum pullo aſinæ ſuperuectum propheticis vocibus proſequentes, redemptionem gentium veniſſe dicebant.* Et lib. 9. cap. 1. tractans illud, *Oſanna filio Dauid*, hoc eſt, redemptionem domus Dauid, expectatum quoq; ſecundum carnem Dauid filium veniſſe declarat. Sed certe non erat tanta Hebręę linguæ cognitio expectanda ab Hilario, vel Ambr. quam ſe hic ignorare profitetur: nec Hilarius fuit deluſus ab Hebræo, ſed tantum dixit quod aliqui ex Patrib. ante eum dixerunt. Vterque fortaſſis Origenem in Matthæum eſt conſecutus, vbi Oſanna ſignificare teſtatur humanã Chriſti diſpenſationem, id eſt, generis humani redemptionem, quod eſt inſtauratio ſolij Dauid: redemptio autem & reſtitutio aut idem, aut ſaltem non longe eſſe videntur. Clemens lib. Pędagog. lucem, & gloriam, & laudem interpretatur. Iſychius in Leuitic. ait, pueros non recitaſſe verba Pſalmi, ſed explanaſſe, & ſignificaſſe hunc eſſe Saluatorem, & eum, de quo tota illa prophetia. Et fortaſſis hi Patres magis ad animum eorum, qui acclamantes accinebant. Oſanna filio Dauid, quam ad vim vocabuli reſpexerũt. Petebant enim domus Dauidis, id eſt, Eccleſiæ redemptionem, ſiue reſtitutionem: & ad hoc ipſum ſpectans linguarum periti ſſimus Hieronymus in Matthæum ſcribit, Hebraicum Oſanna ſignificare, quod aduentus Chriſti ſalus mundi ſit. Laudo igitur eorum ſtudium, qui ab omni aſperiori obiurgatione abſtinent, & horum Patrum ſententiam benigne interpretandam eſſe contendunt.

Eiuſdem vocis variæ acceptiones.

B. Hieron. in epiſt. ad Damaſ. 145.

Idem & in ca. Matt. 21. to. 9

D. Hilar. cap. 21. in Matt.

Eraſmi impudentia.

B. Ambroſius tom. 5.

Quo ſenſu Hilar. & Ambr. vocem Oſanna, redemptionem domus Dauid dixe runt ſignificare.

Origen. tract. 14. in Matth. in fin. to. 2.

Clem. Alex. lib. 1. Pædag. cap. 5. inst.

Iſychi. lib. 4. in Leu.

Hieronym. in Matt. lib. 3. tom. 9.

Quod vero Oſanna ſit vox triumphi, vt Eraſmus dixit ſecutus Auguſtinum, qui Hebraice neſciebat, & Latine reddi nõ poſſe: verum non eſt. Quia nihil facilius quam vertere hanc vocem Oſanna: nam Oſah & Iaſah certiſſimæ & peruulgatæ ſunt ſignificationis, & ſignant ſaluate: vnde etiã nomen Ieſu eſt deriuatum. Na vero, vel anna aduerbia ſunt blandientium, vt Latini obſecro, quæſo, amabo, ſodes. Et recte Septuaginta pro illis verterunt O, vt ſenſus ſit, Salua obſecro, vel ſalua quæſo filio Dauid, hoc eſt, Domui Dauid ſubde ſolium regni. Quod aperte non dicebant, ne intelligerent Romani, & fierent perduellionis rei. Reſtitue ergo regnum Dauid, quod inſtauratus es. Et ita pueri videntur acclamatione

Oſanna vocẽ non eſſe triumphalem, contra Eraſmum.

Oſah & Iaſah Hebręis quid.

Ieſu nomen vnde.

matione sua, significasse hunc esse Iesum, qui illo loco Psalmi dictus est Deus,& homo,& qui in alijs Scripturę locis dicitur Iesuah Ijsch Osah & Mosiah:id est, Salus, Saluator, Salutare:sicut idem est Rex & regnator, dux & ductor.

Addit deinde Hieronym. in illa prædicta epistola, quosdam opinatos Hosanna significare gloriam, alios vero gratiã, cum apud Hebræos Cabod sit gloria, Thodoth vero, siue Chana, gratia. Certe autor operis imperfecti in Matthæum refert, Hosanna quosdam interpretari gloriam, alios redeptionem: alios saluifica, vel saluum fac, nam & gloria illi debetur, & redemptio ei conuenit, qui omnes redemit. Idem habetur hom. 24. Dominicæ primæ Aduentus. Et idem Chrysostom. in illud: *Audis quid isti dicunt? Atqui Christo*, inquit, *potius hæc verba conueniebant, qui, cum infantes sibi hymnum decantarent, dicere potuisset, Non auditis quid isti dicunt?* Sic ille, hymnum vocans, Osanna sibi decantatum. Certè Theophylactus & Euthymius aperte confitentur Osanna significare hymnum siue laudem: nec sane longe ab scopo iaculari videntur. Nam עז Hoz aperte laudem significat, vt ibi, *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem:* vbi per laudem Hebraice dicitur Hoz. Anna vero si Hebraicè scribatur per aspiratioñe חנא, proprie significat gratiam: & aspiratio à Græcis reijcitur, vt contingit in nomine proprio, tum Ioannis, tum Annæ. Deinde Lucas, qui solus nomen Osannæ non posuit, pro eo quod alij duo dicunt, *Osanna in altissimis*, veluti eos explicans, habet: *Pax in cælo, & gloria in excelsis.* Id fecit, vt declararet eos non errasse, qui interpretati sunt Osanna, pacem, & gloriam. Est enim insolubile argumentum, acclamationem illam, quam duo priores Euangelistæ terminarunt in Osanna in excelsis, Lucam terminasse illis verbis, *Pax in cœlo, & gloria in excelsis.* Nec dici potest Lucam Hebraice nescijsse: quia acceperat Euangelium à Paulo, & à Deo donum linguarum. Pax etiam parum differt à gratia, & vtramq; vocem Paulus in salutationibus coniungit. Et fortasse vocem illam Osah, pro nomine accipit, vt sit sensus: Salus filio Dauid: sic Apocalyp. 7. *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum & agnum.* Denique mirantibus Pharisæis quod pueri clamarent Hosanna filio Dauid, ipse eos defendens, dixit: *Vtique, nunquam legistis. Quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem?* Videntur ergo pueri acclamasse illud Hoz. Hæc pro illis excusandis dicta sint.

Tertiò beatus Augustinus libr. de doctrina Christiana existimat, Hosanna interiectionem esse lætantis, & obsecrantis, sicut Raca indignantis. Et in commentarijs in Ioannem ait: *Vox obsecrantis est Osanna, sicut nonnulli dicunt, qui Hebræam linguam nouerunt, magis affectum indicans, quam rem aliquam significans: sicut sunt in lingua Latina, quas interiectiones vocant: velut cum dolentes dicimus, Heu, vel cum delectamur, Vah dicimus, vel cum miramur, dicimus, O rem magnam: tunc enim O, nihil significat, nisi mirantis affectum. Quod ideo credendum est ita esse, quia neq; Græcus, neque Latinus illud interpretari potuit. Sicut illud: Qui dixerit fratri suo, Raca: nam & hæc interiectio esse perhibetur affectum indignantis ostendens.* Hæc ille. Vbi similiter benigne est accipiẽdum, quod totam dictionem dixerit esse interiectionem lætantis, vel obsecrantis, cum id tantum eius particulæ quadret, nempe anna, vel na, quæ interiectio est: sed reliqua pars præcipua est verbum Hosah. Est enim verbum Imperatiui modi tertiæ coniugationis Hebræorum, vt Hieronymus docet, & proprie significat: Saluifica obsecro, vel, Saluum fac obsecro. Sunt enim duæ dictiones הרשעה & נא pronuntiantur tamen velut vna dictio: ita vt vltima vocalis verbi cum sequenti num Dag hessato pronuntietur, & dicatur Hosianna, vel Hosiah anna. Nam dictio Na bis posita in fine duorum verborum, pro Anna posita intelligenda est: & vt diximus, deprecantis est, quemadmodum & Gręca particula ἀνὰ interdum est obsecrantis. Quanquam non desint qui dicant, na illud in fine verbi non pro Anna poni, sed significare, nunc: vt sit sensus, O Domine, saluifica nunc, ô Domine prosperare nunc. Atq; ita accepit Chaldæus Paraphrastes, & Septuaginta Interpretes, Ὦ Κύριε σῶσον δή, ὦ Κύριε εὐόδωσον δή. Id est, O Domine saluum fac iam, O Domine bene prosperare nunc. Et hactenus de vera significatione.

De pronuntiatione vero, & scriptione scribit ibidem Augustinus: quod vt in lingua Latina interiectiones quædam sunt, insultandi, vt Vah, aliæ admirandi, vt Papé, aliæ dolendi, vt Heu. Ita & Hebræi interiectionem habent deprecandi, siue obsecrandi, vt dicitur Anna. Osciah ergo, Saluifica interpretatur. Quod si ex his duobus velis compositum verbum facere, dices, Hoscianna, siue media vocali elisa, Osanna: sicut facere solemus in versibus Virgilij, quando pro,

Me ne incœpto desistere victam?

Scandimus:

Men' incœpta desistere victam?

Ita fit Hosanna pro Hosianna. Sed profecto

Hieron. Secundus significatus. Cabod, Thodoth, siue Chana Hebraice quid. Autor oper. imperfect. in Matt. ho. 37. tom. 2.

Chrys. ho. 68. in Matt. eod. tomo.

Theophyl. in Matt. Marc. & Ioan. Euthym. vbi supra. Psal 8. Hoz in Hebræo quid: & quid Anna.

Tertius significatus vocis Osanna. Aug. lib. 2. de doctr. Christ. c. 11. to. 3. prope init. Idem tract. 51 in Ioan. init. tom 9.

Matt 5.

Hosah Hebręis quid, teste Hieron. Hieron. superius.

Quorundam de Na illa particula traditio.

Eadem vox Osanna quomodo pronuntianda, & scribenda sit. August prius allegatus.

Hæc scriptio pronuntiatiove Hoscianna, num valeat, necne. Virg. lib. 1. Aeneid. prope init.

fecto in Imperatiuo tertiæ coniugationis nō tantum dicitur Hosciah, sed etiam Hoscha, sicut Latinè idem est Ama, & Amato. Vnde vt alios locos omittam, in Ieremia legitur, Hosah Iehouah Eth hamecha, id est, Salua, Domine, populum tuum. Et alibi, Vehosahni, id est, Et saluum me fac de manu Regis Aram, siue Syriæ. Psal. 85. הושיעה עבדך, id est, *Saluum fac seruum tuum.* Ideo tam rectè dicitur Osanna, atque Osiano.

Ierem. 31. *4. Reg. 16.*

Hæc quorundam interpretatio Græcorū ὡς ἀννὰ reijcitur. Theophyl. Euthym.

Quod vero in Græcorum libris legitur per duas dictiones ὡς ἀννὰ, vitio scriptorum est tribuendum, cum ex Theophylacto, & Euthym. habeamus vnam tantum esse dictionem. Dicunt enim Osanna Hebraicum esse, & significare hymnum, vel laudem, & idem esse Hosanna filio Dauid, ac dicere, Hymnus sit filio Dauid. Latini semper vnam tantum dictionem agnouerunt.

Huius vsus vocis apud Iudæos qualis fuerit. Leu. 23.

Iam de vsu dicendum est, morem olim fuisse, & etiamnum Iudæis acclamandi gestantib. ramos arborum הושיענא in festo Tabernaculorum per omnes septem dies non est ignotum: nam vt nos in Litanijs, quib. Sanctos interpellamus ad singulam precatiunculam respōdemus: *Ora pro nobis:* ita illi referunt syluam multam nominum Dei, & ad cuiuslibet pronuntiationem omnes succinunt Hosanna, hoc modo: Propter te Deum deorum, hosanna. Propter te Dominum dominorum, hosanna. Domine Saluator, hosanna. Domine Redēptor, & Saluator, hosanna. Deinde subiungitur magna rerum congeries, quas saluas esse cupiunt: vt templum, montem Moriah, & ad singula occinitur Osanna, & ad quædam geminatur, & dicitur, Hosanna, hosanna. Denique omnia personant, & reboant Hosanna, quē morē seruatum etiam nunc Iudæos accepisse à Patribus, non est nisi cū ratione summe coniunctum. Et idcirco cum in vsu esset tempore Christi in festo Tabernaculorum hæc acclamatio, Spiritus sanctus, qui illos impulit ad arborum frondes sternendas, & ad palmas manibus gestandas in eius honorem, frondium occasione in Hosanna prorumpere eos voluit, adimplens quod tanto ante tempore fuerat per Dauidem de Christo prophetatum. Et hæc est in primis causa quare declinarunt à verbo Hoscianna Psal. 117. & dixerunt commune Hoschana. Certe Syriacū Euangelium, quod autographum esse Matthæi à quibusdā creditur, אושענא Vschanna habet. Deinde ex eo dicitur, quod cum hæc vox identidem geminaretur à multis, eo tandem ventum sit, vt ipsos arborum & salicum ramos Hosanna vocitarent: vt tradunt Rabbini, & præsertim Helias Thesbytes: vsque adeo, vt pueri Iudæorum nostro seculo petētes arboris ramum à parentibus, vel duos, dicant, Pater, da mihi vnū hosanna, vel duos. Et in hoc sensu posset non incommode, neque inepte hic locus accipi, quasi turba gestiens declararet se eiusmodi ramos gestare filio Dauid, id est, in gloriam & honorem Messiæ, qui peculiariter dicitur filius Dauid, & ita Hosanna significaret ramos quos ferebant. Tertio, hinc elicitur causa, ob quam hæc dictio Hebraica ab Euangelistis non sit interpretata: non quod eam commode transferre in Græcum sermonem non potuerunt, vt Augustinus verbis allegatis ostendit, & vt Hieronymus epistola prædicta insinuauit his verbis: *De verbo autem Osianna, quia in Græcum non poterat transferri sermonem, sicut & in Alleluia, & in Amen, & in plerisq; factum videmus, ipsum Hebræum posuerunt, dicentes Osianna. Lucas igitur, qui inter omnes Euangelistas Græci sermonis eruditissimus fuit, quippe Medicus, & qui Euangelium Græcè scripserit, quia se vidit proprietatem sermonis transferre non posse, melius arbitratus est tacere, quam id ponere, quod legenti faceret quæstionem.* Sic ille.

Matthæus quo creditur scripsisse sermone. Iudæi arborū & salicum ramos Osanna vocitabant.

Rab. Helias Thesbytes.

Cur eadē vox, nimirum Osanna, ab Euangelistis non fuerit interpretata. Aug prædicto loco. Hieron. dicta ad Damasum epistola. Prima ratio parum probabilis. Lucas inter omnes Euangelistas Græci sermonis eruditissimus fuit, teste Hieron.

Altera ratio.

Dicendum tamen est, illam integram, aut solidam causam non fuisse, quia ea dictio in Psalmis à septuaginta, & alijs interpretibus satis est explicata. Sed vera causa fuit, ex eo quod esset familiaris Hebræis acclamatio: Quēadmodum apud Gręcos Io Pæan, & apud Romanos Io Triumphe, quod in triumphis pro re feliciter gesta acclamari solebat. Sic etiam Alleluia acceptum est ab eisdem, cum nil sit aliud, quam Laudate Dominum: eo quod peculiaris sit vox ad se in laudes Dei prouocandi. Hosanna ergo, non est simpliciter dictio precatoria iuxta Hebræos, sed talis, quæ testatur gaudium mentis, & lætitiam, & cum quadam gratiarum actione ob beneficia præstita petitur cōseruatio, & acceptorum beneficiorum prosperitas, & bonus vsus. Idcirco versiculum illum, vnde est acceptum Osanna, præcedit versus gaudium insinuans animorum: *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.* Et eadem ratione Pharisæis indignantibus, quod pueri Christo acclamarent Osanna, obiecit Dominus illud: *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Et Lucas, Græci sermonis peritissimus, atq; ab Hebræis dictionibus studiosè abstinens, ne id poneret quod legenti quæstionem faceret: pro Osanna in excelsis, posuit, Pax in cœlo, & gloria in excelsis, affectum eorum exprimens, non vocabuli vim, & explicationem, qui varia

Græcorum atque Romanorum acclamationes quæ olim in vsu. Alleluia quid.

Psal. 117.

Psal. 8. & Matt. 21. Quare Lucas loco verbi Osanna posuerit: Pax in cœlo, & gloria in excelsis. Luc. 19.

fortassis

fortassis cantabant elegia, & non tantum Osanna. Sic autem illi Osanna decantátes fausta precabátur, vt simul etiá Deum laudarent pro dato diuinitus Rege iamdiu expectato. Mirantur quidá de illa Grammaticæ ratione, *Osanna filio Dauid*: nam durum & obscurum videri posset, Salua obsecro filio Dauid. Nec potest cósistere expositio Euthymij: *Hosanna filio Dauid, id est, Hymnus sit filio Dauid.* Alij legunt pro filio, ô fili, vt sit sensus: O fili Dauid, salua nos. Sed certè Datiui casus est, vt constat ex codice Syriaco, qui habet Lamed. signum Datiui, & ex Græcis, & bene correctis Latinis codicibus. Plerique Datiuum filio Dauid referunt ad verbum dicentes, vt significet, Clamabant dicentes filio Dauid, Osanna, aut subaudiunt verbum dicimus, sic: Hosanna dicimus tibi filio Dauid.

Illud: Osanna filio Dauid, quomodo iuxta Grammaticam accipiendum sit.
Euthy c 45. in Matth.

Dicendum est verbum הושע apud Hebræos nó tantum Accusatiuum regere, sed etiam Dandi casum plerunque, vt apud Ezechielem cap. 34. vers. 22. vbi dicitur: Saluabo gregem meum: vbi Hebræa habent, Hoscha Hotti Lezoni. Et Psal. 43. habetur: Brachium eorum non saluabit eos: vbi Hebraice ponitur Datiuus Lamo. Et Psal. 97. *Saluauit sibi dextera eius*: vbi Datiuus est sibi, & Hebraice Lo. Vbi Septuaginta habent: Ἔσωσεν αὐτὸν ἡ δεξιὰ αὐτοῦ: cum tamen apud nos Saluare, & apud Græcos σώζειν Aacusatiuum poscant.

Hebræum verbum Hoscha duos casus regeret.

Quod ergo Interpres Græcus ex Hebræo Matth. & noster, qui ex Græco transtulit, reliquerint Dandi casum: non imperite fecerunt, ob id quod Hebræú verbum id postularet. Quod si vertissent Hebræam vocem, Dandi casum nó seruassent, sed dixissent: Salua, vel, saluum fac obsecro filium Dauidis, Tu qui es in altissimis, id est, prospera, & bene fortuna regnum Messiæ filij Dauidis. Ita etiam Psalm. 19. pro vita Regis precantes dicebant cum eodem verbo Hosiah, *Domine saluum fac Regem, & exaudi nos in die qua inuocauerimus te.* Et ita Hosanna dirigitur ad Messiam. Quod si proprie significet, Opem fer obsecro, vel, Salua obsecro, dirigetur ad Deum Patrem, vt ille pro sua bonitate opem & salutem nobis conferat per Messiam filium suum, & ad gloriam eius, propter quem exaudiri desideramus, & saluari, tum in corpore, tum in anima, & vel in hoc seculo per gratiam, & in futuro per gloriam. Ideo bis acclamatur Hosanna, primo quidem simpliciter, deinde Hosanna in excelsis, vel altissimis, id est, cœlesti gloria, qua nil altiùs. Quidam tamen putant esse vocádi casum: O tu qui es in excelsis: ὦ ἐν τοῖς ὑψίστοις. Sicut in Psalm. 148. dicitur: *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis*, pro eo quod est, Οἱ ἐν τοῖς ὑψίστοις, id est, Qui habitaris excelsa, vel estis in excelsis. Et vt ibi dicitur, Hosanna Bam Meromim, ita hic, Hosanna Bam Meromim. Quod Lucas expressit, *Pax in cœlo*, id est, Deo in cœlo pax, & reconciliationis gratia nobiscum sit. Sicut Paulus scribit, Christum pacificasse per sanguinem Crucis suæ, siue quæ in terris, siue in cœlis sunt. *Et gloria in excelsis*, id est, Ob reconciliationem humani generis Angeli gaudentes Deum laudent: sicut ostenditur factum Apocalyp. 12. *Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius.*

Psal 19.

Osanna in altissimis, vel in excelsis, quid significet.

Luc. 19.
Quid hoc sibi velit: Pax in cœlo, & gloria in excelsis.
Coloss. 1.

Dicendum est de vsu huius dictionis in hymno Trisagio, quod accinimus Christo in sacrificio Missæ. Cum enim Missa, vox Hebræa sit, oblationem spontaneam quæ manu offertur, significans, & à beato Iacobo primum, & alijs Apostolis Hebræis constituta, non mirum est, si acclamationem Hebræam Christo venienti in hostiam, vt inde corda nostra subintret, & regnet in nobis per fidem, spem, & charitatem, persoluamus. Quia etsi ille ingressus Christi in hostiam magna Christi humilitate & submissione sit plenus, est tamen iam notus fidelibus, & gloriosus habitus non minus quam ille primus ingressus per carnem in natiuitate Angelis non ignotus extitit, ac proinde eorum laudibus celebratus. Ingressus quoque in die Dominica Palmarum spiritu impellente aperuit ora discipulorum, & corda, etiamsi tanta paupertate & simplicitate esset ornatus, & agnitus fuit Messias, & propterea laudibus & hymnis, & alijs cæremonijs, etiam ad inuidiam hostes suos excitantibus exceptus, & celebratus. Nisi quod iam non dicimus Christo hosanna, quasi illi poscamus regnum, vel prosperum sui regni successum, sed nobis per Christum, & propter Christum salutem precamur. Et dicentes, Benedictus qui venit in nomine Domini, precamur vt ab omnibus benedicatur, & laudetur intellectu præditis creaturis. Hosanna ergo filio Dauid, acclamatio est, qualis exhiberi solet ineuntibus magistratum, & qualis Regibus dum coronantur, impenditur: *Viuat Rex*, scil. Saul: &, *Viuat Rex Salomon.* Pro Regis ergo noui felicitate, & prospero regni successu deprecabantur & discipuli, & turbæ Dominum, & quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamantes. Ecce duo populi portantes in vecte botrum cypri de Terra promissa. Prior, est Iudæus nó videns quid portet, quia Iudęi excæcati sunt auertentes oculos

Vsus huius vocis in Hymno Trisagio quæ ratio fuerit.
Missa Hebræú nomen quid significet.
A quibus primú condita.
Vt regnet Christus in nobis.

Luc. 2.

Cur nos modo Christo Hosanna dicere soleamus.

1. Reg. 10.
3. Reg. 1.

Viri duo botrum cypri de terra promissa portantes.

quid præfigurauerint.
Num. 13.
Esa. 6.

oculos à suo Messia, posterior, est Christianus, qui tẽpore cõsequitur Christũ, & videt oculis credulis, & edit ex eo per fidem.

Explicatur: Benedictus qui venit in nomine Domini.

Benedictus qui venit in nomine Domini. Benedictus dicitur εὐλογημένος, id est, Laudandus, & extollendus, bonis auctus, & cumulatus. Estq; oratio precatoria, Benedictus sit qui venit, benedicatur ab omnibus, & glorificetur qui venit. Sicut quod dicitur apud Marcum: *Benedictum quod venit regnum patris nostri Dauid*, & supplendum est verbum Sit. Etsi intelligi possit eos precatos benedictionem Diuinam Regi Messiæ, vt sit sensus: Benedictus sit à Deo Messias, Deus illi benefaueat, prosperet, & secũdet regnum eius, vt per eum & nos simus benedicti. Precantur ergo Regi suo omnium bonorum augmẽtum. Et est repetitio præcedentis dicti: nam cum dixisset, O Domine saluum fac, subdit, ô Domine bene prosperare, idem alijs verbis declarans: quod Hebræis est familiare.

Mar. 11.

Quod ait, *Qui venit*, de præsenti est: sic enim Græcè dicitur ἐρχόμενος, & hoc in præsenti dictum vim habet futuri, Benedictus scilicet qui venturus erat, cum de eo dicatur, qui est adhuc in via, & quem Prophetæ omnes venturum prædixerunt. Et missus, ac destinatus à Deo debebat venire Messias, qui non se ingereret, sed mãdatum haberet à Patre, vt regnum acciperet: quod est venire in nomine Domini, quod signis editis comprobabat. Vnde apud Ioannem dixit: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.*

Christum venire in nomine Domini, quid sit.

Ioan. 5.

Benedictum quod venit regnum Patris nostri Dauid. Sic enim loquũtur respectu promissionum: nam Deus testatus fuerat se missurum Regem liberatorem, modumq; designauerat regni Dauidis instaurationem. Dant ergo Christo honorẽ Mediatoris. Et repetitur Hosãna in excelsis, seu altissimis: quia acclamationes repeti solent, vt, Viuat Rex, viuat Rex, id est, Hosanna ei, qui habitat in altissimis, vel, O tu qui habitas in altissimis: vt superiùs posuimus. Lucas addit pauca quædam verba: *Pax*, inquit, *in cœlo: & gloria in excelsis.* Quæ verba videntur dissidere à Cantico Angelico, vbi Gloria in altissimis Deo, & in terra pax cantatur: hic autem vtrumq; ad Deum refertur. Tamen sensus est vnus & verus. Nam per hoc regnum Christi gloria comparata est Trinitati ab hominibus: & pax in cœlo, quia nõ aliter animę in terra pacantur, nisi Deus de cœlo illis reconcilietur.

Luc. 9.
Supra 2.
Qua ratione tantũ animæ cum Deo reconcilientur.

Subdit Lucas: *Et quidam Pharisæorum de turbis dixerunt ad illum, Magister, increpa discipulos tuos. Quib. ipse ait, Dico vobis quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Pharisæi qui laudibus Christi præ inuidia vrebantur, voluerunt obstrepere, quo turbã suo imperio cõprimeret: *Magister*, inquit, *increpa discipulos tuos*, vt tua autoritate cohibeantur, quia nostra cohiberi non possent, ne ex immodico affectu suo tibi accinentes, & tibi & nobis omnib. periculũ immineat à Romanis. Et discipulos vocat, non tantũ Apostolos, sed omnes qui Christum sequebantur. Sed Iesus ostendit se hunc honorẽ voluisse, vt quorsum hunc honorẽ semper, sed magis crucifigi voluerit, quæreremus. Nam si nobis egeret, profectò semper voluisset, nosq; vel coacti, vel nesciẽtes, vel volentes ei paruissemus: sed quia nostri non egebat, sed volebat liberos quosdam & infirmos Deo seruire, hoc fecit. *Si ergo hi tacuerint, lapides clamabunt.* Quibus verbis significat in primis, hanc acclamationẽ non ab humano affectu, sed à diuino spiritu perfectã, qui eos ad illã impulit, adeo vt nec sint culpandi qui acclamabant, nec ipse qui eam admittebat: & quod Pharisæi obstrepentes acclamantibus ratis essent duriores, vt tot ac tãtis signis, ac tam cõcordi turbæ acclamatione non permouerentur ad prædicandã Christi gloriã, quã turbis erant lapides prædicaturi. Crucifixo enim Domino, & discipulis tacentibus præ timore, lapides & saxa veluti clamabant, quia post emissum spiritũ petræ scissę sunt, terra mota, monumenta aperta: clamauit etiã Centurio Gentilis, & qui cũ ipso erant, dicẽtes: *Verè Filius Dei erat iste.* Vt post Christi mortem, tacentib. Iudæis, lapides illi viui, quos Petrus ædificari dicit in ædificium spirituale, & de quib. mysticè Ioannes dixit: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*, Domini gloriam pręcinentes prædicabunt. Quasi Dominus dicat, Paulo post clamabunt turbæ, vt vos vultis, & dicent, *Tolle, tolle, crucifige eum*: nunc autem clamant vt ego volo. Et tanta fuit turba, vt homines desperarent prohiberi eam posse, nisi ab ipso Iesu, in quo solo videbant eam sitam esse.

Quo animo Pharisæi Christo dixerint vt prohiberet discipulos suos, ne sibi clamarent Osanna, &c.
Quare non prohibuerit.
His verbis Dominus: Si hi tacuerint, lapides clamabunt, quid significauerit.
Pharisaici cordis duritia.
Matt. 27.
Ibidem.
1. Pet. 2.
Matt. 3.
Ioan. 19.

Et cur non ad arma cohors Romana cucurrit? Quia profectò tenebatur nutu eius, qui sic omnino fieri volebat. Nam & turba ipsa quæ obuiã ei processit, nesciebat quid faceret. Imò nec discipuli cognouerunt factum, nisi postquam Iesus glorificatus est, vt dicitur apud Ioannem. At Dominus regnum aliàs oblatũ à Iudæis refutauit, quia temporale erat, & vt ab eo saturarentur, & ne ab eis accipere videretur potestatem, quod accidit per annum ante passionem: Nũc autem proximus morti nomen Regis acceptat,

Quare contra Christum Regem salutatũ Romana cohors arma nõ sumpserit.
Ioan. 12.
Supra 6.
Cur aliàs Dominus regnũ sibi à Iudæis oblatum recusarit.

ptat, prolatum per turbam à Deo inspiratam, & non de regno temporali, vel ab hominibus collato, sed de spirituali regno, & à Deo exhibito, & nō auferente ab alijs seculi Regibus potestatem Regiam, sed sanctificante, & confirmante: non enim eripit mortalia, qui regna dat cœlestia. Ad quæ vt nos singulari eius bonitate, atque clementia admittamur, præstet mitisſimus Agnus & potentisſimus Rex Dominus noster Iesus Christus, cui cum Patre & Spiritu S. reddendus est honos, gloria, & imperium in sempiternis seculis, Amen.

TRACTAT. XLVIII.

In quo enarratur mysterium ingressus Christi solennis in die Palmarum.

Duplex Christi aduentus, & quis ille sit.

IN primis præmittendum est, duplicem esse Christi aduentum, alterum in carne fragili, sed in misericordia ad redimendum mundum; alterum in carne gloriosa, sed in iustitia ad iudicandum: ex cuius duplicis aduentus ignoratione Iudæi mirificè excæcati sunt. Qui enim hos duos Messiæ aduentus non distinguit, sed illos inuicem confundit, in meridie cæcutire videtur, & nihil ex sacris literis, quod ad Messiam attinet, apprehendere valet. Ad primum ergo aduentum disponebat tota Lex Moysis, & Ecclesia, vel Synagoga Iudæorum aspiciebat. Ad secundum Messiæ aduentum disponit Euangelium, & spectare debet Ecclesia Christiana: vnde Paulus: *In reliquo, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex: non solum autem mihi, sed & ijs qui diligunt aduentum eius.* Et in alio loco: *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus: erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi.* Et Dominus in Euangelio: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptijs, vt cum venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei.* Primus aduentus Christi in misericordia, qua nos præuenire in benedictionibus dulcedinis dignatus, factus est cum duplici ingressu: prius enim fecit ingressum suum occultè, & postea magna cum solennitate, & hominum pompa comitatus. Nam quemadmodum olim Cæsares triumphaturi, priùs quidem ingrediebantur Vrbem, & vbi omnia præparata essent quę necessaria erant ad triūphum, secrete exibant, & postea publicè & magno cū apparatu ingrediebantur, & cum triumpho Capitolium cōscendebant: ad quem etiam modum Legati de latere Romani Pontificis qui destinantur in aliquod regnum, vel Prouinciam, primo quidem breuioribus vestib. præcincti iter conficiunt, quéadmodum viatores decet: at vbi proximi sunt regno, vel ciuitati, ad quam cum potestate magna emittuntur, tunc honorificentioribus & splendidioribus vestibus induuntur, & quales Legatos de latere decet, & simul cū populis ad eum honorificè excipiendū occurrentibus, lætū & illustrem ingressum suum faciunt. Ita profectò Christus Rex Regum, & Dominus dominantium, & quasi Legatus de latere à Patre emissus, occultum & simplicem fecit ingressum, & quasi communibus vestibus indutus, quando exinanitus est in vtero Virginis, & per carnem assumptam abbreuiatus, & quasi viator per viam secretam, & subterraneam Virginis, & humilis Mariæ ad nos venit, postea vero cœpit Iudæos præparare, ac disponere ad ingressum solennem faciendum vita sua sanctissima, doctrina incomparabili, Discipulorum sequela, & miraculorum operibus coruscans, & misericordia atque beneficentia vniuersos ad se trahēs. Et iste est solemnis & honorificꝰ ingressus factus in die Palmarum, vbi Dominus Iesus tanquam verus Rex, Messias, legatus, & nuntius Patris æterni, Ierusalem, & templum magna cum pompa & populorum acclamatione ingressus est, nomen Regis acceptans, & cantiones illas: *Hosanna, Benedictus qui venit in nomine Domini:* &, *Benedictum quod venit regnum Patris nostri Dauid: pax in cœlo, & gloria in excelsis.* In quibus verbis laudes Messiæ inclusas, tanquam à Spiritu sancto turbas excitante in se collatas admittebat: atq; eo die Iudæos obligauit, vt iuxta vaticinium Prophetæ eum in Regem reciperent. *Ecce,* inquit, *Rex tuus venit tibi,* id est, venit te obligans, & arctans vt in bonum tuum & vtilitatem tuam illum per fidem excipias. Si autem oculis carnis contemplari velimus hunc Domini nostri solennem introitum in ciuitatem Ierusalem, proculdubio dicemus quod Paulus dixit: *Nos prædicamus, Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum Gentibus autem stultitiam.* Si autem oculis spiritualibus hoc Christi factum consideremus, cogimur dicere quod statim Paulus subiungit: *Ipsis autem vocatis, Iudæis atque Græcis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Nam in primis vt missum facimus, quod hic ingressus prædictus sit à Pro-

Marginal notes: Ad primum Christi aduentum & secundum quæ disponant. — 2. Tim. 4. — Tit. 2. — Luc. 12. — Primus Christi in mundum aduentus qualis sit. — 1 Tim. 6. — Apoc. 17. — Philip. 2. — Marc. 11. — Luc. 19. — Zach. 9. — Quid est: Ecce Rex tuus venit tibi. — 1. Cor. 1. — Ibidem. — Solennis Christi in ciuitatē Ierusalem ingressus à

quibus fuerit prænunciatus. *Psal. 170.* *Esa. 62.* *Zach. 9.* Idem unde stultus videri posset, & indignus Filio Dei.

phetis, id est, à Dauide, Esaia, & Zacharia, vera videtur profectò stultitia iste Messiæ cum duodecim pauperibus discipulis, & discalciatis introitus.

II. Argum.

Ad hæc quid Regi cum asina & pullo, nec illis quidē proprijs, sed alienis, & commodato acceptis? præsertim cum pullus esset indomitus, careret stramentis, qui poterat insanire, sessorem excutere, vel molestiam inequitanti exhibere.

III. Argum.

Tertio, quia Dominus ingrediēs à pueris tantum, & à turba excipitur, & ab illa tantum gratulatoriam acclamationem recipit vt plane videatur contemptum, & puerile regnum: inermibus præterea stipatus militibus, qui pro hastis & gladijs tantum arborum frondes & ramusculos in manibus gestabant.

IV. Argum. *Luc. 19.*

¶ Quartò, quia in hoc ingressu videns ciuitatem, fleuit super illam, quod verecundum & fœmineum plane videtur. Quid enim Regi, & illi quidē triumphanti cum lacrymis? Nam homines dum illacrymantur, latibula quærere solent, ne videantur: quanto magis in medio triumpho, vbi homines in triumphantem oculos intendunt, ab omni specie tristitiæ, ne dum à lacrymis abstinere debuit? His accedit, quod illi qui eo tempore sapientiæ testimonio, & sanctitate vitæ præditi erant, potestateque aliqua fungebantur, hunc eius ingressum contempserunt, & irriserunt: & dum commota esset vniuersa ciuitas, dicebant per contemptum, *Quis est hic?* & per viam obijciebant illi, *Magister, increpa discipulos tuos;* & in templo de pueris clamantibus dicebant, *Audis quid isti dicunt?* & post hæc omnia Sacerdotes & Pharisæi obiecerunt Domino, *in qua potestate hæc facis? & quis tibi dedit hanc potestatem?*

Matt. 21. *Luc 19.* *Matth. 21.* *Infrà 22.*

Quintùm & vltimum argumentum. *Mar. 11.*

Postremo, vbi omnia hæc in ingressu suo magnificentissimè præstitisset, nullus eum tanquam Regem, vel Prophetam Dei domi suæ excipere ausus est, vel ad cœnam inuitare, sed vt ait beatus Marcus, circumspectus omnibus, cum iam vespera esset hora, exijt in Bethaniam cum duodecim. Quod ergo sunt omnia ista oculis prudentiæ humanæ, nisi stultitia, & merum deliramentum? quæ poterant risum, & irrisionem, & contemptum efficere, quemadmodum fecerunt.

Domini Iesu hic in ciuitatē Ierusalem ingressus tam vilis in speciem, & cōtemptus, quanta fuerit cum Dei potentia, sapientia, & bonitate coniunctus.

Et tamen simpliciter dicēdum est, hunc Christi introitum nihil aliud esse, quam Dei potentissimam virtutem, Dei gloriosam sapientiam, ac deniq; Dei immensam & ineffabilem charitatem. Hæc enim stultitia, sapientissima est: hæc impotentia, potentissima habenda est: hic fletus plenus est charitate, sapientia, & Regia maiestate. Si oculis philosophicis, aut spiritualibus, quod verius est, hæc omnia inspiciamus & contemplemur. Quod ergo sit Dei virtus, atque potentia, in primis indicari potest. Nam quo magis desunt diuitiæ, opes, & opulentia, quo minus est equitatus, & comitatus exercitus, atq; quo pauciora alia præsidia humana, eo se magis potentem Regem ostendit. Vt enim Rex terrenus opulentus existat, & alias ciuitates sibi rebellantes suæ ditioni subiectas adijciat, magno indiget peditum & equitum numero, inultis bombardis, & alijs bellicis instrumentis opus habet: magno deinde commeatu, & annona eget ad tot millium militum & equorum vitam sustinendam, multis auri & argenti thesauris, pluribus deniq; pecunijs, quæ nerui belli dicuntur, ad hæc omnia præstanda opus est. Vnde Aristoteles in Ethicis: *Non est Rex, nisi sit ex se sufficiens, & bonis omnibus antecellat.* Hæc autem omnia præstare posse aliquem, nos non nisi Regiæ potentiæ adscribere consueuimus, cum reuera hæc omnia magnam Regis impotentiam arguant. Cum enim Rex hæc per seipsum præstare non valeat, nisi extrinsecus, vel à populis sibi subditis quos expilet, vel ab alijs confœderatis, & amicis Regibus, vel mercatoribus non subditis mutuo accipiat, extrinsecam se potestatem habere satis ostendit.

Sua in p[illegible] potentia [illegible] [illegible] in eo quod [illegible] specimen [illegible] ed dedit.

[illegible] potentia præsidia, & instrumenta.

Arist. lib. 8. Ethic. cap. 4. tom. 3.

Quod eiusmodi Regiæ potestatis [illegible] omnia [illegible] [illegible] Regiam impotentiam ostendunt.

Regis offic[illegible]

Quæ vt magis intelligantur, finge obsecro Regem omnibus istis diuitijs & præsidijs destitutum, iam Rex non erit: nam neque resistere rebellibus, nec punire seditiosos, nec administrare iustitiam, aut ius suū cuiq; reddere poterit. Quam ergo in Rege vocamus potentiam, reuera non est aliud quam mera imbecillitas, atq; impotentia.

Christi nuditatis & paupertatis gloria & diuitiæ.

Solus Iesus Christus in summa nuditate & paupertate constitutus, verus est Rex: vnde Propheta dixit: *Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator: ipse pauper:* quasi dicat: Paupertas Regiæ dignitati eius non repugnat: nuditas, & asini inequitatio potestatem seruandi nō tollit, etiamsi in speciem pugnare videatur. Vnde natus & positus in præsepio, à Magis Rex Iudæorum est agnitus: & cum esset positus in Cruce, Rex Iudæorū à Pilato salutatus est, & tituli inscriptione cohonestatus. Ita hodie Rex est declaratus. Nunquam tantus honor impensus fuit Sauli, vel Dauidi, vel Salomoni, vel etiam ipsis Cæsaribus triumphantibus. Fuit etiam Rex potentissimus, quia inermis & omni humano præsidio destitutus, hostes potentissimos debellauit, & peccatum & mortem deuicit, dæmonesq; verbo & præsentia sua propulsauit. Fuit etiam eius potestas

Matt. 2. *Infra 27.*

Hostibus [illegible] Christus [illegible] qui [illegible] phauerit.

Quos Dominus Iesus, diuinitate spoliauerit.

testas in eo maximè declarata, quòd Saturnum, Iouem, Mercurium, Apollinem, Venerem, Bacchum, & alia falsorum deorum monstra deitate sibi fraudulenter vsurpata spoliare potuerit. Ad hæc Reges, atq; adeò Imperatores, atque alios mundi Principes sibi subditos efficere potuit, vt nonnisi pro voluntate & nutu eius populos sibi cōmissos regant. Atque hoc est verè posse, & ex se posse, atque adeò diuinum esse: quia vt ait Dauid: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Iesus ergo, quo minùs equites habuit, aut equos, aut diuitias, aut splēdorem mundi huius, & fastum, eò maior atque potentior Rex nobis declaratus est: quod hodie suo ingressu propalauit. Proditur & alio modo Christi Regis potestas in eo quod fecit, quod vultus nunquam hominū præstare potuit, id est, in eo quòd flectere & mouere hominum voluntates, & ad se trahere potuerit: quod proculdubiò diuinam arguit virtutē. Cor enim Regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud: cùm Reges sæpè non nisi inuitis, & inuoluntarijs dominentur, & à quibus interdum obedientiam extorquere non possunt. Hæc autem dupliciter Dominus Iesus in hoc ingressu præstitit. Primū quidē in hoc, quòd cohors Romana cùm sentiret nouum Regem proclamari, ad arma non cucurrit, quia omnia nutu eius, qui sic fieri volebat, tenebantur, non aliter atque ministros olim ad se comprehendēdum missos, solo verbo à mala voluntate repressit: vt intelligas, quàm facilè & promptum esset Christo non tantùm manus cōtra se armatas, sed & corda, & voluntates malas comprimere, atque sedare. Deinde in hoc quòd mouit corda, ora, & manus discipulorum, atque adeò turbæ, & puerorum, vt ei tanquam Regi à Deo ad se destinato crederent, & fidem sua acclamatione noui Regis ex Scripturis desumpta declararent, vestimenta sua ei calcanda subijcerent, ramos de arboribus præcisos, partim in via sternerent, partim manibus gestarēt. Vnde admonit⁹ ab inimicis suis, *Audis quid isti dicunt?* respondit, *Vtique: nunquam legistis, Quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem?* insinuans ora puerorū ad laudem perficiendam, id est, ad confessionem diuinitatis, vt exponit quidam, ab Angelis in Natiuitate eius cœptam, hodie perfectam reddidisse: nam horum puerorum testimonium non nisi à Spiritu sancto processit, quemadmodum locutio asinæ Balaam à Spiritu sancto fuit. Et subdit Propheta: *Vt destruas inimicum, & vltorem:* id est, Iudęos sapientes, & de se magna sentientes; quos negantes, pueri confitentes confundunt; quemadmodum Niniuitæ, & Regina Saba Iudæos. Et cùm diceretur ei à quibusdā alijs Scribis & Pharisæis: Magister, increpa discipulos tuos, vocātes nempe te Regem atque Dominum, quorum primum erat seditiosum in Cæsarem, secundum videbatur in Deum, respondit: *Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt*, ad testificandam gloriam meam: sicut in Cruce factum est. Nam cùm ibi essent noti eius à longè, nec eius deitatem confiterentur, clamauerunt lapides, quia terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta, & multa corpora Sanctorum qui dormierant, surrexerunt. Et lapides, id est, Gentiles duri vt lapides confessi sunt, quorum vnus, id est, Centurio dixit: *Verè Filius Dei erat iste*; & Pilatus, *Quod scripsi*, inquit, *scripsi*, affirmans illum esse Iudæorum Regem.

Tertiò apparet mirifica Christi potestas in hoc opere: nam cùm esset contra eum Concilium factum, in quo reprobatus est quasi lapis & petra scandali ab illis ædificantibus, qui dicebant: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem.* Et cùm pronūtiata esset sententia: *Expedit vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Et cùm datum esset mandatum à Pontificibus, vt si quis cognouerit vbi sit, indicet, vt apprehendant eum: & cùm Christus latitaret vltra Iordanem in ciuitate Ephrem, non vllo mortis motu, sed expectato tēpore à Deo destinato, Dominus non solùm apparuit, sed etiam magno comitatu & solēni pompa, quasi factus sit in caput anguli, duos populos, nempe & qui præibant, & qui sequebantur, in semetipso colligans, cum cantu intrabit totam ciuitatem commouens, & omnium oculos in se intentos reddens, omnium suorum inimicorum animos in se concitauit.

Nota ergò fortitudinem Christi: nam quādo mors Christum est persecuta, nihil contra eum potuit, etiamsi Herodes insaniret in pueros; & Nazareni conciues voluerint eum de monte præcipitare, & Iudęi toties lapidare tentauerint, & comprehendere: sed frustrà tentauerunt. Cùm verò Christus mortem est persecutus, ab eo fugere nō potuit, nec ad eum impediendum satis fuit, vel hodiernus honor & pompa, vel tot visa miracula in armatorum militū, vel solo verbo ꝓstratione, vel auris Malchi sanatione, vel Herodis remissione ad Pilatum; non satis etiam fuerunt Pilati conatus ad saluandum Christum, neque admonitio vxoris suggerentis viro: *Nihil tibi, & iusto*

Marginalia (left): Prou. 8. Psal. 15. — Prou. 21. — Ioan. 7. — II. argumentū — Matth. 21. Psal. 8. — Lyranus in Matth. Luc. 2. — Num. 22. 2 Petr. 2. Psal. 8. — Quid illud Prophetæ: Vt

Marginalia (right): destruas inimicum, & vltorem. Matth. 12. Luc. 19. — Discipuli Christi si eius diuinas laudes tacuissent, vt Pharisæi cupiebant, quid lapides (vt ait Dominus) clamauissent. Psal. 87. Matth. 27. Qui lapides clamauerint. Ibidem. Ioan. 19. — III. argumen. Christi potentiæ in hoc ministerio ingressus in Ierusalē declaratur. — Supra 11. 1. Petr. 2. — Ibidem. — Cur Christus latuerit in ciuitate Ephrē cum discipulis suis. Psal. 117. Matth. 21 & sæpè alias. Ephes. 2. — Christi maxima fortitudo in duobus enituit. Matth. 2. Luc. 4. Ioan. 8 & Infra 10. Supra 7. Infra 18. Luc. 22. Infra 23. — Matth. 27.

iusto illi: nihil denique volentem mori impedire potuit, nihil ad mortem redigere nolentem valuit. Vt in vtroque intelligas illam potentissimam extitisse potestatem, cùm vellet, ponendi animam suam.

Ioan.10.
Matth.21.

Postrema eius ampla potestas patefacta est: quia ingressus templum, purgauit illud eijciens vendentes & ementes, & domum Dei prophanantes: quod non auditus aliquo satellitio, vel exercitu effecit, sed solo verbo omnipotenti, cui omnia cedunt; & ita se habere zelum gloriæ Dei, & salutis animarum; & Regē iustitia & potestate prēditum declarauit. Non defuit etiam virtus benefaciēdi: quia cùm accessissent ad eum in templo cæci & claudi, sanauit eos. Quia ipse Rex est, impertiens cordibus lumen fidei, & suggerēs vires ingrediendi per bona opera in templo Ecclesię. Atq; ita Christus Rex est à malis seruans suos, & bona conferens. Et hæc de Dei potentia.

Verbo Dei omnipotenti omnia cedūt.

Christus Rex est potentissimus, iustissimus, iuxta ac beneficentissimus.

Secundò ostendit Christus diuinā quandam sapientiam in hoc mysterio. Regis enim est regere, hoc est, rem populi agere: & ad hoc præstandum opus est præditum esse sapientia. Ait enim Ieremias: *Regnabit Rex, & (pro, quia) sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra.* Reges autem huius seculi nec illa quidem nouerunt, quę in vicinis ædibus fiunt, nisi sit qui prius diligenter exploret, & regi referat. Iesus autem Rex est sapientissimus, & per se ipsum omnia nouit: scrutator etiam est omnium cordium, & omnia nuda & aperta sunt oculis eius. Quod hodie certum ostendit: indicauit enim locum, vbi asinam & pullum inuenirent. Deinde neminem aduersaturum prædicit: in quo se planè Dei sapientiam habere ostendit: quia rem absentem cognoscere, & corda hominum in assensum flectere solius Dei fuit: & responsum dedit, quo Apostoli iumenta obtinuerunt, dicēdo: *Quia Dominus ijs opus habet.* Nam etsi Dominus esset omnium, rationem tamen necessitatis ostendit. Vnde eorum assensu, quorum erant, solui & adduci voluit, quo eorum augeret merita, & à nobis nihil se velle ostenderet, nisi nobis assentientibus. Nam ad eius gloriam illustrādam, vult nos saluos, & præstare nos iumenta ipsi conscēdenda: sed non vult nisi accedēte consensu nostro. Deinde ostendit se præscium futurorum: vnde videns Ciuitatem, & impēdentem illi ruinam, eius casum deplorauit, dicens: *Quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt: & non relinquent in te lapidem super lapidem.* Et quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ. Est ergo Christus Rex sapientissimus, qui cuncta nouit; & potest cognoscere omnium vota, & necessitates: & habet vnde possit illa supplere.

Sapiētia Christi quanta elucescat in eodem mysterio ingressus in Ierusalem gloriosi.
Ierem. 23.
Ad regendum opus est sapientia.

Psal. 8. & Ierem. 11.
Hebr. 4.
Matth. 21.
Ibidem.

Ibidem.

Christum nihil à nobis velle nisi volentibus.

Luc. 19.
Christū futura prænoscere.

Deinde ostēdit sapientiam in eo, quòd vt verus agnus elegit diem solennem, quo cum pompa & floribus ornatus ingrederetur ciuitatem, quo die alij agni legales tamis & floribus ornati includebantur: decima die mensis primi, filij Israel pertransito non sine ingēti signo Iordanis fluuio, Terræ promissæ possessionem acceperunt, Iosue 4. & mox Circuncisionem celebrauit, & Pascha quartadecima die mensis primi, vt dicitur Iosue 5. Ita Christus possessionē regni sui illa eadem die accepit, & paulò pòst veram & spiritualem circumcisionem, & verum Pascha in Cruce sua, & morte pro nobis omnibus celebrauit.

II. a[illegible] Christi [illegible] tiæ, in ingressu vrbis in Ierusalem in die Palmarum.

Tertiò, proditur Christi Regis cœlestis sapientia in eo, quòd alij Reges terreni excipiuntur quidem magna pompa, pallio aureo à proceribus gestato ex parte superiori tegente; & nuda terra deducuntur: nā tales Reges terræ imperant, nō cœlo; quod plerunque in regni administratione non spectant. Iesus autem, totus diuinus Rex, & cœlestis, quia aperto cœlo, terra autem vestimentis tecta, ne vel asinus pedibus strepitum redderet, ingressum suum fecit: quia regnum Christi, & ab illo prædicatum, totum est cœleste: vnde de regno cœlorum, & de regno Dei frequens est in Euangelio sermo. Christi fuit terram, id est, homines in cœlum adducere, & peccata hominum quasi vestibus virtutum suarum & meritorum tegere. *Beati*, inquit Propheta, *quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.*

III. argumen. Quemadmodum Reges à suis populis excipi soleant.

Regnū Christi totum esse diuinum, & cœleste.

Psal. 31.

Quartò, scientiam suam in impletione prophetiæ Zachariæ manifestè ostendit, vt superius explicauimus: atque post illam sequitur apud Prophetam: *Et disperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Ierusalem, & dissipabitur arcus belli; & loquetur pacem Gentibus, & potestas eius à mari vsque ad mare, & à fluminibus vsque ad fines terræ.* Quibus verbis prænuntiatur aduentus eius in pace, ad cōstituendam hominum cum Deo pacem: de qua: *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna. Et dominabitur à mari vsq; ad mare; & à flumine vsq; ad terminos orbis terrarum.* Id est, nō vi armorum, sed virtute verbi Euangelici verbum suum proferet, & imperium eius terminabitur Meridie, Septentrione, Oriente, & Occidente: quia, vt ipsemet dixit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Loquetur ergo*

IV argumen.
Zachar. 9.
Reliqua pars vaticinij Zachariæ explicatur.
Psal. 71.
Ibidem.
Christi fore imperij quam late pateant.
Matth. vlt.

pacem Gentibus; id est, ex parte Dei nuntiabit pacem, & illam vt mediator suo sanguine ab vna & altera parte, inter quas intercedit percussus, comparabit. Sustulit ergo quadrigam Ephraim, pro qua dedit quadrigam Euangeliorum: pro equis Ierusalē, dedit Apostolos, in quibus Christus post mortem equitauit, de quibus Propheta: *Ascendes super equos tuos, & quadriga tua saluatio.* Pro arcu belli, dedit arcum pacis ad aues & feras percutiendas, id est, verbum Dei eos qui longè sunt feriens, vt arcus: & eos qui prope, vt gladius, de quo Propheta idem ait: *Suscitans suscitabit arcum tuum:* & Dauid: *Sagitta tua acuta (populi sub te cadent) in corda inimicorum Regis.*

Sequitur in Propheta declarante latitudinem imperij Christi, & sermonem ad Filium conuertente: *Tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Id est, liberasti sanctos Patres de Limbo in virtute mortis tuæ: nam multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt: & venientes in sanctam ciuitatē Ierusalem, apparuerunt multis. Et non erat aqua in lacu illo: quia non erat vllum perfectum refrigerium Sanctis Patribus, donec veniret Messias. Nam etsi priùs esset spes aliqua: spes tamen quæ differebatur, affligebat eos. Et conuertit sermonem ad vinctos, ait: *Conuertimini ad munitionem vincti spei.* Id est, qui nūc vincti estis, & qui vinculorum solutionē in Christi speratis aduentu, cōuertimini ad munitionem, id est, ad Christum propugnaculum, de quo: *Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitū, vt saluū me facias.* Et rursus Propheta Esaias de Christo: *Vrbs fortitudinis nostræ Sion Saluator, ponetur in ea murus, & antemurale.* Subdit: *Hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi.* Id enim quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternū gloriæ pondus operatur in nobis. Quæ verba Septuaginta Interpretes ita verterunt: *Pro vna die peregrinationis tuæ duplicia reddam tibi: quia omne quod patimur in hoc mundo, vna dies appellanda est non habitationis, sed peregrinationis.*

Quintò, sapientiam suam ostendit: quia qui olim fugit regnū temporale oblatum à dæmone, & à turbis propter saturationē, nunc acceptat regnum spirituale oblatum sibi à Patre, & Spiritu sancto. Nam voluit infantes, & turbam acclamare sibi, vt res videretur esse à Deo. Voluit ex maioribus nonnullus contradicere, vt sciremus liberè eos clamare, & non coactos: quia Spiritus omnia regit suauiter. Et hæc ab inconsulta multitudine acta sunt, quæ tamē turba consulta, & admonita eum de ciuitate expulit, & ad Crucem adegit, vt scias quātum sit consilio & fauori eius tribuendum. Declaratur etiā qualitas regni Christi: quia vult plebem, & pueros, & regnum eius verè esse puerorum, id est, simplicium per fidem, & innocentiam vitæ, & obedientiam præstantium, & eorum qui se sinunt regi à Patre suo, non à spiritu dæmonis, vel mundi, vel proprio, sed à spiritu Dei. Tanto enim Christus plus in te regnat, quanto magis ageris spiritu, & puer es: *Nisi conuersi fueritis,* inquit ille, *& efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Est etiam regnū Messię, regnum patris nostri Dauid, qui labore peruenit ad regnum, & cuius regnum fuit turbulentum, & cuius comites, & socij erant grauati ære alieno, & amaro animo, & instar exulum, & extorrium expulsi de ciuitatibus, in montibus & syluis vitam ducebant. Ad hunc modum populi subiecti Regi Christo debent se agnoscere grauatos decem millium debito talētorum. Debent esse amaricati per pœnitentiā & contritionem de peccatis. Debent vt peregrinos in hoc mundo se agnoscere, vt ita accipiant dulcedinem gratiæ, & spem redeundi in patriam cœlestem. Regnum hoc est credentium corde in Christum Regem, & sperantium in eo, vnde dicunt: *Osanna in excelsis,* & ore confitentium, & benedicentium Deum, id est, gratias agentiū pro tanto actuali beneficio. Est etiam eorum, qui manibus sternunt ramos, & vestes, id est, bona fortunæ, atque adeò corpora ipsa Christo calcanda proponunt, vt ita corde, voce & manibus Christo seruiamus.

Cùm ergo Paulus ait: *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, &c.* nihil aliud volebat, quàm corpora nostra per abstinētiam, & continentiam mactata, illi tanquam vestimenta nostra substerni. In ramis autem de arboribus præcisis intelligi voluit eleemosynas, & alia charitatis opera, quasi de substantia nostra pręcisa propter Christum proximis nostris impendi debere. ¶Quòd verò quidam palmas manibus gestarent; significare voluit, victoriam, & triumphum Christi, non ad se tātùm, sed ad omnes, qui eius membra sunt, pertinere, vt & ipsi manibus suis virtute Christi de inimicis victoriam sibi comparēt. Quemadmodū quòd Christus fleuerit, & pueri clamauerint, & benedixerint; significat Christum suo fletu nobis æternas cantiones in Dei laudibus, & beneficijs eius celebrādis sitas cōparasse. Suam quoque Diuinitatem omnium victricē palma in manibus gestata adumbrari vo-

[Left margin notes:] eb.8 & 9. ·12. / Quadriga Christi, & e qui Ierusalem mysticè qui. / Habac.3. / Quo arcu Christus percusserit Gētes. / Ibidem. / Psal 44. / Quando iuxta Prophetam, in sanguine Testamenti sui emiserit vinctos suos de lacu in quo non est aqua. / Matt. 27. / Quid illud: Emisisti vinctos tuos de laco, in quo nō est aqua. / Prou. 26. / Munitio, & propugnaculū nostrum Christus. / Psal. 70. / Esai. 26. / 2. Cor. 4. / Explicatur id: Hodie quoq; annuntians, duplicia reddam tibi. / V. argumentū Christi sapiētiæ. / Matth. 4. / Ioan. 6. / Sap. 8. / Suaue regimē Dei.

[Right margin notes:] Matth. 22. / Hebr. 13. / Regnū Christi vt sit regnū puerorum. / Rom. 8. / Matth. 18. / Regnū Messię cur dictum regnum patris nostri Dauid. / 1. Reg. 22. / Christo subiecti quales esse debeant. / Matth. 18. / Heb. 11. & 1. Petr. 2. / Quorum sit Christi regnū. / Rom. 10. / Qui ramos, & vestes Christo sternebant, quos denotēt. / Rom. 12: / Exhibere corpora nostra hostiam viuētem, quid Apostolo. / Ramos qui de arborib. præcidant, & sternūt ante Christum. / Palmas in manibus gestare quid notabat. / Luc. 19. / Christi fletus & puerorū acclamationis, & benedictionis mysteriū.

ri vo-

ri voluit: ſicut humanitatem eius patientem mortem, in oliua ſubſtrata, & calcata ab omnibus.

VII. argumen. Eiuſdem ex Bethania acceſſus in ciuitatem Ieruſalem quid ſignabat. Aduentus eiuſdē in Bethphage documentum.

Poſtremò, reſplendet eius ſapientia in eo, quòd ex Bethania appropinquat Ieroſolymis, & Bethphage: ſignificat enim quòd ex obedientia & fortitudine vadit ad Crucem. Aduentus in montem Oliueti, ſignificat primū aduentum in effuſione miſericordiæ. Aduentus in Bethphage, id eſt, Domum oris vallium, prædicationē Chriſti humilibus factam deſignat: quæ prædicatio propriè ad ſacerdotes ſpectat, vt vicus ille ad eos ſpectabat.

Caſtellum, ſiue pagus è regione poſitus mundum ſignificat, in quo operaturus erat iuxta ſpiritum, quod hodie in Ieruſalem geſtum eſt: in quem mittuntur duo diſcipuli, id eſt, vel Sacerdotes verbo & Sacramento reconciliantes mūdum: *Quorum remiſeritis*, inquit, *peccata, remittuntur eis: quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in cælo*: vel per prædicatores geminæ naturæ Chriſti, duplicis eius aduentus, vtriuſq; legis, Veteris, & Nouæ, binæ charitatis, ad Deum, & ad proximum; fidei, & bonorum operum. Soluunt aſinam, & pullum, id eſt, Iudæum, ſuper quem vt aſinum ſedit Moſes, & ſuper Gentilem pullum. Et omnes ſumus animalia bruta, inſipida, frigida, & pigra, omnes ſumus ligati vinculis peccatorum. Sed aſina adhuc ligata erat vinculis cæremoniarum, & legis iugo: pullus, hoc eſt Gentilis, tantùm ligatus erat lege naturæ, & ciuilibus Imperatorū placitis, & diuerſis Philoſophorum erroribus; & ſectis velut vinculis detentus erat.

Ioan. 20.
Matth. 18.

Quid quod ſoluunt aſinā, & pullum diſcipuli illi duo

Marc. 11.
Quid etiam quod pullus ligatus dicitur (iuxta Marcū) ante ianuam foris in biuio.
Ioan. 10.

Marcus addit, pullum fuiſſe ligatū ante ianuam foris in biuio: pullum vocans populū, qui exijt à primis Patriarchis. Erat autem foris, quia extra Eccleſiam, & Synagogam: ante ianuam, nondum ingreſſus in Chriſtum, qui eſt oſtium. In biuio erat, id eſt, in cognitione boni, & mali, & vix poterat benè vti libero arbitrio, quia alligatus erat, & ducebatur quocunque volebat dæmon. Sic enim ait Paulus: *Scitis autem, quoniam cùm Gentes eſſetis, ad ſimulachra muta, prout ducebamini euntes.*

1. Cor. 12.

Quid eorundem ſolutio animalium.

Gen. 49.
Ioan. 15.

Quòd ſoluuntur hæc animalia, ſignificat libertatem Chriſtianam, vt fiant ſerui per charitatem alligati Chriſto ad vineam, & ad vitem, vt fuit prophetatum: *Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, ô fili mi aſinam ſuam.* Vitis verò Chriſtus eſt, ad quam alligati Apoſtoli primò, vinea verò, Eccleſia, ad quam alligatus Gentilis filius aſinæ.

Quòd verò Dominus non equos, ſed aſinos pro ſua vectatione poſtulauit, id ſignificauit, Dominum gaudere talium humeris, & dorſis inſidere, qui ſimpliciter obediunt, & ſuaue iugum Euangelij libēter amplectuntur, & qui aduerſus vectorem non recalcitrant, nec tum excutiunt, ſed mites mitem, & humilem Ieſum vehunt.

Matth. 11.

Quòd Domini iumentorum obſiſtunt, illud, eſt quòd diabolus nolebat perdere dominium: vnde ſuſcitauit tyrannos, qui obſtreperent fidei, & reſiſterent. Sed tandē fit quod Chriſtus voluit, & victoria eſt certa. ¶ Quòd diſcipuli impoſuerunt veſtimenta ſua ſuper aſinam, & pullum, ſignificat, quòd dederunt carnem ſuam pro illis, vt Stephanus fecit, & Paulus, qui pro corpore eius, quod eſt Eccleſia, paſſus eſt: aut per veſtes intellige virtutes Apoſtolicas, quæ in ornamentū noſtrum cedūt. ¶ Quòd faciunt Dominum deſuper ſedere; cooperatio eſt Apoſtolorum per doctrinam, & Sacramenta, & orationes. Vnde reddiderunt hæc animalia manſueta ad portādum Chriſtum, & iugum ſuaue Noui Teſtamēti. ¶ Quòd multa turba ſtrauit veſtimenta ſua in via, ſignificat Martyres, qui ſuo ſanguine, ac morte, Chriſto ſunt atteſtati. ¶ Quòd multi cædebāt ramos oliuę & Palmæ: illud eſt quod multi exempla reliquerūt, alij quidem charitatis, alij paupertatis, alij continētiæ, alij mititatis, alij prudentię, quibus victores extiterunt, & miſericordes ad proximum. ¶ Quòd pręcedentes, & ſubſequentes dicebant, Hoſanna filio Dauid: ſignificat omnes, qui ante Chriſtū, & poſt Chriſtum fuerunt per ipſum ſaluatos eſſe.

Act. 7.
Coloſſ. 1.
Matt. 11.

Turbæ pręcedentes, & ſubſequentes quę dicebāt, Oſanna filio Dauid, quid præſagirent.

Tertiò, elucet in hoc myſterio, præter potentiam, & ſapientiam, ſumma Chriſti charitas. Primò in hoc, quod ſpontè venit in locum Paſſionis, vbi immolandus erat, ad quem inuitus perduci non poterat: *Nemo*, inquit, *tollit animam meam à me, ſed ego pono eam à me ipſo: poteſtatem habeo ponendi animam meam.* In morte autem ſua debebat auſpicari regnum ſuum: vnde titulum voluit regium, & vt Propheta dixit: *Regnauit à ligno Deus*: & rogatus promiſit latroni locum ſalutis illo die in regno ſuo. Ideò regnum eius, amoris eſt patientis, ſiue patientiæ amantis. Atque illud mirabile eſt, quod cùm alij ſeculi principes regni dies ſui terminant: quod contingit in morte, tunc Chriſtus mortuus exorditus eſt regnum ſuum. Deinde commendat charitatē ſuam in nobis, quòd ſponte venit recepturus hunc honorem, qui aucturus erat ignominiam, & acerbitatem ſuæ mortis. Inſignis enim miſeria eſt, de ſummo gradu felicitatis & honoris, ad infimum gradū calamitatis & dedecoris deturbari. Poſt paucos dies

Ioan. 18.
Supra 10.

Regnum ſuū Chriſtus vnde auſpicari voluerit.

Pſal. 95.
Luc. 23.
II argumentū
Rom. 5.

Extrema miſeria quænam illa ſit.

Ieſus

Iesus nudabitur proprijs vestibus, cui excipiendo alienæ modò sternuntur: cædetur virgis, in cuius honorem rami de arboribus præciduntur: coronabitur spinis, cui flores sparguntur, clamabunt contra eum: *Tolle, tolle, crucifige eum*, cui hodiè dicunt: *Hosanna filio Dauid*: maledicis verbis in eum agent, de quo nunc dicunt: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Negabunt Regem suũ & dicent, *Non habemus Regem nisi Cæsarem*, qui modò illum vt Regem, & filium Dauid salutant. Expellẽt de ciuitate tanquam leprosum & excommunicatum, quem hodie tam lætis animis accipiunt. Irritabunt eum quòd saluare seipsum nequeat, & dicent: *Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere*; à quo hodie tanquam Saluatore vnico à Deo misso salutem petunt. Ingreditur Christus inter turbas præcedentes, & sequentes, qui inter duos latrones postea est ad suppliciũ deducendus, ibiq; crucifigendus, vt videas quantum sit turbæ fidẽdum, & mundo honorem exhibẽti. Tertiò emicat charitas Iesu, in eo quòd videns ciuitatem, fleuit super illam, & fleuit in omni gloria sua, & communi gaudio, vt dum nos lętamur, & abundamus, meminerimus eorũ qui laborant, & egent, & dum nos sani sumus, illi infirmitatibus grauati dolent. Et flebat, eo quòd perire videbat, quos saluos volebat, voluntate (vt sic dicam cum Damasceno) antecedẽte. Sed quid flebat? ruinamne ciuitatis, & ædificiorum, an animarum, an vtrorumque? Certè vtrorumque: nam cũ corporis ruina plerumq; prodesse soleat animarum saluti, hæc istis nõ proderat. Est autem insignis charitas Domini Iesu, mortem inimicorum suorum, qui eum ad mortẽ vsque prosequuntur, luctu & lacrymis prosequẽtis. Lugeat ergo iustus spiritualem mortem aliorum: & iudex morte plectens reũ, lugeat quòd punire, & ad virgam venire cogatur, vt Paulus de se scribit. Postremò, charitas Legati nostri de latere emicat in hoc mysterio. Nam quemadmodum olim missi ad indicẽdum bellum, qui olim à Romanis Fęciales, & postea à nobis Heraldi dicti sunt, de more gestabant lanceam, cuius ferrum erat rectum in aduersarium (si vera sunt quæ quidam tradunt) pars verò lanceę obtusa à tergo erat; & contra se res habebat, quando annuntiabat pacem, aut inducias: ad hunc modũ Christus lãceam, qua erant ferienda nostra peccata, conuertit contra se, permittens sibi dura lancea cor percuti. Hinc est quòd venit mansuetus pacem annuntians, & pacificãs per sanguinem Crucis suæ, quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt: at in die iudicij venturus, cuspidem lanceę vt bellator ante se gestabit, vt illa vulneret, & interficiat peccatores. De qua lancea dicitur in libro Sapiẽtiæ: *Acuet diram iram in lanceã, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.*

Marginalia (left column): Ioan. 19. — Ibidem. — Ibidem. — Ibidem. — Ioan. 19. — Act. 3. — Matt. 27. — Ibidem. — Ibidem. — Mundi inconstantia. — III. argumentum charitatis Christi. — Luc. 19. — Quid Christi fletus super ciuitatem nos doceat. — Christus cur fleuerit. — Damasc. li. 2. de orthodoxa fid. c. 9 sub fi. — Quid fleuerit Christus. — Quid flendũ iusto. — Iudex lugere cur debeat. — 2. Cor. 12. — IIII. argumen. & vltimum. — Fæciales olim qui. — Quale Christus bellum indixerit. — Ioan. 19. — Coloss. 1.

Confirmauit etiam in hoc ingressu charitatem suam: quia concessit indulgentiam plenariã, siue iubileũ generale de plenitudine potestatis suæ omnibus dispositis, & agnoscentibus eum Messiam, vt verisimile est credere de tãta Regia, & Pontificia munificentia Domini Iesu, si pro minoribus causis legati de latere ista concedunt. Discant igitur Reges à Christo artem imperãdi & regnandi. Christus enim non venit, vt sibi regnet, sed vt nobis, & ad vtilitatẽ publicam regnum administret. Discant etiam regnare per zelum in vitia, & peccata, maximè publica, quæ scandala sunt, & offendicula. Nam hoc docet expulsio emẽtium & vendentium de templo à Christo facta, ne in regentes ipsos peccata reuertantur. Discãt regnare non sine fletu, quoties quis iustitia exigente morti est adiudicandus. Discant regnare per charitatem, præueniendo quantum possunt peccata, & interdum de rigore iustitiæ detrahendo.

Quisque etiam discat seipsum regere, & regio munere in actiones suas & membra defungi. Si ergo asina es, vel pullus, id est, fœmina, vel masculus, siue inueteratus in peccato, siue nouitius, ecce Christus mittit ad te duos discipulos, id est, verbum, & Sacramentum, vel, timorem, & spem. Timor enim sine spe desperatio est: spes sine timore, arrogantiæ, & pręsumptionis est vitium. Mittit autem hos duos, vt te saluum reddant à peccatis tuis: tantummodò præsta assensum, & sine te solui vt ducaris ad Iesum, vt possis dicere cum Dauide: *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. Tenuisti manũ dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me*. Etsi hactenus portastis dæmonẽ, iam audite præceptum Apostolicum: *Glorificate & portate Deũ in corpore vestro*. Quòd si obstiterint dæmones, & reluctati fuerint, quominus soluaris, intelligat quisque ꝙ Deus qui Dominus est, id iubet, & merita martyrũ, qui deposuerũt vestes corporũ suorum, & exempla sanctorũ ad id inuitant, & faciunt viam amabilẽ, & calcabilẽ. Ecce Publicanus, & Zachæus, & Paulus, & Petrus, & peccatrix, & adultera, ante oculos tibi proponuntur. Quòd si recentiora magis placent; en tibi Cyprianus, en Augustinus, en innumeri alij vtriusque sexus, qui de abysso peccatorum ad magnum sanctitatis lumẽ emerserunt. Porta palmam victoriæ contra pec-

Marginalia (right column): Sap. 5. — Qui Christum die palmarum vt Messiam acceperunt, in eumque crediderunt: quid consecuti fuerint. — Reges, & Principes benè, sapienterq; gubernandi rationem vnde addiscant. — Matth. 21. — Priuati etiam quique ex eodem Christi mysterio quẽadmod. in vitam suam informabunt. — Psal. 72. — 1. Cor. 6. — Ex magnis peccatoribus insignes qui euaserint sancti. — Luc. 18. — Infra 19. — Act. 9. — Matth. 26. — Luc. 7. — Ioan. 8. — Portare palmam quam quis debeat.

cata tua,&tentationes:porta oliuam commiserationis affectu actus erga animam tuam,& corpus tuum, imò erga Christum, qui pro te fleuit, & pro illis omnibus,qui membra eius sunt. Ita cantare poteris cum turba Domini Iesu laudem,& gloriam: *Hosanna filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini,hosanna in excelsis*, cui cum Patre,& Spiritu sancto communis reddenda est gloria,gratiarum actio,honos,& imperium in sempiternis seculis,Amen.

TRACTATVS XLIX.

In quo agitur de Christo ingresso in templum, & eyciente inde vendentes,& ementes, ibiq́; sanante cæcos, & claudos: habetur hoc Matth 21. *Et cùm intrasset Ierosolymam,commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic? Populi autem dicebāt, Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ. Et intrauit Iesus in templum Dei,&c.*

Hæc historia à præcedēti cur fuerit seiūcta.

HÆc historia etsi pars sit præcedentis solennis ingressus Iesu in Ierusalē; propterea tamen illam seiunximus ab ingressu, quòd noua miracula contineat, nempe eijciendi de templo ementes,& vēdentes,& in eo sanandi cæcos, & claudos. Separauimus etiā ob aliam rationē, quòd ille ingressus multa mysteria complectebatur,quæ vno tractatu absolui non poterant:propterea etsi hæc cum illis cohæreāt, illaque secundùm ordinem historiæ consequantur,separanda tamen necessario existimauimus.

Genus humanum per peccatum quātas inciderit calamitates.

Vt igitur huius ingressus rationes magis perspectas habeas, considerandum est,genus humanum vniuersum redditum fuisse propter peccatum inimicum Dei, & æternæ pœnæ obnoxium, ac proinde incidisse in multas calamitates:ita vt indiguerit Pōtifice,qui illud Deo reconciliaret,& pastore,qui oues errantes regeret, & Propheta, qui illud cæcum,& suæ salutis ignarum instrueret. Cùm autem inter filios Adæ nemo legitimè posset Pontificis munere defungi,quia nullus Deo gratus erat,quisque enim circundatus erat infirmitate, & propterea,vt docet Paulus, debebat quemadmodum pro populo,ita etiā & pro semetipso offerre pro peccatis: imò non solū non inueniebatur Pontifex,sed nec vllum sacrificium Deo dignum,dicebat enim: *Nūquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo*? Præterea nullus erat inter homines aptus qui regeret, & Regis officio fungeretur,nec ipse Dauid, nec Ezechias, neque denique Iosias, qui cæteris omnibus sanctiores,& laudabiliores extiterunt. Ad hæc nullus erat tanto Prophetiæ munere præditus,qui mundum de his quæ fide suscipienda erant,atque operibus, & obedientia præstanda,plenè doceret posset. Propterea magna Dei prouidētia datus est nobis Iesus Dei vnigenitus Filius à Patre, qui esset Pontifex, & sacrificium, quique Regis & Prophetæ partes ad nos regendos & instruendos sustineret.

Heb 5.
Ibidem.
Psal 49. & Heb 10.
Dauid, Iosias, & Ezechias maiorem sanctitatis laudē apud Iudæos olim sortiti sunt.

Ob hanc caussam Matthæus Euangelista describit nobis Iesu Domini ingressum in ciuitatem Ierusalem,cum acclamatione Regij nominis:*Ecce*,inquit, *Rex tuus venit tibi*,& rursum: *Benedictum quod venit regnū patris nostri Dauid.* Vbi illud,*venit*,præsentis tēporis est,vt indicat Græca litera. Ingressus est etiam tanquam Propheta,prędicens,& deplorans futuram ciuitatis euersionem, docens in templo, & interpretans legem: *Vtique*,inquit,*nunquam legistis, Quia ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem*? Postremò ingressus in templum,tanquam Sacerdos, accipiens eius possessionem spiritualem,alijs illud prophanantibus inde exclusis, atque ita templum ab immunditijs purgauit. Ingressus est etiam vt hostia immolāda: nam iuxta legis ritum decima die primi mensis agnus mactandus,cum floribus, & ramis arborum solenniter ducebatur & includebatur in ciuitate. Vnde Christus tanquam agnus, ob imminentem mortem,balatum fletus,& lacrymarum, tanquam hostia immolanda edidit.

Quænā Christi in Ierusalē ingressus rationes extiterint.
I. Ratio.
Matth. 21.
Zachar 9.
Mar. 11.
II. Ratio.
Psalm. 8.
III. Ratio.
IV. Ratio.
Ritus agni immolandi apud Iudęos qualis.
Exod. 12.

Ait ergo textus: *Et cùm intrasset Ierosolymam,commota est vniuersa ciuitas.* Semper intrabat Dominus in ciuitatē Regiam, & Sacerdotalem,doctrinæ lumine,& miraculis coruscās,sed potissimùm hodie,quo se Regem Iudæorum palàm salutari voluit. Modus autem ingrediendi descriptus est præcedentibus. Erat autem Ierosolyma ciuitas Regia,propter Reges,qui ibi palatium, & arcem habebant: erat etiam Sacerdotalis propter tēplum in ea situm: erat deniq; Prophetalis,quia ad illam Prophetæ destinabantur. & vt Dominus dixit,non capit Prophetam perire extra Ierusalem. Et mira fuit ciuitatum ingratitudo erga Christum: nam illæ potissimū Dominum Iesum malè tractarunt, de quib. maximè benemeritus erat. Plus enim in eis prædicando sudauerat,plura ediderat signa in illis, magis sua præsentia illas illustrauerat: vt Nazareth, quę voluit Dominum pręcipitare de monte,& Capharnaum, vbi sui eum voluerunt ligare,

Ierusalem Regia, Sacerdotalis, & Prophetalis cur ciuitas erat.
Luc. 13.
De quib. erat tam benemeritus, Nazareni,Capharnaitæ ac Ierosolymitę ciues qualem gratiā Christo retulerint.
Supra 4.
Mar. 5.

ligare, quòd putarent in furorem esse conuersum; & Ierusalem omnium ingratissimam, quæ Dominum Cruci suffixit, & cui hodie dixit: *Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Et ita Christus in ciuitatibus, vel præcipitatur, vel ligatur, vel crucifigitur. Præcipitatur à superbis, ligatur ab auaris, siue ab alligantibus Domini inspirationes, & abscondentibus talentum. Dedit ergò nobis Christus exemplũ ferendi crucem, cuius bona pars est benefacere ingratis. Et Iesus commouebat ciuitates, in quas ingrediebatur, maximè hodie, quando volebat saluare omnes confitentes, & acceptantes ipsum in Regem, & Messiam. Permouebat autem eas per Spiritum sanctum, & Angelos Dei ministros, & homines à Spiritu sancto, & Angelis inspiratos, atque tractos, vt & ipsi alias trahant ad Iesum.

Commota ergò est ciuitas ob spectaculum, quod naturaliter delectat, & tale, cuius nesciebant causam, & quia Regem cernebant, & Messiam: dæmones etiam incitabant ad odium improbos quosque, atque inuidos, & per illos alios sui similes, vt vndique esset commotio. Non potest comparari regnum de manibus hostis, vel tyranni sine bello: non enim venit Christus pacem mittere, sed gladium. Non potest clerus, vel monachus reformari sine commotione & turbatione. Corpus humorum malignorum redundantia peccãs, sine Medicina perturbante minimè purgatur. Reformatio Ecclesiæ similis est incisioni, aut vstioni chirurgi, qui cùm membra putrida præscindit, aut cauterium adhibet, necessum est infirmum præ dolore ingemiscere, & clamare: *Dicentes, Quis est hic?* Ierosolymitæ quærebant à turba præcedentes, *Quis est?* quia nondum videbant Iesum (quem tamen cognoscebant) quod post turbam præcedentem sequeretur. Et si quidam hæc ad bonos referant, qui admirantur, & cognoscere desiderant Iesum, vt illi Gentiles, de quibus Ioannes: *Volumus Iesum videre.* Et ita Origenes interpretatur hanc interrogationem illi esse similem, quam in ingressu Iesu in cœlestem Ierusalem Angeli admirati fecerunt, qui dixerunt: *Quis est iste Rex gloriæ?* Tamen magis ad literam videtur, quòd sint verba Scribarum, & Pharisæorum, qui propter laudes, quas populus illi tribuebat, inuidia vrebantur; & propterea contemptim, & per ironiam dicebant, *Quis est hic?* Ita enim in libro Ecclesiastici dicitur: *Diues locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubes perducent. Pauper locutus est, & dicunt, Quis est hic?* quod per contemptum dictum videtur, vt illud: *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Israel?* Mirum autem est quòd ciuitates Christum ignorarent, nimirum quia abscondit mysteria sua sapientibus, & prudentibus, & reuelat ea paruulis: qui missis ciuitatibus in solitudinem exeunt, vt digni sint videre eum, in quo mundus non habet quicquam. Et contemptibilia, & humilia elegit Deus, vt confundat fortia. Et ita à minoribus incipit confessio, vt ad maiores perueniat. Ita post triduum prædicationis Ionæ in Niniue peruenit tandem verbum ad Regem: ita asina reprehẽdit, & docet Baalam ariolum.

Populi autem dicebant, Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ. Ab Episcopo Burgensi in capit. 26. Leuitici citatur Rabbinus quidam Moyses Gerundensis, qui scripsit tempore Messiæ futurum, vt pueri Israël Deum suum digito demonstrent, dicentes, *Ecce Deus noster iste; expectauimus eum, & saluabit nos.* Beatus hic Rabbinus, si intellexisset quæ dixit. Sed modò Iudæi contemptim dicebant: *Quis est hic?* Audi testimonium populorum, siue turbarum, vt habet Græca litera: quia à Spiritu sancto instructi plenè explicant personam, & dignitatem Messiæ: *Hic est, inquiunt, Iesus ille Propheta:* Sic enim Græcè dicitur cum articulo; vt annotauit Beatus Hieronymus: quia multi erant Iesus, sed non Prophetæ. Et vt insinuetur esse ille magnus Propheta, de quo in Deuteronomio prædicitur. Rursus cum articulo subiungit, *Ille qui à Nazareth Galilææ.* Et quia nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto, profectò hæc vox Spiritus sancti est, & effectus Diuinæ potentiæ in turba operantis ostenditur: cursus effectus fidei, quæ non offenditur vtilitate personæ. Non aiunt simpliciter eum Christum: quia non omnes quærentes, vt talem eum habebant; benè autem vt Prophetam, quia sicut Prophetam eum habebant. Et alibi: *De Iesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere, & sermone coram Deo, & omni populo.*

Et vocant eum à Nazareth Galilææ: quia vulgus nesciebat Christum natum in Bethleem, quia in Nazareth habitauit; & aliàs dicebant, *Scrutare Scripturas, & vide quia à Galilæa Propheta non surget.* Rursus, *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Qui autem cognoscebant eum, ita vocabant, vt ab alijs discernerent; & quia ita Deus volebat vocari eum, iuxta illud: *Quoniam Nazaræus*

Marginalia (left): [Lu]c. 19. — [Ca]sum qui præ[ci]pitent, qui [li]gent. — [M]atth. 25. — [C]rucis bona [p]ars ingratis [b]enefacere. — Quomodo Christus ciuitates permoueret. — Cur commota sit vniuersa ciuitas in aduentu Christi. — Matth. 10. — Qualis sit Ecclesiæ reformatio. — Quinam dicerent; Quis est hic? — Ioan. 12. — Origen. tract. 15. in Matth. initio tom. 2. — Psal. 23. — Ecclesiast. 13. — Exod. 5.

Marginalia (right): Quos lateant Christi mysteria. — Matth. 11. — Eadem quib. manifestetur — Ioan. 14. — 1. Cor. 1. — Iona 3. — Num. 22. & 2. Petr. 2. — Burgens. Episcopus. — Quid Rabbinus quidam Moses Gerundensis de Christo prædixerit. — Esai 25. — B. Hieron. in Matth. lib. 3. fine in cap. 21 tom. 9. — Deut. 18. — 1. Cor. 12. — Hæc vox turbæ dicentis, Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ, vnde profecta. — Fides non offenditur vilitate personæ. — Matt. 21. Luc. vlt. — Iesum omnes eth Prophetã, non tamen crediderunt omnes esse Christum. — Iesum turbæ cur vocent Prophetam à Nazareth Galilææ.

vocabitur: etsi parum plausibile, imò odiosum esset Principibus. ¶ Quòd autem ita vocarent eum turbæ, nõ fecerunt vllo terrore à Deo ipsis incusso: nam non erat crimen sic vocare Iesum, vt possent Principes turbas morte afficere: quia dicebant, *Nobis non licet interficere quenquam*; sed spõtè agente Spiritu sancto.

Supra 2. Infra 4. Ioan. 7. Supra 1. Matth. 2. Ioan. 18. Iudæi vnde nosse potuerint Iesum esse Christum, & Messiam.

Interrogantibus autem Iudæis, *Quis est hic*? respondendum erat: Interrogate Moysen vestrum, de quo dixit Dominus: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit*. Interrogate Ioannem Baptistam, qui dixit: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Interrogate dæmonia, quæ exibant de corporibus, clamantia, & dicentia, *Sine, quid nobis, & tibi Iesu Nazarene, &c. Scio te, qui sis, sanctus Dei*. Interrogate opera ipsius Christi, de quibus ipsemet testatus est: *Opera quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea; ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater me misit*. Interrogate ipsum Deum, & Patrem, qui bis dixit, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; & semel: *Ipsum audite*. Hodie etiam permulti sunt Christiani, qui, quid sit Christus, ignorant, & despiciendo ea quę Christi sunt, & ab eo præcipiuntur, dicunt, Quis est hic qui vrget reformationem, & nos ad reformationem vocat? Et, In qua potestate hæc facit? Respondendum est illis: *Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ*, id est Christus, qui in summo Pontifice, vel Episcopo zelum Dei habente, loquitur, & operatur: quos qui non audit, Christum non audit. Et qui reformanti Ecclesiam, obedientiam denegat, à Deo deformabitur. Timeo ne, sicut olim Christus reformauit Ecclesiam, manentibus Pharisæis, & Scribis in sua deformitate, ita hodie idem eueniat. Nam permulti minores reformantur viris in magnis gradibus constitutis non solùm non reformatis, sed etiam reformationem respuentibus, & conspuentibus, vt impleatur in illis verbum Domini: *Videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt*. Et Iesus est à Nazareth, quod interpretatur, florida, vel custodita, vel sancta, id est Ecclesia Romana, quia in ea tantùm flores Martyrum, Virginum, & Doctorum inueniuntur. Et Roma ipsa sancta est, & custodita: quia Portæ inferi non præualebunt aduersus eam singulari Dei prouidentia. Est etiam à Nazareth Galilææ, id est rotæ: Vt enim rota quocunque mouetur, semper eodem modo se habere cernitur; ita Ecclesia Romana, quod ad fidem & Sacramenta spectat, semper est eadem: etsi in

Supra 5. Supra 1. Luc. 4. & Matth. 8. Ioan. 5. Matth. 3. & Infra 17. His qui Ecclesiæ reformationem vrgent, reclamantes, quibus similes videri possint. Luc. 10. Quis à Deo deformandus sit. Matth. 13. Nazareth quid. Nazareth Ecclesiæ, præsertim Romanæ elegans sanè typus. Matth. 16. Galilæa quid significet.

sanctitate, vitæ, & positiuis præceptis interdum varietur. Et quemadmodum Propheta dixit: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem*: ita de Romana in totam Ecclesiam prodire debet non tantum autoritas, sed etiam Sapientiæ lumen, & vitæ reformatio, vt omnia membra assimilentur suo capiti. Est autem Papa in Ecclesia, vel Episcopus in sua diœcesi, Iesus quidam: nec in hoc quenquam debet offendere. Nam ministerium habent reconciliandi, & saluandi, ait enim Apostolus: *Si quomodo ad æmulandum prouocem carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis*. & alibi. *Omnia omnibus factus sum, vt omnes facerem saluos*. Debet etiam quisque esse propheta Dei, docens legem eius, & declarans Domini voluntatem. Debet etiam esse à Nazareth Galilææ, id est, membrum tenens fidem, & doctrinam Ecclesiæ Romanæ, nec ab ea, aut doctrina separari debet per hæresim, aut rebellione, & contumacia per schisma, non accipiendo ab ea munus ordinationis suæ. Et vt olim qui ad tempus populum Dei liberabant, vt constat ex libro Iudicum, Saluatores nuncupabantur, & Christi typum gerebant, qui spiritualis est mundi Saluator: ita modò Pontifices, & Episcopi seruando suo gregi seriò incumbentes, Christum Saluatorem imitantur. Quos Christi exemplo oportet commouere suam diœcesim, neque dicere, vt quidam suam negligentiam excusare volentes, proferre solent: Mundum talem relinquam, qualẽ accepi. Nam hæc vox parum pia videtur, cùm Cicero libr. De amicitia, naturæ lumine præditus dixerit: *Mihi non minori curæ est, qualis Respublica post mortem meam futura sit, quàm qualis hodie sit*. Sic ille. Et Seneca, qui altiori lumine non pollebat, quodam loco sic ait: *Paucis natus est, qui populum suæ ætatis tantùm cogitat*. Etsi ergò durum sit tanta pręstare, maximum tamen est præmium: neq; deest fauor, seu opitulatio Domini Iesu ad tam præclara facinora. Et quisque cùm assumitur ad Pontificatum, vel Episcopatum, intelligat quanto oneri humeros supponat, aut ministerium recuset, secundùm illud: *Nolite quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates*.

Esai. 2. Ecclesia Romana qualis esse debeat. Papa in Ecclesia, vel Episcopus in sua diœcesi, vnde constet quod sint velut Iesus quidam. Rom. 11. 1. Cor. 9. Quisque fidelis quando sit Propheta Dei, & à Nazareth Galilææ. Saluatores olim Israelitici populi sic vocati, quem adumbrarunt. Iudic. 3. Luc. 2. Pontifices & Episcopi quando Christum imitentur. Minus pia vox quorundam Antistitum. Cicero. Seneca epist. 60. Paucis qui nascitur, vt ait Seneca. Quid ad gradus Ecclesiæ altiores assumuntur, qua se cogitatione alubri præmuniant. Eccle. 7.

Et intrauit Iesus in templum Dei. Solebant Reges à populo suo excepti, ea corrigere circa templum, quæ erant aliorum incuria, vel malitia deprauata, vt Dauidem, Ezechiam, & Iosiam fecisse constat: quem morem Christus hodie imitatus est. Hæc autem eiectio ementium, & vendentium, illo ipso die quo ingressus est

Regũ à Iudæis exceptorum prima cura. 4 Reg. 18. Infra 22. Hæc eiectio vendentium

: ementium uando acci- erit.

Ierosolymam cum tanta pompa, facta est. Quod in primis Matthæus ostendit, quia cùm ingressus est in templum Dei, subiecit: *Et eijciebat omnes vendentes & ementes in templo,* ac posteà ait, quomodo pueris clamantibus in templo, Hosanna, Pharisæi sunt indignati: quod certum est satis prima die hebdomadæ contigisse. Similiter Lucas post descriptum solennem Domini introitum in Ierusalem, adiungit hûc introitum in templum: Marcus verò solus istud factum narrat, cùm dixisset Dominum venisse rursus Ierosolymam. Cùm autem non sit verisimile, Euangelistas diuersa facta Iesu describere, vt Caietanus non improbabile esse existimauit, & impudenter vult Osiander, qui duas ponit eiectiones, vnam prima die, alteram secunda: dicendum sanè vnam tantùm fuisse, & illam Matthæum cum Luca per anticipationem narrasse, si Marcus ordinem rei gestæ seruauit, aut contra Marcum narrasse per recapitulationem, si reliqui ordinem seruatunt. Profectò Augustinus libro de consensu Euangelistarum admonet, Marcum per recapitulationem id secundo die commemorasse, quod primo die gestum fuisse, alij duo narrant. Et vt quibusdam videtur, magis est probabile, Marcum ordinem temporis seruasse: tum quia cùm Marcus narrat Dominum venisse rursum Ierosolymam, & ingressum in templû, nihil ab eo erit narratum illa die in templo gestum, si eiectio ementium, & vendentium contigit primo die. Sed hæc ratio videtur petere principium: quia ingressus in templum Domini non fuit secunda die, sed per recapitulationem tantùm secundo die narratur, in quo fortassis pro more suo prædicauit in templo, vel Sacerdotes eum interrogantes, & dicentes: *In qua potestate hæc facis, & quis tibi dedit hanc potestatem?* confutauit: quia illud nulla die certa gestum narratur ab aliquo Euangelista.

Matth. 21. *Luc. 19.* *Marc. 11.* *Caietanus. Osiander hæreticus.* Vnam duntaxat eiectionê fuisse, nô duas quę côprobêt. *August. lib. 2 de Consen. Euang. c. 68. tom. 4.* Ratio quorundam minus idonea. *Matth. 21.*

Adijciam & aliam rationem: quia certum est ex Marco, Matthæum ea, quæ partim secunda die contigerunt, partim tertia, sic commemorasse, quasi omnia secunda die accidissent. Nam cùm dixisset, mane Dominum reuersum in ciuitatem; sic commemorat ficum à Domino maledictam, & discipulos, quia exaruerat, admiratos, quasi vtrumque eadem die gestum esset: cùm tamen certum sit ex Marco, Dominum ficui illi maledixisse secunda die, ac tertia die discipulos videntes eam aruisse, admiratos. Et ita vt hic coniunxit gesta duarum dierum, secundæ, & tertiæ, ita omninò verisimile; in narratione eorum quę ad primam pertinent diem, coniunxisse quædam secunda die gesta. Sed quia hæc ratio debili coniecturæ nititur, & fortiùs est argumentum ex B. Matthæo desumptum, qui ponit illum primo die accusatum à Principibus Sacerdotum, quòd post eiectionem vendentium, & ementium, pueros clamantes, Hosanna filio Dauid; non prohibuerit: propterea solidius mihi videtur, & textui Euangeliorum congruentiùs, quod primo die, quo ingressus est, vt Messias, hoc tantæ potestatis, & autoritatis opus præstiterit. Christus ergò ingressus est primò in templum more boni filij, qui veniens visitat primo domum patris; & more boni medici, qui ingressus ad infirmum, primùm de origine infirmitatis inquirit: nam interrogat quomodo se habeat caput, quod si dolet, cætera membra dolent: quomodo se habeat stomachus, quo sano, & valido, totum corpus bene habet, quo laborâte, omnia membra languent.

Altera confutationis ratio. Probabilior opinio. Christi ingressus in templû qualis merito videri possit.

Ad hunc modum vt omne bonum de templo egreditur, ita etiam omne malum procedit. Nam si Sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret, si per malos mores sit deprauatum, Ecclesia eius exemplo magna ex parte corrumpitur. Denique ingreditur templum more summi Pontificis, ad quem spectat suos Sacerdotes corrigere, & reformare, & vt studiosus agricola arborem pallentibus folijs cernês, cognoscit lęsam esse in radicibus: ita Christûs cernens corruptionem laicorum, arescentibus radicibus Sacerdotum hoc nô dubitat tribuere. Et quemadmodum omnis motus horologij benè aut male sonantis ad artificem reducitur: ita actiones honestæ, vel deprauatæ, quę in Ecclesia videntur, ad superiorem, siue Episcopum referendæ sunt. Sed vt rectè sonare valeat hoc horologiû, reparandæ sunt rotæ clericorum, & leuanda pondera, quæ deorsum tendunt, id est, corda hominum, quæ indies indigent verbo Dei, & oratione, sursum erigi. Et vt horologium debet esse in medio ciuitatis situm, vt ab omnibus audiri possit, & omnium actiones componere: ita prælatus Ecclesiæ suæ præsentiam adhibere debet, vt sonitu prædicationis, & exemplo vitæ sanctæ, & oratione, & correctione omnium suorum vitia reformet, & ad omnia virtutum officia suos inuitet, & adhortetur.

E templo, siue Sacerdotio vt omne bonum egreditur; sic malum omne procedit. Quemadmodum actiones Ecclesiæ, quæcunque tandê illę, ad pastorê vel Episcopû referri debeât.

Quòd ergò dicitur ingressus in templum: intellige in atrium laicorû, primam templi partem, in qua erat altare holocaustorum:

In quod templum Dei nûc Christus ingressus sit.

Exo. 26. & 36. Heb. 9.

Quomodo ementes & vendentes in templo Dominus eiecerit. *Ioan. 2.*

ſtorum : quia ſolum hoc loco illicita erat emptio, & venditio, quia ibi laici orabant, preceſque ad Deum fundebant, & verbum Dei audire ſoliti erant. Quòd verò ait Euangeliſta, *Eijciebat omnes vendentes & ementes in templo.* Intellige flagello aliquo quo egit aſellum, vel quo fortaſſis erant alligata illa animalia, vt alibi diximus. Et animalia non perdidit Chriſtus, ſed permiſit auferri à dominis, ne alijs daret occaſionem committendi furtum in templo. Lutherani peiora peccant, nam furantur, & rapiunt : non enim emunt, neque vendunt, nec dicunt. Auferte iſta hinc, ſed, vos iſthæc intro auferte. Nam omnia vaſa aurea, & argentea, & ornamenta templorum, atque adeò redditus Eccleſiarum in vſus profanos iniuſtiſſimè conuerterunt : quos non alud manet iudicium, quàm illud, quod, Balthaſaro Regi Babyloniæ, & ſacris vaſis abutenti diuinitus accidiſſe legimus.

Lutherani raptores vnde : eorundem pœna. *Dan. 5.*

Et menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit. Quia enim Meſſias zeloſus erat, & legem impleturus, eiecit vendentes : nam extrà vendere poterant. Qui tamen eiecti erant, intrare poterant ſine rebus venalibus. *Et dicit eis: Scriptum eſt, Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Prima pars huius teſtimonij eſt Eſaiæ 56. & additur cunctis populis, pro qua Septuaginta verterunt. Cunctis gentibus, & Marcus, cum illa particula protulit, vt explicaret, ad alienigenas, id eſt, gentes eſſe ſermonem : poſterior pars de ſpelunca latronum producta eſt ex capite ſeptimo Ieremiæ. Latrones hominibus ſpoliandis velut in ſpeluncis deliteſcũt, & inſidias ſtruunt; ita Sacerdotes in templo Dei, & ſub prætextu Diuini cultus venabantur homines ad prædam : & vt latronem occultat ſpeluncæ obſcuritas, ita hypocriſis, & ſpecies cultus Dei iſtos auaros ne agnoſcerentur. Adhæc vt ſpelunca ſeruit ad occultandas res furto ſublatas, ita templum ad ea, quæ per iniuſtitiam, vel furtum congregabant, ſeruiebat. Atque ita in templum forum induxerant, quod planè erat inexplicabilis auaritiæ, qua laborabant, argumentum. Vt autem teſtatur Diuus Hieronymus, fuit hoc omnium miraculorum CHRISTI maximum, quòd vnus homo, & illo tempore contemptus, & adeò vilis, vt poſt ſex dies cruci ſuffigeretur, ſuperbis Phariſæis contra ſe ſæuientibus, & ſua lucra deſtrui cernentibus, vnius flagelli verbere tantam potuerit eijcere multitudinem.

Chriſti zelus obſeruantiæ legis. *Deut. 14. Eſai. 56. Ierem. 7.*

Sacerdotes Iudæorum quare latrones. Hoc ſignum eiectionis quale fuerit. *D. Hierony. Matth. lib. 3. tom. 9.*

Quanam confidentia Iudæi venditionem, & emptionẽ iterauerint in templo, vnde aliàs fuerant expulſi.

Et licèt primo anno prædicationis Chriſti, vt Ioannes ſcribit, iterum eiecti eſſent à Domino; ob auaritiam tamen ad nundina conſectanda vrgentem, & quia putabant Chriſtum ob dictum à Pontificibus promulgatum, vt comprehenderetur, nequaquam venturum, iterum ad emendum, & vendendum reuerſi ſunt. Et Chriſtus eiecit eos, ne videretur eorum delicta diſſimulando approbare. Incutiebat ergò Dominus timorem, cum intus efficiendo, & oſtendendo lumen in vultu igneum enim quiddam, & ſydereum, vt teſtatur Hieronymus, radiabat ex oculis eius, & diuinitatis maieſtas lucebat in facie. Addidit præterea virtutem voci ſuæ, & fortitudinem flagello quo vtebatur. De timore autem, quem Dominus ſolet incutere, ait Scriptura : *Dabit tibi Dominus cor pauidum, & deficientes oculos, & animam conſumptam mœrore. Et erit vita tua quaſi pendens ante te: timebis nocte, & die, & non credes vitæ tuæ.* Et rurſus : *Terror Dei inuaſit omnes per circuitum ciuitatis, & non ſunt auſi perſequi recedentes.* Et profectò in ſolam auaritiam ſæuit Chriſtus, & oſtendit zelum ſuum : quia proculdubio ablata auaritia de medio, Eccleſia eſt reformata : nulla enim peſtis grauius nocet. Subuertit cathedras vendentium: quia magiſtrorum dignitas ad nihilum redigitur, cùm fuerit permiſta lucris. Et vt Hieronymus teſtatur, propter auaritiam Sacerdotum, altaria Dei, nummulariorum menſas appellauit : nam etſi velit Dominus Epiſcopos habere redditus ſuos, & ſtipendia, non vult tamen propter illa ſibi ſeruitium impendi.

Ioan. 2. Infra. 11.

Cur eos Chriſtus eiecerit, & quomodo ſecundũ Hieronymum.

Deut. 28. Qualem timorem Dominus incutiat malis. *Gen. 35.*

Modus reformandi Eccleſiam quis ſit.

Quid eſt quod cathedras vendentium Chriſtus euertit. *Hieronym. in Matth.*

Tolle ab Epiſcopatibus ſtipendia temporaria, tolle honorem coniunctum, & poteſtatem; & videbis nullos eſſe, qui Eccleſiaſticis muneribus fungi velint, opuſque erit violentia & carcere ad cogendos homines, vt aſſumant præfecturas Eccleſiaſticas: quemadmodum modò ſuper Epiſcopatibus, & Abbatibus propter emolumenta temporaria contenditur, & litigatur. Aufer ab oſſe carnem omnem, & medullam, & canes pro eo habendo non contendent. Olim idonei ad epiſcopatus cogebantur, includebantur, & cuſtodiebantur, donec adeſſet voluntas acceptandi epiſcopatum, vt teſtatur Auguſtinus ad Donatiſtam.

Epiſcopatus hodie (proh dolor) & abbatiæ propter quid appetantur.

Ab Epiſcopatu olim Patres quantum abhorrerent, licet ad illum acceptiſſimi. *Auguſt. epiſt. 204. tom. 2.*

Inſtruimur præterea hoc loco, quàm graue, & horrendum ſit crimen ſimoniæ, quod hæreſin Canones vocant. Res enim pretioſiſſimę, & pretio humanæ inæſtimabiles ſunt miniſteria Eccleſiaſtica, & Sacramentorum adminiſtratio : ideò vileſcunt,

Quàm graue & horrendum ſit crimen ſimoniæ.

cùm

cùm pretio æstimatur. Inuenti sunt pictores, qui opera sua non putarunt esse vllo pretio æstimabilia, ac proinde libètius donabant, quàm venderent.

II. Ratio.

Deinde spiritualia munera quæ tu vendis, non sunt tua, sed Dei; tu autem tantùm dispensator es. Et vt tyrannus esset Rex, qui venderet Solem, commune bonũ, & in omnium vsum à Deo conditum: ita qui vendit Christum, vel Spiritum sanctum.

III. Ratio. *Matt. 10.* *4. Reg 5.*

Tertiò Dominus pręuenit, cùm dixit: *Gratis accepistis, gratis date.* Et Helisæi seruus, qui pretium voluit sanitatis sponte à Propheta collatæ, lepra Naaman percussus est, & eiectus foras. Vtinam & Romæ, & in alijs ciuitatibus multi essent, qui factum Petri consectarentur, & dicerent Simoni Mago: *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.*

Act 8. IV. Ratio ab ijs quę vendũt simoniaci.

Ad hæc vendito vno beneficio, siue Sacerdotio, Christus cum Spiritu sancto, & sanctis omnibus venditur. Primò enim Simoniaci vendunt in templo Ecclesiæ animalia, id est, temporaria bona coniuncta spiritualibus. Deinde columbas, id est, Spiritum sanctum, qui per omnia Sacramenta operatur. Tertiò pecuniam, id est, animas Dei imagine insignitas, quas imaginem diaboli, aut Cęsaris gestare faciunt. Omnia enim miracula, & verba, & ea quæ egit, & passus est Christus, & præclarè dixerunt, & operati sunt Sancti, vno vendito beneficio venduntur: imò hi qui beneficia ex deuotione & pietate instituerunt (non ad tuam alendam cupiditatem) sua intentione defraudantur. Videndum ergò esset, si Christus, si Spiritus sanctus, si sancti, qui nos præcesserunt, si illi qui fundarunt, & dotarunt Ecclesias, si hi qui pendunt decimas, hac venditione tua sint contenti.

Simoniacos vti Dominus de templo eijciat: mensas euertat nũmulariorum, & cathedras illorũ subuertat.

Venit ergò Dominus, & cum flagello eijcit eos, & primo de templo Ecclesiæ, quia sunt velut membra mortua. Deinde euertit mensas nummulariorum, id est, aliud patrimonium, quo emit beneficium, perditur, vt experientia docet: quia huiusmodi bona sunt anathema, & interficiunt alia.

Dictum Magni Gregorij.

Tertiò verò subuertit cathedras, quando per mortem, vel alio modo spoliat eos dignitate Ecclesiastica. Vel quando eleuat fidem, & autoritatem docentis apud auditores: quia cuius vita despicitur, restat, vt & prædicatio contemnatur. Nemo autem prætextu imitandi Christum temerè irruat ad purgandum templum: videndum est quid ferat cuiusque vocatio, & viso Dei templo inclinato, omnes Dei filios vrat dolor, ingemiscant, & orent: quia eorum manus Deus non armauit. Meminerint Ozæ tangentis arcã, & supplicij de eo sumpti. *2. Reg. 6.* Quos verò tangit negotium hoc, & ea data est potestas, sinamus operari, & faueamus precibus nostris.

Venditio illa, & emptio columbarum, ouium, & boũ in tẽplo Dei, quam esset cũ ratione coniuncta.

Prætextu non carebat illa nundinatio, quæ populum molestia leuabat, ne procul quærenda essent sacrificia. Deinde vt pręsto esset ad manum pecunia, quam quisque offerre deberet. Nec in Sanctuario sedebant mensarij, vel hostiæ venales, sed in atrio, cui templi nomen interdum tribuitur.

Eadem nihilominus quàm fuerit rationi dissentanea, ac minimè tolerãda.

Sed quia nihil minus templi maiestati consentaneum, quàm illic erigi forum rerum venalium; fuit hæc non ferenda profanatio, quia palàm constabat illum morem Sacerdotum auaritia fuisse indictum, ad turpis quæstus capturam. Nam vt qui tabernam ingreditur varijs mercibus plenẽ, & pulchrè instructã, etsi nihil emere in animo habeat; illecebris tamen institoris captus mutat consilium: sic captandis oblationibus retia tendebant Sacerdotes, vt à singulis aliquid lucri emungerent. Iusserat quidem Deus sacrificia offerri, sed nolebat suum institutum seruire hominum auaritiæ. Alia erant scelera in ciuitate, sed illa intacta reliquit. Et incepit à Sanctuario, vt admoneat quæ propius concernunt gloriam Dei, ante omnia esse repurganda.

Primũ iustitiæ munus.

Et primum munus iustitiæ est reddere DEO, quod suum est, id est, cultum, & adorationem in aliorum exemplum: & non solùm verbo purgat, sed facto, vt intelligant Episcopi, non tantum doctrina, sed etiam factis purgandas esse suas Ecclesias.

Marc. 11.

Vasa per templum trãsferri Dominus quę vetuerit.

Adijcit Marcus illis, quæ Matthæus recenset, Dominum vetuisse, ne quis vas per templum transferret, id est, quiduis supellectilis, quod maiestatem, & reuerentiam templi obscuraret; & ne sit transitus ad res profanas per templum. Atque hoc intelligi non potest de vasis ad sacrificia necessarijs, sed de vasis venalibus, aut profanis.

Ioseph. lib. 2. cont. Apionẽ aliquãto ante medium.

Iosephus libro contra Appionem Grammaticum scribit, ne vas quidem aliquod licere portari in templum.

Vas quid, & cõclamare vasa Latinis.

Vas enim Latinis, significat Sarcinulas omnes: & conclamare vasa more militari, est omnia colligere: maximè cùm mouenda sunt castra.

Act 9. *Psal. 70.* *2. Cor. 4.*

Hinc dicitur Paulus, Vas electionis, & Psaltes, *Confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam*, id est, in instrumentis musicis: &, *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus*, id est, in corporibus nostris. Vasis ergò nomine omnia supellectilia, & instrumenta veniunt.

Matth. 21.

Cur accesserunt ad Christum caeci & claudi in templo, quos sanauit.

Et accesserunt ad eum caeci, & claudi in templo, & sanauit eos. Erat ergo Dominus terribilis malis, dulcis, & tractabilis bonis. Et accessu illo isti pertierunt sanitatem, erant enim ibi, vt orarent, vel vt colligerent eleemosynam, & forsan erant in ingressu templi. Atque his miraculis confirmauit Dominus fidem populorum se honorantium, & Messiam Regem salutantium, iuxta praedicta ab Esaia: *Deus ipse veniet, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi caecorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.*

Esai. 35.

Secunda ratio ac tertia.

His praetereà signis Dominus aduersarios suos confutauit; & quia purgato templo, & Sacerdotio, accedunt laici ad Christum tanquam caeci, vt illuminentur, vt tum se ipsos, tùm Deũ, & Scripturas, quas ignorabant, intelligant, tùm claudi, qui in moribus propter prauam Praelatorum vitam claudicabant, vt redeuntes ad Ecclesiam, in qua est absolutio à peccatis, recto calle ambulent.

Vbi nam sit absolutio à peccatis.

Videntes autem Principes Sacerdotum, & Scribae mirabilia quae fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes, Hosanna filio Dauid; indignati sunt. Improbi vndique venenum eliciunt, etiamsi bona videant, more serpentium. Et sicut columna, si recta stet, accepto pondere amplius firmatur, si autem vel tantillum obliqua fuerit, accepto pondere non firmatur, sed tendit ad casum: ita cor hominis si rectum fuerit, visis operibus bonis alicuius iusti, aut audita doctrina praedicatoris, magis in bono confirmatur: si autem fuerit peruersum, ex quacunque re visa ad inuidiam concitatur. Tales extiterunt Sacerdotes, qui ex inuidia ita loquebantur, quòd eis lucrum omne, & opinionem adimere videretur: volebant vt Christus coram populo placato negaret se esse Christum; coram illo verò irritato, vt assereret se Christum. Faciebat etiam ad Christi gloriam, quòd non solùm natu grandes Christo fausta acclamarent, sed & pueri eorum exemplo prouocati, in quibus clariùs apparebat diuini energia Spiritus, vt qui non ita aut ex pacto corrupti, aut ad gratiam loqui videri poterãt. Idcircò grauiter inde Principes Sacerdotum sunt indignati.

Improborum ingeniũ quale sit.

Cor hominis vnde cõfirmetur; idem contra infirmetur vnde.

Vnde orta Sacerdotum in Christum indignatio.

Audis (inquiunt) *quid isti dicunt?* Vt si attributum Regis nomen agnosceret, haberent vnde apud Prẹsidem eum accusarent: si verò non agnosceret, haberent vnde turbam refellerent, tanquam falsa acclamantem. Et contemptim d cunt, Isti pueri, qui nesciunt quid dicant. Et quia soli pueri clamauerunt in templo, ideò illis solis indignantur: Turbas autem in via non viderant. Neque ausi sunt increpare pueros, ne populum offenderent: & quia difficile erat tot pueros sedare propter signa, & eiectionem ipsam; & quia secundùm legem non habebãt colorem increpandi pueros propter laudes, licèt magis de eiectione ementium, & vendentium dolerent: nam illo audito, vt testatur Lucas, Principes Sacerdotum, & Scribae, & Principes plebis quaerebant illum perdere. Marcus etiam addit: *Quo audito, Principes Sacerdotum & Scribae quaerebant quomodo eum perderent.* Rectè dictum est:

Sacerdotũ & Scribarũ mẽs ex duplici capite Christo ad nocendum paratissima.

Quare illi pueros Christo acclamantes increpare non fuerint ausi.

Luc. 19.

Marc. 11.

Tunc tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

Horatius.

Viderant Sacerdotes, & Scribae quàm saepè Dominus ipsorum auaritiam obiurgauerat, vt non solùm ementes, & vendentes templo eijceret, sed ipsos accusaret blasphemiae, vel idololatriae, quia ex domo orationis, domum facerent negotiationis, vel, quod peius est, speluncam latronum: quare impijs latronibus consultum videtur, vt quocunque pacto tandem possint, ipsum Dominum è medio tollant: sed timebant, ne fauore populi munito ipsi nihil possent nocere.

Principes Sacerdotum, & Scribae cur quaesierint illum perdere.

Sed vide rem praeposteram, tam impio facinore concepto non metuunt Deum vltorem, cui nullum factum, vel cogitatio hominis occulta esse potest, & populum formidant. Cur non saltem ipsum IESVM metuebant, cuius Diuinam virtutem in edendis signis quotidie experiebantur.

Eorundẽ fatuus & caecus timor. Vnde prodiret ille.

Qui enim potest profligare daemonia, multo faciliùs potest immittere: qui verbo reuocat exanimes, multo faciliùs potest eripere vitam. Sed haec non cogitabant, quia excaecati erant ab auaritia, & malitia sua.

Vtique: Id est, certè, Graecè Ναὶ, profectò, ita. Certè audio illos, & vtinam vos illos audiretis. Hae enim sanitates, quas ego operor, testimonium reddunt vocibus puerorum. Poterat illis Christus dicere, Et vos videtis quid ego facio? Item quid inculpatis Christum, si vos nescitis quid dicunt? ¶ *Nunquam legistis.* Quasi dicat; Ignominia Sacerdotis est nunquam legisse, vel legisse, & non intellexisse. Et non dixit Christus, quae Scubae audire cupiebant, nempè bene faciunt pueri clamantes: Vel, si errant pueri, aetati illorum ignoscendum est, sed Scripturis puerorum factum confirmatur.

Principes Sacerdotum, & Scribae quàm digni ignominia, & dedecore.

firmatur. Quasi diceret; nunquid hoc mea culpa est, quod ante tot secula hoc futurum Propheta prædixit, videlicet, Ex ore infantium laudem perfectam futuram? Et mira est Christi dignatio, quòd propter nos allegat Scripturas, quasi minoris autoritatis essent sua verba: Quoniam etsi à Deo sint omnes Scripturæ, melius tamen loquitur in filio, quàm in seruo: quemadmodum etsi omnes creaturæ sint à Deo, vna tamen alteri præstat. Atque istis, quia maligniores erant quàm illi, qui per viam tentarunt Christo obstrepere: qui cùm dixissent: *Magister, increpa discipulos tuos*, & clarius responsum acceperunt: *Si hi tacuerint, lapides clamabunt*, istis, inquam, rectiùs locutus est. *Quia ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem?* Ita legunt Septuaginta Interpretes. Sed idem ferè docet Hebræa veritas: *Ex ore infantium, & lactentium fundasti robur*, vel *virtutem*. Nam tunc virtus Dei ex ore infantium fundatur, dum inuicta Dei laus cunctis hostibus Dei euulgatur, siue prædicatur ab infantibus. Septuaginta dicunt, *perfecisti*: quia perfectam Deus suam reddit laudem, dum simplices, & pueris lactentibus similes eligit ad prædicandam gloriam suam. Et ad literam laudem exhibitam sibi à pueris tuetur, vt sibi gratiorem: & inter pueros erant nonnulli lactentes, quia triennio pueri Hebræorum lacte alebantur, vt dixit mater Machabæorum, 2. Machab. 7. & coniuncti cum alijs grandioribus poterant & ipsi clamare facientes, quod alios facere videbant. Fortassis etiam Dauid, per infantes, & lactentes respexit ad Hebræos, qui liberati ex Ægypto nomen Dei, & laudem carmine celebrare cœperunt, iuxta illud Sapientiæ: *Decantauerunt Domine, nomen sanctum tuum, & victricem manum tuam laudauerunt pariter. Quoniam sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas.*

Psal. 8. Mira Christi dignatio.

Scribæ illi, & Principes Sacerdotum cui audierint a Christo: Si hi tacuerint, lapides clamabunt.

Luc. 19.

Quemadmodum ex ore infantium & lactentium perficiat Deus laudem.

Quamdiu Hebræorū pueri essent lactētes.

Sap. 10.

In hoc etiam specimen quoddam est editum, per quos nomen CHRISTI potissimum esset prædicandum; nimirum per rudes, simplices, idiotas, & omnis doli expertes, quales erant Apostoli diuino Spiritu accensi: quid etiam illis prædicantibus Euangelium Christi euenturum esset, nempe indignatio Iudæorum, & illis similium sapientium & potentium huius seculi.

Isti infantes Christi laudes in templo decantātes quid præfigurauerint.

Sequitur apud Prophetam: *Propter inimicos tuos, vt destruas inimicum, & vltorem.* Quod Dominus noluit exprimere: ne irritatos plus irritaret, sed pro sua modestia illis cogitandum & recolendum reliquit. Significat ergo Dauid illo versu, etiamsi omnes linguæ taceant, Deum ad illustrandam suam virtutem non opus habere alijs oratoribus, quàm infantibus, qui ab vberibus matrum pendent: illi enim muti sunt, sed mirabili Dei prouidētia instar fiunt sonoræ cuiusdam, & magniloquæ tubæ. Ita Sol & Luna, vt linguæ, Dei laudes canunt; non mirum ergo, si à puerorum, qui vsu loquendi præditi sunt, vocem eliciat Deus. Et rectè sic innuit Deum esse. Vel per infantes, & lactentes intelligi possunt iuxta spiritum non ætate tales, sed qui simplicitate cordis fari aliquid mali nesciūt, & qui non sensibus, sed malitia pueri sunt, vt ait Apostolus. Lactentes etiam, qui suauitate Humanitatis Christi, & miraculorum eius delectabuntur, nondum pane solidæ, & perfectæ doctrinæ, quę fortiores dētes meditationis requirit, vt quasi animalia munda ruminare possimus. Sicut enim lac sine labore dentium manducatur, & manducantem delectat: ita signa Domini Iesu videntes, admiratione delectabant, & ad Fidem iocundè & molliter inuitabant. Humanitas etiā Christi ab Esaia vocatur mamilla regia: *Mamilla*, inquit, *Regum lactaberis*: nimirum quòd Christus de Regibus processit: cuius mamillæ lac erat prædicatio, præsentia, & signa eius quæ operabatur, qua mirabili delectatione spectatores afficiebant.

Psal. 8. Quorsum illud: Propter inimicos tuos vt destruas inimicū, & vltorē Dominus suppressit, qd significet.

Quid illi infantes, & lactentes rursus significent.

1 Cor. 4.

Quomodo Christi signa intuentium oculos afficerent.

Esa. 60. Christi Humanitas, mamilla regia ab Esaia cur dicta.

Dicitur autem ab his pueris perfectam laudem prodijsse, quæ inchoata fuerat à turbis, & discipulis in via: quia cùm isti essent legis, & Prophetarum ignari, confitebantur Iesum Messiam esse in lege promissum: nec tam ipsi erant qui loquebantur, quàm Spiritus Patris in eis, & per eos loquens. Etsi autem pueri quod clamabant, non intelligerent; probantur tamen à Christo, & commendantur, vt intelligas plerunque preces, quæ Spiritu Dei funduntur, etiamsi à precantibus non intelligantur, nihilominus gratas Deo existere, qui plus affectum, quàm intellectum orātis attendit. ¶ *Et relictis illis, abijt foras extra Ciuitatem in Bethaniam, ibiq; mansit.* Dominus recessit ab eis, vt recessu compesceret, quos sermone non poterat mitigare: malitia enim sermonibus non vincitur, sed magis inflammatur, secundùm illud: *Cùm loquebar illis, impugnabant me gratis.* Abijt foras extra Ciuitatem: quia, vt dicit Marcus, circumspectis omnibus, cùm iam vespera esset hora, non inuenit aliquem qui reciperet hospitem, vel inuitaret ad cęnam, Pharisæorum metu, quia turba quæ processit ei obuiam, hospes erat, vt Ioannes testatur: etsi fortassis erat qui ipsum susciperet,

Quid quod ex ore puerorum perfecta laus dicitur ꝓdijsse.

Matth. 10. Puerorū quas non intelligebant suas laudes Christus quare cōmendault.

Ob quam causam Christus relictis Principibus Sacerdotum, & Scribis, abijt foras extra ciuitatē.

Psal. 119.

Marc. 11.

Ioan. 12.

 nole-

Aliæ caussæ eius recessus Domini plures adferũtur.

nolebat Iesus alicui periculo esse. Et speciali permissione Dei factum est, vt risui dolor admisceretur, & vt doceat suos euangelizare sine vlla spe mercedis temporalis ab hominibus colligendæ, & vt nemo expectet maiorum reformationem, quia illos relinquit Iesus in sua cœcitate.

Bethaniæ cur frequenter Dominus versaretur. *Ioan. 12.*

Ibique mansit, siue pernoctauit, vel diuersatus est, vt significat verbum Græcum ηὐλίσθη. Vnusquisq; ergo ad sequelam Domini Iesu Christi accingatur, etiamsi alij non sequantur, imò repugnent Christo, & reluctentur. Manebat autem Bethaniæ, quia prope Ierusalem erat, vt reuerti ad prædicationem commodè posset, & quia Bethaniæ erat Lazarus, Maria, & Martha, humiles, & auidi spiritualium, & verè iuxta nomen obedientes, & qui digni erant, apud quos hospitaretur Dominus, secundùm eius præceptum: *In quamcunque ciuitatem, aut castellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit: & ibi manete donec exeatis.* Non autem eò proficiscebatur, vt melius pasceretur, aut splandidiori conuiuio exciperetur.

Matth. 10.

Quid hoc recessu suo ab Ierusalem Dominus voluerit ostendere.

Hoc autem suo recessu ostendit, quòd derelicturus esset Ierusalem, desertamque dandam in direptionem. Beati ergò qui Iesum apud se diuersari promerentur; ter autem infelices habendi sunt illi, à quibus Christus Dominus recedit, quia necessum est tales omnibus Satanę incursionibus, & vitijs, atque peccatis esse expositos, cùm sint omnis veritatis luce, & diuinæ gratiæ præsidio destituti. Demus igitur operam, vt cum Sponsa dicere valeamus: *Inueni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Nec enim tantus thesaurus, aut tantum bonum dimitti potest à nobis sine magna nostra iactura, & detrimento: neque rursus conseruari potest sine ingenti, & ineffabili emolumento nostro, quo frui in æternum licebit, nempe Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto sit gloria sempiterna, honor, & imperium in secula seculorum, Amen.

Hospite Christo carere, quantum malum sit.

Cant. 3.

TRACTATVS L.

Ac postremus, in quo agitur de signo, quo Dominus maledixit ficulnea, & exaruit: de quo tantùm Matthæi 21. Marci 11.

Huius signi tempus, & caussæ.

HOc tantùm signum superest nobis in hoc libro enarrandum: nam reliqua miracula, quę tum in passione & morte imminente; tum post resurrectionem operatus est Dominus, suis opportunis locis enarranda seruantur. Hoc ergò signum quod in manibus habemus à Matthæo, & Marco describitur, & sequenti die ab ingressu Domini solenni in Ierusalem peracta est. Caussa autem huius signi esse videtur, quòd vt quidam tradunt, cùm Dominus IESVS tantum sibi honorem sumpsisset, vnum tamen illi defuisse videri poterat, quòd eos, quos inuidia honoris eius vrebat, non vltus esset. Hoc ne putaremus debilitate, sed voluntate omissum, ostendere voluit, quàm etiam culpa carentes lædere poterat: sed se quam ad salutem totius populi accepisset potestatem, ad alicuius vel nocentissimi perniciem vti voluisse. Ita ad indicandum, quòd etsi propter iram Dei cæci iam essent Iudæi, atque ita bene agere non possent, vt ipse testatus erat flens super ciuitatem; tamen pœnas daturi erant, quòd essent steriles & infructuosi. Ait ergò Matthæus: *Mane autem reuertens in ciuitatem, esuryt.* Marcus verò ait: *Et alia die cùm exirent à Bethania, esuryt.* Dies igitur lunæ post Dominicam palmarum erat. Quotidie autem Dominus vsque ad cœnam Iouis celebratam sub vesperam ibat ad prędicandum in Ierusalem, & serò reuertebatur in Bethaniam, vt docet Marcus, & Lucas, qui refert quòd diebus docebat in templo, noctibus verò exiens morabatur (orationibus, & precibus vacans) in monte qui vocatur Oliueti, hoc est in Bethania, quæ sita erat in monte Oliueti, vt aliàs dictum est. Cùm enim omni tempore laborasset Dominus, peculiariter tamen in fine multos, & magnos labores exantlauit: quemadmodum testis est Ioannes, cùm ait: *Cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Aderat etiam tunc magna multitudo etiam Gentilium, vt dicitur apud Ioannem, ob imminens festum Paschæ; vt scire possent quem interficiebant, pateretque iniquitas interfectionis tam iniustæ, & plebis tantæ iniquitati consentientis. Volebat etiam vt pateret, eum sponte sua, & voluntariè

Luc. 19.

Marc. 11. Assiduitas prædicationis Christi, & precationis.

Infra 14. *Luc. 21.*

Ioan. 13.

Supra 12.

mortem

mortem subire. Quia verò populus mane ibat ad audiendum eum, vt ait Lucas, & à longinquo veniebat, & redibat: ideò Apostoli locum Paschæ celebrandi in Ierusalem quæsierunt, dicentes, *Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* Quia non erat solitus illis diebus manere in Ierusalem, aliàs non mutaret hospitium: & quia aptum, & commodum tempus erat, veniebat mane.

Luc. 21.

Matth. 26.

Qualis fuerit hæc Domini esuries, naturalis an diuina

Esuriit. Non satis est compertum an esset naturalis esuries, an verò assumpta, ac supernaturalis: nam quia post multum, ac longum in dicendo laborem sobriè cibum sumpserat, & noctu in oratione peruigil manserat, naturalis esse potuit. Probabile est autem assumptam dispensatoriè fuisse: sicut dispensatione quadam quærebat fructum à ficu extra tempus: & dispensatoriè illi maledixit, vnde haberet occasionem perficiendi fidem Apostolorum, & confirmandi. Nam, & eodem modo aliquando conturbationem, & fremitum spiritus assumpsit, & admirationem, & lachrymas, & pauorem, & tædium. Theophylactus quidem putat, hæc omnia singulari dispẽsatione facta: nam quoniam sæpè miracula fecit benefaciendo hominibus, non viderant autem discipuli potentiam eius, si quę vellet affligere, eius rei gratia hic vult ostendere discipulis, quod & illos affligere, & sibi aduersantes, ac se crucifixuros in vno momento perdere potuisset, si voluisset. Ergò famem supernaturalem assumpsit, vt aliquid significaret. Voluit enim inprimis sua esurie corporali ostendere, quantum desideraret salutem Ierosolymitarum, & ciuitatem eorum, ac synagogam, eo quòd desiderio suo non satisfaceret, penitus exscindendam, & Diuina maledictione execrandam, humore cœlestis gratiæ iusto Dei iudicio ab ea sublato: Iudaicamque plebem infructuosam designare; & ob id æternæ maledictioni subiacere, & ne putari posset, ignorare Iesum arborem carere ficubus, vel ex indignatione maledixisse. Quia enim actus conquirendi ficus conscribendus erat, fecit & caussam eius, id est famem supernaturalem commemorari. Et vt prius sitiens venerat ad puteũ & in cruce positus dixit, *Sitio*: sic modò esuriens venit ad ficum, vt humanæ carnis, & salutis eius probationẽ exhiberet, cùm fidem sitiret Ecclesiæ, & hominum esuriret salutem. Idem etiam ostendit tempus: quia mane erat, quo tempore nondum famés vrgere solet. Vnde Petrus Iudæis obiecit: *Non enim, sicut nos æstimatis, hi ebrij sunt, cùm sit hora diei tertia.*

Ioan. 11. Infra 13. Matth. 8. Luc 39. & Ioan 11. Matth. 26. Theophyl. in Matth. & Marc.

Quid hęc Domini esuries significauerit.

Ioan. 4. Infra 19.

Marc. 11. Act. 2.

Et videns fici arborem vnam secus viam, venit ad eam. Ad arborem fici venit, quæ autor, & dux primæ transgressionis fuit, vt autor est Nicephorus. Erat autem in via, siue secus viam, sed non ita propè, vt posset procul discerni non habere ficus: quia non esset conueniens ad eam ire. Ideò, vt Marcus inquit, longè ad eam iuit, declinans scilicet à recta via, aliàs si prope viam esset, licet longè, visus non esset ire ad eam, sed ire in Ierusalem. Si esset propè viam, non videretur rationi consonum pro tam paruo labore declinandi maledictionem infligere: nec conueniret significationi laboris à Domino assumpti pro Iudæis à via Dei lõgè remotis. ¶ Et ad vnam tantùm iuit, non ad plures, ne multis malediceret. Solaque Synagoga, quia lege Dei & Prophetis culta, culpa sua fructu carebat: Gentiles autem non erant culti, aut conducti ad laborandum in vineam. Venit ergò ad vnam, de qua ex folijs, vt dicitur in Marco, occasio erat putandi, quòd posset habere fructus; & vt ei malediceret soli, & significaret laborem frustra, & sciẽter assumptum pro Synagoga.

Ad arborẽ fici eamque secus viam cur Dominus diuertit.

Niceph. lib. 1. c. 27.

Marc. 11.

Ad vnam tantùm ficum, nõ plures, quare Dominus venit.

Matth. 20.

Marc. 11.

Et nihil inuenit in ea nisi folia tantùm: & addit Marcus: *Non enim erat tempus ficorum.* Habuit se Dominus per modum aliquid quærentis, vt etiam visum est discipulis. Inuenit tantùm folia, quæ si non essent, abesset occasio eam adeundi, nec esset materia significandi externam Iudæorum laruã & cæremoniam. Atque in hoc actu verisimilitudo non tollit significationem, quia mane erat, nec tempus erat fructuum, vt ait Marcus. Rursus significatio verisimilitudinẽ non tollit, quia erat longè, & folia multa habebat, & tempus vicinum in ea terra, quæ calidissima erat. Et stat, aliquem scire in vniuersum nõ esse tempus fructuum, & non aduertere ad particulare. Ideò ad ficũ venit, quæ fructum habet ad edendum, & nõ ad oliuam quæ fructu statim esili caret. Verba illa, *Nõ enim erat tempus ficorum*, ob id posita sunt à B. Marco, vt ad literam declararet, quare nihil fuerit inuentũ in ficu pręter folia, ac significaret, Dominum, qui sciebat tempus non esse ficorum, hæc fecisse in mysterio, quo doceret, synagogam, Deo deserente, & execrante, etiam virorem foliorum suorum iacturam, eo quòd expectatum fructum non proferret: nam tempus suum iam venerat, vt suos ederet fructus filio Domini vineæ, & ficulneæ, vt dicitur in parabola vineæ apud Matthæum, & ficulneæ apud Lucam. Gregorius scribens ad Eulogium, ponderat ex B. Augustino, quòd cùm Euangelista subiungit:

Cur ficum tantùm folia habẽtem Dominus adierit.

Quare dictum sit ab Euangelista: Nõ enim erat tempus ficorum.

Arbor ficus folia tantùm habens, quid mysticè.

Matth. 21. Luc. 13. B. Greg. lib. 8. regist. epist. 42. init. to. 2.

D. Aug. ser. 44. de verb. Domi. ante med. tom. 10.

Nondum enim erat tempus ficorum, apertè cognoscitur, quòd per ficum Dominus in synagoga fructum quæsierat, quæ folia tantùm legis habuit, sed fructum operis non habebat. Non enim poterat Creator omnium nescire, quia fructum ficus non habuit, quod, dum tempus ficorum non esset, omnes poterant scire. D. tamen Hieronymus in Matthæum, etiam hoc mysterio deseruire ostendit: *Alius*, inquit, *Euangelista dicit: Nondum enim erat tempus: siue quod tempus nondum venerat saluationis Israel, eo quòd nondum Gentilium populus subintrasset, siue quod præteriisset tempus fidei, quia ad illum primum veniens, & spretus transisset ad Nationes.* Chrysostomus in Matthæum scribit: *Christus quicquid in sæculo gessit, quicquid docuit, vel quascunque parabolas intulit, in ipsis hominem designauit, cuius caussa salutis descendit, quem aut instruxit, aut monuit, aut armauit.* Et infra: *Est igitur in arbore similitudo hominis, ad quem Dominus esuriens venit. Quid autem esurit in homine Dominus, quid reab eo sibi desiderat exhiberi, nisi quod ipse Deo Patri exhibuit: Meus, inquit, cibus, & meus potus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me?* & paulò post, *Non es arbor à Deo plantata, si bonos fructus non exhibes.* Hæc ille.

Alter sensus B. Hieronymi. B. Hieron. in cap. 21. Mat. lib. 3. tom 9. Marc. 11. Tam Christi parabolæ hominem delineant, quàm ipsius facta, teste Chrysost. B. Chrys. ho. 24. in Matt. ex varijs in Matth. locis, tom. 2. Quid esuriat Christus in homine. Ioan. 4. Quis sit arbor à Deo plãtata.

Et ait, *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum.* Si enim ad tempus tantùm sterilem redderet, non erat opus palloris mutatione exterius visibili ad ostẽsionem potentiæ suæ pro eo tempore apud discipulos, vel significationis apud eos, & apud nos postea, cùm aperuit illis sensum. Et Deus, quia sua sunt omnia nostra, & nos qui etiam offendimus, iniuriam nemini facit, cùm nostra perdit: quemadmodum & nos animantibus ratione carentibus, si ea interficiamus, non ipsis, sed dominis iniurij sumus. Esuriebat ergò Dominus Synagogam in ficu illa repræsentatam, & per triennium expectatam, vt redderet fructum: in qua quicunque manserit, fructum nunquam edit in æternum. ¶ *Et arefacta est continuò ficulnea.* Non dissonat B. Matthæus, dicens quòd ficus aruit statim, à Marco, qui tantùm mane sequenti asserit discipulos ficum aridam factam à radicibus vidisse. Arefactio siquidem statim subsecuta est, sed visa fuit à discipulis mane sequenti, quia non statim ceciderunt folia, nec apparuerunt pallida. Quod secundùm veritatem fuit in Christi morte, & resurrectione impletum, quia ex eo tempore legalia mortua fuerant, quamuis secundùm speciem quandam vsq; ad Ierosolymitanum excidium tolerata fuerunt. ¶ *Et videntes discipuli.* Intellige die Martis manè, vt Marcus exponit: quia dum audierunt quòd maledixisset arbori, nõ putarunt quòd effectus subsecutus esset, nec in reditu ad Bethaniam aduerterunt.

Luc. 24. Christi esuries quæ mysticè. Luc. 13. Si ficus à Christo maledicta statim exaruit teste Matthæo quomodo, iuxta Marcum, mane sequẽti, ficum aridam factam à radicibus discipuli viderunt.

Mirati sunt, dicentes, Quomodo continuò aruit? Id est, breui tempore, vel argumentati sunt quòd subitò aruerit, quia heri viridem viderant, & Christum illi maledicentem, & sequenti die pallidã, & à radicibus mortuam. Et hæc verba vel ore Petri dixerunt, vt testatur Marcus, quia dicitur: *Et recordatus Petrus dixit ei, Rabbi, Ecce ficus cui maledixisti, aruit*, vel discipuli ante eum inuicem hæc dixerunt, & postea Petrus allocutus est Dominum, vt Marcus tradit. Admirati sunt autem Discipuli ex parua fide videntes potentiam Christi ad arborem extendi, & ad perditionem, quia insolita erat Christo; & vt ostenderetur eis extensio potestatis eius ad nocendum, quam nondum credebant, & modus signa edendi, scilicet ex imperio, quo hoc signum editum fuit. At alibi de quantitate fidei expressam facit mentionem, hic de fide absolutè. Etsi enim conueniat idem sæpè repetere, non tamen Euangelistis, quia vobis sufficit semel dicere.

Marc. 11. Mirati vnde discipuli fuerint hic, Incã continuò aruisse. A quo vt plurimũ Christus abhorrebat. Matt. 17. Luc. 17.

Respondens autem Iesus, ait eis, Amen dico vobis: Si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, non solùm de ficulnea facietis, sed etsi monti huic dixeritis, Tolle, & iacta te in mare fiet. Hoc loco docet, quænam fides ad signa sufficiat, ne quis aut de sua fide superbiat, cùm videat eam ad signorum operationem nondum progredi, aut animo consternetur, si eam se non habere quisquam agnoscat: quia hæc non est fides illa, quæ ad iustitiam & salutem est necessaria. Et potest prior consistere sine posteriori in his qui dicunt: *Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Quibus Dominus dicet: *Quia nunquam noui vos.* Sæpè etiam adest fides, quæ iustificat, & saluat, & non adest illa signorum operatio: quam fidem habuit Beatus Ioannes Baptista, qui signum nullum edidit, & beatissima Virgo Deipara.

Quænam fides ad signa sufficiat. Matth. 7. Ioan. 10.

Declaratum est etiam superius, quòd fides hæc est fiducia, quæ debet esse sine hæsitatione, siue, vt Græcè dicitur, sine diiudicatione, id est, sine nostro iudicio humano, quo discernimus inter facile & difficile, inter possibile & impossibile: sicut fides, id est, assensus quem præstamus articulis symboli, debet esse sine dubitatione, aut opinionis formidine.

Non ostendit CHRISTVS potestatem nocendi, nisi ex necessitate, vt in porcis, vt

Christus quàdo vel alicui nocebat. Marc. 5.

cis, vt numerus, & sæuitia dæmonum videretur: nec id per se ipsum egit, sed per administros dæmones. Ficui autem maledixit, quia benignus non lædens ea quæ sensu vigent, nec Iudæos, quorum nondum completę erant iniquitates vsque ad Christum mortuum, & per quadraginta annos postea prædicatum, & non putaretur inesse aliqua significatio, vel in arbore non habente folia, vel insolita ferre fructum: ideò ficum elegit, in qua hoc signum ederer. Ostenditur etiam potestas in arbore humida & succosa, qualis est ficus. Et ponit exemplum de monte transferendo, vt aliàs, quod rudibus magnum videtur. Et cùm subdit alicui potentiæ facere vt arescat ficus, etsi in instanti, non tamen subest mouere montem. Illi autem hoc maximum putabant, quia de maioribus effectibus, qui quod ad substantiam facti attinet, non possunt naturaliter fieri, vt stare Solem, vel quantum ad hoc subiectum, vt dare animam, vel visum huic mortuo, vel cæco nato; licèt bene nascituro. Ideò hoc licèt in tertio gradu esset, id est, in his, quæ possunt fieri à natura, sed non instanti, maius reputabant.

Ficui cur maledixerit Dominus. Iudæorum quando impletæ sint iniquitates.

Transferendi montis exemplo cur Dominus fuerit vsus.

Rudes etiam experiuntur facultatem mouendi, & portandi, non autem ita virtutem transmutandi. Minus est eradicare, & transplantare, quàm mouere montem: nam transplantare in mari, ad signum secundi gradus spectat. Et dicendo, Monti huic, aliquem montem ostendit prope Ierusalem, quemadmodum alibi ostendit montem prope Galilæam. Et rudes magis mouentur singularibus, quia considerabant magnitudinem molis præsentis.

Quis ille mõs fuerit, de quo ait Dominus, Dicetis monti huic, &c. Matth. 17.

Quod dicitur: *iacta, & mitte te*, Græcè sunt Imperatiua passiua, id est, Tollere, & iactare, vt Marcus expresse habet: non enim ipsi se iactant, aut tollunt, sed ab alijs iactantur, & tolluntur. Et significatur missio ad mare Mediterraneum, quod ad viginti milliaria distabat. Ideò significatur, quòd non esset tantùm tremor terræ. Et hoc loco videtur ostendi mons Oliueti, alibi verò mons Thabor prope mare Galilææ. Ideò ibi non dixit, iactare in mare, quia non tantum videretur.

Marc. 11. Illud: Dicetis monti huic: Tolle, & mitte te in mare quomodo accipiendum sit

Matth. 17.

Et omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis. Hæc sola conditio sufficit, quia fides hæc, quam Dominus apud Marcum vocat fidem Dei, hoc loco donum est: quod non est habitus, nec in nobis manet, sed Deus eam donat ad assequendam rem, quam vult donare: ideoque exaudit: si autem non vult exaudire, non dat fidem. Quoniam autem miracula sunt communiter pro aliorum vtilitate, & ad laudem Dei, ideò semper exigit fidem, siue peculiare huius fidei donum, non tantùm hic, & alijs locis, sed etiam apud Paulum, cùm ait: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam.* Cùm verò de oratione agit, licet fidei mentionem nullam faciat: *Petite*, inquiens, *& dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis: Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam*, nihilominus, & ad impetrandum in ea, fides requiritur, ex Iacobo fratre Domini dicente: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hæsitans, &c.* quem in hunc modum Episcopus Abulensis interpretatur: *De fide quidem miraculorum, sed verè de fide ad alia etiam petenda loquitur Iacobus: Si quis indiget sapientia*, ait ille, *ad* fidei, vel defensionem, vel declarationem, atque eam eo tempore humanitus comparare non possit, tunc eam Dominus miraculo donabit, vel habitum eius, vel actum, quantum pro illo negotio id temporis visum fuerit. Debet autem postulare fide nihil hæsitante, eo quòd miracula impetrat: qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circunfertur. Non ergò æstimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino, id est, nullum signum obtinebit. Et quemadmodum natura, & ars non solùm formam, sed & dispositionem ad eam inducunt; ita Christus Dominus si signis opus esset, nos vtique disponeret, dando peculiare fidei donum ad illa, quia minus dispositi olim erant Iudæi, & Idololatræ in primitiua Ecclesia, qui signa ediderunt. Quòd si Scriptura silentio texit multa CHRISTI facta digniora, ergò etiam Apostolorum, quibus infideles non ita credidissent sine signis. Atque ita verisimile est aliquot montes transtulisse: quemadmodum de Gregorio Neocæsariensi Episcopo hoc fecisse legimus apud Eusebium Cæsariensem. Et quod dicitur: *Credentes accipietis*: referri potest, vel ad verbum petieritis, id est, quæcunque sine hæsitatione, & cum bona fide in oratione petieritis, accipietis: vel iungi potest verbo accipietis, id est, quæcunque in oratione petieritis credentes accipietis, id est, accipietis, si modò credatis, quia oratio non impetrat, nisi fides adsit. His Matthæi verbis subiungit Marcus: *Et cùm stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem, vt & Pater vester qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra.*

Conditio quę ad signa à Domino impetrandum idonea.

Ad virtutem, seu signorum operationem cur fides necessario requiratur. Matth. 17. Luc. 17. 1. Cor 13. Matth. 7. Luc. 11. Ioan. 14. Iaco 1.

Episcop Abulens. in Matth. 21. q. 136 init. Id dictum Iacobi: Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, &c. quē sensum habeat.

Qua ratione Christus nos disponat in necessitate signorum.

Euseb Cæsarien. lib. 7. c. 25. histor. Eccles. sub fin. to. 1.

Marc. 11.

Quòd

Quòd si vos non dimiseritis, nec Pater vester qui in cælis est, dimittet vobis peccata vestra. Vbi post fidei commendationem statim de oratione, & peccatorum in proximum admissorum remissione discipulos admonet suos. Vt vel eorum hæresis hinc pateat, qui solam fidem sufficere dicunt ad iustificationem. Et quod ad offensam proximo remittendam attinet, perfecta est fides, quæ per charitatem operatur. Quòd si is qui læsus ab alio, non indulget, in cassum orat: quomodo qui alios non cessat lædere, exorabit? Sed de his latius dictum est Matthæi 6. vbi hæc verba habentur. Illud hic addendum est, quod Deus etiam peccatores exaudit in multis, itaque ex fide faciunt miracula, vt ex Paulo & Matthæo apertè constat. Et ait: *Cùm stabitis ad orandum:* quia stantes, vt plurimum orare solebant Iudæi. Christus ergò non ob hoc tantum admonet nos, vt orantes remittamus alijs, vt & ipse nobis remittat, sed ob id potius, quia Deus fide petentis sanitatem corporalem, aut aliquid tale ad iustitiam imputat. Itaque tradit remissionem peccatorum non petitam, vt Paralytico per funes ex tecto demisso, & languido ad piscinam.

[Margin: ...ontra eos, ...i ad iustificationem solã ...dem sufficere ...rbitrantur. ...alat.5. ...ibs. ...Cor.13. & ...7. ...Matth.7. ...stantes vt plurimum orare ...olebat Iudæi. ...Matth.9. ...oan.5. ...Peccatorum nostrorum ve... ...iam à Deo]

Vt ergò hanc remissionem pecatorum nostrorum non impediamus cordis nostri duritia, sed acceptemus potius, admonet nos Dominus Iesus, vt quicquid Deum precaturi accedimus, remittamus prius alijs; quia Deus iustitiam, & gratiam confert, qua dimittere alijs possimus: nunquam enim verè dimittere possumus, nisi Spiritum Dei bonum habeamus. In qua ergò mensura mẽsi fuerimus proximo nostro, siue condonando iniuriam nobis factam, siue non condonando, intelligamus nobis esse à Deo remetiendum. Quamobrem si natura nostra deprauata reluctetur, vel caro repugnet, quo minus proximis remittamus; debemus saltẽ oculos ad Deum attollere, & ab eo seriò postulare, vt quod per duritiam cordis nostri, & carnis infirmitatem præstare non valemus; ipso saltem opitulante, & spiritum suum bonum de cœlo in nos mittente, per quod cor nostrum lapideum fiat carneum, implere possimus, ad gloriam tanti Doctoris, ac præceptoris, qui hæc nobis sua lege mandauit, Domini nostri Iesu Christi, & admirandi signorum patratoris, cui cum Patre & Spiritu sancto omnis honos, gratiarum actio, & imperium ab omni creatura reddatur in secula seculorum, Amen.

[Margin: obtinere qua ratione valeamus. Verè remittimus quando. Matth.7. Matth.5.]

(∴)

Finis Tom. 6. Alphon. Salmeron.

INDEX LOCORVM SCRIPTVRAE, QVÆ IN HOC SEXTO TOMO ALPHONSI SALMERONIS EXPLICANTVR.

Prior numerus paginam, secundus columnam indicat.

Finis Indicis locorum notabilium S.Scripturæ, in hoc sexto Tomo explicatorum.

INDEX SENTENTIARVM ET RERVM, QVÆ IN HOC SEXTO TOMO ALPHONSI SALMERONIS CONTINENTVR.

Prior numerus paginam, secundus columnam indicat.

Cerem

F.

G.

H.

N.

Poten-

FINIS.